PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXXXV

FLODOARDUS CANONICUS REMENSIS, JOANNES XIII ET BENEDICTUS VI, SANCTA MATHILDIS, GUMPOLDUS MANTUANUS, ERACLIUS LEODIENSIS, UDALRICUS AUGUSTANUS, EPISCOPI.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, *OLIM CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1879

CLICHY. — EX TYPIS PAULI DUPONT, 12, VIA DICTA BAC-D'ASNIÈRES. 635.5.79.

SÆCULUM X.

FLODOARDI

CANONICI REMENSIS

OPERA OMNIA

PRODEUNT NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTA, PARTIM EX EDITIONE COLVENERII, PARTIM EX PRÆSTANTISSIMA V. CL. PERTZ COLLECTIONE; ACCESSERE FLODOARDI CARMINA DE TRIUMPHIS CHRISTI INEDITA, EX DUOBUS CODICIBUS MSS. INTER SE COLLATIS EXPRESSA.

SEQUUNTUR

JOANNIS XIII ET BENEDICTI VI

SUMMORUM PONTIFICUM

EPISTOLÆ ET DECRETA

Intermiscentur

GUMPOLDI MANTUANI, ERACLII LEODIENSIS, UDALRICI AUGUSTANI, EPISCOPORUM,

SCRIPTA VEL SCRIPTORUM FRAGMENTA QUÆ SUPERSUNT.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ cleri universæ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIÀ DICTA : *AVENUE DU MAINE* 189, *OLIM CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1879

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXXV CONTINENTUR

ANNO DOMINI DCCCCLXVI.

FLODOARDUS

CANONICUS REMENSIS.

NOTITIA HISTORICA IN FLODOARDUM.

(Apud Mabill. Acta SS. ord. S. Bened., tom. VII, pag. 325.)

Flodoardum presbyterum Remensem, præcipuum A sæculi x ornamentum, monachis accensent viri docti non pauci post Sigebertum, quos inter Guillelmus Marlotus in *Metropoli Remensi* et Natalis Alexander in *Historia sæculi* x. Flodoardus, quem idem Sigebertus *Flawaldum* vocat, nunquam satis laudatus, nec scio an ulli temporum illorum scriptori secundus. Sparnaco oppido ad Matronam, vulgo *Epernay*, natus est anno 894, siquidem anno 963 septuagenarius erat, ex ipsius Chronico. Archivum ecclesiæ Remensis ejus curæ commissum erat cum crypta seu capella sancti Petri ex Historiæ suæ lib. II, cap. 19, ubi de Ebone agit, his verbis: « Archivum ecclesiæ tutissimis ædificiis, cum crypta in honore sancti Petri omniumque apostolorum, B martyrum, confessorum ac virginum dedicata, ubi Deo propitio deservire videmur, opere decenti construxit. » Ibidem, Gundacrum, Canonicum, ut puto, Remensem, nutritorem suum vocat, matris ejus *avunculus* erat *Flawardus nomine*, qui *duos filios* in sancti Basoli monasterio habuit, unum Tetbertum, *qui presbyter dudum*, inquit, *apud nos obiit*. Artaldo archiepiscopo Romam, nescio cujus rei causa, profectus sub annum 936, a Leone papa VII perhonorifice exceptus est. Ita enim ipse canit in fine libri metrici de Romanis pontificibus, ubi de Leone VII.

Qui me visentem ætherei pia limina Petri
Jocunde excipiens, animo quæsita benigno
Admisit, favitque pie, studuitque modeste.
Famina grata serens, epulis recreavit utrisque
Corporis atque animæ, benedixit, et oscula libans,
Ac geminans dono cumulatum muneris almi
Pergere lætantem amplexu dimisit honoro,

Anno 940 Hugone Heriberti Vermandensis comitis filio, ad sedem Remensis Ecclesiæ in locum Artaldi superordinato, Flodoardus factum improbans, peregrinationem ad limina sancti Martini prætexuit, sed ab Heriberto retentus est. Rem narrat iisdem pene verbis Flodoardus ipse tum in Chronico ad illum annum, tum in Historia Remensi. Verba ejus referenda sunt, ut appareat eumdem utriusque operis esse auctorem. Sic itaque in Chronico habet: « Ego denique disponens orationis gratia sepulcrum sancti Martini visere, retentus sum ab Heriberto comite, clam me quibusdam accusantibus D apud eum, quod sui causa nocumenti vel filii sui vellem proficisci. Fecitque me sub custodia detineri, ablatis a me rebus, quas de episcopatu tenebam, cum ecclesia quam regebam in Culmisciaco (*Cormicy*), sicque plenis quinque mensibus sum detentus. » Idem in Historiæ, lib. IV, cap. 28: « Mihi quoque ecclesiam Culmisciaci vici abstulit cum terra beneficii, quam tunc temporis tenebam. Ego denique disponens orationis gratia sepulcrum visere sancti Martini, retentus sum ab ipso, clam me quibusdam personis insimulantibus apud eum, quod sui causa nocumenti vel filii sui vellem proficisci: et quia renutabam me huic electo nostro committere, nesciens utrum Deo placeret præsulem nostrum fore. Sicque plenis quinque mensibus apud fratres nostros (*id est canonicos Remenses*), ipso comite jubente sub custodia partim libera, sum detentus. » Tum alia inde consecuta subdit, nempe se absolutum a custodia « ipsa die conceptionis et passionis Domini nostri Jesu Christi, ad urbem Suessonicam » cum suo electo perrexisse, ubi Hugonis ordinatio confirmata est in conventu episcoporum. « Ibi ergo, inquit, Hugo princeps tunc me per manum accipiens, huic Hugoni nepoti suo ad benefaciendum commisit, quique mihi ecclesiam sanctæ Mariæ dedit in Colrido (*Coroy*) sitam: terram quoque quam pater suus mihi abstulerat reddidit, et aliam in prædicta villa superadjecit. » Ex his constat, Flodoardo ante annum 940 commissam fuisse curam ecclesiæ Culmisciacensis: ac proinde ante Agapeti pontifi- C catum, qui anno 946 sedere cœpit, presbyterum fuisse. Quod quam ob causam hic notem, inferius videbitur. Anno 941 Flodoardus Hugonis « jussu primum de exsilio evocatur. »

Idem synodo Virdunensi anno 947 interfuit, ut ex eo colligitur, quod post synodum, *Mansimus*, ait, *cum Rotberto Trevirensi*, nempe ipse et Artoldus. Quæ verba utrobique eadem leguntur tum in Chronico ad prædictum annum, tum in Historia, lib. IV, cap. 25. De eo nihil amplius legitur ad annum 962, quo anno Hugo archiepiscopus in ordinem redactus, atque Odalricus ejus loco suffectus est. Chronici hæc verba sunt: « Elegimus ad episcopum Remensem Odalricum illustrem clericum, Hugonis cujusdam comitis filium, » etc. Denique anno sequenti « Odalricus Remensis archiepiscopus proceres Franciæ, qui possessiones quasdam Remensis

occupaverant Ecclesiæ, vocari fecit. Ego vero, subdit Flodoardus, fractus ætate, et attritus infirmitate, ministerio me abdicavi prælaturæ coram eodem præsule : quique me hoc absolvens jugo, imposuit illud per electionem fratrum meorum nepoti meo Flodoardo septuagesimo ætatis meæ anno. » Hactenus Flodoardus de seipso.

Quænam sit illa *prælatura*, quam abdicavit, valde obscurum est. Hoc nomine sine dubio intelligitur, non simplex canonici titulus, sed vel præpositura ecclesiæ Remensis (nam et præpositos, saltem monasterium, aliquando *prælatos* appellatos legere memini), vel dignitas abbatialis. Abbatem quippe, imo et monachum fuisse Flodoardum probant argumenta et indicia non pauca. Primo id præcise tradit epistola Adelagi seu Adelgagi Bremensis archiepiscopi et apostolicæ sedis legati ad Flodoardum, qua ipsum consolatur, quod ad cathedram ecclesiæ Noviomensis electus, Fulcherio cedere coactus sit. Inscriptio epistolæ sic habet : *Frodoardo Patri Remensi, verbum pacis*. Fortasse legendum, *presbytero Remensi*. In hac autem epistola quæ omnino sincera et genuina videtur, Flodoardum, « beneficio deposito, in solitudinem et monasterii latebram » secessisse testatur Adelgagus, qui hanc epistolàm scripsit *anno* 951, *prid. Kalend. Octobris*. An tunc pastore destituta fuerit ecclesia Novomensis, non satis constat ex Flodoardi Chronico, in quo Rodulfi episcopi ordinatio ponitur anno 950, et deinde, nulla ejus obitus mentione facta, « Fulcarius decanus monasterii sancti Medardi Noviomensium episcopus Remis ordinatus » dicitur anno 954. Si mendo caret in prædicta epistola anni designatio, dicendum est, Rodulfum anno ab ejus ordinatione proximo 951 obiisse, deinde in eligendo successore divisa fuisse suffragia, aliis Flodoardo faventibus, aliis Fulcario seu Fulcherio, qui tandem superior exstiterit. Nec aliquis dicat, alium esse hunc, de quo agitur in epistola prædicta, Flodoardum : cum tempus, locus, cæteraque omnia conveniant. Certe apud Sigebertum, autorem ejus supparem, in cap. 131 de scriptoribus ecclesiasticis, *Flawaldus Remensis, qui gesta pontificum Remensium scripsit, monachus* appellatur. Et in vetusto epitaphio Gallicis rhythmis scripto, quod a Bulæo relatum est, idem asseritur, uti et Flodoardi patria et dignitas abbatialis. En epitaphium :

Si ti veu de Rein savoir li Eveque,
Lye le temporaire de Fladoon le saige.
Y les mor du tam d'Odalry Eveque,
Et fut d'Eparnay né pár parentaige.
Vequit caste Clerc, bon Moine, meilleu Abbé.
Et d'Agapit ly Romain fut aubé.
Par sen histoire maintes novelles sauras,
Et enille toutes antiquité auras.

Quod ita reddidit Bulæus : « Si vis nosse Remenses archiepiscopos, lege Chronicon Flodoardi docti. Is fato functus est tempore Odalrici præsulis, oriundus ex Sparnaco. Vixit castus clericus, bonus monachus, melior abbas. Ab Agapito papa factus fuit sacerdos. Ex ejus Historia multa nova scies, et in illa totam antiquitatem hauries. » Belle omnino, sed tamen verbum *aubé*, quod in sexto versu legitur, non id significare puto, quod Flodoardus sacerdos factus sit ab Agapito, qui anno 946 sedere cœpit. Nam ante annum 940 Flodoardus ecclesiæ Culmisciacensis rector erat, ex dictis num 9, ac proinde sacerdos. *Aubé* sine dubio idem est ac Latine *albatus*. Quid autem vocabulum istud hoc loco significet non capio. Quidquid sit, ex his versibus, qui non longe ab illis temporibus scripti sunt, elicitur, Flodoardum, Historiæ Remensis scriptorem, monachum fuisse et abbatem. Id quod non solum Sigebertus, sed etiam Adelgagi epistola contestatur, quæ mox integra referenda est.

Unum contra hanc epistolam opponi potest, nempe quod in ea legitur, Flodoardum jam ante annum 951 deposuisse beneficium ; cum ex Chronici postremo loco superius relato constet, eum non nisi anno 964 prælaturam abdicasse. Sed reponi potest, *beneficii* nomine ab Adelgago intelligi curam ecclesiæ Culmisciacensis, et titulum quem in ecclesia Remensi possidebat : at *prælaturæ* vocabulo significari abbatialem dignitatem quam Odalricus « per electionem fratrum, » id est monachorum, Flodoardi nepoti cognomini imposuerit.

Cujus ergo, inquis, monasterii, si usquam monachus et abbas fuit ? Marlotus ex communi sententia scribit, eum monasticen induisse apud sanctum Remigium, Colvenerius ibidem etiam abbatem fuisse. Quod utrumque vereor ut verum sit. Nam in accurato quem habemus indice tum abbatum illustris istius cœnobii, tum monachorum, qui sub unoquoque abbate devixerunt, nullus reperitur Flodoardus, Et quidem a restitutione disciplinæ regularis ibidem facta, primus abbas fuit Hincmarus ab anno 945 in annos XXII : quo ex calculo excluditur Flodoardus. Alii secessum ei tribuunt in monasterium sancti Basoli, ubi abbas postea creatus sit. Favet quod ibi duos habuerit consanguineos, avunculi sui filios, ut ipse ait in lib II, cap. 3. Verum illud obstat quod anno 952, ex Chronico, Artoldus archiepiscopus » in monasterio sancti Basoli monachos restituit, expulsis clericis qui serviebant ibi, committens illud Hincmaro et Rotmaro abbatibus. » Atqui ante annum 951 Flodoardus jam monachus erat, ex Adelgagi litteris (si tamen vitium in numeros non irrepsit). Non ergo apud S. Basolum, sed potius apud Altivillarenses, ubi Rotmarus abbas erat Inter monachos ejus temporis Altivillarenses unum invenio *Flodoldum*. An hic Flodoardus ? Sane id unum nobis conjiciendum restat, quando quidem serius apud sanctum Theodericum monachi restitud sunt, ut inferius videbimus. Poro in Altivarensi monasterio abbatem fuisse Rotmarum, cui cum Hincmaro commissa est cura restitu tendæ apud sanctum Basolum disciplinæ monasticæ, evincit prædictus index Altivillarensium monachorum, quem

habemus ex pervetusto codice Remigiano, in quo Retmarus et Rodulfus abbates recensentur. Unde conjicere licet, Retmarum cœnobii sancti Basoli curam, favente Hincmaro abbate, imposuisse Flodoardo monacho suo. Sed hæc longius nos ferunt.

Flodoardi obitum anno 966 contigisse docet Appendix ad ejus Chronicon his verbis : « Ipso anno, videlicet 966, vir vitæ venerabilis et Remensis ecclesiæ presbyter, nomine Flodoardus, honore sanctitatis verecundus, castitatis splendore angelicus, fulgore sapientiæ cœlicus, cæterarumque virtutum insignibus abundanter expletus præcedentis libelli, aliorumque dictator egregius, quinta Kalendas Aprilis terrenæ peregrinationis relinquens exsilia, cœlum, ut credimus, adeptus est jura. » Flodoardus ipsa die laudatur in Necrologio ecclesiæ Remensis teste Sirmundo, sed sine tituli gradusve adjectione. Alius itaque censendus est *Flodoardus presbyter et canonicus*, qui in Necrologiis ecclesiæ Remensis et Remigiano notatur xvi *Kal. Junii*. In ms. codice FF. Carmelitarum Excalceatorum apud Parisios hoc ejus epitaphium quatuordecim libris carminum ab eodem scriptis subjunctum est, ipso Flodoardo, ut videtur, auctore :

Hic jacet indignus Flodoardus honore sacerdos,
Arbiter exspectans judicis ut redeat.
Hoc sibi confisus veniam miserante ferendam,
Sed [illegible] obitus [illegible]
Quisquis legis titulum, scitis nostræ ipse futuræ,
Expete sic Dominum propter humi positum.
Christe tuo servo Flodoardo parce benigno,
Et propitius da veniam famulo.

Ad scripta ejus quod attinet, non satis laudari potest Remensis Historia, quatuor libris ab ipso concinnata et contexta ex vetustis illius ecclesiæ codicibus, conciliorum actis, gestis martyrum aliorumque sanctorum, epistolis pontificum aliisque monumentis ; quam historiam *R. præsuli*, id est, ut Sirmundus interpretatur, *Rodulfo Laudunensi* nuncupavit. Ejusdem est sine dubio magni momenti Chronicon, sub ejus nomine primo vulgatum a Pithœo, qui an idem esset auctor immerito dubitavit, ut ex ambarum comparatione evidenter supra colligimus. De quo hæc leguntur in Chronico Andegavensi, tomo I Bibliothecæ Labbeanæ, pag. 285 : *Anno 917 initium Chronicæ Frodoardi* : et *Anno 965 finis Chronicæ Frodoardi*. Duobus annis mutilum est Chronicon in editis. Henricus [illegible] Dominicanus Gandensis, qui anno 1555 vixit, in suo indice librorum mss. Belgicorum ista enumerat Flodoardi opuscula his verbis : « Flodoardus presbyter scripsit de triumphis Italicis martyrum et confessorum metrice libros quindecim, manuscriptos Treveris in summo templo. De triumphis Christi et sanctorum Palæstinæ metrice libros tres manuscriptos ibidem. Item de triumphis Christi et Antiochiæ gestis metrice libros duos ms. ibidem. » Porro, non quindecim, sed tantum quatuordecim libri exstant in pervetusto, ut jam dixi, codice, qui modo est FF. Carmelitarum Excalceatorum : quibus ex libris nonnulla de Pontificibus Romanis edimus. In his libris integra sunt acta sancti Patris nostri Benedicti et sancti Columbani aliorumque sanctorum[a], quorum Gregorius Magnus et in Dialogis meminit. Columbani Vitam hanc metricam et carmen de S. Benedicto damus infra. Browerus in Annalibus Trevirensibus fragmentum de Pontifice Leone VII refert ex codice Trevirensi, idem mimirum quod superius exhibuimus. Denique Flodoardus versibus etiam cecinit miracula quædam beatæ Mariæ, de quibus agit in Historiæ suæ, lib. III, cap. 6. Ratherius Veronensis episcopus tanti eum fecit, ut opera sua ipsi emendanda traderet, teste Folcuino in Chronico Laubiensi, cap. 20, ubi epistolam Flodoardo Remensi a Ratherio scriptam in Laubiensis monasterii scriniis suo tempore asservatam dicit.

Superest ut Adelgagi epistolam eidem Flodoardo directam, quæ a Colvenerio primum, deinde ab aliis, etiam a Binio in Bibliotheca Patrum vulgata est, hic repræsentemus. « Adelagus, miseratione divina Bremensis ecclesiæ servus, Flodoardo Patri Remensi, verbum pacis. Qui dudum deposuisti beneficium, ut tecum mundanæ gloriæ contemptorem animum in solitudinem et monasterii latebram deferres, ex voto non ante finem discessurus, quid jam doles tibi inde non licere egredi ad episcopium ascendendo, quod subripuit Fulcherius ? Stas et non stas ? Deo promisisti de stabilitate, ut si aliquando aliter feceris, ab eo te damnandum scires quem irriseris, et jam tamen vacillas ? Esto firmus in via Dei, et a matutina usque ad noctem quæ sunt honoris et dignitatis obliviscere. Orasti : *(a)* Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum et vivam. Eloquium Dei est : Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Salvabuntur qui fugerint ab eis, et erunt in montibus sicut columbæ convallium. Vidit Deus boni operis in te affectum, exercendi, præstitit facultatem, exaudivit preces : ne dubita, consummandi afferret auxilium. Sed dices : Negotiari volenti commodat Deus talentum, lucrantes beat. An nescis quanto quis altius evectus est, tanto propius esse ne cadat ? Ignoras honoris gradum superbiæ esse irritamentum, esse inanis gloriæ materiam ? Cave ne tibi blandiaris, ne justitiam tuam facere desideres coram hominibus, ut videaris ab eis. Fac te aptum regno Dei, negotiare, lucrare super destinato bravio tuæ vocationis in Christo Jesu. Qui te aptum dicunt dignitati majori, ipsi te, frater, decipiunt, et viam gressuum tuorum consultore diabolo conantur dissipare. Fateor enim qui prodesse non præesse, qui contradictiones non honores, qui labores non delicias, qui opus non opes episcopus desiderat, bonum opus desiderare : sed in omnibus interiorem disce ante animum, et disce Christum non semetipsum clarificasse ut pontifex fieret. Officium quidem episcopale suscepimus ; sed opus officii non implemus. In affectata præeminentia latet periculum. Horret

(a) Benedictinæ professionis formula.

notare quod dixit sanctus, rescripsit sanctus : « Nunc es eum de numero damnatorum, et fuisse eum de numero episcoporum. » Hæc accipe ab eo qui tuus est, et jacta tuum in Domino cogitatum ; patientia tua non peribit in finem. Fient in desolationem, subito deficient, peribunt propter iniquitates suas qui te oderunt. Cognoscetur Dominus judicia faciens, et in operibus manuum suarum comprehendetur peccator. Ora pro me. Scriptum pridie Kal. Octob. anno 951. »

Hactenus epistola, in qua Bulæus pro anno 951 annum 955 reponendum putat, nempe ut id quadret cum anno 954, quo Fulcarius apud Flodoardum ordinatur memoratur. Jacobus Vasor in historia Noviomensis Ecclesiæ retinet annum priorem. Cæterum nemo, ut spero, moleste feret, quod de Flodoardi monachatu hæc disseruerim, non tam absolute de eo pronuntians, quam alii auctores, quorum nihil interest. Equidem Natalis Alexander, vir doctus, relata Adelgagi epistola (tom. XV, pag. 398) « Ex hac epistola, inquit, perspicuum est Flodoardum monachum fuisse. » Itaque non immerito arguerer neglectæ ordinis nostri dignitatis, si saltem, quæ argumenta tantum virum nobis vindicare quoquo modo possunt, non afferrem in medium, relicto æquis lectoribus decretorio judicio.

NOTITIA ALTERA

Ex libris Historiæ Remensis Ecclesiæ et aliunde conscripta per Georgium Colvenerium.

(Ex tomo XVII Bibliothecæ Patrum edit. Lugdun., pag. 500.)

Ut a nomine ordiamur, integrum auctoris nomen fuit, ut arbitramur, Flodohardus, seu Flodoardus, ex quo per syncopem factum est Flohardus, et Floardus. Quod posterius in nostris fere exemplaribus reperitur, quomodo item legit Joannes Savaro in notis suis ad Sidonium Appolinarem. Sigebertus Flawaldum, Trithemius Flavaldum nominat. Petrus Pithœus in duodecim auctoribus simul editis, Papirius Massonus, eosque secutus illustrissimus cardinalis Cæsar Baronius Frodoardum appellant. Sed pro littera *l*, non *r*, in prima syllaba facit, quod lib. II hujus Historiæ, cap. 3, meminerit Flawardi, sive, ut habet aliud exemplar, Flavardi avunculi matris suæ, et in Chronico suo, anno 953 ; nepotis sui Flodoardi, ut ibi legit correctius exemplar Divionense. Unde et prædictus Pithœus in Glossario Capitularium Karoli Magni et Ludovici Pii, quod auctum posterius in lucem emisit, perpetuo Flodoardum nominat, uti et Josias Simlerus in præfatione seu epistola dedicatoria Cosmographiæ Æthici, quod et nos sequemur. Patria ei fuit Sparnacum oppidum non procul Remis dissitum. Vixit sub archiepiscopis Remensibus Hæriveo, Seulfo, Artoldo et Odalrico. Sub Artoldo eum hoc opus conscripsisse patet ex libro III, cap. 6. Vixit sub regibus Francorum Carolo, Simplice, Ludovico Transmarino et Lothario ejusdem Ludovici filio, quem in regem Francorum consecravit Artoldus anno 954. Fuisse presbyterum et canonicum Ecclesiæ Remensis testantur codices Remensis et Igniacensis, qui illum his titulis ornant, imo omnia nostra exemplaria manu exarata, in quorum calce legitur : *Explicit Floardus vel Flohardus presbyter et Remensis canonicus.* Similiter dictus Josias presbyterum vocat, et Joannes Filesacus Parisiensis theologus in veteris Ecclesiæ Gallicanæ Querela canonicum Remensem, uti et Joannes Molanus in Nat. SS. Belgii die quinta Augusti. Fuisse etiam aliquando rectorem seu pastorem Colmisciaci vici testatur ipse libro IV, cap. 28. At postmodum vitæ genus mutasse, et relicto canonicatu monasticæ regulæ sese subdidisse, et deinde abbatem factum esse, certa sunt documenta ex epistola Adelagi Bremensis archiepiscopi, quam habes infra. Item ex eo quod de se scribit in Chronico anno 963, his verbis : « Ego vero fractus ætate, et attritus infirmitate, et ministerio me abdicavi prælaturæ coram eodem præsule (scilicet Odalrico, Artoldi successore) quique me hoc absolvens jugo, imposuit illud per electionem fratrum meorum, nepoti meo Flodoardo, septuagesimo ætatis meæ anno. » Sic ibi. Idem confirmant versus Gallici, in codice perantiquo ms. reperti, a nobis in frontispicio positi, quorum hæc est interpretatio : » Si vis scire Remenses episcopos, lege Chronicon Flodoardi docti. Is mortuus est tempore Odalrici episcopi, oriundus ex Sparnaco. Vixit castus clericus, bonus monachus, melior abbas, ab Agapito papa fuit factus sacerdos. Ex ejus historia multa nova scies,et in illa totam antiquitatem hauries. » Idem denique probatur ex testimonio Dominici Grimani cardinalis, quod infraposuimus. Fuit autem monachus et abbas ordinis S. Benedicti Remis in monasterio sancti Remigii. Quare non fallitur, nec injuste illum suo ordini vindicat Trithemius Sigebertum secutus, libro II De Viris illustribus ordinis sancti Benedicti, cap. 68, et in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, cum dicit eum fuisse monachum Remensem ordinis sancti Benedicti. Quos item sequitur Conradus Gesnerus in sua Bibliotheca, et Arnoldus Wion libro II Ligni Vitæ, capite 67 : sed hic in ætate ejus fallitur centum prope annis, scribens eum floruisse anno 870. Fallitur quoque Antonius Possevinus in Apparatu sacro, in eo quod Flavaldum a Flodoardo et Frodoardo distinguat, tanquam diversos auctores

Frodoardo solummodo tribuens Chronicon, de quo infra, Flodoardo autem hanc Remensium episcoporum Historiam; sed quæ in appendice nonnihil corrigit. Similiter doctus Wion in adjunctis ad Lignum Vitæ, pag. 909, Flodoardum a Flavaldo non recte distinguit. Præterea fallitur Papirius Massonus in Catalogo auctorum, quibus usus est in suis Annalibus, dum vocat eum Remensem pontificem. Quod secutus est Baronius anno 933, nisi in Baronio mendum sit, et pro *Remensi archiepiscopo*, legendum sit, *Remensis archiepiscopus*, ut ad Artaldum referatur. Nam anno 948 vocat eum Remensis Ecclesiæ presbyterum, sicut et ipse Papirius, lib. II, in Carolo Simplice, ut per inadvertentiam pontificem vocasse videatur.

Illud interim verum est, mortuo Rodolfo, ab utroque capitulo, Noviomensi, et Tornacensi, die 20 Julii anno 950 electum fuisse in episcopum Noviomensem et Tornacensem. Non fuit tamen confirmatus, quia Ludovicus Transmarinus rex Francorum obstitit, (tum et vix extremis diebus in sedem utrasque Ecclesiæ intrusit et introduxit populorum monachum et simoniacum clericum Fulcherum, sui archimagiri Rentii filium nothum. Quod resciens Adalgus, vel, ut vocat Albertus Krantzius in sua metropoli, Adaldagus Bremensis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, in hæc verba prorupit: *Cognoscatur Dominus judicia faciens.* Deinde consolatoriam epistolam eidem transmisit (*vide supra in notitia ex Mabillonio*). Hæc ex mss. Quibus habent consona de Fulchero Jacobus Meyerus et Antonius Demochares in tabulis episcoporum Tornacensium his verbis: « 44. Fulcharus sive Fulcherus monachus Suessionensis sancti Medardi, sepultus in templo sancti Elegii extra muros civitatis Noviomensis de quo scribit Meyerus anno 955. Fulcherus homo spurius, filius existimatus principis coquorum Ludovici regis. Noviomagensem malis artibus adeptus episcopatum, omnia fecit deteriora, administravitque menses omnino 18: morbo absumptus pediculari et phthiriasi, magnum exemplum puniti ambitus et simoniæ, ut nos posteri timeremus Deum. »

Fuit porro Flodoardus vir litteris et moribus egregie exornatus, ut declarant testimonia, quæ infra subjungemus, et quod in historico præcipuum est, variæ lectionis, magnæ diligentiæ et indefessi laboris. Hinc ait in præfatione hujus Historiæ, « opus hoc undecunque collectum esse; » videlicet ex scriptoribus sacris et profanis, gestis martyrum et Vitis aliorum sanctorum, actis conciliorum, et epistolis pontificum, præsertim Remensium, quas ex archivis Ecclesiæ suæ deprompsit. Sane a prædictis eum commendant nostri sæculi doctissimi Annalium scriptores Baronius et Papirius Massonus, qui suos Annales ex ipsius scriptis plurimum exornaverunt. Meminit ipsius frequentissime Baronius tom. X, ab anno 845 usque ad ann. 962. Sed quod dolendum, ea allegans quæ ex Gallico exemplari mutilo et imperfecto curavit in Latinum transferri, ut ipse fatetur dicto an. 845, recensens ibidem diploma Caroli Calvi, quo edicit ut Hincmaro restituantur omnia bona episcopatus Remensis, quod habetur lib. III, c. 4. De quo non sine ratione ait Pithœus in dicto Glossario, verbo *Beneficiaria jure*: Solum virum multæ lectionis ex interpretatione Gallica, alienis a sensu verbis, hoc idem diploma retulisse. Verum ab an. 865 incipit ipsa verba Latina Flodoardi allegare, sed ex unico exemplari, eoque sæpe incorrecto et depravato, ut eodem anno, item 871, 877, 892, 893, et alibi videre est. Cæterum non sine laude ipsius meminit, ut an. 933, vocans accuratum illius temporis scriptorem, cui tantam fidem tribuit, ut anno 954 ex eo alios omnes mendacii redarguat. Quantæ vero auctoritatis fuerit, ex eo discimus quod ad legationes et publica negotia interdum adhibitus sit. Unde libro primo, capite 20, se scribit ab Artaldo episcopo missum propter res quasdam Remensis Ecclesiæ ab Otthonem regem et Conradum ducem.

Ut vero ad scripta ejus veniamus. Quatuor hujus operis libros esse demonstrat auctoris prologus, in quo vocat *quadripartitum laboris sui opus*. Quapropter male Trithemius, et qui eum sequuntur, tres solummodo numerant. Præter hos quatuor libros Historiæ Remensis Ecclesiæ, sive ut alii vocant, De Gestis Remensium pontificum, in quibus multa alia de sanctis et monasteriis ejusdem civitatis et diœcesis interserit. Scripsit etiam Chronicon ætatis suæ exactissimum ab anno Domini 919 usque ad 966, quod in lucem protulit Petrus Pithœus inter duodecim scriptores coætaneos Annalium et historiæ Francorum. Excusum est opus in octavo Parisiis 1588, et Francofurti 1594. Tametsi in præfatione dubitet idem Pithœus sitne ejusdem auctoris. Sic enim ait: « Jam de Frodoardi Chronico (sive is Flavaldus vel Floardus sit Remensis Ecclesiæ presbyter, qui archiepiscoporum suorum Vitas a B. Remigio ad Artaldum, diverso plane stylo descripsit) et hoc monere visum est, ea quæ ad Virdunenses episcopos pertinent, sed et alia quædam virgulis inclusa, ex tribus unius esse quod Divionense appellavimus, quanquam Viriduni potius descriptum videatur. Quisquis ille fuit scriptor, multas profecto nobis sui sæculi historiæ tenebras discutiet, » etc. De hac re Pithœum non abs re dubitasse ait in præfatione Sirmondus, adhibito etiam hoc argumento, quod in vetere Kalendario S. Mariæ Remensis adnotatus sit obitus his verbis: XVI *Kalendas Junias Flodoardus presbyter et canonicus*; cum auctorem Chronici Flodoardum V Kalendas Apriles vita functum esse Chronici appendix doceat. Verum scire oportet non iisdem diebus, quibus aliquis ex hac vita discedit, anniversariam commemorationem obitus ipsius celebrari in Ecclesiis, ut passim testatur usus, idque ob varia impedimenta et potissimum circa tempus paschale, quo iste migravit e vita. Quapropter eumdem esse utriusque operis auctorem non solum fatetur Papirius, lib. II Annalium Francorum in Carolo Simplice,

sed etiam apertissime convincitur ex iis quæ habentur in eodem Chronico anno 940, collatis cum iis quæ habentur lib. IV Historiæ Remensis, cap. 28. Utroque enim loco eamdem rem gestam narrat auctor de seipso, videlicet de sua detentione in custodia ab Heriberto comite et ablatione Ecclesiæ quam regebat in Colmisciaco. Neque sane id Pithœus unquam scripsisset, si hanc pariter historiam legisset, quæ non a B. Remigio, qui fuit decimus quintus Remensis sedis archiepiscopus, sed a B. Sixto, primo ejusdem sedis episcopo, primisque fidei Patribus et fundatoribus exorditur. Tantumque abest, ut stylus sit diversus, quod etiam ubi res eadem refertur, iisdem pene verbis utatur. Conferantur cum hoc Chronico ea quæ habentur lib. IV, cap. 15, usque ad 35. Utrum vero prius ab eo scriptum sit non certo constat. Chronicon ex eo videtur posterius, quia hæc historia desinit in actis Artoldi, pertingens ad annum usque 948 Chronicon ulterius progeditur usque ad 966. Quod ait Trithemius, præter gesta Remensium pontificum, eum Vitas quoque multorum sanctorum libro uno scripsisse, cum ejus operis nusquam meminerit, forte non aliud, sed hoc ipsum est, ut Sigebertus insinuat, in quo agit de Vita et miraculis multorum sanctorum. Porro non prosa tantum, sed et carmine valuit Flodoardus. Scripsit enim versibus miracula suo tempore facta in ecclesia B. Mariæ ab Hincmaro ædificata, ut ipse testis est lib. III, cap. 6. Plura enim scripsisse de Vitis sanctorum metrice testis est Joannes Bundelerius Gandavensis ordinis Prædicatorum, qui vivebat ann. 1540 in indice mss. codicum in Belgio exstantium his verbis: « Flodoardus presbyter scripsit de triumphis Italicis martyrum et confessorum metrice lib. XV mss. Treveris in summo templo. De triumphis Christi et sanctorum Palestinæ metrice, lib. III mss. ibidem. Tertio de triumphis Christi et Antiochiæ gestis, metrice libros duos mss. ibidem. » Quæ scripta si adhuc exstent, aliquam Treverenses publico Ecclesiæ bono evulgent. De cæteris ipsius operibus compertum nihil habeo. Obiit autem plenus dierum, ætatis videlicet suæ anno 73, incarnationis Dominicæ 966, quinto Kalendas Aprilis, hoc est 28 die Martii, non quinta die Aprilis, ut inadvertenter annotavit Nicolaus Chesneau et Possevinus. Sic enim in supplemento chronici ipsius legimus : Ipso anno videlicet 966 vir vitæ venerabilis et Remensis ecclesiæ presbyter, nomine Flodoardus, honore sanctitatis venerandus, castitatis splendore angelicus, fulgore sapientiæ cœlicus, cæterarumque virtutum insignibus abundanter oppletus, præcedentis libelli aliorumque librorum dictator egregius, quinta Kalendas Apriles terrenæ peregrinationis relinquens exsilia, civica, ut credimus, adeptus est jura.

NOTITIA BIBLIOGRAPHICA

(Apud Fabric. Biblioth. med. et inf. Lat.)

Flodoardus, sive *Frodoardus* Sigeberto et Trithemio *Flauvaldus*, ordinis Benedicti Culminiacensis, (*Cormicy*) presbyter et canonicus sancti Remigii Remensis, obiit an. 966, 28 Martii, ætatis 73. Ejus scripta sunt :

Annales, seu *Chronicon* ætatis suæ ab anno 919 ad 966. in P. Pithœi XII scriptoribus coætaneis, Parisiis 1588, et Francofurti 1594, 8°, pag. 109, 198. cum brevi appendice usque ad annum 978, pag. 198. 201 ; et continuatione ab anno 977 ad 990, ex Chronicis *Wilhelmi Nangii*, monachi sancti Dionysii, pag. 207, 214 Hoc Chronicon licet Frodoardo non audet certo tribuere Pithœus, tamen egregiam lucem præferre illis temporibus non diffitetur, et sub Flodoardi nomine recusum est et ex Codice Thuano emendatius in Andreæ du Chesne, sive Quercetani, scriptoribus rerum Francorum, tomo II, p, 590. Novam editionem hujus Chronici et omnium Flodoardi operum meliorem jampridem parari a D. de Targny, Noviodumensi. thesaurario Ecclesiæ Remensis et bibliothecario regio testatus est Jacobus le Long in bibliotheca Historicorum Galliæ, n. 3746, et 6870. Conferendus codex integrior Cottonianus ab Octaviano imperatore, cum continuatione *Reginaldi*, archidiaconi Andegavensis, usque ad annum 1277. Vide catalogum ms. bibl. Cotton., n. 69.

Historia Ecclesiæ Remensis, sive, ut Sigebertus, cap. 132, vocat, *Gesta pontificum Remensium*, libris quatuor usque ad annum 948, quorum versionem Gallicam sed pluribus passim omissis ediderat Nicolaus Chesnau, sive Querculus, decanus Remensis, Remis 1580, 4 integros Latine primus vulgavit Jacobus Sirmondus, Parisiis 1611, 8°, cum appendice *Anonymi*, canonici Remensis circa annum 1140, qui Flodoardum breviaverat, aliisque opusculis ad eamdem Ecclesiam spectantibus. Post Sirmondum, Georgius Colvenerius, qui codice Latino, ex quo Chesnæus Gallicam versionem suam adornaverat, contulisse se testatur, ac præter scholia et vocum obscurarum explicationem addidit appendicem Sonacii de statutis synodalibus Ecclesiæ Remensis, et catalogum archiepiscoporum Remensium. Duaci 1617, 8°. Colvenerii editionem expresserunt Bibliothecæ Patrum, Paris. 1639, et novissima Lugdunensis, tom. XV, p. 500 *De Romanis pontificibus* a beato Petro ad Leonem VII, poemate heroico libris 15, quod Anastasiani operis de vitis Pontificum paraphrasim esse notat Papebrochius in Actis sanctorum, tom. VII, Maii, pag. 773, nisi quod variorum sanctorum elogia passim interspersa habet. Insignem partem hujus operis a Gregorio II, an. 715, ad Leonem VII, an. 935, ex codice Carmelitarum excalceatorum San-Germanensi vulgavit Mabillonius, sec. Benedict. III, parte II, pag, 596. Etiam ex sanctorum interspersis elogiis non pauca edidit idem Mabillonius, ut a præstantissimo Caveo jam notatum, S. *Columbani* abbatis, sec. II, pag. 30, S. *Attalæ*, pag. 127 ; S. *Bertulfi* abbatis Bobiensis ; et ex libro VIII carmen octavum de S. *Benedicto* ejusque miraculis, in supplemento ad sæc. I, ad calcem sæculi II, pag.

1095. Ex eodem Mabillonio mutuatus Papebrochius Flodoardi carmen de *Paschali* papa, quod exhibet in Actis sanctorum, appendice ad 14 Maii, tom VII, pag. 775.

Non dubium haberi debet idem hoc esse opus Flodoardi, quod Treviris in summo templo asservari testatus est apud Miraeum ad Sigebertum Vossiusque Joannes Bonderius an. 1655, in Indice codicum mss. per Belgicam, *De triumphis Italicis martyrum et confessorum*, lib. xv, metro scriptos. Clare hoc patet ex Theoderici Ruinarti observatione de ms. Carmelitarum Sangermanensi, quam infra subjungam, cum prius notavero in eadem Bibliotheca Trevirensi, Bonderio teste, etiam asservatos *libros* 3, *De Triumphis Christi sanctorum Palaestinae*, et libros 2, *De Triumphis Christi et Antiochiae gestis*, iisdem carmine epico, a priore opere diversos. Etiam lib. III Hist. Eccles., c. 6, Flodoardus, miracula in basilica B. Virginis Remensis credita referens, « quorum plurima, inquit, quae ante nostram aetatem sunt gesta, nobis habentur incognita. Nos tamen ea quae [illegible] vel personis quae viderant cognovimus, sicuti his quoque [illegible] opusculum [illegible], licet ea versibus olim exaravimus. » Sed Ruinartium lingua sua, plerisque eruditis linguae familiari, quae in ms. illo codice observavit, exponentem audiamus.

« J'ai examiné ce manuscrit, dont le commencement est déchiré; l'ouvrage commence par la fin du premier chapitre du troisième livre. Il y est parlé des martyrs qui ont souffert sous la persécution de Valérien.

« Le IVe livre commence par le pape S. Félix, et traite des persécutions d'Aurélien, de Claude, de Numérien et de Dioclétien. Il y parle des papes, selon le temps qu'ils ont vécu.

« Le Ve et le VIe livre ne s'y trouvent pas, quoiqu'il semble n'y rien manquer.

« Le VIIe ne traite que de la persécution de Dioclétien.

« Le VIIIe livre est intitulé *De Persecutione Maximiani*. Il commence par l'histoire de S. Marcel et de tous les martyrs, qui sont dans ses faux actes; ensuite il parle des saints martyrs qui sont révérés dans les villes d'Italie. Le chapitre 15 est de sainte Afre d'Augsbourg. Le 16e est de Saint Eusèbe, pape.

« Le IXe livre parle de saint Valentin martyr à Rome, ensuite des martyrs des environs et des actes de saint Silvestre, de Gallican, de saint Jean et de saint Paul, et de plusieurs autres martyrs que l'on mit à mort à Rome sous Julien l'Apostat.

« Le Xe livre commence par saint Jules, pape, et finit à Vitalien et à Adéodat. Il y mêle plusieurs autres saints, comme dans le chapitre 2. Il parle d'Eusèbe, qu'il appelle *[illegible]*, qu'on dit avoir souffert à Rome sous Constance, avec Orose, etc., de saint Eusèbe de Verceil, de Victorin le Rhéteur, et de saint Denis de Milan; il fait mention de la translation de ce dernier, faite par saint Basile, qui envoya son corps à saint Ambroise. J'ai la lettre de saint Basile, adressée à saint Ambroise, d'un ancien manuscrit, où il est fait mention de cette translation. Dans le 3e chapitre, où il traite de saint Damase, pape, il y parle de saint Jérôme. Dans le 8e chapitre il parle du schisme de Laurent, de Paschase, diacre. Dans le 10e, de Hormisdas, pape, de la paix d'Orient, de saint Germain de Capoue, de la restitution d'Afrique, de saint Remy, de la conversion de Clovis, de la couronne qu'il envoya à Rome, des habits consulaires qu'il reçut de l'empereur. Dans le 10e chapitre, de saint Jean, pape, de Symmaque, et de Boèce, que Théodoric fit tuer; dans le chapitre 12, de Cassiodore, de ce qu'a fait Bélisaire contre les Goths en Italie et en Afrique. Enfin il traite fort au long de saint Grégoire, et de ce qui est arrivé en son monastère.

« Le XIe livre comprend l'histoire des Papes depuis Agathon jusqu'à Christophe. Dans le chapitre 5e, il parle au long de saint Boniface d'Allemagne, qu'il appelle docteur et martyr. Dans le chapitre 6e, de Carloman, prince françois, qui se fit religieux. Dans le chapitre 7, du pape Étienne II, de son voyage en France, de sa guérison miraculeuse à l'abbaye de saint Denis, etc.

« Le XIIe livre contient l'Histoire depuis Léon IV jusqu'à Léon VII. Dans le chapitre 1er il parle des deux *pallium* d'Hincmar, de l'établissement de l'octave de la fête de l'Assomption de Notre-Dame. Dans le chapitre 2, de Jean, évêque de Ravenne. Dans le chapitre 3, d'Hincmar et de Charles le Chauve. Dans le chapitre 4, de Foulques, archevêque de Reims, et de plusieurs commissions que les papes lui ont données. Dans le chapitre 5, de la translation de saint Calixte, pape, à Reims, qu'il appelle *urbem nostram*. Il traite au long des actions de Formose, à qui il dit que Charles, roi de France, demanda de lui envoyer du pain bénit, *panem benedictum*.

« Le XIIIe livre est des saints dont saint Grégoire traite dans ses dialogues, et d'autres saints d'Italie.

« Le XIVe livre est des saints patrons, martyrs et autres des villes d'Italie.

« Il finit par saint Colomban et ses disciples.

« A la fin est une épitaphe de Flodoard même.

« Ce manuscrit n'est guère moins ancien que Flodoard. »

DE FLODOARDO TESTIMONIA ET ELOGIA.

I.

Sigebertus Gemblacensis in libro De illustribus Ecclesiae Scriptoribus, cap. 132.

Flavaldus monachus Remensis scripsit gesta pontificum Remensium. Orditur narrationem suam a conditione ipsius civitatis, quae a [illegible] civium, qui in bello [illegible], primo [illegible] est [illegible]. Postea milites Remi, a Romulo fratre suo, a [illegible] ibi eam confugerant, eamque a nomine principis sui Remi, Remorum cognominaverunt. Hic scripsit digne scriptoribus [illegible], quia [illegible] ab opere suo memoriam [illegible] sanctorum martyrum, vel confessorum quorumvalibet in territorio Remensi [illegible] adjacentibus vel subjacentibus. Vitas vel passiones eorum [illegible] nobilitavit.

II.

Joannes Trithemius De scriptoribus ecclesiasticis.

Flavaldus monachus Remensis, ordinis S. Benedicti, in Scripturis divinis eruditus, et in saecularibus litteris egregie doctus, ingenio subtilis, et disertus eloquio, scripsit non contemnendae lectionis opuscula, quorum studio nomen suum cum gloria transmisit ad posteros. E quibus exstat opus insigne, a conditione Remensis civitatis, quam milites Remi a fratre Romulo necati fugatos, ob memoriam domini sui construxisse, et hoc appellasse commemorant, usque ad sua tempora: in quo multa de sanctis martyribus et aliis rebus ac gestis intermiscens volumini hunc titulum dare voluit, Gesta Remensium pontificum lib. IV. Vitas quoque multorum sanctorum

lib. I. Alia insuper multa reperies dicenda, quæ ad notitiam meam non venerunt.

III.

Dominicus Grimanus cardinalis S. Marci in Decreto ad Dn. Erasmum can. ordin. S. Augustini, quod excusum est Basileæ anno 1508, apud Michaelem Furterum et Joannem Scotum, folio 32, nota 13.

Dum Remis agerem, obtulit mihi D. Robertus Briconetus archiepiscop. clarus Galliæ cancellarius registrum ms. continens quatuor libros Historiæ Remensis Ecclesiæ, auctore et collectore Flodoardo, ejus quondam canonico, exinde monacho. Mutatio status, et ex canonico factum fuisse monachum, indicat pietatem viri. Docte scripsit et diligenter. Plurima enim illius registri ms. contuli quæ hic in Vaticana asservantur, eaque fideliter exscripta inveni: abest ab eo veteratorum rubigo, et novorum auctorum asperitas. Et si nostri temporis ærumnosa miseria non præferret studio historiæ lucrum vitæ, nec magis consideret avaritiæ quam antiquitatis notitiæ, dignus esset prelo auctor.

IV.

Guillelmus Eysengrein in Catalogo testium veritatis orthodoxæ matris Ecclesiæ.

Flavaldus, Remensis Benedictinæ professionis monachus, vir tam divinis quam profanis scripturis eruditus, historicus perfectus, theologus vero profundus, gesta Remensium pontificum, ab urbe Roma condita, quam milites Remi a fratre Romulo occisi fugato, ob memoriam Remi sui conditores eam nominarunt, usque ad sua tempora tribus voluminibus, quibus complures SS. multarum historiarum recitat, deduxit.

V.

Papirius Massonus lib. II Annalium Francorum in CAROLO MAGNO.

Frodoardus sub Carolo Simplice et Ludovico floruit, Vitasque pontificum Remensium diligentissime scriptas ad posteros transmisit, cujus operis exemplaria aliquot Lutetiæ vidimus.

VI.

Idem in CAROLO SIMPLICI.

Sequensi anno (hoc est 920) magni motus in Gallia sunt exorti, de quibus et aliis publicis negotiis dicemus ex Chronicis quodam Frodoardi (quem alii Flodoardum vocant) Remensis Ecclesiæ presbyteri. Is enim auctor præter Vitas pontificum Remensium scripsit chronica ab anno nongentesimo decimo nono usque ad annum nongentesimum sexagesimum sextum, quo excessit e vita quinto Kalendas Aprilis septuagesimo sexto (*decembrum* tertio) ætatis anno: nosque illum scriptorem deinceps in Carolo, Roberto, Rodulpho, Ludovico et Lotario sequemur præteritis Vitichindo, et aliis minoris diligentiæ de fidei scriptoribus.

FLODOARDI

CANONICI REMENSIS

HISTORIÆ REMENSIS ECCLESIÆ

LIBRI QUATUOR,

Opera et studio Georgii Colvenerii, S. theologiæ doctoris et regii ac ordinarii professoris, collegiatæ ecclesiæ S. Petri præpositi et Academiæ Duacensis cancellarii, in lucem editi. ***Scholiis et notis amplissimis illustrati.***

(Bibliotheca Patrum, tom. XVII.)

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Benevole lector, quid a nobis præstitum sit in hujus auctoris editione paucis accipe. Collatio facta est in universum ad septem exemplaria. Tria enim inter se contulit piæ memoriæ dominus Nicolaus Chesneau, decanus et canonicus S. Symphoriani in urbe Remensi, qui hanc historiam, seu verius historiæ hujus bonam partem in Gallicam linguam transtulit, et eadem lingua edidit Remis excusam, anno 1581, per Joannem Foygni. Hujus decani exemplar Latinum manuscriptum, ex quo ille vertit in Gallicum, attulit ad me Thomas Witus J. U. licentiatus, tradente ei R. viro domino Antonio Beauchesne Remensis ecclesiæ canonico et succentori, qui testamenti prædicti domini Chesneau fuerat exsecutor. Hoc notamus littera c. Porro collatum est ad exemplar monasterii S. Remigii, quod littera r designamus, ad exemplar ecclesiæ metropolitanæ B. Mariæ et ad tertium, quod particulari nomine non designat, sed credo fuisse Igniacense. Ex his secundum diversum fuit ab eo quod ad me postea transmissum est, de quo infra. Nam sæpe notat in margine aliter legi in exemplari B. Mariæ quam habeatur in eo quod nos habuimus ut exempli gratia lib. I, c. 20, in codice metropolit. dicit legi *secus amnem Saram*, cum in eo quod habuimus legatur *Faram*. Lib. III, c. 4, notat legi *Algardis abbatissa*, uti et in codice S. Remigii, cum in nostro sit Adalgardis. Ibidem, c. 7, dicit legi in codice S. Mariæ et S. Remigii *cum palmis*, in alio autem exemplari *cum psalmis*, quomodo etiam habebat nostrum B. Mariæ. Hoc igitur exemplar domini

Chesneum curavi meis sumptibus describi, et postea exacte relegi. Verum deprehendens quibusdam locis mendosum esse, quærere cœpi alia exemplaria ex quibus impleri possent hæ lacunæ. Tum mihi opportune, opera cujusdam Will., duo alia exemplaria integra Remis transmissa sunt, unum ex archivis ecclesiæ metropolitanæ B. Mariæ, in membrana antiqua manu exaratum, quod signamus littera M, alterum recentius, anno videlicet 1596, descriptum in charta, ex eodem veteri exemplari per dominum Georgium Montgerard, priorem cœnobii S. Martini Sparnacensis, partim correctis, partim mutatis hic et illic verbis quibusdam. Signamus littera S. et utrumque fere semper junctis notis ms., quandoquidem ut pro uno exemplari habenda sint hæc duo, eo quod posterius ex priori sit descriptum. Duo tamen numeramus, quia multis locis correctio aut mutatio facta est. His acceptis integris exemplaribus, deprehendi in exemplari illo Domini Chesnei deesse quartam partem operis. Quapropter descriptis locis singulis quæ deerant, novo labore totum exemplar meum ita suppletum contuli, ex integro relegi cum prædictis duobus integris exemplaribus, ut postmodum quam fieri potuit accuratissime descripsi. Ad hæc pro majori luce etiam ad exemplar Gallicum omnia remensi, et ex eo plerumque patria lingua obscuriora nomina propria in margine adnotavi, lectori gratum id fore non dubitans. Ex omnibus autem correctius visum est exemplar monasterii S. Remigii, ex quo exemplar metropolitanæ ecclesiæ, alioqui satis correctum, multis locis suppleri debuit, non tantum in verbis, sed etiam integris sententiis, quæ omissæ fuerant. Sciebam Parisiis et alibi plura exstare calamo descripta exemplaria. Commemorat enim Papirius Massonius lib. II suorum Annalium, se aliquot ejus exemplaria vidisse Lutetiæ. Sed quia puriores ex ipso fonte hauriri solent aquæ, ideireo ex archivis Remensibus ea potius petenda esse judicavi, pro quibus magnas ago gratias thesaurariis et archivorum dictæ metropolitanæ ecclesiæ magistris, qui ea duorum annorum spatio mihi commoda communicarunt. Prædictis exordiatis laboribus, prodiit hoc opus sine ullis tamen notis aut scholiis, Parisiis anno 1611, opera et studio R. P. Jacobi Sirmondi Soc. Jesu presbyteri. Quod exemplar nactus demum, ad capite ad calcem, omnia cum eo relegi; et sicut illius ope non paucas mendas sustuli, sic illi complures esse detectas deprehendi, et nonnunquam integras lineas deesse. Hoc exemplar notamus littera I.

Cæterum nihil est a nobis immutatum, vel in textu positum, quod non erat in exemplaribus, vel in originalibus, in iis quæ aliunde citantur, nisi aliquando expresse in margine, vel in scholiis significaverimus, vel ubi exploratum erat mendum esse et lapsum scriptoris, unam litteram pro alia scribentis. Ubi diversa erat lectio, nec certo constabat quæ vera esset, probabiliorem in textu retinuimus, alteram plerumque ad oram rejicientes.

In orthographia nihil etiam mutavimus, nisi ea, quæ insolentia et depravata censentur, ut dampnus, dampnabile, sompnus, contempnere, redempcius, elemosina, parrochia, pauvertas, serta, summittere, Nicholaus, Nicholaus, pulvereum, adjecta, numeron, et similes. In aliis placuit scripturam illo tempore usitatam retinere in gratiam antiquitatis, ut Karolus, Karlomannus, Pippinus, Theodulfus, Rodulfus.

Omnia scripturæ loca quæ citantur, plerumque etiam ea ad quæ respicitur, margini adjecimus. Similiter et ea quæ ex aliis citantur auctoribus, quæ omnia ad originalia contulimus, et sæpius ex iis emendavimus. Quædam tamen reperiri non potuerunt, quæ tamen nonnulla sunt emendata, quæ alio qui vix emendari potuissent, cum exemplaria vetustis multis locis fuerint depravata, et pro veritate, legendum veritas legentis.

Quæ lectio libro habentur (qui totus est de gestis et scriptis Hincmari) contuli ad opuscula et epistolas Hincmari, tam a R. P. Joanne Busæo, quam a Joanne Cordesio Ecclesiæ Lemovicensis canonico edita.

Ad hæc collatio facta est ad tomos Conciliorum et epistolas Romanorum pontificum, ubi de conciliis agitur. Item cum Annalibus ecclesiasticis Cæsaris Baronii, et præcipuis Galliæ ac Belgii historiographis, Gregorio Turonensi, Aimoino, Sigeberto, Christiano Massæo, Jacobo Meyero, Papirio Massono, et aliis. Ex quibus auctoribus plerumque certa temporis cujusque rei gestæ nota est adjecta in margine, vel in scholiis post calcem operis adpositis.

Hæc enim in scholiis omnino necessaria esse judicavimus: tum quod auctoris dictio ob hoc frequenter obscura sit, quod longas textat periodos, quæ implicantur varietate et multitudine eorum quæ contigerit et interserit; tum etiam quod interdum utatur vocabulis illo quidem ævo tritissimis, sed quæ jam abierunt in desuetudinem. Hæc indice separato recensuimus. Denique per hoc multam auctori lucem attulisse credimus, quod in his scholiis quæcunque possent in dubium verti explicuerimus; pleraque etiam auctoris dicta aliorum testimonio firmaverimus, et unde plura in eam rem de qua agitur peti possint, indicaverimus.

Postremo catalogum omnium Remensium archiepiscoporum adjecimus non sola nomina recensentes sed et tempus sessionis eorum et decessus, quam potuimus certa fide, et principalia eorum gesta. Si tamen in tempore, in tanta vetustate, scriptorum varietate et opinionum diversitate, scopum ubique non attigimus, veniam dabit æquus lector et candide emendabit. In hoc catalogo plurimum adjuti sumus iis quæ nobis communicare dignatus est Claudius Despretz Atrebas, dominus de Quéant, J. U. L. eruditissimus, desumptis ex variis antiquitatibus locorum Galliæ, partim mss., partim excusis. Qui etiam nobis suppeditavit statua synodalia per domi-

num Sonnacium, epistolam Adelgeri ad Flodoardum, A et nonnulla alia de [illegible] testimonia. Inveni præterea catalogum ad calcem exemplaris [illegible] metropolitanæ B. Mariæ Remensis diversa manu inscriptum. Qui et is usque ad quinquagesimum quintum archiepiscopum non habeat nisi nuda nomina, in sequentibus est expositus.

PROLOGUS AUCTORIS

AD R. EPISCOPUM.

Domino venerabili, et in Christi charitate amicorum dilectissimo, præclaro præsuli R. FLODOARDUS, tan- B tæ benignitatis famulus, omnium sanctarum virtutum in Christo gaudium.

Creberrimis admonitionum vestrarum stimulis instigatus, discusso tandem desidiæ pigritantis torpore, abjectisque diversarum curarum occupationibus tel ge ferventis studii vestri solertiæ quadrifidum, nostri laboris opus undecunque collectum, et capitulatim, prout jubere dignati estis, dispositum, nostræ scilicet Ecclesiæ Remensis historiarum librum. Haud mirari vel cumque potens sanctitatem culminis vestri super hac rememoratione obsequii nostri, utpote diversis occupationibus præpediti, hiemali quoque glacialis gelu rigoris obstricti, charaxatorum insuper indigentia coarctati. Neque mirum, me nimium in correctione necessario breve nimis operculorum, cum veterum nonnullis scriptorum magis in retractatione suorum, quam meditatione demonstrentur librorum. Sed nec adhuc omnes ad perfectum me puto eliminasse mendas; et si quæ reperientur scriptoris forte vitia, industria vestra poterunt expurgari sagacia. Non enim me ita perfectum reor ad unguem fore perscrutatorem, ut ferre nolim si quem diligentiorem in eliminandis vitiis invenero correctorem. Igitur quia sanctitatis vestræ circa tantillitatem nostram profusa videtur exuberasse dilectio, hunc studii nostri fructum, vestri dignum duxi tutaminis delegare patrocinio, ut quæ a nostra sunt dicta in tenebris humilitate, ab industria vestræ sublimitate dicantur in lumine

LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

De conditione urbis Remensis.

Fidei nostræ fundamina proditurus, ac nostræ Patres Ecclesiæ memoratrus, mœnium nostrorum locatores vel instructores exquisisse, non ad rem adeo pertinere videbitur, cum ipsi salutis æternæ nil nobis contulisse, quinimo erroris sui vestigia lapidibus insculpta reliquisse doceantur. De urbis namque nostræ fundatore, eu nominis inditore, non omnimodis a nobis approbanda vulgata censetur opinio, quæ Remum Romuli fratrem, civitatis hujus institutorem ac nominis tradit auctorem, cum urbe Roma geminis auctoribus, Romulo Remoque, fundata, fratris militibus Remum certis accipiamus scriptoribus, interfectum; nec illum prius a fratre recessisse, dum uno partu editi, et inter pastores educati, D latrociniisque dediti, urbem constituisse reperiantur; ortaque simultate ac Remo fratre interfecto, civitati Romulus ex nomine suo nomen dedisse legatur. Nam ut Titi Livii verbis utamur *(decad. I, lib. I)* « Numitori Albana permissa re, Romulum Remumque cupido cepit, in his locis ubi expositi ubique educati erant, urbis condendæ, et supererat multitudo Albanorum Latinorumque; ad id pastores quoque accesserant, qui omnes facile spem facerent, parvam Albam, parvum Lavinium, præ ea urbe quæ conderetur, C fore. Intervenit deinde his cogitationibus avitum malum, regni cupido, atque inde fœdum certamen coortum a satis miti principio. Quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset, ut dii, quorum tutelæ ea loca essent, auguriis legerent qui nomen novæ urbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur sex vultures: jamque nuntiato augurio, cum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque regem sua multitudo consalutaverat tempore illi præcepto: at hi numero avium regnum trahebant. Inde cum altercatione congressi, certamine irarum ad cædem vertuntur. Ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior autem fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros. Inde ab irato Romulo (cum verbis quoque increpitans adjecisset: Sic deinde, quicunque alius transiliet mea mœnia), interfectum. Ita solus potitus imperio Romulus, condita urbs conditoris nomine appellata » Ita Livius. Probabilius ergo videtur, quod a militibus Remi patriæ profugis urbs nostra condita vel Remorum gens instituta putatur, cum et mœnia Romanis auspiciis insignita, et editior porta Martis Romanæ stirpis, veterum opinione, propagatoris ex nomine vocitata, priscum ad hæc quoque nostra cognomen reserva-

verit tempora. Cujus etiam fornicem, prodeuntibus dexteram, lupa Remo Romuloque parvis ubera præbens fabula, exprimit insculptum; medius autem duodecim mensium, juxta Romanorum dispositionem, peculiari ordinatione desculptus; tertius, qui et sinister, cygnorum vel anserum figuratus auspicio. Nautæ siquidem cygnum bonam prognosim proferre ferunt, ut ait Æmilius:

> Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales;
> Hunc optant nautæ, quia se non mergit in undas.

Anseres quoque nocturnas excubias celebrant, quas cantus assiduitate testantur. Denique Romana etiam capitolia Gallo servasse traduntur ab hoste.

Nec mirum tamen, urbis nostræ conditionem vel originem non in propatulo dari, cum de ipsius gentium, vel urbis dominæ Romæ conditione, Isidoro teste (l. xv *Origin.*, cap. 1), oriatur plerumque dissensio, ut ejus diligenter agnosci non possit origo. Nam Sallustius (*In Catilin.*): « Urbem, inquit, Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui, Ænea duce, sedibus incertis vagabantur. » Alii dicunt ab Evandro secundum quod Virgilius (*Æneid.* viii):

> Tum rex Evandrus Romanæ conditor arcis.

Eutropius quoque in libro Historiarum sic loquitur dicens: « Romulus, cum inter pastores latrocinaretur, octo decem annis natus, urbem exiguam in Palatino monte constituit, conditam civitatem ex nomine suo Romam vocavit. Post hunc Tullus Hostilius eam, adjecto Cœlio monte, ampliavit. Indeque cæteri diversis diversi temporibus principes, ejus editores vel amplificatores extitere. » Urbis autem nostræ nomen Durocortorum quondam dictum, Cæsaris astruitur Historia, in qua libro sexto sic legitur: « Vastatis regionibus, exercitum Cæsar Durocortorum Remorum reducit, conciliumque in eum locum Galliæ indicto, de conjuratione Senonum et Carnutum quæstionem habere instituit. » Æthicus etiam in Cosmographia sic memorat: « A Mediolano per Alpes Cottias Viennam M. P. CCCCIX. Inde Durocortorum, M. P. CCCXXXIII, quæ fiunt leugæ CCXXI. Item a Durocortoro Divodorum usque, M. P. LXII. Item alio itinere a Durocortoro Divodorum usque, M. P. LXXXVIII. Item a Durocortoro Treveros usque Bagaco Nerviorum Durocortoro leugæ XCIX. Item a Bagaco Nerviorum Durocortorum Remorum usque, M. P. LIII. »

CAPUT II.

De amicitia Remorum atque Romanorum.

Constat itaque Remensem populum populo Romanorum familiarissima pacis olim temporibus amicitiæ junctum, perhibente Julii Cæsaris Historiæ libro (*l.* II *init.*) hoc ipsum astipulantibus, ubi legitur: « Eo, scilicet ad fines Belgarum, ipso Cæsare de improviso, celeriusque omnium opinione, perveniente, Remi, qui proximi Galliæ ex Belgis sunt, ad eum legatos Iccium et Andecumborium (Antebrogium), primos civitatis suæ, miserunt, qui dicerent se suaque omnia in fidem atque amicitiam populi Romani omnino conjurasse, paratosque esse et obsides dare, et imperata facere, et oppidis recipere, et frumento cæterisque rebus juvare. Reliquos omnes Belgas in armis esse, Germanosque, qui cis Rhenum incolant, sese cum his conjunxisse, tantumque esse eorum omnium furorem, ut ne Suessiones quidem, fratres consanguineosque suos, qui eodem jure, iisdem legibus utantur, unumque magistratum cum illis habeant, deterrere potuerint, quin cum his consentirent. » Item (*Ibid.*): « Cæsar, postquam omnes Belgarum copias in unum locum coactas ad se venire vidit, neque jam longe abesse, ab his, quos miserat, exploratoribus et ab Remis cognovit, flumen Axonam (*Aisne*), quod est in extremis Remorum finibus, exercitum traducere maturavit atque ibi castra posuit. Quæ res et latus unum castrorum ripis fluminis muniebat, et post eum quæ erant, tuta ab hostibus reddebat, et commeatus ab Remis, reliquisque civitatibus, ut sine periculo ad eum portari possent, efficiebat. In eo flumine pons erat. Ibi præsidium posuit, et in altera parte fluminis Titurium Sabinum legatum cum sex cohortibus reliquit. Castra in altitudinem pedum duodecim fossamque pedum octodecim muniri jubet. Ab ipsis castris oppidum Remorum, nomine Bibrax, quod aberat millia passuum octodecim (*Orig.*, octo) ex itinere, magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt. Ægre eo die sustentata est Gallorum atque Belgarum oppugnatio hæc. Ubi circumjecta multitudine hominum totis mœnibus, undique in murum lapides jaci cœpi sunt, murusque defensoribus nudatus est, testudine facta portis succedunt, murumque subruunt, quod eis, aditu tum facile fiebat. Namque tanta multitudo lapides ac tela conjiciebant, ut in muro consistendi potestas esset nulli. Cum finem oppugnandi nox fecisset, Iccius Remus, summa nobilitate et gratia inter suos, qui tum oppido præfuerat, unus ex his, qui legati de pace ad Cæsarem venerant, nuntium ad eum mittit, nisi subsidium sibi mittatur, sese diutius sustinere non posse. Eo de media nocte Cæsar, iisdem ducibus usus, qui nuntii ab Iccio venerant, Numidas et Cretas sagittarios et funditores Baleares subsidio oppidanis mittit. Quorum adventu et Remis cum spe defensionis studium propugnandi accessit, et hostibus eadem de causa spes potiundi oppidi discessit. Itaque paulisper apud oppidum morati, agrosque Remorum depopulati, omnibus vicis, ædificiisque, quæ adire poterant, incensis, ad castra Cæsaris omnibus copiis contenderunt, et a millibus passuum minus duobus castra posuerunt. » Et post pauca: « Hostes protinus ex eo loco ad flumen Axonam contenderunt, quod esse citra post nostra castra demonstratum est. Ibi vadis repertis, partem copiarum suarum transducere conati sunt, eo consilio, ut, si possent, castellum, cui præerat Quintus Titurius legatus, expugnarent pontemque interciderent (*Orig.*, inter scinderent). Si minus potuissent, agros Remorum popularentur, qui magno nobis usui ad bellum gerendum erant, commeatuque nostros sustinebant. Cæsar, certior factus a Titurio, omnem equitatem

et levis armaturæ Numidas, funditores sagittariosque pontem traducit, atque ad eos contendit. Acriter in eo loco pugnatum est. Hostes impeditos nostri in flumine aggressi, magnum eorum numerum occiderunt. Per eorum corpora reliquos audacissime transire conantes, multitudine telorum repulerunt; primos qui transierant, equitatu circumventos interfecerunt. » Item in eadem Historia libro tertio : « Cæsar Labienum legatum in Treviros, qui proximi Rheno sunt, cum equitatu mittit. Huic mandat Remos reliquosque Belgas adeat, atque in officio contineat. » Item in v : « Tantam omnium voluntatis commutationem, Cæsar scilicet, attulit, ut præter Heduos et Remos quos præcipuo semper honore Cæsar habuit ; alteros pro vetere ac perpetua erga populum Romanum fide ; alteros pro recentibus belli Gallici officiis nulla fere civitas fuerit non suspecta nobis. » Item in vi : « Carnutes legatos obsidesque mittunt, usi deprecationibus Remis, in quorum erant clientela. Eadem ferunt respons, quæ videlicet Senones, obsidibus imperatis. »

Principatum quoque Remos antiquitus inter sibi finitimos tenuisse constat. Sed et apud Romanos id ipsum obtinuisse, auctumque sibi legitur in præmissa, tam jus, quam decus, historia, ut in eodem libro vi : « Sequani principatum dimiserant; in eorum locum Remi succ sserant. » Semper enim, et in omnibus bellis Remi fidem Romanis servaverant. Et in vii, etiam quando totius pene Galliæ populi adversus Romanos conspirasse, conciliumque Bibracte habuisse leguntur, illi nullatenus adesse voluere, quod amicitiam Romanorum sequebantur. In necessitatibus autem copias eos Romanorum, sustentasse proditur, ut in quinto hujus historiæ libro : « Quo anno frumentum propter siccitates angustius provenerat, coactus est, » Cæsar scilicet, « aliter, ac superioribus annis, exercitum in hibernis collocare, legionesque in plures civitates distribuere. Ex his unam in Morinos ducendam, C. Fabio Legato dedit ; alteram in Nervios Q. Ciceroni ; tertiam in Essuos L. Roscio ; quartam in Remis cum T. Labieno in confinio Trevirorum hiemare jussit. » Item in vii : « C. Fabium et L. Minntium cum legionibus duabus in Remis collocat. » Insuper et usque ad internecionem pene Remos prosalute Romanorum certasse, Orosius etiam libro vi, astipulatur, eo prœlio quod Bellovaci, post cæterorum Gallorum, qui arma contra Romanos tulerant, devictum exercitum, instauraverant, magnam Remorum manum, quæ auxilio Romanis erat asserens trucidatam. Remos denique præliis fortes, optimosque fuisse jaculatores : sed et ad bella civilia quibus Pompeio superato, monarchiam totius, ut fertur, orbis obtinuit, Cæsare invitante profectos, Lucanus libro primo testatur his versibus :

Rura Nemetis

Qui tenet et ripas Satyri, qua littore-curvo
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor,
Signa movet, gaudetque amoto Santonus hoste.
Et (*ms.* j, Bitures) Biturix, longisque leves Axomes in armis,
Optimus excusso Leucus Remusque lacerto,
Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis,
Et docilis rector rostrati Belga covini.

Lucan. *De Bello civili*, lib. i.

CAPUT III.

De primis hujus urbis episcopis.

Nec solum apud ethnicos ista temporis tanti habitum Remorum populum, quia et apud primos Ecclesiæ Dei propagatores, atque per Evangelium in Christo patres, prima hujus provinciæ nostræ sedis pontifices constat semper honore decoratos, adeo ut ipse beatissimus Ecclesiæ Christi princeps Petrus apostolus, urbi nostræ beatum Sixtum a se archiepiscopum ordinatum, cum suffraganeorum ratione censuerit delegandum, idoneos ei ac necessarios in eadem provincia destinans socios, sanctum Sinicium videlicet, Suessonicæ sedis primo, nostræ postea præsulem, ac beatum Memmium Catalaunicæ urbis rectorem. Sanctus vero Sixtus Remorum primus episcopus, etiam Suessonicam fundasse fertur ecclesiam, et beatum Sinicium collaboratorem et cooperatorem suum inibi constituisse; quique post ejusdem Sancti Sixti decessum, nepote suo, ut ferunt, sancto Divitiano Suessoni a se pontifice ordinato, quoniam noviter instituta Remensis ecclesiæ sede adhuc tenera forte fovebat pignora, necdum ad onus pontificale perferendum robusta, Remis archiepiscopalem (vel cogente necessitate) subiit cathedram. Ubi pro animarum salute fideliter elaborans, bonumque certamen decertans, cum decessore, ut in cœlis, ita etiam meruit in terris habere consortium, uniusejusdemque templi tumbæque sortitus cum beato Sixto sepulcrum. Quorum postmodum meritis basilicæ domus ipsorum claris illustrata miraculis, nonnullis dotata ditatur muneribus, agris quoque domibusque ac vineis locupletata, clericorum pariter enituit ministeriis decorata. Quorum nonnunquam duodecim, nonnunquam decem, ut domni Sonnatii præsulis tempore, ibidem reperitur congregationem fuisse, donec moderno tempore, abundante iniquitate et refrigescente charitate, deficere Deo inibi militantium choro, et uniusipsumcœpit esse templum presbyteri [*al.*, presbyterii] titulus. Quocirca etiam ipsorum nuper abinde ossa translata, in ecclesia beati Remigii post altare sancti Petri, eorumdem præceptoris, servantur recondita. Nec eos Ecclesiam nostram tantummodo ab urbe Roma constat habuisse patres vel fundatores, quæ martyribus etiam redimita, eorumque sacrata sanguine atque triumphis, sub ipso Neronianæ persecutionis articulo, decorata probatur;

CAPUT IV.

De primis ejusdem martyribus urbis.

Beatus siquidem Timotheus, ab Orientis partibus ad hanc Remensem urbem perveniens, Jesu Christi Domini publice non veritus est prædicare veritatem. Unde et a præside Lampadio, qui tunc præerat huic populo, tentus et, quod novæ legis propositum hominibus suaderet, conventus. Hinc minis principum legumque severitate vexatus, opum quoque pollicitatione tentatus, responsum quod olim ab Ecclesiæ principe didicerat, improbo incussum supernæ nun-

donatori gratiæ, reputabere non timuit, dicitur, in quem, quæ lenient sunt in perditionem, et illis cum ipsis in ignem æternum (*Act.* XIII, 20). Dominus enim meus Jesus Christus Filius Dei, ipse te judicaturus est. Tunc præses ira repletus, jussit eum torqueri. Et dum Christiani constanter inter ipsa cruciatum confiterentur tormenta, inferens inter cætera, quod illi, quos præses pro Christi nomine se parabat occidere, ipsi pœnaliter eum judicaturi essent : et præses diceret : Ergo tu judex eris mei ? Ego te occidam, et quis erit qui te eripiat de manibus meis ? Sanctus Timotheus respondit : Dominus meus cui credo, potest liberare me ; in te autem dolorum tormenta immittet. Iterum, dum per supplicia multa cruciari jussus fuisset, ait ad judicem : Quanto tu mihi ampliora tormenta intuleris, tanto amplius refrigerium præstabit Dominus cui credo. Et cum cæderetur a ministris, exclamavit voce magna, dicens : Aspice Domine, et vide quæ infert diabolus servo tuo, ne me derelinquas, ne dicant homines : Ubi est Deus ejus ? Præses denique jussit calce viva et aceto aspergi plagas ipsius. Sanctus vero Timotheus dixit : Ago tibi gratias, Domine Jesu Christe, qui mihi das tolerantiam ut hæc possim sufferre. Ita istud factum est in corpore meo, tanquam oleo perunctus sim. Unus autem de ipsius cerlentibus, nomine Apollinaris, vidit duos angelos stantes ad latus ejus et dicentes illi : Confortare, Timothee ; missi autem sumus ad te, ut ostendamus tibi Dominum Jesum Christum, pro cujus nomine sustines pœnas, ut videas quæ aguntur in cœlis : Erige caput tuum, et vide. Aspiciens autem sanctus Timotheus vidit cœlos apertos, et Jesum ad dexteram Patris coronam tenentem ex lapidibus pretiosis, et dicentem sibi : Timothee, hæc quam vides, tibi parata est. Accipies illam tertia die imminente de manibus meis. Et Angeli dixerunt ei : Confortare Timothee, et abierunt in cœlos. Apollinaris vero cum hæc vidisset, procidens ad pedes ejus dixit ei : Domine Timothee, ora pro me : Ego enim libentissime torqueor pro nomine Christi, quia vidi tecum loquentes viros splendidissimos, dum tecum loquerentur angelos Dei illius qui regnat in cœlo. Tunc præses, ut vidit se esse contemptum, dixit : Accipiat Apollinaris ; afferte autem mihi plumbum bulliens, et effundite in os ipsius, ut non talia verba loquatur. Cumque allatum fuisset plumbum bulliens, et missum in ore ejus factum est frigidum tanquam glacies. Viso autem hoc miraculo, multitudo magna credidit in Dominum Jesum Christum. Tunc præses, [illegible] pœnas et confessione dixit : Ducite illos in carcerem, usque dum ego pertractem quo supplicio interficiantur. Cum autem ducerentur, plurima turba sequebatur eos flens et dicens : O injustum judicium quod [illegible] in civitatem istam ! Perducti sunt vero in carcerem, et multi [illegible] eos. [illegible] consolari a sancto Timotheo. Ipsa autem nocte adveniens quidam presbyter, nomine Maurus, multitudinem hominum baptizavit in nomine Domini nostri Jesu Christi. Apollinaris vero cum baptizaretur, vidit cœlos apertos, et audivit angelum dicentem sibi : Beatus es, Apollinaris, qui credidisti, beati omnes qui iterati sunt in aqua et spiritu purificati sunt. Quicunque hoc lavacro fuerit baptizatus, crastina die in paradiso suscipietur. Hoc autem dicentes omnes qui [illegible] baptizati fuerant, et genua flectentes, dixerunt : Parce nobis, Domine Deus noster, et præsta misericordiam tuam his qui diligunt nomen tuum. Altera autem die jussit præses adduci eos ante tribunal suum. Astantibus autem illis præses dixit : Stulti homines, quis vos circumvenit, ut credatis in hominem crucifixum, qui sub Pontio Pilato multa perpessus est, novissime autem crucifixus decessit ? Tunc illi responderunt, dicentes : Vidimus in hac nocte angelum Dei loquentem cum sanctis quos tu tenes in carcere : et ipsi angeli dixerunt nobis, hodie illos esse in paradisum, et accepturos coronas quas tui oculi videre non merebuntur. Præses vero iracundia plenus, jussit omnes (*ms.* γ. singulos) decollari. Cumque ducerentur sancti extra civitatem, signaverunt se signaculo Christi, et sic martyrizati sunt, confitentes Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Fuerunt autem omnes qui decollati sunt quinquaginta viri sub die undecimo Kalendas Septembres.

Altera autem die procedens præses, sedit pro tribunali, sanctum vero Timotheum et Appollinarem adduci præcepit. Astantibus autem illis, ait ad eos præses : Infelicissimi hominum, consentite præceptis Imperatorum, et adorate eos quos illi adorant. Timotheus et Apollinaris dixerunt : Nos dæmones non adoramus, sed solum Dominum Jesum Christum, qui est Deus vivus et verus, ipsum oportet confiteri nos. Tu ergo ne putes nos artibus tuis separari a charitate et a regno Dei. Hoc autem tibi notum sit quia, qua hora nos putas mortificari, tunc vivificamur, sicut illi qui a te hesterna die interfecti sunt, et vivunt in cœlis. Te ergo vere percutiet Jesus Christus morte pessima. Iratusque præses, dixit : Istos si non mortificavero, alii multi ad novam sectam venturi sunt. Sic dedit adversus eos sententiam, ut gladio interficerentur. Illi autem, cum magna lætitia perducti sunt extra civitatem in via quæ appelatur Cæsarea, in locum qui Buxitus dicitur, ibique martyrizavit eos, sub die decimo Kalendas Septembres, et coronati sunt ab angelis, et vox audita est, dicens : Venite, Timothee et Appollinaris, dilectissimi mei, et ostendam vobis quanta mirabilia meruistis pro animabus vestris, quas obtulistis pro nomine meo ; et [illegible] sum [illegible] præsidi. Statimque [illegible] ignem descendit de cœlo multis videntibus, et ingressus est [illegible] dextrum, et a dæmonio [illegible] vitam finivit. Corpora vero sanctorum sepulta sunt a Christianis die nono Kalendas Septembris. [illegible] quidam [illegible], qui et ipse per verbum ipsorum credidit, fabricavit illis basilicam, in qua multa signa et remedia ostenderunt. Cæci visum, claudi gressum receperunt, et qui a dæmonibus vexabantur curati sunt in nomine Domini

nostri Jesu Christi. Eorum vero corpora domnus Tilpinus archiepiscopus veteri promovens tumulo, sepulcrum ipsorum decenter argento decoravit et auro. Altare denique quod ante tumulum eorumdem stat medium, sancti Mauri fertur reliquiis et honore dicatum, qui eodem quo præfati tempore, pro Christo cæsus capite, ipsorum meruit consortio renitere. Cujus ossa in ecclesia beati Celsini servantur deposita. Caput autem intra civitatem intra beatæ Dei genitricis Mariæ basilicam in arca secus altare veneratur reconditum. Ipsa etiam præmissorum ecclesia martyrum pignoribus complurium traditur insignita sanctorum. In cujus dextera parte sanctorum Silvani et Silviani (*al.* Silvinani); in sinistra vero sancti Tonantii et sancti Jovini feruntur reservari corpora. Hic etiam in eadem sanctorum basilica beatus Remigius tumulum sibi parari præcepisse reperitur, ut post conditam testamenti sui continentiam subintulit, addens: « Post conditum testamentum, imo signatum, occurrit sensibus meis, ut basilicæ domnorum martyrum Timothei et Apollinaris missorium argenteum sex librarum ibi deputem, ut ex eo sedes futura meorum ossium componatur. » Sed et in ipso testamento suo, duodecim solidos ad ipsius basilicæ cameram struendam jusserat dari. Diversi quoque diversis idem locupletavere dotibus templum; ubi domnus Gondebertus, vir clarissimus, cum uxore sua Bertha, villam in pago Vontinse sitam, Perthas nomine, dedit. Reperitur autem congregationem ibidem nonnunquam viginti, nonnunquam duodecim fuisse clericorum, ut in tempore Theodorici regis, quando ad eamdem basilicam prædiorum donaria plura leguntur tradita. Et usque ad recentia nuper tempora (quibus religione deficiente, ad unius est redacta presbyteri titulum) Deo servientium cœtu, dignoscitur insignita virorum. Nonnullis etiam aliis templa locis, eorum splendent honore decorata, quoniam signis pluribus eis olim coruscantibus, amatores Christi memoriis ipsorum suas excolere studuerunt atque munire possessiones. Quorum quidam, ceu Gregorius Turonensis episcopus in libro Miraculorum refert, eorum reliquias, ædificata horum honore basilica, devotus expetiit. Quas pontifice loci per presbyterum honorifice dirigente, dum iter idem presbyter ageret, ab obvia quadam muliere salutatus, obnixe importuneque ab ea rogatus est, ut horum sibi quiddam pignorum condonaret. Qui diu nutatim differens, mulieris improbitate tandem devictus, sacrorum cinerum particulam tradit roganti. Ascensoque caballo, injunctum sibi moliens iter expedire, nullatenus eum percussis admodum lateribus, valet itineri promovere. Insuper ipse quoque sic interim prægravatus opprimitur, ut vix valeret attollere caput. Ita demum animadvertens virtute se detineri martyrum, motus pœnitentia recepit opportune, quod largiri præsumpsit incongrue, redhibitaque sacrorum quam dempserat portione, liber ad jussa relaxatur abire. Apud Duodeciacum quoque virorum constructa decore sanctorum basilica martyrum, magnorum præsidentis refulsit nitore signalium, optabilique refulgere gratia sanitatum.

Beati denique Timothei ossa, rex Otho (1), concedente Artaldo archiepiscopo, transferri fecit in Saxoniam, et monasterium monachorum in ejus instituit honore. In qua translatione multa mira leguntur ostensa. Nam ut Anno tunc abbas, nunc episcopus, mihi retulit, a quo eadem sacra pignora translata sunt, præter alia plura remedia, duodecim inter claudos et cæcos fuere curati. Beatus quoque Apollinaris, ossibus suis in Orbacense (*Orbay* vel *Orbe*) monasterium translatis, nonnullis inibi florere spectatur gratiarum insignibus.

CAPUT V.

De successoribus præmissorum præsulum.

Frequentibus igitur persecutionum procellis intonantibus, Ecclesiæ puppis nostræ jactata, diversisque oppressa fluctibus, quoniam caput vix attollere poterat, quanto sedes ipsa tempore rectore vacua digno resederit, haud facile panditur, adeo ut post præmissos nostræ fidei Patres, beatum Sixtum atque Sinicium, unum duntaxat præsulem inveniamus Armarsium ad imperium usque Constantini, sub quo Betausius reperitur, qui cum Primogenito diacone suo, primus ex hac Belgica provincia legitur Arelatensi primæ interfuisse sydono relatæ per Marinum episcopum beatissimo papæ Silvestro, Volusiano et Aniano consulibus. Post quem Aper, inde Maternianus, cujus reliquias ossium domnus Hincmarus archiepiscopus Ludovico regi Transrhenensi, se direxisse commemorat in epistola pro ejusdem, aliorumqne sanctorum pignoribus ad eumdem regem transmissa. Hinc Donatianus exstitit episcopus, cujus etiam pignora maritimas in partes episcopii Noviomagensis vel Tornacensis perlata, vario signorum memorantur splendore decorata. Quem beatus Viventius tam celsus illustris vitæ meritis, quam claro pontificalis sequitur ordine culminis. Cujus etiam sacra membra domno Ebone antistite nostro deferente, super fluvium Mosam translata, Braquis instructa ecclesia, dispositaque famulariorum caterva clericorum, debito deponuntur honore servanda. Ubi etiam pluribus olim renituise prædicatur insignibus, claudis gressum, cœcis quoque reformans aspectum, cui successit Severus.

CAPUT VI.

De sancto Nicasio.

Post præmissos præsules beatus Nicasius ... sequitur pontificatus, magnæ vir charitatis, magnæque constantiæ, sub Vandalica in Galliis persecutione, sanctæ sibi commissæ validissimus rector Ecclesiæ, in pace quidem nobilitator ac decorator, in periculis vero moderator et tutor, piis populum doctrinis et exemplis instituens, decoremque cœlibis sponsæ Christi Ecclsiæ, fabricis et ornatibus attollens. Is namque sedis hujus sanctæ basilica in honore perpetuæ virginis Dei genitricis Mariæ, divina

(1) Otho I, qui et Magnus.

[illegible] revelatione [illegible], quam proprio quoque consecravit sanguine. Cathedra siquidem pontificalis antiquitus in ecclesia, quæ ad Apostolos dicitur, constituta fertur. Hic beatus antistes angelica præmonitione instructus, futuram longe ante præsensit divinitus internecionem, [illegible] que prosperitatis [illegible] securitatem, imminentem divinitus prædixisse refertur ultionem. Putabat autem Christus [illegible] homines [illegible] peccatorum credi[illegible] sibi grege [illegible], morti paratus pro omnibus, ut iram indignationis Dei a populo averteret, aut in ipsa morte vindictæ, [illegible] clementiam humilitatis spiritu et animo contrito [illegible], ut usque ad animam, licet temporalis, at non æternalis perveniret gladius. Sed qui verbi Dei semen in spinis divitiarum suffocatum consitum, prosperitateque, et in vanitate sæculi gloriantes, monitis salutis aure cordis ad fructificandum non admittunt [illegible] perituris implicite occupationibus, nec vera vitæ, quia [illegible] peccata, mortisque stipendia [illegible], quoniam profecto mala non oderunt, nec sectari bona digne non valebant. Piam insuper religionem negligere, divinorum præcepta postponere, vanitatibus inservire, concupiscentiæ vitiis inhærere, schismatica scandala suscitare, denique, proh dolor! in his omnibus haud metuebant offendere. Et ecce subito ejusdem prosperitatis temporibus, animositas diversarum gentium commota, Dei offensionis iram in diversas vindicatura provincias, intentione truculenta, Wandalorum multitudo properanter accelerat, subversis multarum munitionibus urbium gladioque interemptis utriusque sexus progenitoribus cum filiis, non aliam dignitatis gloriam, non aliud aliquid in temporalibus lucris tam desideranter concupiscere cernebatur, quam [illegible] ac fundere sanguinem, et Christianorum dumtaxat [illegible] internecionem. Sub hujus vero tempestatis turbine, gloriosi claruerunt in Galliis inter episcopos viri, sanctissimus Remorum præsul Nicasius, et beatissimus Aurelianensium pontifex Anianus, sanctus quoque Lupus Trecassinus, et beatus Servatius Tungrensis antistes, aliique nonnulli virtutibus insignes, qui hanc indignationem Dei, suis meritis ac precibus, cum diu differre certaverunt, ut sceleribus [illegible] et pravitatibus populi resistentes, ad catholicam religionem et verum Dei cultum per pœnitentiam revocarent, ac tantæ persecutionis et divinæ animadversionis gladium ab Ecclesiæ cervicibus averterent. Sed, proh nefas! *Impius*, ut scriptum est, *cum in profundum peccatorum venerit, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3), salutaribus eorum præceptis [illegible] obtemperabant. At vir beatissimus Nicasius [illegible] instantibus studiis, continuisque doctrinis ac [illegible], populum Dei ad pœnitentiam [illegible] et triumphum martyrii promerebat, [illegible] quos immensa prosperitas ad offensionis impulerat iram, adversitatis [illegible] tolerantia, non judicium damnationis, sed gratiam purgationis, [illegible] salutis offerret. Interea castrametantur agmina Wandalorum circa

A urbem Remorum, universamque regionem depopulant, [illegible] habitantibus [illegible] persecutores Christianorum. Hoc enim [illegible] et mortibus paganorum [illegible] interimere, penitusque de terra delere ambiebant. Beatus [illegible] Nicasius animam suam pro fratribus, Christi sequens exemplum, ponere paratus, elegit, ultroque proposuit, sibi commissum [illegible] emittere gregem, prorsus instituit, aut cum eis pariter vivere, aut pariter, quod eos patientius perpati vellet, sufferre, ne fugiendo, Christi [illegible] esse qua non possint homines vel vivere vel mori Christiani deserere ministerium. Unde et juxta beati Augustini sententiam (*epist.* 80), [illegible] charitatis reperit fructum quam qui non propter

B fratres, sed propter seipsum fugiens, atque comprehensus non negavit Christum, suscepitque martyrium. Metuebat enim potius antistes sanctissimus, ne se deserente, lapides vivi extinguerentur, quam ne lapides et ligna terrenorum ædificiorum, se præsente, succenderentur, magis timens, ne destituta Christi corporis membra spiritali victu necarentur, quam ne membra corporis sui hostili oppressa impetu torquerentur. Paratus ad utrumque, ut, si non posset hic calix transire, fieret voluntas ejus (*Matth.* XXVI, 42), qui mali aliquid non potest velle. Nec requirebat quæ sua sunt, sed imitans eum qui dixit : Non quæro quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant (*I Cor.* X, 33). Et ne magis fugiendo obesset exemplo, quam vivendo prodesset officio, nulla

C ratione consensit esse fugiendum. Neque temporalem mortem (quæ quandoque ventura est, etiamsi caveatur), sed æternam (quæ potest si non caveatur venire, et potest si caveatur etiam non venire) formidans; non solo placens, nec personam suam in tantis periculis fuga ignobilem, utpote gratia excellentem, judicans, ne ministerium in his maxime periculis necessarium, se [illegible], subtraheretur Ecclesiæ. Non, ut mercenarius videns lupum venientem dimissis ovibus fugit, sed ut pastor bonus, pro grege sibi credito animam paratissimus obtulit (*Joan.* X, 11, 12). Et quod melius agendum invenire potuit, sedulas ad Dominum pro se suisque fundere preces elegit. Fatigatis igitur tandem præliatoribus impugnatione continua, excubiis et inedia, furenti-

D busque circumquaque hostibus, ac fortiter bello concertantibus urbem, nimio terroris tædio civitas universa perculsa, ad sanctissimum Nicasium in orationibus prostratum decurrunt, futuram paganorum victoriam pertimescentes, et auxilium consolationis ab eo velut a patre filii, requirentes. Interrogant quid utilius [illegible] decreverat, aut servituti gentium sese tradere, aut ad mortem usque pro salute urbis dimicare. Beatus antistes Nicasius certius divina præscius revelatione, Remorum subvertendam civitatem, commonens suos, indesinenter Domini supplicabat clementiam, quatenus hæc tribulatio mortis temporalis, non ad judicium, sed ad indulgentiam, persistentibus in vera fidei confes-

ipse prædicat, pro animæ pugnare salute, non armis fragilibus, sed probis decens moribus, nec corporalium libertate rerum, sed spiritalium exercitatione virtutum. Hanc supernam justo Dei judicio, peccantium sceleribus exaltatam demonstrans indignationem. Certum salutis ad prædicat esse consilium, si ad divina compuncti flagella converterent animum, suscipientes hæc non inviti aut desperantes, ut impietatis filii, quam patienter ac mansueti, ceu filii pietatis, promissa regni cœlestis præmia percepturi. Exhortans eos, pro salutis æternæ præsentem devotissime sufferre tribulationem, ultroque seipsos ad hanc offerre momentaneam necem, quo debitam reatibus perpetuæ damnationis evadere mererentur ultionem, quatenus eis mors præsens non supplicium, sed animarum fieret perenne remedium. Pro inimicis eos etiam admonens exorare, ut tandem aliquando resipiscerent ab iniquitatibus suis, et qui ministri tunc videbantur impietatis, possent cultores nonnunquam pietatis, sectatoresque fieri veritatis Scipsum paratum esse depromens, ut bonum decet pastorem, pro ovibus animam ponere (*Joan*. x, 11), præsentemque vitam contemnere, quatenus ipsi peccatorum veniam et salutem secum mererentur æternam accipere. Aderat etiam germana sua beata Eutropia, virgo Christi sacratissima, quæ ob castitatis munitionem, sanctissimum semper imitando et adhærendo sequebatur episcopum, ut et ab spiritalibus aliena nequitiis a Domino servaretur puritas mentis, et a carnalium corruptione delectationum tegeretur immunis integritas corporis. Ambo itaque plebem Dei pro viribus ad coronam martyrii piis exhortationibus animabant, et agonem victoriæ suæ Domino precibus commendabant. Dei tandem decreto judicio irruptionis die, dum paganorum furibundum beatus præsul Nicasius irruere comperit impetum, sancti Spiritus virtute roboratus, alma comitante sorore, cum hymnis et canticis spiritalibus ad ostium basilicæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, quam ab eodem in hujus urbis arce fundatam memoravimus, traditur occurrisse, dumque divinæ deditus psalmodiæ, versum Domino Davidicum pia voce decantat, inquiens : *Adhæsit pavimento anima mea* (*Psal*. CXVIII, 25), mox, insequente gladio cervicem cæsi, verbum pietatis ab ore non defecit, capite in terram cadente, immortalitatis (ut traditur) sententiam prosecuto : *Vivifica me secundum verbum tuum* (*Ibid.*), inferendo [ms. addit *Domine*].

Sancta vero Eutropia videns impietatem circa se quasi mitigatam, et pulchritudinem suam ceu paganorum libidinibus reservatam, super eumdem sacerdotis interfectorem insiliens, magnoque clamore increpitans, et ad martyrii sui bellum provocans, sacrilegi alapa faciem percussit, oculos, divini virtute numinis evulsos, in terram proditur effudisse. Quæ mox insanientium ferro jugulata, sacro fuso sanguine, palmam victoriæ cum germano suo pontifice Christi, cæterisque triumphatoribus sanctis adjuncta, prosecuta fuere aliquanti nonnulli, tam ex clero, quam ex laicali ordine, constantiæ hujus comprobatores ac comites, qui per præsentis tolerantiæ participationem, æternæ beatitudinis cum hoc beatissimo Patre suo consequi meruere communicationem. Inter quos Florentius diaconus, et beatus Jocundus exstitisse clarissimi referuntur ; quorum capita Remis post altare sanctæ Dei genitricis Mariæ tumulata servantur. Barbaros igitur de constantia virginali, et protam speculatore subitanea multatione stupefactos, expleta cæde sacro mundante cruore, terribilis omnes horror invasit, quasi cœlestes acies dimicantes, tanti sceleris vindices aspicientes, ipsa quoque horrendo reboante basilica sonitu. Relictis ergo passim spoliis, territa Wandalorum agmina, dum divinam metuunt ultionem, irrevocabiliter per diversa fugientes, invasam trepidi deserunt civitatem. Qua diu sic manente solitaria, Christianis qui ad munitiones montium fugerant, incursiones paganorum trepidantibus, paganis vero cœlestes quos ibi pertulerant horrores pertimescentibus, sub divina duntaxat angelicaque custodia, sanctorum servabantur inibi martyrum corpora ; ita ut in noctibus a longe cœlestia cernerentur lumina, et suavissimi sidereis supernarum soni virtutum choreis dulciter reboantibus, audirentur a nonnullis carmina. Unde et cœlestis victoriæ revelatione confortati tandem concives, qui ad sepelienda sanctorum corpora, divina remanserant providentia, cum precum votis ad urbem regredientes inæstimabilem suavitatis odorem, ubi sanctorum decorabantur fumera, hærariunt, gaudioque permiscentes gemitum, lacrymosis Dominum laudibus magnificant, et ad tumulandum sacra se præparantes pignora, congruis ea circa civitatem locis veneranter recondunt. Beatissimi vero Nicasii præsulis ac sororis ejus, sacratissima solemniter in cœmeterio sancti Agricolæ, templo quondam a Jovino, Christianissimo Romanæ militiæ magistro, longe scilicet ante fundato, magnificeque decorato, collocant membra, ut appareat, instinctu divinæ procurationis, ad celebritatis istorum dignitatem magis, quam ad primæ præparatam fuisse conditionis auctoritatem. Hanc autem basilicam (2) præfactus vir Jovinus, his versibus, aureo prætitulavit decore.

Felix militiæ sumpsit devota Jovinus
Cingula, virtutum culmen provectus in altum
Bisque datus meritis equitum, peditumque magister.
Extulit æternum sæculorum in sæcula nomen.
Sed pietate gravi tanta hæc præconia vicit.
Insignesque triumphos religione dicavit.
Ut quem fama dabat rebus superaret honorem,
Et vitam factis posset sperare perennem.
Conscius hic sancto manantis fonte salutis.
Sedem vivacem moribundis ponere membris,
Corporis hospitium lætus metator adornat,
Reddendos vitæ solvari providet artus.
Omnipotens Christus judex venerabilis, atque
Terribilis, pie, longanimis, spes fida precantum,
Nobilis eximios famulis non imputat actus.
Plus justo fidei ac pietatis præmia vincant.

(2) Hæc hodie est ecclesia S. Nicsii quomodo infra vocatur, c. 12.

Ubi postquam sunt horum deposita sanctorum martyrum corpora, innumerabilibus eadem Ecclesia constat miraculorum signis redimita, ut et eorum meritis ac precibus, multitudo languentium recuperationis inibi percipiat alacritatem, et exemplis ipsorum plebs ad cœlestem (2) devota discat properare sublimitatem. Meminit hujus barbaricæ persecutionis beatus Hieronymus (epist. 11) scribens ad quamdam adolescentulam viduam Ageruchiam nobilem, et exhortans eamdem perseverantia viduitatis, ita memorando inter cætera: « Innumerabiles et ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes et Pyrenæum, quod Oceano et Rheno includitur, Quadus, Wandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, et, o lugenda respublica! hostes Pannonii vastaverunt. *Etenim Assur venit cum illis* (*Psal.* LXXXII, 9). Moguntiacum, nobilis quondam civitas, capta atque subversa est, et in ecclesia multa millia hominum trucidata. Wangiones longa obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini (3), Tornacus, Nemetes, Argentoratus translatæ in Germaniam. Aquitaniæ, Novemque populorum Lugdunensis, et Narbonensis provinciæ, præter paucas urbes, cuncta populata sunt, quas et ipsas foris gladius, intus vastat fames, » etc. In præfata denique basilica beatus Remigius nonnulli traditur habuisse consuetudinem, quatenus sanctorum martyrum meritis, ut erat spiritu semper, ita proximus redderetur et corpore. Monstratur adhuc ædicula secus altare ubi secrete Domino vacare, et inspectori summo, beatissimæ speculationis hostias, turbis remotus popularibus, devotissime consueverat immolare. Istuc enim intentus his degebat officiis, quando comperto urbis incendio, cum divinitatis invocatione deproperans, sanctorum tutus suffragio, lapidibus ecclesiæ gradibus deinceps expressa reliquit vestigia.

CAPUT VII.

De miraculis ipsius ecclesiæ.

Diversis etiam multimoda clarificatione fertur hæc illustrata temporibus ædes. Sed nos unum tantum, quod nostris fere diebus actum, referentibus nostris qui interfuere patribus, agnovimus, propalandum putavimus. Solemnitas hiemali tempore prædictorum agebatur martyrum quæ solito XIX Kal. Januarias celebrari consuevit. Ad cujus celebrationis vigilias fratres tempestivius exsurgentes, custodes ipsius ecclesiæ dormientes, ostia quoque diligenter obserata reperiunt. Quæque diutius obsistendo pulsantes, dum neminem responsa dantem deforis accipiunt, domum presbyteri petunt portamque crebris incutientes ictibus, et tecta lapidibus verberantes, ubi nullum sibi qui pandat excitare prævalent, templi januam repetunt; quam sponte patentem reperientes, accensa luminaria cuncta vident; sed auctorem facti neminem intus aspiciunt. Sicque post orationem Christo gratias agentes, nocturnas instituunt laudes. Quibus jam magna parte decursis, ad horum voces presbyter excitatus, cum suis adveniens clericulis, hymnos dicturus cum cæteris stupefactus appropiat. Nullumque demum accensionis hujus, vel reserationis reperire queunt administrationem, nisi summum divini duntaxat muneris largitorem, qui sanctorum suorum jugi honorum splendore, propagare non desistit honorem. Hujus autem beati pontificis et martyris pignora quædam Noviomagensium episcopus quidam obtenta, suam pertulit ad civitatem. Quæ tam apud Noviomum, quam et apud Tornacum castrum (ubi nunc quoque servari perhibentur) claris, multisque referuntur illustrata miraculis. Postea vero cætera corporis ejusdem martyris Fulco archiepiscopus, simul cum corpore beatæ sororis ejus Eutropiæ intra Remensia transvexit mœnia, retroque post altare sanctæ Dei genitricis Mariæ, ubi ea modo veneramur, juxta beati papæ Callisti membra, debita recondidit reverentia.

CAPUT VIII.

De sancto Oriculo et sororibus ejus.

Sub eadem Wandalorum, vel Hunnorum persecutione, quidam Dei servus, Oriculus nomine Deo vacabat, cum sororibus suis Oricola (*ms.* 1, Oricula), et Basilica, in hoc eodem episcopatu Remensi, in pago Dulcumensi, vico Sinduno in ecclesia quam construxerat, ubi fertur quoque peremptus a barbaris cum prædictis sororibus suis. Traditur etiam caput suum, postquam decollatus est, ipse in quodam fonte lavisse. De sanguine quoque suo signum crucis (quod adhuc manifeste paret, ut dicitur) in quadam petra digito figurasse suo, et proprium manibus caput ferens, sepulcrum, quod sibi construxerat, (*ms.* 1, condiderat) expetisse; ad quod multa miracula referuntur ostensa. Erat olim quidam rusticus ibi manens, cui revelatio in somnis facta est, ut fontem de quo caput sibi sanctus Dei, ceu diximus, laverat, tecto cooperiret. Qui postquam bis admonitus facere id distulit, in infirmitatem decidit, in qua integro anno ægrotans decubavit. Post hæc votis, ut jussa compleret, promissis, convaluit, et fontem ligneis tabulis circumdans, operuit; ex quo fonte potantes, a diversis multi curantur languoribus. Presbyter ejusdem loci, nomine Betto, balneum ex ipsius puteo, quem infra ecclesiam hic sanctus martyr edidisse traditur, sibi parari præcepit, quo postquam ablutus est balneo sic elanguit, ut usque ad anni terminum ægrotus jacuisse, nec adhuc perfecte postea reviguisse constiterit. Quorum sanctorum corpora uno dudum sarcophago recondita tempore Seulfi archiepiscopi levantur e terra, humo prius sponte patefacta, et loculo, in quo jacebant, ultro sursum mirabiliter elevato.

CAPUT IX.

De successoribus beati Nicasii.

Post præmemoratam Wandalorum discessionem

(3) Hemistichium est Virgilianum ex Æneid. VIII:

Extremique hominum Morini Rhenusque bicornis.

beato Nicasio Barucius episcopali sede traditur successisse, quem Barnabas, inde Barnabas subsequuti feruntur; tum Bennadius, cujus tamen Remigius nomen in testamento suo, propria ipsius manu (velut inibi legitur) perscripto, reperitur exaratum. Hujus enim ipse testamenti auctoritate, rerum suarum hæredem Remensem fecit Ecclesiam cum fratris sui filio, quem in sacro fonte, sub gratiæ sempiternæ traditione, se commemorat suscepisse. Inter cætera vero vas argenteum ab antecessore suo sanctæ recordationis episcopo Barnaba, sibi, ut meminit, testamento collatum, Ecclesiæ suæ delegat hæredi, quod ad ipsius ornamentum (cum illud pro prios distrahere potuisset in usus) se asserit reservasse. Deputat et solidos viginti ad ejusdem Ecclesiæ reparationem, cum agellis et sylvis; presbyteris ipsius ecclesiæ solidos octo : diaconibus solidos quatuor ; ad captivos solidos viginti ; subdiaconibus solidos duos ; lectoribus solidum unum ; ostiariis et exorcistis solidum unum, sanctimonialibus et in matricula positis solidos tres Hæredem suam subinferendo alloquens ecclesiam, ut in se ducat esse collocatum, quidquid presbyteris, diaconibus, ac diversis clericorum scholis, captivis quoque et pauperibus, pro refrigerio sui fuisset in commemoratione devotum.

CAPUT X.

De sancto Remigio

Præfato Bennagio beatissimus succedens Remigius, imbuendis ad fidem præfulgidum surrexit lumen gentibus Quem divina pietas, ut Fortunatus quoque poeta noster asserit (*initio Vitæ S. Remigii*), non solum priusquam nasceretur, sed et antequam conciperetur, elegit; in tantum, ut Montanus quidam monachus, dum levissimo sopore quiesceret, tertio fuisset [*Or.*, fuerit] admonitione pulsatus, ut matri suæ benedictæ Ciliniæ, quod masculum conceptura esset, veridica relatione prædiceret, et nomen ejus vel meritum designaret. Hic itaque Montanus in reclusione solitariam vitam ducens, jejuniis, vigiliis et orationibus assidue vacans, cæterarum quoque virtutum insignibus divinitati se commendabilem reddens, dum supernam Christi clementiam pro pace sanctæ ipsius Ecclesiæ, quæ variis apud Galliacum provincias vexabatur afflictionibus, indefessis precibus exoraret ; ubi quadam nocte carnis compellente fragilitate, membra permittit sopori. quiete reparanda, angelicis subito per divinam gratiam choris. sanctarumque sibi videtur animarum cœtibus interesse, celeberrimum quoque haurire colloquium, eosque de Gallicanæ dejectione vel restitutione Ecclesiæ conferentes, et quia jam tempus esset miserendi ejus, percensentes, audire. Interea vocem a superioribus atque secretioribus suavissime intonantem excipit : « Quod Dominus de excelso sancto suo prospexit, de cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum, ut annuntietur nomen ejus in gentibus, in conveniendo populos in unum et reges, ut serviant Domino (*Psal.* CI, 20-23). » Et quod Cilinia in utero concipiens, illum pareret, nomine Remigium, cui salvandus foret populus committendus. Vir igitur iste venerabilis tanto percepto oraculo, post tertiam divinæ superstitis perceptionis admonitionem, visionis ætheree pandit oraculum Ciliniæ. Hæc autem beata genitrix in flore dudum juventutis, ex unico viro suo Emilio pepererat Principium, Suessorum civitatis postea sanctum episcopum, et patrem beati Lupi, ejusdem Principii successoris. Miratur beata Cilinia, utpote jam provecta, quonam pacto sit anus paritura, vel sobolem lactatura. Et quia tam vir ejus, quam ipsa diebus jam multis processerant, effeti et carne infecundi, nec spes eis ulterius procreandi, nec appetitus inerat pignoris. Beatus vero Montanus, ut meritis accresceret patientiæ, corporalium privatus oculorum ad tempus exstiterat lumine. Qui dictis ut fidem faceret, oculos sibi lacte ipsius asseruit perungendos, moxque lumen amissum, pueri sibi fotu recipiendum. Gavisis ergo de tanta consolatione parentibus concipitur futurus Christi pontifex ; cujus adminiculante gratia feliciter editus, nomen sacro sumit e fonte Remigius. In cujus lactatione promissum pridem vati gaudium, veraciter adimpletur, dum ejus oculis beatæ matris illius lacte tactis, lumen olim perditum reparatur. Ortus est autem puer iste, præconiis declaratus antequam natus in pago Laudunensi, alto parentum sanguine, jam tamen senum, diuque sterilium resplendens, insigne mirificatus in ortu, qui magnifice disponebatur mirificandus in actu. Nomen illi digne divina imponitur jussione Remigius, utpote qui Ecclesiam Dei, specialiterque Remorum, in hujus fluctuantis vitæ salo remis erat doctrinæ recturus, et ad portum salutis æternæ, meritis et orationibus perducturus. Remedium tamen eum fuisse vocatum in veteribus quibusdam reperitur scriptis. Quod et merita vel acta ipsius attendentes, rite crederemus, nisi gestis emendatioribus, oraculo illum divino, Remigium nuncupari debere cognosceremus. In versibus etiam ab eo compositis, et ejus præcepto in vase quodam per eumdem Deo dicato sculptis, ita lectum asseritur :

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Injecto æternus quem fudit vulnere Christus :
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Quod vas usque ad moderna tempora perduravit, donec fusum, Nordmannis dudum in redemptionem datum est Christianorum. Hujus beatissimi Remigii nutrix beata Balsamia fuisse traditur, quæ mater exstitisse sancti Celsini memoratur ; qui et ipse beati Remigii discipulus fuisse familiaris asseritur, miraculis quoque postmodum claruisse dignoscitur, et æquorum maxime votis adhuc insignis habetur : in cujus et ipsa beata genitrix ejusdem requiescit ecclesia. Traditus a parentibus scholæ beatus Remigius litteris imbuendus, brevi coævis, sed et natu majoribus doctrina eminentior est effectus. Cunctos superans condiscipulos, morum maturitate ac bene-

volentis charitate, peregrinum studens fortius vitare, atque solitarius in reclusione Domino deservire, quod et obtinuit; habitaque sanctæ conversationis studiis ubi ... pius, inclusione laudum Christo militavit.

CAPUT XI.

De ordinatione ejus in episcopatum Remensium.

At ubi vicesimum secundum ætatis subiit annum, defuncto præsule venerabili Bennadio archiepiscopo, in hac urbe Remensi, omnium generaliter votis ad apicem pontificatus non tam electus, quam raptus fuisse dignoscitur. Fit siquidem populi concursus, diversi quidem sexus, conditionis, dignitatis et ætatis, una eademque sententia, hunc vere Deo dignum, et qui populis præesse deberet, acclamantis. Sanctissimus igitur adolescens his depressus angustiis, quoniam nec fugæ locus ei usquam patebat, nec populo ut ab intentione cœpta desisteret, ullo modo satisfacere poterat, super ætatis infirmæ cœpit conqueri tempore, et quod ecclesiastica regula hanc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem, coram publice prædicare. Sed cum irrevocabiliter populi commaneret frequentia, et vir Dei magna ratiocinetur constantia, placuit omnipotenti Deo manifestissimis indiciis propalare quod ipse de eo judicium dignabatur habere. Traditur enim cœlestis radii lumen super ipsum sanctum subito descendisse verticem, et cum ipso lumine cœlitus ejus infusum capiti unguinis divini liquorem, cujus suavi nectaris odore totum videretur caput infusione delibutum. Omni ergo postlabita dubitatione, præsulem Remensis unanimitate provinciæ, pontificali consecratur benedictione. Ad quod officium mirabiliter mox devotus et aptissimus apparuit exsequendum, largus in eleemosynis, sedulus in vigiliis, attentus in orationibus, in humanitate profusus, in charitate perfectus, in doctrina præcipuus, in conversatione sanctissimus. Mentis purissimæ sinceritatem, pii vultus præferebat claritate, clementissimique cordis benignitatem sermonis indicabat tranquillitate. Salutis æternæ monita non minus supplens opere, quam edocens prædicatione; reverendus aspectu, venerandus honore, metuendus severitate, amplectendus benignitate, censuram districtionis persuasione temperabat mansuetudinis. Minari quidem frontis videbatur austeritas, sed cordis blandiebatur serenitas; ut erga devotos Petrus appareret in vultu, contra delinquentes Paulus videretur in spiritu, atque gratiarum diversitate in unum convenientibus, illius pietatis, hujus erat imitator auctoritatis, negligens quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. Erat ante omnia ipso prædicatione legitur Hincmarus in libro *De Vita ipsius*, sic in se diversas excoluit gratiarum virtutes, ut vix in pauci tenerent singulas, quomodo ille impleret universas. Semper in sancti operis exercitio, semper in compunctionis affectu, nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi aut de Deo in lectione, atque sermone, aut cum Deo in oratione loqui; sæpe attenuato continuatis jejuniis corpore, de persecutore certabat tanquam jugi triumphare martyrio. Inter hæc tamen omnia intendebat vir beatissimus, ut etiam ab aliis de ipso jamdudum prædicatum legitur (Hincmarus *ibid.* et Fortunatus) jactantiam virtutum fugere, in quo non poterat gratia celsa latere. Præeminebat enim ad admirationem omnium, veluti civitas supra montis verticem sita; nec sub modio voluit Dominus hanc occuli lucernam, quam super candelabri constituerat eminentiam (*Matth.* v, 14-15), sed divinæ tribuens eam charitatis ardere, claraque splendidarum Ecclesiæ suæ virtutum lumina ministrare.

CAPUT XII.

De diversis ab eo patratis miraculis, et de doctrina ipsius.

Ad cujus sanctitatis, non innocentiam, non solum rationabilium, sed etiam irrationabilium consueverant agrestia corda mansuescere, adeo ut dum inter domesticos secretius eum contigisset habere convivium, et delectaretur in hilaritate charorum, passeres ad eum sine trepidatione descenderent et mensæ reliquias ab ejus manu colligerent, discederent alii saturi, accederent alii saturandi. Quod ab eodem nequaquam jactantia propalabatur meritorum, sed id Dominus agi certa disposuerat utilitate convivantium, ut hoc aliisque frequentissimis per hunc Christi famulum visis miraculis, sese dominicis ferventius studerent mancipare servitiis.

Hic vir beatissimus, cum ex more, quodam tempore pastorali solertia parochias circumiret, ut si negligenter aliquid in divinis cultibus ageretur, fidelis Christi servus agnosceret, in vicum, Calmiciacum nomine, ipsius accessit studii devotione. Ubi, dum quidam cæcus ab eo misericordiæ postulasset opem, cœpit, qua dudum captus exstiterat infestatione dæmonis, vexatione torqueri corporis. Tunc sanctus Remigius in oratione, qua Deo semper sancta intentione vacabat, corporea se dejectione prostravit, statimque pristinum cæco lumen redhibens, immundi quoque pestem spiritus effugavit, triplici remedio, nimirum victu solans egenum, munerans visu cæcatum, restituens libertati captivum.

Alio quoque tempore, dum pontificali sollicitudine parochiam peragraret, rogatus a quadam sobrina sua, nomine Celsa, Deo sacrata, villam ipsius, vocabulo Celtum (Cel, *Cernay*), adiit. Ibi dum beatus vir, spiritalibus colloquiis vitæ propinat hospiti de more pocula, minister prælatæ Celsæ, vini sufficientiam dominæ suæ nuntiat non adesse. Re hujuscemodi cognita, sanctus Remigius hanc hilari consolatur vultu et post blanda verbi solamina ejusdem sibi domus ostendi præcepit habitacula. Sicque de industria prius perlustratis cæteris, tandem ad cellam pervenit vinariam, quam sibi faciens aperiri, rogitat si forte remansisset in aliquo vasorum quidpiam

vini. Et designato sibi vase, in quo tantillum vini, pro salvando scilicet eodem, relictum fuerat, claudi percepit ostium, jussoque consistere loco cellerario; ipse vero ad alteram accedens vasis frontem, super idem, quod erat non modicæ quantitatis, Christi adnotat crucem, flexisque genibus secus parietem, cœlo devotam dirigit precem. Cœpit interea, mirum dictu, vinum per foramen superius exundare, ac supra pavimentum abundanter effluere. Exclamat hoc viso cellerarius, stupore perculsus. Sed mox a sancto viro repressus, ne id palam faciat, inhibetur. At quia tam clari lumen operis minime valuit abscondi, ubi consobrina sua factum comperit, eamdem villam ipsi, et Ecclesiæ ipsius perpetim possidendam tradidit, ac legali jure confirmavit.

Huic simile ferme miraculum ab eodem domno Remigio in olei fertur liquore patratum. Cum ægrotus quidam familiæ non ignobilis, nec tamen baptizatus, a sancto Remigio se visitari postulasset, et jam velut in ultimo spiritu se credere fateretur, et baptizari deposceret, beatus pontifex a presbytero loci oleum et chrisma requirens, jamque penitus in ampullis utrumque defecisse comperiens ipsas ampullas pene vacuas super altare posuit, ac sese in oratione prostravit. Surgens autem ab oratione vascula plena reperit, et sic infirmum oleo divinitus dato perungens, ecclesiastico de more baptizavit. et chrismate cœlitus collato linivit, redditaque sanitate, tam animæ salute quam corporis incolumitate donavit.

Humani denique generis hostis, ostendere nequitiam non desistens suæ malignitatis, urbem Remorum, surgentibus flammarum subito globis, immissione dira succendit, crudelique vastatione, jam partem fere tertiam concrematio peracta consumpserat ; et quod residuum erat victrix flamma lambebat. Cujus rei nuntium beatus antistes accipiens, ad solita sese confert orationis præsidia, et in beati Nicasii martyris basilica, ubi tunc temporis morandi consuetudinem fecerat, Christi prostratus exposcit suffragia. Surgensque ab oratione, oculos ad cœlum attollit, et exclamans cum gemitu, ait : Deus, Deus meus, adesto voci meæ. Sicque cursu concito, per gradus, ante ipsam lapidibus stratos ecclesiam descendens, civitatem petiit ; in quibus graduum lapidibus, ac si supra molle lutum depressa, hodieque, ad memoriam divini miraculi, signata visuntur vestigia. Celerique festinatione deproperans se flammis objecit, statimque, ut extensa contra ignem dextera, signum crucis cum invocatione Christi nominis edidit, totum illud incendium, fracta et in sese relisa virtute, cedere, atque ante viri Dei præsentiam quasi fugere cœpit. Quod beatus Remigius insequens, et se inter ignem et ea quæ adhuc videbantur intacta, cum signo sanctitatis opponens, hanc omnem flammarum immanitatem ante se fugientem, per patentem portam, fultus divinæ potentiæ præsidiis, expulit, et eamdem portam clausit ; utque nunquam aperiretur ab aliquo, cum

A interminatione vindictæ in eum qui vetita hæc præsumpsisset, inhibuit. Post aliquot vero annos civis quidam, nomine Fersinctus, secus ipsam portam commanens, maceriem qua eadem porta fuerat obstructa, ut suæ domus hinc ejiceret rudera, perforavit. Sed mox ultio tanta fertur ejus audaciam consecuta, ut non pecus, nec homo, clade superveniente in eamdem remanserit domo.

Quædam puella præclaris ab urbe Tolosa natalibus orta, maligni spiritus ab infantia tenebatur obsidione captiva. Quam cum tenero genitores amore diligerent, ad sepulcrum sancti Petri apostoli cum magna devotione duxerunt. In eisdem namque partibus enitebat tunc virtute venerabilis Benedictus, plurimis effulgens virtutibus. Cujus comperta fama, B puellæ parentes hanc ad eumdem perducere satagunt, qui multis jejuniis et orationibus pro ipsius emundatione laborans, cum diri serpentis virus ab ea non valuisset ejicere, hoc tantum responsi, nominis divini obtestatione, ab antiquo extorquere potuit hoste, quod nunquam alterius de eodem habitaculo, nisi hujus beatissimi Remigii pontificis orationibus posset expelli. Tunc parentes ejus, tam ipsius beati Benedicti, quam etiam Gothorum regis Alarici affatibus suffragati, eorumque litteris ad beatum Remigium datis, ut traditur, freti, ad eumdum sanctum antistitem cum devincta sobole pervenerunt, virtutem deprecantes ejus in purgatione prolis agnoscere, quam latronis jam præsciverant confessione. At beatissimus Remigius, cum C diuturna reluctatione se non esse dignum assereret et humilitate solita repugnaret, precibus est populi supplicantis evictus, ut orationem pro ipsa funderet, ac parentum lacrymis condoleret. Meritis itaque sanctitatis armatus, verbi præcepit imperio, ut iniquus prædo per quod ingressus fuerat discedens, Christi famulam relaxaret. Sicque cum nimio vomitu et obsceno fœtore, per os quo fuerat intromissus, abscessit. Sed paulo post, recedente pontifice, dum nimio labore fessa nutaret, vitæ calore privata, spiritum vitalem amisit. Iteratis ergo precibus, turba supplicantum recurrit ad medicum. Beatus autem Remigius se potius accusat facinus perpetrasse, quam sanitatis remedium indulsisse, homicidiique reum exstitisse, non remedium contu- D lisse. Igitur ad sancti Joannis basilicam, ubi corpus jacebat exanime, populi obtentus deprecatione regreditur, ibique cum lacrymis ad pavimenta sanctorum in oratione prosternitur, et reliquos ut ita facerent adhortatur. Hinc effuso lacrymarum imbre consurgens, suscitavit mortuam, quam prius purgarat obsessam. Quæ protinus, apprehensa manu pontificis, cum integra incolumitate surrexit, et ad propria feliciter remeavit.

Cujus vero doctrinæ, cujus sanctitatis atque sapientiæ beatissimus hic pater nitore radiaverit opera testantur ipsius, quia vera procul dubio sapientia esse dignoscitur, quæ operum exhibitione, velut arbor fructibus, approbatur. Testatur gens Francica

per eum ad fidem Christi conversa, et baptismi sanctificatione consecrata. Testantur diversa prudentissime ab ipso tam facta quam prædicata. Testantur diversæ ipsius personæ temporis, ex quibus Sidonii, Arvernorum episcopi, viri eruditissimi, et tam genere quam religione ac sermone clarissimi, epistolam huic beatissimo pontifici directam inserere placuit (SIDON. APOLLIN., *lib.* IX, *epist.* 7) :

« SIDONIUS, DOMNO PAPÆ REMIGIO, SALUTEM. Quidam ab Arvernis Belgicam petens (persona mihi cognita est, causa incognita, nec refert), postquam Remos advenerat, scribam tuum sive bibliopolam, pretio fors an officiove demeritum, copiosissimo, velis nolis, declamationum tuarum schedio emunxit. Qui redux nobis atque oppido gloriabundus (quippe peritus tot voluminibus) quæcumque detulerat, quamquam mercari paratis, quod civis, nec erat injustum, pro munere ingessit. Cura mihi e vestigio fuit, hisque qui studiant, cum memoriter lectitaverimus, plurima tenere, cuncta transcribere. Omnium assensu pronuntiatum paucos nunc posse similia dictare. Etenim rarus aut nullus est, cui meditaturo par assistat dispositio per causas, positio per litteras, compositio per syllabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in testimoniis, proprietas in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis. Structura vero fortis et firma, conjunctionumque perfectarum nexa cæsuris insolubilibus. Sed nec hinc minus lubrica et levis (*l.* lenis), ac modis omnibus erotundata : quæque lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salebrosas passa juncturas, per cameram palati volutata balbutiat. Tota denique liquida prorsus et ductilis, veluti cum crystallinas crustas, aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur : quippe si nihil cum rimosis obicibus exceptum tenax factura (*Orig.* f. fractura) remoretur. Quid plura ? non exstat ad præsens vivi hominis oratio, quam peritia tua non sine labore transgredi queat ac supervadere. Unde prope suspicor, domne papa, propter eloquium exundans atque ineffabile (venia sit dicto) te superbire. Sed licet bono fulgeas, ut conscientiæ, sic dictionis ordinatissimæ ; nos tamen tibi minime sumus negligendi, qui bene scripta laudamus, etsi laudanda non scribimus. Quocirca desine in posterum nostra declinare judicia, quæ nihil mordax, nihil quoque minantur increpatorium. Alioquin si distuleris nostram sterilitatem facundis fecundare colloquiis, aucupabimur nundinas involantum, et ultro scrinia tua, conniventibus nobis ac subornantibus, effractorum manus arguta populabitur : inchoabisque tunc frustra moveri spoliatus furto, si nunc rogatus non moveris officio. »

CAPUT XIII.

De conversione Francorum.

Cujus autem prudentiæ, quam sancti studii noster hic Pater ac pastor almus exstiterit, quam fidelis et prudens in erogandis Domini sui pecuniis viguerit, Francorum, ut prætulimus, ab idolis ad Deum verum facta per ipsum probat conversio, qui Gallicas eo tempore transito Rheno deprædabantur provincias, et Agrippinam jam Coloniam, quasdam quoque alias occupaverant Galliæ civitates. At postquam rex ipsorum Clodoveus Siagrium, Romanum quemdam principem, qui Galliis tunc præerat, evicit atque peremit, omni pene Galliæ dominari cœpit. Comperta beatissimi gestorum fama Remigii, quod scilicet eniteret virtute sanctitatis ac sapientiæ, miraculorum præfulgens exhibitione, reverebatur eum, et licet paganus, diligebat tamen illum. Quo quondam secus urbem Remorum transitum faciente, quibusdam militibus ejus agminis ablata quædam Remensis Ecclesiæ vasa feruntur. Erat inter ea urceus etiam magnus argenteus, et decora pulchritudine compitus, pro quo beatus Remigius legatos ad eum direxisse traditur, ut illum saltem recipere mereretur. Ast ubi ad locum divisionis (4) prædæ ventum est, rogat rex milites suos, ut ipsum sibi dare ne renuant urceum. Pluribus igitur annuentibus, quidam Francus bipenni percutiens urceum, nihil hinc a rege nisi sorte tollendum proclamat. Obstupefactis hac temeritate cæteris, rex injuriam patientes ad tempus tolerans, apprehensum, plurimis faventibus, vasculum ecclesiastico reddidit misso, iram sub corde tectam reservans. Peracto denique anno cunctum sui exercitus apparatum solito prodire jubet in campum, ut armorum speculetur de more nitorem : quem conventum, a Marte, Martium vocare consueverant. Rex ergo instructas circumiens rite phalanges, ad eum qui dudum percusserat urceum pervenit, spretisque ipsius armis, ejus tandem franciscam projecit in terram, ad quam recipiendam inclinato militi rex in caput suam defigit bipennem, quam pridem in vase perpetraverat, cum increpitationis acerbitate, rememorans præsumptionem. Quo sic interempto, timor ingens regis hac super ultione, cæterorum perstrinxit corda Francorum. At postquam Clodoveus Thoringiam sibi provinciam subjugavit, et regnum vel ditionem suam dilatavit, etiam Rothildim, filiam Chilperici, fratris Gundebaudi Burgundionum regis, in matrimonium sumpsit. Quæ cum esset Christiana et filios ex rege susceptos baptismate consecrari, marito quoque nolente, fecisset, etiam virum ad Christi fidem pertrahere conabatur. Sed animum barbari mulier ad credendum flectere non valebat. Interea bellum Francis adversus Alemannos accidit, et Francis cæde nimia corruentibus, rex ab Aureliano consiliario suo suadetur, ut credens in Christum, quemque regem regum, et cœli ac terræ Deum confitens, invocet, qui ei victoriam pro velle possit conferre. Quod cum fecisset, Christique suffragium cum devotus expetisset, hostiumque se Christianum vovisset, si victorem

(4) Locus divisionis fuit civitas Suessionum.

ipsius in capiendo victoriam expertus meruisset, post hujus voti pollicitationem mox in fugam versi sunt Alemanni, regemque suum competientes interfectum, Chlodovei se subdunt ditioni. Quos ille sub jugo constituens tributario, revertitur victor in pace, gaudium referens magnum reginæ, quod ad invocationem, scilicet, Christi nominis, victoriam meruerit obtinere. Tunc regina beatum Remigium vocat, deprecans, ut regi viam salutis ostendat. Quem sanctus sacerdos doctrina vitæ salutaris informans, ad baptismi commonet venire sacramenta. Ille se populum super his exhortatum ire respondens, affari studet exercitum, ut deos, qui eis subvenire non poterant, deserentes, ipsius cultum susciperent, qui tam præclaram largitus eis victoriam fuerat. Conclamat multitudo, divina se præveniente gratia, mortales se deos relinquere, atque in Christum qui sibi præsidio fuerat, credere. Nuntiantur hæc sancto Remigio, qui magno repletus gaudio, regem populumque, qualiter diabolo et operibus ac pompis ipsius abrenuntiantes, Deum verum credere debeant instruere satagit; et quia paschalis solemnitas imminebat, indicit eis jejunium juxta morem fidelium.

Die vero Passionis Dominicæ, pridie scilicet antequam baptismi gratiam percepturi erant, post hymnos, precesque nocturnas, præsul regium cubile petiit, ut absoluto curis sæcularibus rege, liberius ei committere sacra valeret mysteria verbi. Quo reverenter a cubilariis admisso, rex prosiliens obvius alacriter occurrit, et oratorium beatissimi apostolorum principis Petri, cubiculo regis forte contiguum, pariter ingrediuntur. Cumque dispositis sedilibus, pontifex, rex atque regina consedissent, intromissis quibusdam clericis, sed et aliquibus regi necessariis ac domesticis, et venerabilis Pater regem monitis imbueret salutaribus, ad corroborandam salutiferam fidelis servi sui doctrinam, Dominus etiam visibiliter dignatus est ostendere, sese fidelibus in nomine suo congregatis, ut promiserat, semper adesse (*Matth.* XVIII, 20). Repente namque lux tam copiosa totam replevit ecclesiam, ut solis videretur evincere claritatem. Mox cum luce vox facta est, inquiens : Pax vobis, ego sum, nolite timere (*Luc.* XXIV, 36). Manete in dilectione mea (*Joan.* XV, 9). Post quæ verba lux quæ advenerat, abcessit, sed ineffabilis odor suavitatis in eadem domo remansit. Ut evidenter valeret agnosci lucis, pacis atque piæ dulcedinis illuc auctorem advenisse, beatus etiam præsul ex eodem lumine, non modicum visus est vultus fulgorem traxisse. Rex igitur atque regina pedibus almi sacerdotis adstrati, cum magno pavore ipsius requirunt consolationem audire, opere adimplere parati quæ propalarentur ore patroni. Delectabantur etenim verbis quæ audierant, interius illuminati, quam viderant, luce, licet exteriore territi luminis claritate. Sanctus autem Pater supernæ repletus splendore sapientiæ de cœlestis eos instruit visionis consuetudine, quæ adventu quidem suo corda mortalium terret, sed timorem præcedentem subsequenti consolatione demulcet, et quibus apparuit patribus, primum quidem pavorem incusserit, at postea per pietatis gratiam lætitiæ blandimenta refuderit. Irradiatus quoque vir beatissimus Remigius, ut exterius, veteris exemplo legislatoris, vultus illustratione, ita, multoque magis, interius, divini fulgoris illuminatione, spiritu prophetico, quæ ipsis vel eorum forent eventura prosapiæ, traditur prædixisse. Quomodo videlicet eorum posteritas regnum nobiliter esset propagatura, Ecclesiam quoque Christi sublimatura, Romanaque dignitate vel regno potitura, et victorias contra impetus aliarum gentium perceptura, si non a bono degenerantes, salutis viam forte relinquerent, et quibus Deus offenditur scelera committere, pestiferorum vitiorum laqueos incurrerent, quibus regna subverti, atque de gente solent in gentem transferri (*Eccli.* x, 8). A domo denique regis eundi ad baptisterium via præparatur, vela cortinæque appenduntur, hinc inde plateæ sternuntur; ecclesia componitur, baptisterium balsamo, cæterisque odoramentis aspergitur, tantamque Dominus populo gratiam subministrabat, ut odoribus se paradisi refoveri gauderet. Sicque præcedentibus sacrosanctis Evangeliis, et crucibus cum litaniis, hymnis et canticis spiritualibus, summus pontifex manum tenens regis, subsequente regina cum populo, ab aula pergit ad baptisterium. Et inter eundum rex rogitasse fertur episcopum, an id erat Dei, quod sibi promiserat regnum. Non hoc, præsul inquit, illud est regnum, sed initium viæ qua pervenitur ad ipsum. Ubi vero ad præparatum baptisterii perventum est locum, clericus chrisma ferens a populo interceptus ad fontem pertingere penitus est impeditus. Sanctificato denique fonte, nutu divino chrisma defuit. Sanctus autem pontifex oculis ad cœlum porrectis, tacite traditur orasse cum lacrymis. Et ecce subito columba, ceu nix, advolat candida, rostro deferens ampullam cœlestis doni chrismate repletam. Cujus odoris mirabili respersi nectare, inæstimabili qui aderant super omnia quibus antea delectati fuerant replentur, suavitate. Accepta itaque sanctus præsul ampulla, postquam chrismate fontem conspersit, species mox columbæ disparuit. Rex autem tantæ gratiæ conspecto miraculo lætus, actutum diaboli pompis et operibus abnegatis, a reverendo se petit pontifice baptizari. Quo vitæ fontem perennis ingressio, beatus profatur præsul ore facundo : *Mitis depone colla, Sicamber. Adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Sicque post orthodoxæ confessionem fidei, trina tinctus mersione, divino summæ individuæque Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti sub nomine, suscipitur ab eodem sancto pontifice, divoque consecratur insignitus unguine. Baptizantur sorores regis Alboffedis et Landehildis, simulque de Francorum exercitu virorum tria millia, præter mulierum parvulorumque nomina. Quo die magnum in cœlis celebratum sanctis gaudium credere possumus angelis et hominibus lætitiam non modicam in terra

devotis. Exercitus autem pars magna Francorum necdum ad fidem Christi conversa, cum quodam Raganario principe, trans Somnam fluvium post aliquandiu in infidelitate versata est, donec superna disponente gratia, præfato rege Ludovico gloriosis potito victoriis, idem Raganarius flagitiorum sectator ac turpitudinum, vinctus a Francis traditus est, et interemptus, omnisque Francorum populus ad Christi fidem, per beatum Remigium convertitur ac baptizatur.

CAPUT XIV.

De possessionibus quas ei rex Ludovicus et Franci contulerunt.

Rex igitur, Francorumque potentes, plurimas B. Remigio possessiones per diversas contulere provincias, ex quibus ille, tam Remensem, quam reliquas nonnullas Franciæ dotavit (*ms. j.* ditavit) ecclesias. Nam dicitur tunc eamdem partem rerum, ecclesiæ sanctæ Mariæ Laudunensi clavati, Remensis parochiæ castri, ubi nutritus fuerat, tradidit; ibique Genebaudum, carne nobilem virum, tamque sacris quam sæcularibus litteris eruditum, qui relicta conjuge, sancti Remigii, ceu traditur, nepte religiosam subierat vitam, ordinavit episcopum, comitatusque Laudunensis eidem castro subjecit parochiam. Qui Genebaudus de ante acta vita nimium, gradusque sublimitate confidens, ab uxore quam reliquerat, incaute, quasi pro instruenda ea, se crebrius visitari permisit. Sed ut divina testantur eloquia: *Lapides excavant aquæ, et alluvione terra consumitur, et rupes* (*?*) *transfertur de loco suo* (*Job* XIV, 19) ; ita quoque hic contigit, ut frequentes mulieris visitationes blandaque colloquia, durum validumque contra libidinem pectus emollirent episcopi, et quasi rupem de loco sanctitatis ad cœnum transferrent luxuriæ. Qui suasione diabolica in libidinis flammas exagitatus erupit, veterique se miscens sodali, filium ex eadem progenuit, quem velut in latrocinio procreatum, Latronem nominari præcepit. Et quia culpa pluribus ignota, ne in suspicionem hinc forte procederet, si a solita se præsulis visitatione femina subtraheret, cœpit, ut antea, domum frequentare pontificis. Sicque factum est ut hominibus culpa celata, tacitusque tam viri quam mulieris ardor, in corde libidinis, compunctum prius contra peccatum, ad culpam retraxerit episcopum. Qui velut oblitus quod planxerat, iteravit crimen quod defleverat. At ubi conceptam de flagitio comperit filiam, nomen eidem mandat imponi Vulpeculam, utpote fraudibus argutæ matris generatam. Domino demum, qui beatum Petrum respexerat hunc quoque respiciente (*Luc.* XXII, 61), compunctus mente Genebaudus, sanctum Remigium petiit ipse adiens Laudunum. Quo cum debita veneratione suscepto, postquam cubilis iniere secretum, magnum procumbens in spatium, stolam deponere nititur, sancti se patroni prosternens pedibus. Quo doloris tanti causam diligenter indagante, lacrymis singultibusque præpediente, vix admissa transgressor narrat ex ordine. Quem vir Dei contritum videns ac pene desperatum, blande consolari satagit, dolere se protestans, non tam de perpetrato facinore, quam quod ille de Domini videbatur benignitate diffidere, cui constat nihil quod voluerit impossibile : qui pro nullius omnium ad se revertentium peccatorum despicit, qui pro peccatoribus etiam sanguinem suum fudit. Diversis itaque vir benignus et patiens erigere lapsum certat exemplis, quod apud Deum scilicet facile, tantus hujus veniam valeret obtinere, si dignos pœnitentiæ fructus Deo studeret offerre. Sic demum dignis exhortationibus indicit animato pœnitentiam, structaque mansiuncula, fenestellis parvis illuminata, cum oratorio (quæ adhuc secus ecclesiam sancti Juliani manere feruntur) in ea pœnitentem concludit episcopum. Ejus quoque per annos septem gubernans parochiam, unam Remis Dominicam, Lauduni celebrare consueverat alteram. Qua sub reclusione, quantæ contritionis ac continentiæ districtione se vir præfatus coarctaverit, quam dignos nihil pœnitentiæ fructus exegerit, divina postmodum propalavit clementia. Anno siquidem septimo, cum in vigilia cœnæ Dominicæ pœnitens pernoctaret in oratione, seipsum deflens in hoc, quoniam qui ad id usque provectus fuerat, ut Domino pœnitentes reconciliaret, hac die nec inter pœnitentes ipse criminibus suis exigentibus in ecclesia merebatur consistere ; angelus Domini circa mediam noctem magna cum luce venit ad eum, ubi pronus jacebat in oratorio, talique decubantem compellasse fertur alloquio : « Genebaude, exauditæ sunt pro te orationes Patris tui Remigii. Suscepit Dominus pœnitentiam tuam, et dimissum est peccatum tuum. Surge, et hinc egrediens fac ministerium episcopalis officii, et reconcilia Domino pœnitentes de criminibus suis. » Genebaudus autem nimio terrore perculsus, respondere non poterat. Tunc angelus Domini confortans eum, ne timeat hortatur, imo gaudeat de Domini misericordia sibi collata. Roboratus tandem respondisse fertur non se posse hinc egredi, quia dominus et Pater suus Remigius ostii clavem secum haberet, quod et sigillo suo signaverat. Et angelus ad eum : *Ut non dubites* (inquit) *a Domino me missum, sicut patet tibi cœlum, sic et ostium istud patebit*. Et statim salvo sigillo ac sera ostium illud apertum est. Tunc Genebaudus in modum crucis se prosternens in limine, sic fertur asseruisse : Etiamsi Dominus ipse Jesus Christus dignatus fuerit ad me peccatorem venire, non hinc egrediar, nisi venerit ille qui me in ejus nomine sub hac reclusione constituit. Ad quæ responsa mox angelus discessit ab eo. Beatus autem Remigius in crypta, quæ subter ecclesiam sanctæ Mariæ apud Remis habetur, in oratione pernoctabat. Quam postea cryptam præsul Herveus in honore consecravit ejusdem beatissimi Remigii, ubi tunc ipse vir sanctus, vigiliis fatigatus, et quasi dormiens, in excessum raptus, vidit angelum sibi assistentem, qui hæc ut gesta fuerant ita narrat eidem, jubens, ut quantocius Laudunum petat, atque Genebaudum sedi datæ restituens, ut curam ac pontificali fungi officio

persuadeat. Illico vir beatus nihil hæsitans adit magna cum celeritate Laudunum. Quo perveniens, in ostii limine, salvo sigillo seraque reserati, Genebaudum jacentem reperit : quem protensis brachiis cum gaudio lacrymis Domini clementiam collaudans, erexit, eumque sedi et officio sacerdotali reddens, Remos cum gaudio repedavit. Genebaudus autem in sanctitate postea cunctos vitæ suæ dies, Dei fretus gratia, peragens, palam quæ sibi Dominus fecerat, prædicabat. Obiit igitur Genebaudus in pace sanctis Dei connumeratus, tandiu episcopatu perfunctus, ut ei successerit Latro filius ejus, episcopus et ipse postea sanctus.

Rex denique Lodovicus in civitate Suessonica sedem suam constituens, delectabatur præsentia et colloquio sancti Remigii. Sed quia vir hic sanctus in civitatis hujus vicinia villas non habebat alias, nisi quamdam parvam quæ sancto Nicasio data fuerat, rex suggerente regina, locorumque petentibus incolis, qui multiplicibus erant aggravati xeniis, ut quod regi debebant, Ecclesiæ Remensi persolverent sancto proposuit Remigio, ut quantum circumiret dum ipse meridie quiesceret, illi totum donaret. Beatus igitur Remigius per fines qui videntur adhuc manifesti, profectus, itineris sui signa dimisit. In qua determinatione quidam possidens molendinum repulit sanctum virum, ne intra ipsos illum concluderet fines. Quem vir Domini leniter affatus ait : Amice, non sit tibi durum, ut habeamus simul hunc molendinum. At ille ut eum rejecit, statim in contrarium rota molendini verti cœpit. Repulsor autem clamare cœpit post sanctum Remigium : Serve Dei, veni, et habeamus pariter molendinum. Cui vir sanctus : Nec mihi, nec tibi. Mox tanta profunditas in eodem loco, tellure se subducente, facta est, ut nunquam deinceps inibi molendinus haberi posset. A quibusdam quoque repulsus, ne silvulam quamdam suos intra terminos comprehenderet, dixit, ut nec folium unquam de ipsa silva (licet esset contigua), trans fines ipsos evolaret, neque fustis ex ea versus eosdem terminos caderet. Quod et observatum voluntate Dei traditur, donec ipsa silva perdurasse dignoscitur. Abinde quoque procedens, venit ad villam, nomine Caviniacum (*Chavignon*), quam finibus suis nitens concludere, prohibetur ab hominibus ejusdem villæ. Tunc ille miti vultu modo rejectus, modo repropinquans, signa quæ parent adhuc per suum dimisit iter. Tandem repulsus, dixisse fertur ad illos : *Semper laborate, et egestatem sustinete.* Quod hodieque compleri, manentis sententiæ virtus ostendit. Surgens autem rex a somno meridiano, quæcunque beatus Remigius ambitu suæ circumitionis incluserat, eidem præcepto regiæ dedit auctoritatis. Quarum rerum sunt Juliacus et Codiciacus (*Juilly* et *Cocy*) capita, quæ Remensis adhuc jure quieto possidet Ecclesia.

Eulogius denique vir quidam præpotens convictus apud regem Lodovicum super regiæ majestatis crimine, ad intercessionem beati confugit Remigii. Cui vir sanctus tam vitam, quam rerum obtinuit possessionem. Ipse vero, quasi recompensationis beneficio, benefico patrono Sparnacum (*Epernay*) villam suam obtulit in proprietatem. Beatus autem præsul, temporalem pro suæ intercessionis munere nolens retributionem recipere, prædictum virum, quoniam verecundia confusione depressus, quia contra natalium decus suorum, vita donari per indulgentiam meruisset, in habitu seculari manere nolebat, salubriter exhortatus est, dicens : Ut si perfectus esse vellet, vendens omnia sua daret pauperibus, et sequeretur Christum (*Matth.* xix, 21). Neque taceam, de thesauro ecclesiastico, pretium quinque millia scilicet argenti libras, Eulogio fertur dedisse, ipsamque villam in Ecclesiæ possessionem comparasse. Bonum cunctis relinquens exemplum episcopis, cæterisque sacerdotibus, ut dum pro his qui ad Ecclesiæ sinum, vel servorum Dei præsidia confugium faciunt, intercedunt, aut bona quælibet agunt, hæc pro temporali recompensatione non expleant, nec transitoria velint recipere ; sed juxta mandatum Domini, qui gratis acceperunt, studeant quoque gratis impendere (*Matth.* x, 8).

CAPUT XV.

De victoriis Ludovici per auxilium sancti Remigii, et fine ipsius regis.

Rex itaque Ludovicus contra Gondebaudum et Godegisilum fratrem ejus ducens exercitum (*an.* 501 *Sigeb.*), percepta benedictione a beato Remigio victoriam sibi prædicente, accepit in mandatis ab eo sibi datis, ut tandiu contra hostes dimicaret, quandiu benedictum sibi vinum, quod ei vir Domini dederat, in usu quotidiano sufficeret. Contra quem Burgundiones cum prædictis ducibus pugnaturi, venerunt super Oscaram fluvium, secus Divionem castrum. Ubi confligentes atrociter Burgundiones in fugam vertuntur, et in Avinione castro se Gondebaudus concludens, a Ludovico pacem per Aredium consiliarium suum, multis datis thesauris, obtinuit. Ludovicus autem cum exercitu Francorum præda potitus maxima, revertitur ad propria. Sic etiam constituta Parisiis in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli basilica (*hodie S. Genovefæ*), et synodo per sancti patroni sui Remigii consilium, in urbe Aurelianensi habita, pergens contra regem Alaricum Arianum, et accipiens a B. Remigio benedictionem, redditur de victoriæ perceptione securus. Cui vir quoque sanctus, ut et pridem fecerat, vas, quod vulgo flasconem vocant, vini a se benedicti plenum dedit : hoc idem quod antea mandans, ut eo usque ad bellum procederet, donec sibi suisque, quibus exinde dare vellet, hoc vinum de prædicto flascone non deficeret. Bibit igitur rex ex eo, pluresque suorum, vas tamen vini non patitur detrimentum. Bellum vero cum Gothis conferens, eos in fugam vertit, et ipse, beato Remigio se suffragante, victor exstitit. In qua pugna dum duo Gothi contis eum in latera feriunt, hujus patroni sui se protegentibus meritis, illum lædere nequiverunt. Multis autem civitatibus

suæ ditioni subactis, usque Tolosam perrexit, et A Alarici thesauros accipiens, per Engolismam civitatem, cujus muri compactionem ipsius muri corruerunt, interfectis Gothis qui erant intus, ad propria cum gloriosa redit victoria, vino flasconis non deficiente, donec reversus est in sua (an. 507, Sept.).

Denique rex Ludovicus, exhortante sancto Remigio, regnum, hoc est coronam cum gemmis pretiosis auream, donum beato Petro apostolo misit; et codicillos (*ms. t.* codicellos) ab Anastasio imperatore pro consulatu sibi missos, cum corona aurea, tunicaque blattea sumpsit, et ab inde consul appellatus esse memoratur. Hormisda quoque Romanæ sedis pontifex, sancto Remigio vices suas in regno Ludovici, litteris suis ad ipsum directis, commisit. Post hæc moritur Ludovicus rex in pace (an. 511 Sept.) (*Baron.*, B *Horens.*) ac sepultus in basilica sancti Petri apostoli, quam Parisius ædificaverat; eodemque momento quo spiritum emisit, revelante Spiritu sancto, beatus Remigius Remis positus, eum obiisse cognovit, et astantibus sibi manifestavit.

CAPUT XVI.

De synodo ubi convertit hæreticum.

Galliæ quondam præsules ad synodum fidei gratia convenientes, beatum Remigium, utpote virum divinæ sanctitatis excellentissimum, et doctrina ecclesiastica exercitatissimum, ad illum concilium venire petierunt. Cui conventui Arianus quidam episcopus acerrimus C disputator, et dialecticis propositionibus ac complexionibus confisus, tumque nimis elatus, intererat. Ingrediente vero concilium S. Remigio, et a multitudine fratrum, reverenter ei cunctis assurgentibus, exemplo, superbus hæreticus illi assurgere dedignatur. At mox ut beatus Remigius ante ipsum transiit, ille loquendi officium ore obstructo amisit. Exspectantibus universis, ut post allocutionem sancti Remigii loqueretur ille, ne ullum quidem verbum proferre potuit. Sicque beati viri vestigia pronus tandem petens, nutibus veniam postulavit. Cui sanctus Remigius: *In nomine*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi, veri Filii Dei vivi, si sic de eo recte sentis, loquere, et de illo, sicut catholica credit Ecclesia, crede et confitere.* Ad cujus vocem hæreticus ante superbus, humilis jam factus atque catholicus, ortho- D doxam fidem de divina et inseparabili Trinitate, ac de incarnatione Christi catholice confessus, in eadem confessionis suæ fide se permansurum repromisit. Sicque anima per infidelitatem perdito, et corporali voce propter superbiam juste condemnato, virtute divina venerabilis pontifex, et animæ reddidit et corporali sanitatem; cunctis qui aderant, vel hæc cognituri forent, sacerdotibus patenter ostendens, in hoc malo sentiente de Christo (qui proximus et frater nobis per humanitatem fieri dignatus est) qualiter contra peccantes in ipsum, vel in Ecclesiam atque rebelles, et erga post recognoscentes ac pœnitentes debeant agere.

CAPUT XVII.

De mitigatione ignis, et obitu ejusdem, vel sepultura ipsius.

Senescente jam S. Remigio, Deique Spiritu sibi revelante quod abundantiam tunc præsentem, fames secutura foret, de frugibus villarum episcopii nonnullos jussit acervos fieri, famis futuræ postmodum profuturos plebi; quorum in villa, quæ Celtu vocatur, facti sunt plures. At homines ipsius villæ seditiosi et rebelles erant; qui die quadam inebriati cœperunt inter se dicere: Quid ille Jubilæus (ita virum sanctum propter ætatis prolixitatem vocitantes) facere vellet ex his quæ aggregaverat metis? An civitatem de ipsis facere cogitaret? quia sicut turres per muros civitatis, ita per circuitum cortis dispositi cernebantur acervi. Tandem suadente diabolo se mutuo exhortati, miserunt in eos ignem. Quod cum B. præsuli nuntiatum fuisset in propinqua villa, quam Basilicæ Cortem (*Bazancourt*) vocant, tunc forte consistenti, ascenso protinus equo, celeriter ad tantam compescendam præsumptionem devenit Celtum. Quo cum pervenisset, ardentesque fruges repperisset, ad ipsum calefacere se cœpit ignem; semper, inquiens, est bonus focus, si non super potest. Verumtamen omnes qui hoc egerunt, et qui de ipsorum germine nati fuerint, viri ponderosi fiant, et feminæ gutturis calamitate plectantur. Quod ita quoque constat impletum. Usque ad tempora siquidem Caroli Magni, qui hujuscemodi homines de Celto, quoniam vicedominum ecclesiæ Remensis in eadem villa necarunt, exterminavit, cædis auctoribus interfectis, et consentientibus per diversas provincias dispersis, atque perpetuo condemnatis exsilio: ac de cæteris hujus episcopii villis eamdem restaurari fecit. Ita viri feminæque generationis hujus mulctati permanserunt, ut sancti viri sententia promulgavit. Et apte quidem vir Dei (quoniam posteros eorum rebelles ac seditiosos fore prævidit) hujusmodi vindicta non solum præsumptores, sed etiam genus ipsorum plecti decrevit.

Post hæc igitur, aliaque multarum magnalia virtutum, quæ Dominus operari per hunc fidelem suum famulum dignatus est, gemitus illius exaudiens atque suspiria, quibus dicere consueverat: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI, 3). *Satiabor dum manifestabitur gloria ejus* (*Psal.* XVI, 8), illi pia consolatione Dominus obitus sui diem revelavit imminere. Qua revelatione fretus, rerum suarum condidit testamentum, ad illam pertingere festinans hæreditatem, de qua dicit Propheta: *Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini* (*Psal.* CXXVI, 3, 4). Sic ergo sanctus hic vir Dei, terrenam derelinquens hæreditatem percepit æternam. Condito siquidem testamento, et suis omnibus rite dispositis, quia verus agricola omnem vitis veræ palmitem fructum ferentem purgat, ut fructum plus afferat (*Joan.* XV, 2), oculorum corporalium lumine privatus est aliquandiu, quo superna mentis oculis, ad quæ toto anhelabat desiderio, con-

templari valeret attentius. Ipse vero studebat in suæ probationis tentatione semper gratias agere, laudibus, hymnisque Deo diebus ac noctibus vacare, fideli mente pertractans : Quoniam qui patienter humiliterque flagella suscipiunt, post flagella sublimiter ad requiem suscipiuntur. Cujus æternæ gloriæ pignus in eo Dominus volens ostendere, priusquam decederet, ei visum restituit. Unde, sicut et de amissione, nomen Domini benedixit. Et non post longum spatium, sciens adesse sui transitus diem, per missarum celebrationem, et sacræ communionis participationem, valefaciens, et dans pacem filiis suis, postquam septuaginta quatuor annos in episcopatu religiosissime fidelis servus et prudens Domino ministraverat, nonagesimo sexto ætatis suæ anno Idibus Januarii [*ms. c.* Id. IX], cursu sancti certaminis consummato, fide servata, cum multiplici bonorum operum fructu, et animarum lucro, ut diu desideravit, anima cœlos penetrans, terræ corpus reliquit ; accipiens stolam candidam, beatitudinem scilicet animæ sempiternam, percapturus in resurrectione alteram, beatam videlicet ad gloriam resuscitati corporis immortalitatem ; possessurus partem societatemque cum præcepuis Christi membris in regno cœlesti, sicut attestatur apostolica sibi collata gratia. Gens siquidem Francica per ipsum ad fidem Christi conversa, martyrii palma, longanimitas patientiæ in longævitate ipsius vitæ confessionis gloria, orthodoxæ fidei prædicatio, magnaliumque tam in vita corporis, quam post obitum præclara manifestatio. Cum vero funus ipsius sanctissimum deferretur ad sepulturam sanctorum martyrum Timothei et Apollinaris in ecclesia præparatam, ita feretrum in medio vico est aggravatum, ut nullo modo posset, hominibus quantumlibet adnitentibus, amoveri. Stupefactis omnibus, Deique misericordiam postulantibus, ut dignaretur ostendere, quo in loco sancti sui vellet recondi corpus, designant ad basilicam præfatorum martyrum ; nec feretrum movere possunt. Proponunt ad ecclesiam sancti Nicasii, nec capulum valet attolli. Decernunt ad ædem sanctorum Sixti et Sinicii, nec sic potest moveri. Tandem coacti, quoniam parva supererat ecclesia in honore beati Christophori martyris, et nullius propalati corpus servabatur in ea sancti, circumjacentibus tamen atriis ecclesiæ cœmeterium ferebatur ex antiquo Remense, petierunt ut Dominus declararet, utrumnam in eadem ecclesiola pignus illud sacratissimum reponi decerneret. Ad quæ vota tanta facilitate loculum levant, ut nullum portantes onus sentirent. Recondita sunt autem reverendissimi Patris hujus membra in hac ecclesiola, divina moderante dispositione, in loco ubi nunc habetur altare beatæ virginis Genovefæ. Ubi vero feretrum constat ipsius aggravatum, multa feruntur ostensa miracula postmodum. Hic etiam crux exstat abinde posita, columnæ monumentis his insignitæ præfixa.

Cum transisset ex hoc mundo ad cœlestem patriam.
Præsul magnus beatus Remigius huc
A plebe sancta digne delatus est, corpore
In ecclesia condendus Timothei martyris
Jam hoc loco moram fecit, nec moveri potuit,
Donec pio eventu esset revelatum Dominus
Ubi nunc favente Christo pollet virtutibus
Præstans hic Deo devotis opis beneficia.
Cæcis visum, claudis gressum, et ægris remedium
Igitur profuso voto exoremus Dominum
Veniam ut delictorum pie nobis præstet
Mereamur adipisci et cœlorum gaudia
Sancti Remigii, confessoris precibus Domini,
Adaloldi quoque tui miserere famuli

CAPUT XVIII.

Testamentum ab ipso editum.

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti Gloria Deo. Amen.

« Ego Remigius episcopus civitatis Remorum, sacerdotii compos, testamentum meum condidi jure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si ei juris aliquid videbitur defuisse. Quandoque ego Remigius episcopus de hac luce transiero, tu mihi hæres esto, sancta et venerabilis Ecclesia catholica urbis Remorum, et tu, fili fratris mei, Lupe episcope, quem præcipuo semper amore dilexi. et tu, nepos meus, Agricola presbyter, qui mihi obsequio tuo a pueritia placuisti, in omni substantia mea, quæ mihi sorte obvenit antequam moriar : præter id quod unicuique donavero, legavero, darive jussero, vel unumquemque vestrum voluero habere præcipuum. Tu sancta hæres mea Remensis Ecclesia, colonos quos in Portensi habeo territorio, vel de paterna maternaque substantia, vel quos cum fratre meo sanctæ memoriæ Principio episcopo commutavi, vel donatos habeo, possidebis, Dagaredum, Profuturum, Prudentium, Temnaicum, Maurilionem, Baudoleifum, Provinciolum : Naviatenam, Lautam, Suffroniam colonas ; Amorinum quoque servum, cum omnibus quos intestatos reliquero , tuo dominio vindicabis. Necnon villas, agrosque, quos possideo in solo Portensi, Tudiniacum scilicet, et Balationium [*ms.*, Balatonum], sive Plerinacum, et Vaculiacum, vel quæcunque in eodem solo Portensi qualibet auctoritate possedi, integre cum omnibus campis, pratis, pascuis, silvis, ad te testamenti hujus auctoritate revocabis. Simili modo, sanctissima hæres mea, quæcunque tibi a propinquis et amicis meis, in quocunque solo et territorio collata sunt, sicuti disposuero in parochiis, cœnobiis, martyriis. diaconiis, xenodochiis, omnibusque matriculis sub tua ditione degentibus, ordinationem meam futuri successores mei, ordinis sui memores , sicut ego prædecessorum meorum, ita quoque inconvulse, et absque ulla refragatione servabunt. Ex quibus Celtus, quam [*Briss.*, quem] per manum meam Celsa, sobrina mea tibi tradidit. et Huldriciaca villa, quam Huldericus comes, ei loco ubi ossa mea sancti fratres et coepiscopi diœceseos tuæ ponenda elegerint, in tegumentis deserviant. Sitque locus ille successoribus meis Remorum episcopis peculiariter proprius, et in alimoniis ibidem Deo militantium, vicus ex proprio, in Portensi, et. . . villanis quoque ex episcopio in Remensi deserviant. Blandibaccius villa in Portensi,

quam a cohæredibus meis Benedicto et Hilario, datis pretiis eis de thesauro ecclesiæ, et Albiniacus ex episcopio, in alimoniis clericorum Remensis Ecclesiæ communiter deputentur. Quibus etiam Beyna ex episcopio, quæ peculiaris prædecessoribus meis esse solebat, cum duabus villis quas Ludovicus a me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei, Piscofesheim sua lingua vocatis [f. vocitas], mihi tradidit, sive cum Cosla et Gleni, vel omnibus silvis, pratis, pascuis, quæcunque per diversos magistros in Vosago infra, circum, et extra, tam ultra quam citra Rhenum pretio dato comparavi, plenam annuatim ministret, cunctisque locis regularibus, tam a me, quam ab antecessoribus meis ordinatis, sive in futuro ab episcopis successoribus meis ordinandis, pro necessitate locorum ad vascula vinaria componenda annuatim distribuat. Crusciniacum [al., Consuniacum] vero et Faram, sive villas quas sanctissima virgo Christi Genovefa, a rege Christianissimo Ludovico pro compendio itineris sui, cum Remensem ecclesiam sæpissime visitare soleret, olim ipsa promeruit, dominoque ibidem Deo famulantium deputavit sicut ab ea ordinatum est, ita confirmo, ut Crusciniacus futuri episcopi successoris mei obsequiis, et sartatectis principalis ecclesiæ deputetur. Faram vero eidem episcopo, et sartatectis ecclesiæ tibi proximo, perpetualiter servire jubeo. Sparnacus [al. Sparnaeus] villa, quam datis quinque millia libris argenti, ab Eulogio comparavi, tua (sanctissima hæres mea) non extraneorum hæredum meorum esse sentitur (c. 14), eo quod cum criminis accusatione regiæ majestatis idem teneretur obnoxius, et se minime purgare posset, non solum ne occideretur, dato pro illo pretio de thesauris tuis, sed ne pecunia ejus publicaretur, apud regem obtinui: et ideo ut præfata Sparnacus perpetualiter tibi ad restituendum thesaurum, stipendiisque tui pontifices deserviat, liberali sanctione firmavi. Dudiciacus vero, sicut a Clodoveo nobilissimæ indolis puero confirmatum est, tibi hæres mea perpetualiter famuletur. Villas quas mihi dominus illustrisque memoriæ Ludovicus rex quem de sacro baptismatis fonte suscepi, cum adhuc paganus Deum ignoraret, ad proprium tradidit, locis pauperioribus deputavi, ne forte, cum esset infidelis, cupidum terrenarum rerum me arbitrari posset, et non potius suæ salutem animæ, quam exteriora ab ipso bona requirere. Quod et admiratus, intercedere me pro quibuscunque necessitatem patientibus et fidelis, et ante fidem, benigne liberaliterque concessit. Et quia ex omnibus episcopis Galliarum pro fide et conversione Francorum potissimum me laborare cognovit, dedit mihi Deus tantam gratiam in conspectu ejus, virtusque divina, quæ per Spiritum sanctum me peccatorem plurima signa ad salutem prædictæ gentis Francorum operari fecit, ut non solum ablata omnibus ecclesiis regni Francorum restitueret, sed etiam de proprio, gratuita bonitate, plurimas ditaret ecclesias. Neque prius de regno ejus, quantum passus est pedis, ecclesiæ Remorum jungere volui, donec, ut hoc omnibus ecclesiis adimpleret, obtinui. Sed neque post ejus baptismum, nisi Codiciacum et Juliacum, super quibus jam dictus puer acutissimus et unanimus mihi Clodoaldus, et incolæ loci illius multiplicibus vexati gravati, obnixe deprecantes, quod regi debebant ecclesiæ meæ solvendum, me petere compulerunt. Quod idem piissimus rex et gratanter accipiens, promptissima voluntate largitus est, usibusque tuis, sanctissima hæres mea, juxta ejusdem piissimi datoris præceptum, episcopali auctoritate firmavi. Res etiam quas sæpe dictus rex, piissimusque princeps, tibi in Septimania et Aquitania concessit, et eas quas in Provincia Benedictus quidam (cujus filiam mihi ab Alarico missam, gratia sancti Spiritus per impositionem manus meæ peccatricis non solum a diabolicæ fraudis vinculo, sed ab inferis revocavit) ad usum luminis tui, et loci ubi corpus meum jacuerit, continuatim deservire præcipio, villasque in Austria sive Toringa. Futuro episcopo successori meo amphibalum album paschalem relinquo, stragula columbina duo, vela tria, quæ sunt ad ostia diebus festis triclinii, cellæ et culinæ. Vas argenteum triginta, et aliud decem et octo librarum, inter te, hæres mea, et diœcesin tuam Ecclesiam Laudunensem, factis patenis atque calicibus ad ministerium sacrosanctum, prout volui, Deo annuente, distribui. Illud quoque vas aureum decem librarum, quod mihi sæpe nominatus dominus, illustrisque memoriæ Ludovicus rex, quem, ut prædixi, de sacro baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, ut de eo facerem quod ipse voluissem, tibi hæredi meæ Ecclesiæ supra memoratæ jubeo turriculum et imaginatum calicem fabricari, et epigrammata, quæ Lauduni in argenteo ipse dictavi, in hoc quoque conscribi volo. Quod faciam per me, si habuero spatium vitæ; si autem [*Beiss.*, sin ante] clausero ultimum diem, tu fili fratris mei, Lupe episcope, species ante dictas, tui ordinis memor, efficias. Compresbyteris meis et diaconibus qui sunt Remis quinque et viginti solidos æqualiter dividendos in commune dimitto. Vitis plantam super vineam meam ad suburbanum positam, simili modo communiter possidebunt cum Melanio vinitore, quem do in loco ecclesiastici hominis Albovichi, ut Albovichus libertate plenissima perfruatur. Subdiaconibus solidos duodecim, lectoribus, ostiariis, et junioribus solidos octo jubeo dari. Pauperibus duodecim in matricula positis, ante fores ecclesiæ exspectantibus stipem, duo solidi unde se reficiant, inferentur; quibus Corcellum villam dudum deservire præcepi. Aliis pauperibus tribus, ubi fratres quotidie pedes lavare debent, quibus etiam Balatoforum [Relatoforum], quod dicitur Xenodochium, ad hoc mysterium statui, solidus unus dabitur. Viduis quadraginta in porticu ecclesiæ alimoniam præstolantibus, quibus de decimis villarum Calmisciaco, Tessiaco, Novavilla stipendia ministrabantur, superaddo de villa Huldriciaca superius memorata, eis in perpetuum stipendia inferri, ut tres solidos, et denarios quatuor dari

jubeo, ecclesiæ S. Victorii ad portam Suessonicam, solidos duos; ecclesiæ S. Martini ad portam Collatitiam, solidos duos; ecclesiæ sancti Hilarii ad portam Martis, solidos duos; ecclesiæ sanctorum Crispini et Crispiniani ad portam Trevericam, solidos duos; ecclesiæ S. Petri infra urbem, quæ curtis Dominica dicitur, solidos duos; ecclesiæ quam in honore omnium Martyrum supra cryptam Remorum ædificavi, cum per auxilium virtutis Dei ab igne dæmonis pene jam totam urbem concrematam eripui, solidos duos; ecclesiæ, quam pro eodem signo virtutis Dei, in honore sancti Martini, et omnium confessorum infra urbem ædificavi, solidos duos; diaconiæ infra urbem, quæ dicitur ad Apostolos, solidos duos; titulo sancti Mauricii in via Cæsaria, solidos duos; ecclesiæ Javidianæ [*ms*, Jovianæ] tituli beati Agricolæ, ubi ipse vir Christianissimus Jovinus, et sanctus martyr Nicasius, cum plurimis societatis suæ Christi martyribus requiescunt, ubi etiam quinque confessores proximi antecessores domni Nicasii, cum sanctissima virgine et martyre Eutropia conditi sunt, solidos tres; eidem quoque ecclesiæ proprium quod fuerat Jovini in solo Suessonico, cum ecclesia beati Michaelis, rebus prioribus superaddidi; ecclesiæ sanctorum martyrum Timothei et Apollinaris, ubi etiam Domino dante, si fratribus ac filiis meis episcopis diœceseos nostræ visum fuerit, ossa mea ponere disposui, solidos quatuor; ecclesiæ sancti Joannis, ubi virtus Christi, me orante, filiam Benedicti suscitavit, solidos duos; ecclesiæ Sancti Sixti, ubi cum tribus successoribus suis requiescit, solidos tres, cui etiam de proprio meo Plebeias supra Matronam adjunxi; ecclesia S. Martini in eodem solo sanctæ Remensis ecclesiæ positæ, solidos duos; ecclestæ S. Christophori, solidos duos; ecclesiæ S. Germani, quam ipse in solo Remensi ædificavi, solidos duos; ecclesiæ SS. martyrum Cosmæ et Damiani in præfatæ matris solo positæ, solidos duos. Matriculæ S. Mariæ, quæ dicitur Xenodochion, ubi duodecim pauperes stipem exspectant, solidus dabitur. Quam denique matriculam loco, ubicunque fratribus meis et filiis ossa mea ponere placuerit, perseverare præcipio, et ut diu [*ms.* *i*, die] noctuque pro peccatis atque criminibus meis Dominum deprecentur de proprio hæreditatis meæ jure, rebus quas antecessores mei in eorum stipendiis Domino dederunt, superaddo etiam villam Soladronam, et villam S. Stephani, et quidquid in villa Herimundi mihi per successionem evenit. Quod vero pretio ibidem comparavi, ecclesiæ S Quintini martyris jam diu delegavi. De jam dicto Vacculiaco, Fruminium, Dagaleifum, Dagaredum, Ductionem, Bandowicum, Udulfum, Vinofeifam, liberos esse præcipio. Temnaredus qui de ingenua nascitur matre, statu libertatis utatur. Tu vero, fili fratris mei Lupe episcope, tuo dominio vindicabis Nifastem, et matrem suam Nuciam. Vineam quoque quam Æneas vinitor colit; Æneam et Monulfum ejus filium juniorem jubeo libertate perfungi. Melloficum porcarium

A et Profuturam conjugem suam. Vernivianum cum filiis suis, excepto Widragasio, cui tribui libertatem, tuo juri deputabis. Servum meum de Cesurnico tuum esse præcipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus Principius episcopus tenuit, cum silvis, pratis, pascuis revocabis. Servum meum quem Mellovicus tenuit, Vitaredum tibi derelinquo, Teneursolum, Capalinum, et uxorem suam Theodorosenam, tuo juri dominioque transcribo. Theodonima quoque ex mea præceptione sit libera. Edoneifam, quæ homini tuo sociata fuit, et ejus cognationem retinebis. Uxorem Areglidi, et cognationem suam ingenuos esse jubeo. Partem meam de prato quod Lauduni juxta vos habeo, ad B imitatem montium posito, quæ Jovia sunt pratella quæ tenui, ad te revocabis. Labrinacum tibi, ubi ossa genitricis meæ posui, cum pratis terminis deputavi. Tibi autem, nepos meus Agricola presbyter, qui intra domesticos parietes meos exegisti pueritiam tuam, trado atque transcribo Merumvastem servum, et uxorem suam Meratenam, et eorum filium, nomine Mercovicum. Ejus fratrem Medovicum jubeo esse liberum. Amantium et uxorem suam tibimet derelinquo. Eorum filiam esse præcipio liberam Dasoundam. Alaricum servum tuæ deputo portioni, cujus uxorem, quam redemi, et manumisi, commendo ingenuam defendendam. Bebrimodum et uxorem suam Moriam tuo dominio vindicabis. Eorum filius Monacharius gratulabitur beneficio C libertatis. Mellaricum et uxorem suam Placidiam ad tuum dominium revocabis. Medaridus eorum filius sit libertus. Vineam quam Melaricus Lauduni fecit, tibi dono; Britobaudem servum meum, necnon etiam Gibericum. Vineam qua Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, ut diebus festis, et omnibus diebus Dominicis, sacris altaribus mea inde offeratur oblatio, atque annua convivia Remensis presbyteris et diaconibus præbeantur. Delegoque nepoti meo Prætextato Moderatum, Totticionem, Marcovicum, Innocentium servum, quem accepi a Profuturo originario meo, cochlearia quatuor de majoribus, acetabulum, lucernam, quam mihi tribunus Friaredus dedit, et argenteam cabutam figuratam. Filiolo illius Parovio, acetabulum et tria cochlearia, et D casulam cujus fimbrias commutavi. Remigii cochlearia tria, quæ meo sunt nomine titulata, mantile ipsius quod habeo feriale, transcribo; hichinaculum quoque dono illi, de quo Godebodo dixi. Delegoque benedictæ filiæ meæ Hilariæ diaconæ ancillam nomine Nocam, et vitium pedaturam, quæ suæ jungitur vinea, quam Catusio facit, dono : et partem meam de Talpusciaco transcribo, pro obsequiis quæ mihi indesinenter impendit. Aetio nepoti meo partem de Cesurnico, quæ mihi sorte divisionis obvenit, cum omni jure quod tenui atque possedi. Ambrosium quoque puerum ad jus illius, dominiumque transmitto. Vitalem colonum liberum esse jubeo, et familiam suam ad nepotem meum Agathimerum pertinere : cui vineam dono quam posui Vindonissæ, et

meo labore constitui, sub ea conditione ut a partibus suis, omnibus diebus festis ac Dominicis pro commemoratione mea sacris altaribus offeratur oblatio: et Laudunensibus presbyteris atque diaconibus annua convivia, concedente Domino præbeantur. Dono ecclesiæ Laudunensi ex villis quas mihi sanctæ recordationis præfatus rex Ludovicus dedit, duas, Anisiacum, solidosque decem et octo, quos presbyteri et diaconi inter se æquali divisione distribuant. Partem meam de Secio ex integro ad se revocet ecclesia Laudunensis, et Lausetam, quam mihi charissima filia et soror mea, virgoque, ut credo, Christi sanctissima Genovefa, in usibus pauperum Christi tibi dandam ad integrum delegavit. Commendo sanctitati tuæ, fili fratris mei, Lupe episcope, ex prælatis villis, quos libertos esse præcipio, Catusionem, et Auliatenam conjugem suam, Nonnionem qui meam vineam facit, Sunnoveifam, quam captivam redemi, bonis parentibus natam, et ejus filium Leuthberedum, Mellaridum et Mellatenam, Vasantem, Cocum, Cesarium, Dagarasenam, et Baudorosenam Leonis nepotem, et Marcoleifum filium Totnonis; hos totos, fili fratris mei, Lupe episcope, sacerdotali auctoritate liberos defensabis. Tibi autem, hæredi ecclesiæ meæ, Flavianum et uxorem suam Sparagildem dono. Eorum filiolam parvulam Flavarasenam, liberam esse constitui. Fedamiam uxorem Melani, et earum parvulam Remenses presbyteri et diaconi possidebunt. Crispiciolam colonum liberum esse præcipio, et ad nepotem meum Aetium ejus familiam pertinere; ad utrumque, id est, ad Aetium et Agathimerum pervenire colonicam Passiacum. Pronepti meæ Prætextatæ dono Modorosenam. Profuturo Leudocharam puerum trado. Profuturæ dari jubeo Leudoveram. Laudunensibus subdiaconibus, lectoribus, ostiariis, et junioribus quatuor solidos derelinquo. Pauperibus in matricula positis solidus dabitur ad eorum refectionem. Delegoque ex dato præfati principis Sablonarias supra Moram, et decem solidos ecclesiæ Suessonicæ pro commemoratione tumuli mei. Nam Sablonarias supra Matronam fratribus meis deputavi. Catalaunensi ecclesiæ ex dato sæpe dicti filii mei, Gellones supra Matronam, et solidos decem. Ecclesiæ sancti Memmii, Fascinaritas ex donis præscripti principis, et solidos octo. Mosomagensi, solidos quinque. Vongensi, agrum quod officinam molinariam, quæ ibi est constituta. Catarigensi ecclesiæ, solidos quatuor, totidemque Portensi pro commemoratione mei nominis inferentur. Ecclesiæ Attrabatensi, cui, Domino annuente, Vedastum fratrem meum charissimum episcopum consecravi, ex dono jam dicti principis villas duas in alimoniis clericorum deputavi, Orcos videlicet, et Sabucetum; quibus etiam pro memoria nominis mei solidos viginti dari jubeo. Ursi archidiaconi familiaribus usui obsequiis, dono ei domi textilis casulam subtilem, et aliam pleniorem, duo saga delicata, tapete quod habeo in lecto, et tunicam quam tempore transitus mei reliquero meliorem. Hæredes mei, Lupe episcope, et Agricola presbyter, porcos meos inter vos æqualiter dividetis. Friaredus, quem de morte liberavi quatuordecim solidis comparavi, duos concessos habeat, duodecim det ad basilicæ dominorum martyrum Timothei et Apollinaris cameram faciendam. Hæc ita do, ita lego, ita testor. Cæteri omnes exhæredes estote, suntote.

« Huic autem testamento meo dolus malus abest aberitque; in quo si qua litura, vel caraxatura fuerit inventa, facta est me præsente, dum a me relegitur et emendatur. Neque ei duo priora testamenta, primum quidem quod ante quatuordecim, et alterum quod ante septem condidi annos, obsistere, obviare, aut ullatenus nocere poterunt, eo quod quidquid in ipsis continebatur, in præsentia fratrum meorum hic inserta, et quæ deerant adjuncta, insuper et quæ Dominus mihi largiri in postmodum dignatus est, superaddita noscuntur. Sed inconvulsum et incontaminatum præsens hoc quod condidi testamentum, a fratribus meis successoribus, videlicet Remorum episcopis, conservandum (*ms.* conservatum); a regibus quoque Francorum, filiis scilicet meis charissimis, quos per baptismum, Jesu Christi dono et gratia Spiritus sancti cooperante, Domino consecravi, ubique defensum, atque protectum contra omnia; et in omnibus, inviolabilem perpetuamque semper obtineat firmitatem. Et si quis, in ordine clericali, a presbytero usque ad tonsum contradicere, aut obviari ei præsumpserit, et correptus a successore meo satisfacere neglexerit, convocatis ex vicinioribus locis Remorum diœceseos tribus episcopis, deponatur a gradu. Si vero, quod non opto, nec cupio, sed neque spero, successor quilibet mihi in hac sede Remorum episcopus, exsecrabili cupiditate ductus, res prælatas, sicut a me, auctore Domino meo Jesu Christo, ad illius honorem, et ejus pauperum consolationem ordinatæ sunt, aliorsum distrahere, immutare, commutare, seu quolibet obtentu in usus laicorum, beneficii gratia dare, aut a quolibet datas, favere, aut consentire præsumpserit, convocatis totius diœceseos Remorum episcopis, presbyterisque ac diaconibus, necnon et ex filiis meis charissimis Francis religiosis quamplurimis, reatus sui pœnam, privatione sui episcopatus persolvat, et nequaquam ultra recuperationem gradus amissi in hoc sæculo promerebitur. Quicunque vero ex laico habitu a nobis statuta parvipendens, sibique favens, quæ pauperibus Ecclesiæ attributa sunt, abuti, aut usurpare quolibet obtentu præsumpserit, pari simul perpetuaque damnatione alienatur, petitor, dator, acceptor, pervasor, anathematis vinculo ab Ecclesia catholica sejungantur, donec valeant, Deo miserante, condignæ satisfactionis emendatione indulgentiam promereri. Sin autem in hoc perseverare cujuscunque donationis occasione quilibet delegerit, spes ei præsentis ac futuræ restitutionis a successore meo, Remorum scilicet episcopo, omnimodis auferatur. Generi tantummodo regio, quod ad honorem sanctæ Ecclesiæ, et defensionem pau-

perum una cum fratribus meis et coepiscopis omnibus Germaniæ, Galliæ, atque Neustriæ, in regiæ majestatis culmen perpetuo regnaturum statuens elegi, baptizavi, a fonte sacro suscepi, donoque septiformis Spiritus consignavi, et per ejusdem sacri chrismatis unctionem ordinato in regem, parcens, statuo, ut si aliquando genus illud regium per benedictionem meam toties Domino consecratum, mala pro bonis reddens, ecclesiarum Dei pervasor, destructor, depopulator, gravis, aut contrarius exsistere voluerit, convocatis Remorum diœceseos episcopis, primum moneatur : et deinde Ecclesia Remensi [*i*, Remensis prælata, adjuncta sibi sorore, Ecclesia scilicet Trevirensi, iterum conveniatur [*i*, conveniat]. Tertio vero, archiepiscopis tantummodo Galliarum tribus aut quatuor convocatis, princeps ille, quicunque fuerit, moneatur : ita ut usque ad septimam monitionem, si prius satisfacere renuerit, paternæ pietatis longanimitate differatur. Tandemque, si postpositis omnibus præfatis benedictionibus [*f.*, monitionibus], incorrigibilis contumaciæ spiritum non deposuerit, et se per omnia, Deo subdi nolens, benedictionibus Ecclesiæ participare noluerit, elogium segregationis a corpore Christi, ab omnibus ei porrigatur, quod per prophetam et regem David longe ante, eodem qui in episcopis est, dictante Spiritu sancto, noscitur decantatum : Quia persecutus est, inquit, hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde, et non est recordatus facere misericordiam, et dilexit maledictionem, et veniet ei ; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo (*Psal.* CVIII, 17, 18). Totumque ei quod in persona Judæ traditoris Domini nostri Jesu Christi, et malignorum episcoporum, ecclesia decantare solet, per singulas ei decantetur ecclesias quia Dominus dixit : Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis (*Matth.* XXV, 40) : et quandiu his non fecistis, nec mihi fecistis (*Ibid.*, 45). Et ideo quod probatur in capite, in membris intelligendum esse non dubitetur. Unum tantummodo ibi verbum per interpositionem commutetur : Fiant dies ejus pauci, et principatum ejus accipiat alter (*Psal.* CVIII, 8). Quod utique si successores mei Remorum scilicet archiepiscopi, operari, sicut a me ordinatum est, neglexerint, in se quidquid in principibus resecandum fuerat, maledictionibus depravati reperiant, ut fiant dies eorum pauci, episcopatum eorum accipiat alter. Si vero Dominus meus Jesus Christus vocem orationis meæ, quam quotidie pro genere illo in conspectu divinæ majestatis specialiter fundo, audire dignatus fuerit, ut sicut a me accepit ita in dispositione regni, et ordinatione sanctæ Dei Ecclesiæ perseveret, benedictionibus, quas Spiritus sanctus per manum meam peccatricem super caput ejus infudit, plurimæ super caput illustrius per eumdem Spiritum sanctum superaddantur ; et ex ipso reges et imperatores procedant, qui in præsenti, et in futuro, juxta voluntatem Domini, ad augmentum sanctæ suæ Ecclesiæ, virtute ejusdem in judicio et justitia confirmati, et corroborati regnum obtinere atque augere quotidie valeant, et in domo David, hoc est in cœlesti Hierusalem, cum Domino in æternum regnaturi, sublimari mereantur. Amen. Peractum Remis, die et consule suprascripto, intercedentibus et mediis signatoribus.

« Ego Remigius episcopus testamentum meum relegi, signavi, subscripsi, et in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, Deo adjuvante, complevi. † Vedastus episcopus cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, et cui benedixit, benedixi : interfui quoque, atque subscripsi. † Genebaudus episcopus cui pater meus Remigius maledixit, et maledixi, et cui benedixit, benedixi : interfui quoque, atque subscripsi. † Medardus episcopus cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, et cui benedixit, benedixi : interfui quoque, atque subscripsi. † Lupus episcopus cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, et cui benedixit, benedixi, interfui quoque, atque subscripsi. † Benedictus episcopus cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, et cui benedixit, benedixi : interfui quoque, atque subscripsi. † Eulogius episcopus cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, et cui benedixit, benedixi : interfui quoque, atque subscripsi. † Agricola presbyter cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, et cui benedixit, benedixi : interfui quoque, atque subscripsi. † Theodonius presbyter cui pater meus Remigius maledixit, maledixi : et cui benedixit, benedixi, interfui quoque, atque subscripsi. † Celsinus presbyter cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, et cui benedixit, benedixi : interfui quoque, atque subscripsi. † V. C. Pappolus interfui, et subscripsi. V. C. Eulodius interfui, et subscripsi. V. C. Eusebius interfui, et subscripsi. V. C. Rusticolus interfui, et signavi. V. C. Eutropius interfui, et signavi. V. C Daweus interfui, et signavi

« Post conditum testamentum, imo signatum, occurrit sensibus meis, ut basilicæ domnorum martyrum Timothei et Apollinaris missorium argenteum sex librarum ibi deputem, ut ex eo sedes futura meorum ossium componatur. »

CAPUT XIX.

De remedio pestis inguinariæ, et cæteris per ipsam collatis.

Post hujus beatissimi Patris obitum, « cum lues inguinaria, » veluti Gregorius Turonensis enarrat (*De Gloria confess.* c. 79), « populum primæ Germaniæ devastaret, et omnes hujus cladis terrerentur auditu, concurrit Remensis populus ad sancti sepulcrum, congruum hujus causæ flagitare remedium. Accensis cereis, lychnisque accensis non paucis, hymnis, psalmisque cœlestibus per totam excubat noctem. Mane autem facto quid adhuc precatui desit in tractatu rimatur. Reperiunt etenim, revelante Deo, qualiter oratione præmissa, majori adhuc propugnaculo urbis propugnacula munirentur. Assumptam igitur pallam de beati sepulcro componunt in

modum feretri, accensisque super cruces cereis, atque ceroferariis, dant voces in cantica; circumeunt urbem cum satis, nec prætereunt ullum hospitium, quod non hac circumatione concludant. Nec post multas dies fines hujus civitatis lues aggreditur memorata. Verumtamen usque ad eum locum accedens, quo beati pignus accessit, ac si constitutum cerneret terminum, intro ingredi non est ausa, sed etiam quæ in principio pervaserat, hujus virtutis repulsa reliquit. » Multa denique postmodum ad ipsius sepulcrum sunt divinitus ostensa miracula, quæ per negligentiam non habentur scripta.

CAPUT XX.

De translatione corporis ipsius, et quibusdam deinceps patratis miraculis.

Sepulto igitur in præmemorata basilica, beatissimi Remigii corpore, cum multa stupendaque in eadem per Domini gratiam fierent miracula, dilatata et exaltata est ipsa ecclesia, factaque crypta post altare in qua transferretur pignus venerabile. Detegunt homines loculum, quo præparatum deponant in antrum, sed ipsum penitus movere non possunt. Superveniente vero nocte multis accensis luminaribus, circa noctis medium sopor excubantes occupat omnes. Quibus evigilantibus, invenitur transvectus sacro cum thesauro sarcophagus, in præparatum (non nisi manibus angelicis) habitaculum deportatus. Tantaque cuncti replentur odoris suavitate, quantam lingua non valet humana propalare. Quæ delectabilis amœnitas in eadem, per totam diem illam, sed et in crastina, perseveravit Ecclesia. Hac igitur die translationis ejus, scilicet Kalendis Octobris, cum divinis laudibus sumptæ sunt reliquiæ de capillis ejus, casula, tunicaque ipsius: et integrum, licet exsiccatum, corpus ejusdem rubeo constat brandeo involutum.

Hic itaque Pater reverendus, et in vita corporis, et post obitum, sicut infirmis sanitatum gratiam contulit, sic et in pervasores vel præsumptores sæpissime vindex apparuit. De quo præfatus episcopus Gregorius referre studuit, quod ex ipsius hic verbis inserere placuit (Greg. Tur., *ubi supra*): « Erat enim haud procul a basilica (*sal. S. Remigii*) fundus telluris fecundus (tales enim Olcas vocant) et hic totus basilicæ sancti fuerat; quem unus e civibus pervadit, despiciens hominem qui eum loco sancto contulerat. Qui cum ab episcopo ac loci abbate crebro conventus fuisset, ut quæ injuste pervaserat redderet, parvipendens verba quæ audiebat, pertinaci duritia defensabat intentione. Denique causa exstitit, et non devotio, ut urbem adiens, properaret ad sancti basilicam. Arguitur iterum ab abbate pro campi pervasione. Sed nihil dignum ratione respondet. Expletisque negotiis ascenso equo domum redire disponit. Sed obstat illico ejus sacerdotis injuria. Nam concitatus mox, vexatus a sanguine, decidit in terram; obligatur lingua quæ locuta fuerat campum tolli; clauduntur oculi, qui concupierant; manus contrahuntur, quæ apprehenderant. Tunc balbutiens, et vix sermonem explicare valens, ait: Deferte me ad basilicam sancti; et quantumcunque super me (*l.* apud me) auri est ad sepulcrum ejus projicite: peccavi enim auferendo res ejus. Aspiciens autem dator campi hunc cum muneribus deferri, ait: Ne accipias, quæso, sancte Dei, munera ejus quæ nunquam cupide accipere consuevisti. Ne sis, deprecor, adjutor ejus, qui inflammante concupiscentia rerum tuarum nequam possessor exstitit. Nec distulit sanctus audire vocem pauperis sui: nam homo ille licet dedisset munera, ostendit sanctus Domini se illa non accepisse, dum rediens pervasor domum amisit spiritum, et recepit ecclesia res suas. »

Temporibus Chilperici Francorum regis exstitisse fertur Moderamnus, Redonensis (*Rennes*) ecclesiæ præsul, vir nobili prosapia oriundus: qui per licentiam prædicti regis limina sancti Petri adire disponens, divertit in monasterium beati Remigii situm in suburbio Remensis urbis. Ubi liberaliter a fratribus ejusdem loci susceptus, impetravit a Bernehardo sacrorum custode reliquias de stola, cilicio, atque sudario sancti Remigii. Quibus gratanter acceptis, iter incœptum lætus agens, dum permeat Italiam, in monte Bardonum quadam nocte metatum habens, memoratas in ilicis ramo suspendit reliquias. Cumque diluculo surgens, iter cœptum arriperet, immemor harum nutu, ceu creditur, divino hæc ibidem remansere pignora. Procedente vero aliquanto longius episcopo, ubi relictarum memor fit reliquiarum, suum statim ad has recipiendas dirigit clericum, nomine Vulfoldum. Quo ad has perveniente, nullo valet eas ingenio contingere, dum mirabili signo, ut eas attingere vellet, elevarentur in sublime. Hoc præfatus episcopus audito miraculo, regrediens, in eodem loco fixit tentorium; sed relicta pignora eadem nocte minime valuit recipere, donec facto mane, in monasterio quod vocatur Bercetum, in honore S. Abundii martyris inibi constructum, missam celebrans, prædictorum partem munerum devoveret ibidem se relicturum. Sicque rapta sibi recipiens, impleto venerabiliter voto, cœptum repetit iter. Cui obvius factus Luitbrandus (Liudbrandus) Italorum rex strenuus, qui hanc auditu jam compererat sacrorum virtutem, amore B. Remigii ductus, idem monasterium, Bercetum scilicet, cum omnibus adjacentiis, omnique abbatia, mansos octingentos (*f.*, octo) ut tradunt, continenti, prælato præsuli Moderamno delegavit, eique in præsentia fidelium suorum, legali de more, vestituram ex ea, et chartam fecit. Remeans autem ab urbe Roma memoratus præsul, accessit ad venerandum B. Remigii sepulcrum, atque sicut illi præmissus rex hanc terram tradidit, ita nihilominus ille S. Remigio eamdem contulit. Sicque prospere in suum reversus episcopatum, successorem sibi ordinari fecit, et vale faciens filiis suis, Bercetum monasterium repetiit, et usque ad obitus sui diem in loco illo moderate et honeste, ut servus Dei, conversatus

vixit. Qui quoque nonnullis deinceps locis miraculis illustratus claruit.

Procedenti denique tempore Pippinus rex, Karoli Magni pater, episcopii Laudunensis villam, quæ dicitur Anisiacus, accipere nisus quasi sub censu, velut alias quasdam fecerat, venit in eam, ubi cum dormiret, apparuit ei S. Remigius, dicens : *Tu quid hic jaces ? Quare in hanc villam intrasti, quam mihi homo te devotior dedit, et quam ego ecclesiæ dominæ meæ Dei Genitricis donavi ?* et flagellavit eum satis acriter, ita ut livores in ejus postea corpore parerent. At ubi disparuit B. Remigius, surrexit Pippinus, et corruptus valida febre, quantocius ab ipsa villa recessit. De qua febre non parvo tempore laboravit. Deinceps vero regni princeps inibi usque ad moderna tempora non mansit, ut nec in Codiciaco vel Juliaco, nisi Ludovicus rex Germaniæ, qui quando fratris sui Karoli regnum pervasit, in Juliano mansit, et inde turpiter in crastinum fugiens ante ipsum fratrem suum, vix evasit.

Partem quoque magnam silvæ in saltu Vosago beatus hic Pater, dato comparuit pretio ; villulas etiam quasdam inibi constituisse fertur, quæ Cosla et Gleni vocantur ; incolasque de vicina episcopii villa, nomine Berna, dudum sibi a Francis data, in eas transferens, ibidem manere disposuit, et ut picem religiosis annuatim locis ecclesiæ Remensis administrarent, instituit. Quibus et pensam tribuit, quæ hodie ab ipsorum successoribus accipitur, cum qua suum quoque persolvunt debitum. Hujus etiam suæ coemptionis fines ita per gyrum determinavit, et ut omnibus videntibus pateat ipsa determinatio, et hactenus ipsi fines ab eo denotati nomine tenus vocitentur et assignentur. In quibus determinationibus ligni cujusdam concavo. manu sua petram conjecisse traditur : quam quicunque voluerint contrectare, manum in ipsam cavernam valent inferre, lapidem devolvere, sed ab eadem concavitate nullo modo queunt educere. Post aliqua vero tempora quidam beati viri laudibus invidens, ipsam manu petram de ligno nisus est evellere ; quod explere non valens, ipsum securi foramen tentavit ampliare. Sed elevato ferro ut arborem percuteret, arefacta mox jam dextera, quam procaciter extulit, ipsum [*ms. i*, ipse] quoque lumen oculorum amisit, et qui famam sancti Patris hujus exstinguere voluit, venerationem laudis adauxit invitus.

Istius partem silvæ hujus almi patroni nostri studiis emptæ, duo quidam fratres custodes regii saltus invadentes, asserebant quod potius ad fiscum quam ad jus S. Remigii pertineret. Accidit autem dum quondam cum incolis ecclesiæ Remensis ditioni subditis, ob id altercarentur, ut unus eorum veniens ad porcos suos, quos in eamdem silvam pastum miserat, lupum inter eos inveniret : quem ascenso equo celeriter insecutus, eumque percutere molitus, equo pavefacto caput ad quamdam collisit arborem, cerebroque ipsius in terram defluente, mortuus est. Frater vero ejus in alteram pergens partem, pervenit ad quamdam petram dicens : *Omnibus notum sit, quia usque ad hanc petram est silva imperatoris* : eoque se lapidem cum dolabro bipenna, quam manu gestabat, percutiente, ambæ particulæ in ejus oculos ab ipso prosiliunt, et cæcus efficitur : sicque præsumptionis utrumque mercedem recepit, et mendacii sui.

Quidam vir nobilis ex territorio Nivernensi, B. Remigii reliquiis obtentis, oratorium in sua proprietate sub ipsius ædificavit honore. Ubi Dominus nonnulla, propter hujus dilecti sui merita propalanda, dignatus est ostendere signa. Cum denique Ludovico imperatore defuncto, Aquitanii absque principis jugo facti, gentilitateque nobilitate permoti, prout quisque poterat, efferre sese, mutuoque impugnare, ac per contiguos pagos debacchari cœpissent, pauperes quique res suas in ecclesiis reponere studuerunt. Unde confisi, virtutum quæ inibi fiebant, opinione, sua multi servanda in eodem certatim recondunt oratorio. Audientes autem prædones hoc opibus oratorium pluribus refertum plurimorum, eas vi diripere nituntur. Quorum quodam obserati seram conante frangere ostii, mox ut januam calce percussit, eidem cohærente pede ipsius ostio, resupinus in terram præsumptor cecidit. Quod alii cernentes, aufugiunt. Ipse vero miser, cogente cruciatu, cum maximo suos ejulatu cœpit exprimere dolores, et amarissimis præmittere cum lacrymis, quia si Deus per merita S. Remigii pedem ipsius ab hac compede solveret, ulterius nunquam, vel de illa, vel de qualibet aliquid ecclesia tolleret, aut tolli, quantum ex ipso esset, ullo modo consentiret. Caballum quoque suum cum sella, et alia quæ potuit ad eamdem donavit ecclesiam. Sicque post confessionem, lacrymas et votum, pes ejus ab ostio, cui adhæserat, est solutus. Verumtamen eo postmodum pede claudus permansit, dum crure femoreque computrescente, morte decessit.

Quando tres fratres Lotharius, Ludovicus, et Karolus regnum sibi Francorum post patris obitum divisere, villa episcopii Remensis, quod tenebat Fulco presbyter, Karolus suis distribuit militibus Ex quibus villam Juliacum cuidam Ricuino dedit. Cujus uxor nomine Berta [*c. i*, Beuta], dum in ipsius villæ cubiculo jaceret, venit ad eam S. Remigius in somnis dicens *: Non est iste locus tuus ad jacendum. Alterius meriti et officii debet esse, qui hanc villam habere, et in hoc cubiculo debet jacere. Surge quantocius, et hinc abscede.* Quod illa parvipendit, putans inane se visum videre. Iterum quoque apparuit ei sanctus Domini, dicens : *Cur hinc non abscessisti, sicut tibi præcepi ? Vide ne hic amplius inveniam.* Quod ipsa ceu prius, etiam nunc pro nihilo duxit. Tertio venit ad eamdem beatissimus præsul, et dixit : *Nonne jam semel et secundo tibi jussi, ut*

hinc discedere? Sed quia propere vitat impositum, dierum depositione discede. Et percussit illam virga quam tenebat in manu: quæ mox in maximum toto corpore conversa tumorem, viro suo, quod viderat, aliisque nonnullis dixit, et per aliquot dies severissime cruciata, vitam finivit. Cujus corpus vir ejus in ecclesia S. Remigii deportari, et ibidem sepeliri fecit. Quod autem famulus ipsius in ecclesia sua Pater hic almus receperit, non [illegible], si quis digne perpenderit qua sancti vindictas in delinquentes exercere soleant intentione: videlicet ut, si pœnituerint, hic recipiant quod merentur, ne post æternis suppliciis addicantur, ut in Regum libro de propheta legitur, qui cum Domini inobediens exstitit, et a leone percussus interiit, atque post ultionem perceptam corpus ipsius intactum a fera remansit (*I Reg.* XIII). Quod vero præmissam mulierem ter admonere curaverit, nec eam primo vel secundo visitans, percutere voluit (quam tamen ultimo plectendam utpote Deo compunctus non ignoravit), quid aliud quam patientiæ nobis exempla proposuit? ne scilicet ad proferendam in quemquam sententiam faciles simus, qui Deo per diversa dispensante, cum et eum patienter exspectare probemus, quem Deo cohærere, atque cum ipso judicare confidimus.

Moderno tempore colonus quidam villæ Remensis episcopii, quæ plumbea Fontana dicitur, manens juxta regii villam fisci, quam Rosetum vocant, neque messem, neque pratum, cæterumve peculium, propter fiscalinorum infestationem, habere quiete valebat: unde sæpe justitiam apud ministeriales regios sibi fieri petiit, nec obtinere potuit. Invenit autem tandem sibi salubre consilium. Nam coxit panes et carnes, et accepta cervisia, prout visum fuit, in vasculis, hæc omnia vehiculo, quæ vulgo benna dicitur, imposuit, et junctis bobus ad basilicam sancti Remigii, candelam manu ferens, properavit. Quo perveniens, cibariis quæ detulit matricularios pavit, ad sepulcrum sancti candelam posuit, et ejus auxilium contra suos oppressores expetiit. Pulverem quoque de pavimento ecclesiæ colligens, panno colligavit, et in prædicta benna ponens, linteum desuper, ut super corpus mortui solet fieri, composuit, et ad propria rediens cœpit. Qui vero de obviantibus eum interrogabant quid in illo carro duceret, respondebat se S. Remigium ducere. Mirabantur autem omnes in dictis et factis illius, amentem hunc esse fatentes. In pratum vero suum perveniens, pastores nihil de Roseto diversi generis animalia pascentes invenit. Ast ubi S. Remigium ferre sibi suffragia postulans, invocavit, cœpere boves, tauri, capræque invicem se cornibus impetere, porci cum porcis confligere, verveces cum vervecibus se collidere, pastores se fustibus et pugnis mutuo percutere. Maximeque surgente turbine pastores ejulantes, animalia quoque, juxta genus suum, magno sonitu perstrependo, illo cœperunt Rosetum versus fugere, ac si multitudo persequentium flagris videretur insistere. Quod cernentes fiscalini, terrore perculsi, mortis imminere sibi periculum verentes, timoremque concepti, cessaverunt ab afflictione præpositis S. Remigii. Sed quia secus amnem Sarram [illegible] loco lutoso manebat, et in suis habitaculis a serpentibus molestiam magnam sustinebat, accipiens pulverem, quem secum ab ecclesiæ pavimento collectum detulerat, per habitacula sua respersit, ac postea serpens in eisdem locis non apparuit. Compertum quoque traditur quod in omnibus ecclesiæ beati Remigii circumjacentibus atriis vel cœmeteriis, coluber nunquam soleat inveniri: sed et si delatus huc aliquomodo fuerit, nullatenus hic vivere possit.

Tempore domni Hincmari præsulis, quidam Blitgarius ecclesiæ mansum in villa Tenollo, apud ipsius ecclesiæ custodem impetravit pretio, unde famulos sancti Remigii ejecit cum flagellis, conclamantibus eis S. Remigium sibi ferre subsidium. Quibus idem Blitgarius cum irrisione dixit: *Modo parebit qualiter vos sanctus Remigius adjuvabit. Videte quomodo in adjutorium vestrum venit.* Moxque inter hæc verba, maximo clamore ingemiscens, mirabili turgore distentus intumuit, et exspirans crepuit medius. Qua vindicta commonemur ultionem divinam pertimescere, crudeliter ecclesiasticam non tractare familiam, et in Deum ac sanctos ejus summopere cavere blasphemiam.

Nostris olim diebus quidam Warnerius pagi Vormacensis comes res sancti Remigii præmissas, in Vosago sitas, invadens, hominibus suis distribuerat. Veniens autem B. Remigius ad Herigarium Moguntiæ præsulem, in somnis ei visus est, præcipiens ut iret ad Conradum regem, commonens eum jubere sibi subjectis quatenus dimitterent terram suæ ditionis. Qui consurgens a somno, licet miratus de visione, regi tamen omisit indicare. Rursus post aliquot dies apparens ei S. Remigius redarguit eum, quare mandata non adimplesset illius, admonens iterum ne differat quin regi jussa denuntiet. Item, ceu prius, ille visum reputans inane, neglexit perficere jussionem. Tertio hunc jam cum flagello sanctus adiens, ipsius increpavit contumaciam, quemque per brachium comprehendens, lecto visus est extraxisse. Sicque flagello, quod tenebat, eum verberans, acriter cæsum dimisit et humiliatum. Non amplius enim jam temnere jussa præsumens, regem mox adit, secretum petit, vestem deponit, lividum corpus ostendit, et dicta vel acta fideliter ex ordine pandit. Accidit autem, ut eadem die legatus domni præsulis nostri Herivei, nomine Tendoinus, ab eodem seniore suo pro ipsis rebus repetendis ad regem cum muneribus deveniret, atque horam, qua regi præsentari possit, extra stans exspectaret. Cumque rem gestam rex admiratus, requiri præcepisset si quis illic inter suos forte nostris e partibus inveniretur, ille pro hac eadem re foris sustinens reperitur adesse, regi nuntiatur, eo jubente coram deducitur, et ei res quæ propositæ fuerant aperitur. Hic gratias agens, pro rebus ipsis se missum retegit, eas,

rege reddente, recepit, et eodem favente prælato pontifici Heriveo tuitandas ad fidelitatem S. Remigii committit. Posteaque domnus præsul Heriveus, dum advixit, ex iisdem rebus annuatim debitum sine contradictione censum recepit.

Easdem res domnus Artaldus episcopus duci Conrado commiserat; quas ille Ragenbaldo cuidam suorum delegaverat. Qui Ragenbaldus earumdem rerum colonos valde affligebat. Ipsi vero pro afflictione sua sæpe ad sanctum Remigium clamabant, Remis venientes, et ipsius patroni sui patrocinia requirentes. Pro qua re nuper anno præterito, cum rege Ottone et præfato duce locuti sumus, quando Aquis ad eumdem regem missi fuimus. Sed ut idem Ragenbaldus ab ipsarum rerum direptione desisteret impetrare nequivimus. Unde contigit horno [hoc an.], ut dum quodam Sabbato eosdem colonos ad opus quoddam peragendum congregatos haberet, præciperetque presbytero ne signa vespertinalia usque prope noctem pulsaret, operique implendo insisteret, percuteretur percussore inviso. Qui dum requireret quis eum percussisset, omnesque se vidisse negarent, furiis exagitatus, sensum amisit, graviterque vexatus, spiritum exhalavit. Quo comperto dux Conradus nimium territus ad sanctum Remigium venit, eique res ipsas reddidit, quas præmissus præsul Artaldus Hincmaro abbati, ac cæteris monachis ad supplementum victus attribuit.

In Vulfiniaco Rivo, pago Laudunensi, habetur oratorium in honore S. Remigii dedicatum. In quo dum Rodulfus rex Heribertum comitem persequeretur, qui episcopatum Remensem a rege sibi commendatum tenebat, homines ipsius villæ res suas propter hostiles incursus recondere studuerunt. At dum rex præfatus ad obsidendam Remensem venisset urbem, et in Culmissiaco metatus esset, exercitus ejus vicinas occupavit villas. Quidam vero illorum, qui in prænotata villa, scilicet Vulfiniaco Rivo metatum habebant, vinum quod in ecclesia timoris causa reconditum fuerat invadit; et quasi tabernam constituens in eadem ecclesia, paribus suis illud vendere cœpit. Hæc dum ageret, percussus morbo, repente sensum amisit, ore sibi ad aurem usque pene retorto, diuque cruciatus tormento vitam finivit. Quod cernentes cæteri, eidem loco sacro debitam deinceps exhibentes reverentiam, ab hujusmodi sese cohibuere præsumptione.

CAPUT XXI.

De altera vel iterata translatione, seu relatione corporis ejus ad urbem.

Hujus beatissimi Patris nostri venerabile pignus, domnus Hincmarus archiepiscopus, adhuc ampliata ipsius ecclesia, cryptaque opera majore atque pulchriore præparata, præsentibus et annitentibus episcopis diœceseos hujus Remensis, transtulit [*an.* 852, Kalend. Octob.]: integrumque illud cum brandeo, quo prius repertum fuerat involutum, in argenteo locello transposuit. Sudarium vero quod super caput ipsius erat, cum parte prædicti brandei, scriniolo reconditum eburneo, Remis abinde reservatur, in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ. Denique cum corpus ipsius sacratissimum de lapideo sarcophago in præmisso transponitur loculo, Rado quidam Suessonicæ tunc Ecclesiæ subdiaconus, qui cum episcopo suo Rothado illuc advenerat, adeo dolore dentium per integrum vexatus annum, ut, doloris nimietate perditurus metueretur sensum, maxillam peste gravatam loco ubi sanctum pignus jacuerat, apposuit: et mox ab hac liber redditus ægritudine, dolorem deinceps hujuscemodi meruit non sentire. Hac eadem die duo quidam homines morbo contracti apud pagum Ribuarium *Bruieres* in Lannois, in oratorio quodam memoriæ hujus beati nostri patroni dedicato sanitatem nuntiatur recepisse. In ipsius autem qua corpore quiescit basilica continua fieri non omittuntur insignia, dum advenientes ægroti sanantur, perjuri dæmone pervaduntur, energumeni liberantur, illuminantur cæci, eriguntur claudi, ut in cœlis gloriose cum Christo vivere demonstretur qui tot miraculorum signis, ubi corpus examine servatur, in terra vivere comprobatur. In loculo vero ubi tunc depositum corpus ejus est, hi versus a domno Hincmaro editi, leguntur insculpti.

Hic famulus Hincmar Domini sacra membra locavit,
  Dulcis Remigii, ductus amore pio.
Qui prius est sanctus, mundo quam matre creatus,
  Et magnus dictus cœlitus ore Dei.
Bis denos, binosque gerens feliciter annos,
  Sorte Dei sumpsit pontificale decus.
Sexaginta simul his septem manserat annis
  Istius urbis honor, præsul, et urbis amor.
Vitam defunctis, reddens quoque lumina cæcis;
  Egerat et vivens plurima mira satis.
Nam domuit fera corda animo pius, ore profusus.
  Sicambræ gentis, regia sceptra sacrans.
Nonaginta quidem sex cum compleverat annos,
  Splendida lux nostras deseruit tenebras.
Idus jam plenas cum Janus mensis haberet,
  Emeritus miles præmia digna capit.
Isdem Hincmarus primus hac sede sacerdos
  Post triginta, loco constitit et numero:
Qui sextus decimus sub hac radiante lucerna
  Remigio, Remis munia chara dedit.
Annis septenis, quinis ac mensibus egit
  Pastoris curam, hæc recolenda parans.
Octingenteno quinquagenoque secundo
  Quo Deus est anno virgine natus homo:
Tertius et Karolus regni componeret actus,
  Octimber primam cum daret atque diem,
Ac ter centenus octavus tangeret annus
  Hic justus Domini quo petit astra poli.
Ter centum fuerant, tres et dem quater anni,
  Quo vitæ Francos gurgite lavit ovans.
Ipsius is precibus cœlesti in sede locetur,
  Quem terris coluit verus amator. Amen.

Accidit autem postea, peccatorum meritis exigentibus, ut Dominicæ incarnationis anno 882 sub rege Karlomanno, prædicto domno Hincmaro archiepiscopo satagente, transferretur venerabile pignus corporis hujus sacratissimi patris et domni nostri Remigii (propter infestationem paganorum) ad villam ipsius jam supra taxatam, nomine Sparnacum, quia civitas Remorum tunc temporis non habebat in ambitu sui murum. Cujus obtentu totius tunc pagi ad quem delatum munus hoc habetur amantissimum, provisa probatur salus a persuasione barbarorum, vel incursu prædonum. Post Hincmari denique pon-

tulerunt obitum (*obiit die... an. 882, ut est in fine lib. III*), desiderabilis hic sacrorum thesaurus membrorum, ad Orbacense perducitur monasterium. Hic quoque beatissimi hujus patroni dosili suffragiis omnis commoditas aeris circumquaque degentibus attribuitur incolis, cum insolita fertilitate telluris.

Post decessum vero sæpedicti præsulis Hincmari cum pontificatus subiisset honorem Fulco, sui primo præsulatus anno referre decrevit alma beatissimi hujus nostri Patris ossa (*an. 883*). Quod ubi aggreditur, perveniente jam eo, cum coepiscopis et cleris pluribus ad locum ubi pignus servabatur pretiosum, cum esset magna cœli serenitas, sed fervens admodum siccitas, subito se tantus effudit imber, ut totius hujus superficiem terræ videretur ubertim irrigasse. In crastinum vero dum sacra referre promovent xenia, cuncta clara, cuncta jucunda, cuncta mundanæ species redduntur amœna; prosperoque progressu confluentibus undique populis, ad vicum deveniunt Calmiciacum, in quo mundialis Pater hic exsistens adhuc carne sæpius virtutum dignoscitur exhibuisse magnalia. Hic membra veneranda in ecclesia deponentes ejus nomini dedicata, noctis quiete fessa levant corpora. Post requiei subsidium, jam terras solis illustrante jubare, voces undique Deum benedicentium concrepant atque laudantium, quod eis pastorem, patronum ac protectorem redderet corporaliter proprium, quem semper apud divinam clementiam intercessorem, et assiduum se habere confidunt advocatum. Prælatus interea præsul, cœlestium sacramentis mysteriorum rite celebratis, eminentis juga cum laudibus scandit montis, comitantibus undique secus populorum stipatis catervis. Hic ubi pro populi delictis, et iræ mitigatione cœlestis ad Dominum fudisset orationem, paululumque processissent, adtunc clarificare Christus, mirificare atque glorificare disponens hunc beatissimum Patrem nostrum in terris, quem magnificare cum angelis elegerat in cœlis, quanti sit apud se meriti concurrenti propalare decernit multitudini.

CAPUT XXII.

De remediis salutis pluribus impensis.

Accedit itaque mulier cæca, nomine Doda, manu sibi gressus regentis innixa, quæ mox, ut cominus appropierat, visum sibi restitui coram omnibus impetrat. Quod præsul audiens, hymnum laudis Dei cum populo, magno repletus concinebat gaudio. Necdum finierant odas exsultatione cœlum replentes, et ecce frustratus quidam multis gressu diebus cum integra procedit incolumitate lætabundus.

Transiere cum laudibus inde paulisper: et mulier quædam manuum potita sanitate succedit. Duplicant ergo, triplicantque comitantia gratiarum actiones agmina. Tremefacti proximi quoque mirabilium magnitudine, tantisper a tantæ deliberant secedere sanctitatis sublimitate. Nec vox reciproca laudantium deficerat ab ore, dum quidam puer, Grimoldus nomine, diu lumine privatus, os quoque miserabiliter a rectitudine sua distortus, invisaque deformitate turpatus a parentibus obviam delatus, pristinam, quam diutius amiserat, est visum consecutus, et in propriam sanctissimi Patris hujus opitulatione mirabiliter est effigiem restitutus. Interjecto velut unius horæ spatio, puer alius a contractione corporis ejusdem patroni suffragiis feliciter est erectus. Cohors igitur devota, melodias Davidica nequaquam sufficiens reboare carmina, maximo cordis affectu permota, inter laudum voces, eliciente gaudio lacrymis ora rigare profusis, et suspiria, singultusque formare pro canticis. Concurrentium quoque nimia stipatio plebium, sacri muneris gerulum deosculari cupientium loculum, importunitate valida vehentium cœpit figere gressum. Mirorum siquidem quæ gerebantur percrebrescebat opinio; certatimque tam sani quam diversis calamitatibus attriti properare studebant, cupientes intueri magnalia quæ Dominus omnipotens, in sancti sui clarificatione, multiplicare proposuerat. Pro magno namque sibi damno quisque reputabat, imo delictum deputabat, non modo, si non procederet, verum si postremus accederet. Approperantes autem cives obviam, dum grata deferri cernunt munera, se prosternentes, soli deosculantur terga: suspicientesque, ubi contemplantur locum, pretiosæ divini diadematis gemmæ bajulum, multas inter eximia gaudia lacrymas fundunt, obsecrantes ne amplius ejusdem Patris affici censeantur absentia, quin perpetua mereantur gratulari præsentia. Pater interea beatissimus filiorum devotioni præclaris favens nutibus, addit adhuc divinis plebem suam multipliciter exhilarare mirabilibus. Etenim dum clerus cum sacerdotibus, psalmis, hymnis, et canticis intonant spiritalibus, populus etiam jubilationis immensæ reboat vocibus, ut mirabilem Deum in sanctis suis jucundioribus adhuc præconarentur animis, pristinam multitudo languentium sospitatem manifeste conspicitur recuperare, levatis pluribus varia peste corporibus: adeoque per singula pene momenta, cœlestia pandebantur miracula, ut ad hæc locorum vel temporum vix enumeranda censeri valerent interstitia.

Tunc igitur Hosanna quædam mulier, cum admiratione gaudentium, coloris meruit prosperitate recipere visum. Et post pusillum claudus quidam felici munere consequitur gressum. Deodata quædam, patefactis aurium januis, adipiscitur auditum. Quidam, nomine Teuto, desiderabili potitur illuminationis dono. Item, quædam mulier eodem gavisa lætatur beneficio. Similiter Ausoldus (al. Ausold.) quoque lumine, quod diu flagrabat assequi desiderio, fido cum credidit animo, Patris hujus potissimo perfruitur suffragio. Quidam Gerbertus, paralysis est a dissolutione sanatus. Quidam quoque alius ejusdem muneris exsultat hic largitate perfunctus.

Cumque cantatum quoque, studio plus devotionis

obviam studerent occurrere, ac non modo benigni cordis intentionem, quin etiam rerum temporalium exhibitionem, prout cuique facultas suppetebat, afferrent mulier quædam paupercula, de civitate properans in occursum, manu cereum ferebat, qui accensus nunquam fuerat. Mirabile dictu, subito cœlitus nutu divino cereus in manu gerentis est illuminatus : illumque dum per totam defert illa viam, Dei confitendo miraculum, nequaquam superni luminis amittit ille beneficium, donec mirifici pignora patris in stationis propriæ perferrentur domum, hicque a pontifice solemnia celebrarentur missarum. Tunc femina cereum lumine flagrantem mirabili basilicæ tradit custodi : qui ob supernæ gratiæ quod contigerat gaudium, luminaria quæcunque per ecclesiam videbantur ardere mandat exstingui, lumineque divinitus hoc dato rursus accendi : hujus vero partem cerei cœlo dati miraculi decernit in testimonium reservari.

Rotgardus [*ms.*, Totgardis] quædam femina de pago Castricio, gradiendi carens officio, pristinæ gaudet cum incolumitatis dono : ut quæ plaustro devehente fuerat adducta, propriis postmodum pedibus remeare valeret ad sua. Præterea mulier quædam secum parvulam sex annorum fere defert filiam, nomine Vulfidem : quæ dum quadam die cum coævis luderet, ab aliqua transeunte forte muliere percussa fuerat in capite. Quo ictu læsa, ita ut ejus retro reflexum inhærere cervi videretur occipitium, nec in aliam caput reclinare partem valeret ; cibi vero nullam, nisi liquidam sumere posset sustentationem, quæ integrum sub tali ferme labore duxerat anni curriculum. Quam mater affectu diligens tenero, deque salutis ipsius sollicita recuperatione, studuit obviam deducere. Dumque cominus ob densitatem multitudinis non valet accedere, procurat aliquantulum vulgus antecedere. Mox in via per quam iter erat agendum, sese prosternens simul cum sobole, fulta valide fide, preces ad Dominum devota dirigit mente. Necdum ab oratione cessarat, et ecce ipsius cœpit vociferari filia. Quam genitrix, ut maternis consoletur blanditiis, surgens, intuita, caput ejus ab inflexione videt ad propriam rectitudinis lineam remeasse. Tunc nimia hilaritate repleta, sed et de prolis sanitate confisa, perlustrans vulneris locum, cernit sanguine madidum, nervosque diu contractos, ac si funes extendi, productos. Sic accepta misericordiæ quam quæsierat benedictione, domum læta cum gratiarum revertitur actione.

Hac igitur dignitate clarificationis, et rerum gestarum admiratione cohors stipata, votoque gratulationis arreptum toto fervoris iter annisu, cum canticis, hymnisque percurrere satagebat. Præcesserat equidem præsul, sed reversus cleri comitantibus choris pretiosissimum propriis thesaurum sumit humeris : et sic ad ipsius propriam beatissimi domum patris, cum magna perfert gloria jubilationis. Ast ubi pervenitur in ecclesiam, quæ competere visa sunt rite dispositis, inchoata jam victimæ spiritalis immolatione, mulier quædam de pago Trecassino membrorum omnium agitatione multata, veniens coram altari ruit in pavimento ; ibique miserabiliter diu vexata hujus piissimi consolatoris miseratione surgit incolumis effecta. Quæ super eventu tantæ commotæ calamitatis, noxam se propriæ confitetur perpetrasse matris. Missarum denique solemnibus ex more peractis, sua quique repetunt, reversuri mature in crastinum, ad hoc tutelæ suæ præsidium in civitatem perferendum. Mane jam facto dum ad condictum studiose contenditur, Ermindis quædam mulier, haud procul ab urbe degens, ad tantæ processionis spectaculum disponebat exire, quatenus optatæ sospitatis uti mereretur munere. Quæ quia jam per quinquennium languore pressa, partem corporis dextram præmortuam, penequee gestabat inutilem, nisu quo poterat accedere, et ad visendum sacri hujus muneris loculum, sese molitur promovere. Cumque tali conamine jam fere medium peragrasset itineris hujus spatium, non valens ultra procedere, gravi corruit confecta labore. Meditatur domum redire, sed nequit hoc ullatenus adimplere. Quæ postquam hac aliquandiu nutans jacuit hæsitatione, demum resumpto moliminis ausu, tentat an valeat adhuc aliquantulum propinquare. Moxque divina miserante clementia, vigor ægris additur nisibus ; viribusque cum salubritate receptis, libera festinans celeritate, nimiaque tripudians hilaritate, quo decreverat ægrota se trahere agili cœpit incessu gaudens approperare. Infirmitatis etiam suæ solamen manu ferens baculum, iter peragit destinatum, non ut ejus amplius egeret auxilio, sed ut in hujus datæ sibi sanitatis ostenderet testimonio. Perveniensque quo desideraverat, laudabunda devotas interventori suo rependit gratias : hicque perlatum dimittens bacillum, priscæ calamitatis suæ solatium, alacris jam, nec opis hujus indigna, repetit iter emensum, referens læta quæsitum divinæ consolationis suffragium.

Adveniens pontifex, cleri magnatumque stipatus agmine, victima salutis oblata, vestibus albis indutus, cum choris psallentium gratissimum deducit ad mœnia civitatis thesaurum. Illis autem feliciter eo progredientibus, et gratanter ad destinatum locum tendentibus, omnipotens Deus in hujus charissimi sui glorificatione fontem suæ benignitatis ac largitatis abunde est dignatus effundere, ut vix lingua quælibet effari valeat, quæ hoc tunc itinere per ipsa pene momentanea gesta probantur horarum interstitia. Nam tantam Dominus hic operatus est hac die miraculorum magnitudinem, ut viri quatuor, feminæ vero novem, visum ; viri quoque duo gressum recipere mererentur. Cum hujus itaque præclaræ gratulationis admiratione, in civitatem ad ecclesiam Dei Genitricis, prosperrima pervenitur exsultatione. Sicque lucerna hæc lucens et ardens æternaliter, in altaris sistitur crepidine. Dum præsul igitur ad sacrandum vivifici munus accedit mysterii, quis tam ferreum pectus, tam lapideum cor gessit, qui non

gemitus ederet, pectus tunderet, lacrymas funderet, dum tam stupenda divinorum dona charismatum conspiceret? Quis etenim queat enumerare mirorum copiam cœlitus hac ea die profusam? Nemo revera, qui prævaleat expedire sermone quot ægrotantes sanati, quot titubantes erecti, quot ipsa die diversis hic sunt cladibus absoluti.

Post expleta mysticorum discedentes sacra, maturabant quique repetere sua. Sed inter abscedendum minax oritur territatio, nubes teterrimæ terribilesque consurgere, truculenta polum caligine claudere, micare fulgura, concrepare tonitrua, grandoque solum verberare cœpit non minima. Quo terrore perculsi redire plurimi, clementiam deprecantes Altissimi, quatenus hujus intercessione patris beatissimi mererentur ab his imminentibus periculis erui. Mirum in modum perturbatio, quæ terrorem incusserat, immutatur, nubium rarescere [al. clarescere] condensitas, cessare fulgura, mitigari tonitrua, omnisque sedari cœpit ac dissipari tempestas, et ex grando conversa in exoptabilem pluviam grandine, telluris uberem superficies, quæ nimio solis exusta fervebat ardore, perfusa secundo salubriter refovere videbatur. Sicque manifeste dignosci datur indignationis ad horam concitata permotio, salutis immutata subsidio. Denique benignissimi patris hujus adventu totius diræ pestis nostris videtur finibus eliminata corruptio. Salubris aer, pluvia data congruens, timor etiam qui regnum pervaserat hostilis, in spem paulatim securitatis tranquillitate vertitur pacis.

Hac eadem præfata scilicet illationis sacri corporis in urbem die, tingui fervida jam solis Oceano rota petente, quidam, Nivolus nomine, de villa quæ vocatur Dominica, Remorum montis in latere sita, surdus et mutus, manibus quoque per annos novem debilis ac pedibus, qualicunque valuit per totam diem conatione, ab ipsius surgentis auroræ lumine, per quinque ferme passuum repens millia, vix ad ipsius ædis sepulcri limina, qua decima tandem pervenit hora. Qui dum veniens, sacrum corpus ibidem non adesse comperisset, templique fores seris diligenter obfirmatis clausas perspiceret, cubans in facie super terram, quadam præsumptionis importunitate, sanctitatis aures clandestino cœpit clamore pulsare, tam magno se conquerens labore fatigatum, nec sibi fore permissum videre saltem loculum sacri pignoris bajulum, qui tamen ejus sibi posse subvenire celsum nequaquam diffideret præsidium. Talia denique dum tacita secum volutat mente, salutis vigor ipsius per membra quoque sensim cœpit serpere, priscasque simul stupet omnium se vires sensuum recuperare. Cumque rumor hujusmodi operationis, quibusdam nuntiantibus, aures percelleret plurimorum, certatim quique procurrunt, admiranda Dei magnalia lætantes aspiciunt, ovantes hominem ad locum venerandi sepulcri perducunt, campanas pulsant, lætabundis Deo laudes vocibus concinunt. Hujus miraculi percussi fama quamplurimi, domum petunt ecclesiæ, videre cupientes magnalia Dei. Videntes, ut audierant, divinarum signa virtutum, manibus gratanter in cœlum porrectis, benedicunt Dominum. Quod divinæ benignitatis miraculum valde tunc profuisse dignoscitur ad eorum solatium, qui se corporaliter deseri tanto querebantur patrono. Quibus tamen spiritaliter se non deesse tali patratæ pietatis declaravit indicio.

In ecclesia quoque beatæ Dei Genitricis, ubi venerabile patris hujus servabatur pignus, nonnulli diversis ægroti sunt interim curati languoribus. Nam quidam nomine Natalis de Burdonaco, mulier etiam quædam dicta Teutberga, item mulier altera nomine Gonthildis, hujus patrocinio patris visum recipere meruerunt. Alia quædam quoque mulier unius oculi visum in eadem domo recuperavit amissum. Quædam præterea puella, cognomine Flotgildis, ex villa quæ vocatur Cancella secus Libram rivulum sita, quatuor circiter ætatis annos gerens, lubricando prolapsa, utrumque sibi genu debilitaverat : ita clauda facta, ut omnino nec gressum figere, nec pedibus valeret insistere. Quam parentes ejus, quamvis pauperes, de sospitate tamen ipsius solliciti, per diversas deferre sanctorum curaverunt ecclesias. Ast ubi jam per duodenum fere annorum spatium tali vexaretur languoris acerbitate, nec remedium posset doloris invenire : comperiens de relatione sacri corporis, operumque miraculis, quo valuit nisu, repere cœpit, nec se carpento permittit imponi, sed tractu, prout valet, illud agere gestit iter. Ad templum vero perveniens, quo pretiosum salutis audierat munus inesse, fusis Domini clementiam votis pro sui flagitat liberatione. Sed et propriis fertur pavimenta lacrymis humectasse. Quæ postquam per tres ita dies egisset, dum denuo precibus incumberet, divina sibi gratia superveniente, vim medicinæ vix valens ferre magnis cœpit vocibus strepere, et ejulatus acerbos edere. Sicque nodis nervorum resolutis, omnique poplitum contractione relaxata, unius horæ ferme spatio, viribus exhausta, jacuit quasi mortua. Sed qui contulit absolutionis opem, roboris addidit quoque vigorem. Moxque ceu de gravi evigilans somno, ubi supernum sibi sentit obvenisse beneficium, pignoris almi petit loculum, cujus gratia sibi contigisse non hæsitabat remedium. Dehinc gratias hic agens, ibidemque degere gratifica decernens, et precibus crebris insistens, debitas medicatori suo celebrat excubias, ac salutaris quotidie libaminis offert oblationes.

Fuit autem Remis in præfata Dei Genitricis ecclesia corpus illud sacratissimum beatissimi patroni nostri Remigii dum præmemoratus antistes domnus Fulco præsulatus fungitur officio, scilicet usque ad episcopatum venerabilis Herivei archiepiscopi, qui cessante Normannorum persecutione (an. 901), per solam Dei clementiam pace recuperata, munus idem superiorem propriæ sepulturæ ipsius referre decrevit intra mœnia. Quod dum convocatis quibusdam regni proceribus agere maturaret, accumulare Dominus

ejus non distulit clarificationem, suorum repetentis ossium sedem. Contigit enim, dum magna populi confluentis stiparetur caterva, postquam sunt urbem egressi, quidam claudus et ariditate nervorum poplitumque contractus, Abraham nomine, qui scabellulis hærens, per terram se tantummodo trahebat, ut poterat, ubi secus urbem veniens, iter ad sanctam basilicam inchoasset intendere, divina tactus potentia, compagum duritia resoluta, cœpit ad salutis extendi remedia. Quem sospitate recepta pluribus vidimus annis incolumem, erectum gradientem, collataque sibi prosperitate gaudentem. In eo vero loco ubi hoc salutis accidit donum, posita deinceps exstat columna cruce præfixa, glorificationis hujus continens monumenta. Sed et tunc prius creberrime, quam postea, clarissimis sæpe multiplicibusque miraculis ejus sepulcri decoratur ecclesia, quæ nequaquam litteris habentur comprehensa : sunt namque multimoda.

CAPUT XXIII.

De discipulis ejusdem beati Remigii.

Fuerunt hujus denique beatissimi patris nostri temporibus, in hac urbe viri clarissimi, Deoque virtutibus accepti, tam ex clero quam ex ordine laicali, utpote qui tali, tam venerando, tamque sanctissimo famulabantur patri. Quorum videtur eximius, Agricola nepos ipsius, presbyter venerandus, et eidem obsequiis, ut ipse testatur, a pueritia placitus, quam domesticos ejus exegit intra parietes : quem etiam cum Ecclesia Remensi, beatoque Lupo episcopo fratris sui filio, in omni substantia sua, præter id quod specialiter unicuique donaverat, darive jusserat, hæredem constituit Ei quoque mancipia nonnulla cum vineis peculiariter deputans tradidit, hoc illi fidenter injungens ut diebus festis et omnibus Dominicis, sacris altaribus ejus offerretur oblatio, annuaque convivia Remensibus presbyteris et diaconibus præberentur. Erat et alius nepos ejus, Etius nomine, cui partem de Cesurnico, quæ sibi sorte divisionis obvenerat, cum omni jure quod ibi tenuerat atque possederat. Ambrosium quoque puerum, cum familiis quibusdam designans, ad jus illius dominiumque transmittit. Aderat et Agathimerus, æque nepos ipsius, cui familias quasdam delegans, vineam quoque quam pater idem beatissimus Vindonissæ posuerat, et suo labore constituerat, sub ea conditione donavit, ut omnibus diebus festis ac Dominicis pro commemoratione sua sacris altaribus offerretur oblatio, et Laudunensibus presbyteris atque diaconibus annua convivia pararentur. Archidiaconi sui Ursi se familiaribus asserens obsequiis usum, donat ei casulam quamdam subtilem, et aliam pleniorem, duo saga delicata, tapete quoque quod habebat in lecto, et tunicam quam tempore transitus sui relinqueret meliorem. Erant et alii probati viri tunc Remis ex clero tam presbyteri quam diaconi, quos munere suo dignos ostendit, quibusque dona largitus, et vineam delegat communiter possidendam cum vinitore, addens eis alia quædam quoque mancipia. Aderat Hilaria diacona, quam benedicens idem pater sanctissimus, filiam vocat : cui ancillam quamdam deputat, et vitium pedaturam, quæ suæ jungebatur vineæ, donat, partemque suam de Talpusciaco pro obsequiis quæ sibi indesinenter ab ea impensa testatur, et transcribit. Erat et Remigia, cui dat cochlearia tria, quæ ipsius beatissimi patris fuerant nomine titulata, delegans illi alia quædam quoque monumenta. Sed et laici clarissimi nonnulli renitebant viri, quorum Pappolus, Eulodius, Eusebius, Rusticolus, Eutropius, et Dauveus privatis beati viri rebus interfuerunt, et ipsius testamento subscribentes nomina propria subdiderunt

Enituit etiam vir præclarus Attolus, qui, sicut in ejus epitaphio legitur, amore studioque sancti Remigii, xenodochia duodecim rebus e propriis struxit: sepultusque cum filio et filia post altare in ecclesia beati Juliani martyris, hunc sepulturæ declaratur habere titulum templi pinnaculo innotatum :

Hic igitur nullum lateat, quod terra retentat,
Ne quis si cupiat discere, cassus eat.
Subdius enim tria consistunt monumenta petrina,
In quibus almorum corpora condita sunt.
Hic pater est Attolus, nato, nataque sepultus,
Exspectantque diem nunc Domini properam.
Illius certe natus memoratur Elaius.
Nata deinde sua dicitur Eufrasia.
Qui placuere Deo, dictis factisque supremo.
Nunc pariter, quorum membra tenent loculum.
Is struxit bis sena suis xenodochia rebus.
Jure fovens plebes, divitiis inopes
Sic proprium censum cœlum transvexit ad altum,
In quo suscepit quod miserando [*ms.* miserendo] dedit.
Hoc totum sub amore sacri studioque Remigii.
Ob quod prærutilum detinet ipse polum.

Hanc esse quoque reor ecclesiam, de qua Gregorius Turonensis refert (lib. II *Mirac.* qui est *de passione et mirac. S. Juliani*, c. 32), quod quidam Belgicæ secundæ provinciæ in suburbio Remensis urbis in honore B. martyris hujus basilicam studiose construxit Cujus reliquias post perfectam fabricam, fideliter expetens ac devote, percepit : acceptisque viatim psallendo regrediens, dum Remensem cum his campaniam ingreditur, a pervasione dæmonis homo quidam, sancti sibi martyris hujus pignoribus applicitis, liberatur.

CAPUT XXIV.

De sancto Theoderico.

Exstitit his etiam beatissimi Remigii temporibus beatus vir Theodericus, almi magistri pius discipulus, quem non ex alto voluit adeo sanguine generari, qui sublimiter hunc in generatione justorum decreverat nobilitare. Ortus autem pago Remensi, villa, ut traditur, Alamannorum Corte, patre latrone, veluti rosa spinarum procreatur horrore. Ad declarandam vero castitatis ejus munditiam, quo infantilium ejusdem panniculi [*ms.*, pannuli] feruntur abluti, non sordium jactu, non alicujus immunditiæ puteus inquinamento, licet os ejus ex tunc de more pateat, astruitur infici. Beatus itaque Theodericus ad annos usque pubertatis laudabiliter educatus, juxta morem propagationis humanæ, studio parentum coactus, sponsam cœpit habere nomine tenus uxorem, ceu non habiturus. Amore siquidem cœlestium latenter in-

flammatus, fieri studebat Dei cultor occultus. Hujus igitur angelici cultus habuit in proximo, quo sanaretur medicum, quo juvaretur patronum, quo doceretur magistrum, beatissimum videlicet patrem religionis suæ Remigium. Cujus piissimi præceptoris irradiatus exemplis, ardens desiderio virtutum, certatim crescebat in virum perfectum. Copulæ nuptialis amor amarescit, et castitatis dilectio indulcescit, desiderium desiderio restringitur, et ardor carnis ardore spiritus superatur. Abrenuntiat amator pudicitiæ mundo, fœdus init cum Deo. Bellum continentiæ indicitur hosti, singulari locus quæritur certamini. Alloquitur beatus Theodericus sponsam, et ad sponsi cœlestis hortatur amorem perpetuamque pro virginitate pollicetur honorem. Sed sponsa tabescens ardore carnalis desiderii, sprevit salutaria monita sponsi, et amaro animo respondet, dum se despectam videt. Cumque Dei servus cerneret quod ejus in animo sponsæ exhortatio locum non haberet, dissentientem deserit, et urbem Remensem propere petens, abbatissam quamdam cœlibis vitæ cultricem, nomine Susannam, requirit. Sobrius adit sobriam, pudicus pudicam, virgo virginem: quæ sub tutela beati Remigii puellari præerat congregationi, femina virilis animi, virago profundi consilii, consiliatrix altioris ingenii. Ad cujus piissimæ matris, sinus mitissimos sanctus se contulit Theodericus: solo sternitur ante pedes spiritalis matris, eique prodit arcana soli Deo cognita sui cordis; erumpentibus lacrymis gemitu conturbatur, singultu concutitur, atque salubre consilium sibi cum subsidio precum subnixe ferri precatur. Ad hunc compunctionis mœrorem devotissimi juvenis commota sunt viscera benignissimæ matris, flenti compatitur, lugentem consolatur, mœrentem lætificat, et ut eum voti compotem faciat, Dominum pietatis exorat. Communis itaque pater utriusque piissimus, ab utroque simul hac de causa sanctus consulitur Remigius; cujus institutione sublimiter jam beatus profecerat Theodericus. Pro sponsa denique mittitur, æternæ præmium retributionis in virginitate perseverantibus a patre servari demonstratur: et quia virginitas angelicæ gratiæ mancipata sit amica, propalatur. Acquiescit sponsa demum prudentissimi patris, suo compellitur affamine, vitæ cœlestis dulcedine mellita, seseque pollicetur, si Christo mereatur, adhærere, incorrupta salva pudicitia permanere. Lætus tandem castitatis decore sponsus amplexatur sponsam, quam videt a voluptate seductoris et voluptate carnis ereptam, conditorique jam sub integritatis honore mancipatam.

Dirigitur ad providendum sibi locum habitationis cum virgine virgo, Susanna cum Theoderico. Est silvula in monte sita, tribus a civitate millibus separata, in quo visum est venerabili semper in divinis flagranti patri Remigio construi cœnobium; quo sub pii regimine ductoris, quem prodesse probabat exemplo virtutum, catervam Christo militantium colligeret fratrum. Consenso denique silvosi montis vertice, dum circumferentes oculorum aciem, de monasterii corde volutant positione, subito sublimi cœlorum mittitur aliger index a culmine, per quem cœlos scansuro locus in terris beato depromeretur Theoderico. Nam mysticus ales aquila spatiando gyrans et gyrando circumvolans, quantum in ipso fuit, locum monasterii capacem secans aera designavit. Et ut expressius ostenderet quid Dominus vellet, unius fere horæ spatio, supra ubi ecclesia construi debuit, lentis volatibus stetit, et ne hoc ab incredulis casu contigisse putaretur, ipso natalis Domini die, quadriennio continuo supervolando, monasterium circumire, mirantibus plurimis, eadem aquila cernebatur. Quæ vero virtutum opera quanta miraculorum miles Christi Theodericus inibi gessit insignia, non humanus sermo valet enarrare per singula.

Post successum denique temporis, ubi presbyteralis subiit onus honoris, implere volens officium sacerdotis, prædicare cœpit omnibus præcepta salutis. Specialiter autem tangit animum piissimæ prolis charissimi cura genitoris. Filius sapiens lætificat patrem (*Prov.* x, 1), eumque regenerat terræ se generantem. De lubrico monachum, de latrone datorem largissimum, de servo diaboli Christi facit libertum. Jam jamque viritim de eo sancta per populos divulgabatur opinio. Et ne velut lucerna contecta lateret sub modio, sed omnibus in Dei luceret domo, quantum sublimis erat meritis, tantum coruscis cœpit insignis effulgere miraculis. Ejus namque beatissima fama pervenerat usque ad Francorum regis palatia, quorum rex tunc erat Theodoricus, Clodovei filius, cujus oculus doloris subiti nimis cruciatibus ita fuerat oppressus, ut nullis diversi generis medicaminibus ad sanitatem pristinam posset ullus eum reducere medicus. Unius oculi lacrymabilis ægritudo multorum lacrymas provocaverat in populo. Mentem regis varii conturbant exitus cladis. Hinc metus stimulat amittendi luminis; illinc imminentis pudor deformitatis. Nam si rex adforet luscus, maximum fuisset in populo dedecus: aut enim turpiter regnando, fœditatis gestaret opprobrium, aut cum luminis amissione forte perdidisset et regnum. Unum ergo restabat regi consilium, quatenus ubi remedium cessabat humanum, divinum requireretur auxilium. Mittit igitur ad venerabilem Theodericum, cui venienti pandit miserabilis oculi morbum. Prodit pœnam quam patitur; prævenit precibus pericula quæ veretur. At vir Dei virtutem sciens operationis esse divinæ, non fragilitatis humanæ, corpus solo sternit, animum supra cœlos erigit, orationi se totum committit. Tandem humilis surgens precibus, ad sidera vultu sublato, sanctæ Trinitatis nomen invocans, oleo sanctificati paululum summitati pollicis infundit, et oculo male habenti signum salutiferæ crucis imprimens, simul cum sospitate lumen in momento restituit. Regem regum magnificat rex lætus, celebri repletur lætitia populus, exsultat ingenti gaudio cunctus senatus, laudatur Theodericus Dei servus, et glorificatur ab omnibus mirabilis in sanctis suis

Deus. Convocatur a rege primates populi, de magnitudine congratulantur miraculi, quod tam cito rex senserit virtutem spiritalis medicamenti, et [ut] nullius cicatricis vestigia, nullius caliginis, vel glaucomæ resideret in oculo saluti reddito macula. Quantis honoribus rex sublimaret famulum Christi si vellet, ac quantis muneribus, vel dignitatibus remuneraret si contemptor ipse dignitatum permitteret. Quid enim oculo in corpore charius? Sed humanæ laudis et mundanæ retributionis refuga, gratis dare maluit quod gratis accepit : atque vir magnæ humilitatis, sollicitus ne regi foret univocus, petit ut non Theodericus de cætero, quin vocetur Theodorio. Tunc rex admiratus purissimæ simplicitatis humilitatem, venerabiles manus deosculans, sacerdotis benedictionem devote postulat, et eum honorifice ad suum deduci monasterium mandat. Quantas tunc cerneres ad eum confluere debilium multitudines, quæ sine mora quæsitas recepere sanitates !

Reperitur etiam præfati regis filiam vita defunctam magnificus hic Domini præco vitæ reformasse spiraculo, pro qua languente rex ad sanctum direxerat Remigium, petens ut ad se veniret, atque cum precibus ægrotanti filiæ manum imponeret. At pius præsul molestia quadam corporis, ut fertur, detentus, beato Theoderico, quem pie casteque nutrierat, et spiritalibus doctrinis instruxerat, quemque gratia curationum repletum videbat, negotium quod petebatur, ut pater filio, commendat. Qui magistri jussa cupiens solerter explere, dum festinus iter ad palatium regis ageret, adfuturam sibi divinam confidens clementiam nuntiis accipit obiisse puellam ; et ne fatigari debeat, suadetur propriam repetere cellam. Ille vero præceptoris parere non desistens imperio, pervenit ad palatium : mœrore parentes affici, luctu palatinos invenit comprimi [*ms. j.* opprimi]. Quorum lacrymis et ipse sanctus Dei permotus, plures secedere præcipit, cum paucis ad funebria resedit. Cor et oculos ad cœlum cum manibus extendit, devotas in cubiculo mentis Deo preces compunctionis, perfusus faciem lacrymis, effudit. At ubi exauditum se spiritu sentit, ad exanime corpus accedit, oleo sancto sensuum vias cum tactu pollicis illinit : mirumque in modum membra mortua in rediviva reparantur officia. Oculi lumen hauriunt, vox admoto pectoris impulsu prorumpit, et puella se beati Theoderici votis redditam pandit saluti. Accurrunt genitores cum gaudio miraculum stupentes; omnis exsultat aula, tripudians lætatur familia. Veneratur sanctus, tam a rege quam a proceribus, glorificatur a palatinis omnibus. Laudibus effertur a turmis vulgaribus. Rex itaque non solum discipulum, sanctum scilicet Theodericum, sed et B. Remigium cupiens munificentiæ sublimare dono, villam quam dicunt Venderam [*Vendier*], sitam super fluvium Maternam, reverendo patri Remigio ; Gaugiacum vero in pago Remensi, præcepto suæ auctoritatis, sancto contulit Theoderico. Processu denique temporis, Karolo, Ludovici imperatoris filio, sceptra regni Francorum gubernante, Angilramnus aulicorum quidam, traditionis hujus ignarus, a rege Venderam sibi postulat dari. Quod ubi rex annuisset, audiens domnus Hincmarus præsul qui sedem tenebat Ecclesiæ Remensis, hanc infiscari villam, regalis præcepti chartam in Ecclesiæ hujus archivo repertam, dationis hujusce seriem continentem Karolo mittit, et ne contra legem canonicam res usurpet Ecclesiæ, commonefacere satagit. In quo præcepto manifeste legitur quomodo rex Theodericus, pro resuscitatione filiæ S. Theoderici precibus obtenta, non solum prænotatam conferens ei villam, Dei servum sui muneris honore prætulerit, quin et magistro, præstantissimo scilicet Remigio, cui Dominus tantam gratiam contulerat, ut talem discipulum haberet, qui Spiritus sancti dono, sicut et magister, mortuos resuscitaret, beneficentiæ gratia, villam Venderam obtulerit. Hæc ut ita se habere, ex ipsis chartarum monimentis animadvertit, a pervasione villæ destitit, et Ecclesiæ propriis libere uti permisit.

Traditur hujus beati viri suggestione sanctus Remigius collectionem meretricum, quæ ad id usque temporis prostibula fertur extra civitatem retinuisse, subversis fornicibus, in viduarum quadraginta congregationem permutasse, sumptusque quotidiano victui necessarios instituisse, ipsumque numerum viduarum perpetim manere, ut adhuc quoque manet, decrevisse. Nam dum sanctus Remigius monasterium sancti Theoderici visitans, secus meretricium, psalmos cum eodem charissimo discipulo suo concinendo transiret, ac sancto Theoderico vox faucibus hæsisset, iterumque, in redeundo scilicet, idem in eodem, ceu memoratur, loco et versiculo contigisset, admiratus pater sanctissimus, et requirens cur discipulus solers in Dei laudibus contra morem titubaverat, accipit dolere beatum virum de animarum dispendio perditarum, et in tam sancti patris vicinia, tam fœdæ turpitudinis tanta diabolo crescere lucra. Sicque persuasum patri piissimo, discipulo suggerente castissimo, subvertere latibula diaboli, et deceptas atque decipientes animas in castimoniam transducere Christi. Multas præterea constat virtutum per hunc fidelem Dei famulum patratas operationes. Cæcis nempe visum, surdis auditum, claudis gressum restaurans, aridas contractasque manus relaxans, obsessos a dæmonibus liberans, mille nocendi Satanæ fraudes per divinæ medicinæ destruebat oppositiones. Et revera felicem gregis Christi ductorem, cui datum est tam corporibus quam animabus conferre salutem ! Perseveravit autem in Dei famulatu usque in finem, et quod ore docuit exemplis evidentissimis demonstravit. Qui post multarum virtutum opera post miraculorum insignia, bono certamine ad victoriam perducto, felici cursu consummato, sanctis ei obviantibus spiritibus, et gaudenter cum angelis suscipientibus, die Kalendarum Juliarum cum gloria migravit ad Christum. Cujus audito transitu pretiosissimo, præfatus rex Theodericus ad monasterium

propere cum magna venit multitudine, prærogatique sibi beneficii memor, sed et debitæ servitutis non immemor, ad tumulum beatissimi corpus abbatis propriis evehere studuit humeris. Nec mirum, si rex hominum illius membra condiderit tumulo, cujus animam cum gaudio Rex angelorum suscepit in cœlo. Ad cujus venerabile sepulcrum divina virtus usque in hodiernum diem multimodam dignatur operari salutem.

Desidia vero, vel raritate scriptorum, plurima silentio constat neglecta miraculorum. Nos tamen unum, quod nuper comperimus actum, decrevimus inserendum. Quadam denique Sabbatorum die, jam vespera Dominici diei accedente, quædam paupercula, nomine Gislaudis (f. Gistaudis), ex familia sancti Dionysii, villæ Curtis superioris, dum molam manu verteret, manubrium molæ ipsius inhæsit dexteræ, ut divelli non posset a femina. Tandem molæ manubrium ex utraque parte manus abscindere cogitur, indicium nolens secum deferre miserabilis operis. At salutis suæ sollicita, quoniam B. Dionysii tunc Remis ob infestationem paganorum servabantur membra, veloci ingressu ad ejusdem sancti martyris domini sui contendit accedere pignora. Perveniens ergo, cum magno timore ac reverentia solo prolapsa, liberationem deprecatur a tantæ confusionis miseria. Id cum die peregisset ac nocte, remedium inde non desperans accipere, apparuit in somnis ei quidam clericali habitu veste indutus candida, facie jucunda, capillo admodum albo, vultu paulisper macilento, dicens illi: *Surge hinc, et vade ad sanctum Theodericum; quia secunda feria, quæ est post cras, ipsius est festivitas celebranda, et tibi necesse est ibi apparere; sed accipe ceram, prout tibi ad præsens suppetit facultas, et sic ad ecclesiam ipsius perge, et illius precibus obtinebis interventione.* Illa mox evigilans, hac de visione stupefacta, orat ex voluntate Dei sibi confirmari visa, et cum gaudio festinat peragere jussa. Venit igitur ad ecclesiam sancti, venerandæ solemnitatis die, beati scilicet Theoderici, tres hebdomadas habens ex quo id discriminis acciderat illi. Tunc se ante sepulcrum ipsius cum lacrymis sternens, pro salute sua preces effundit; ibique tota nocte perseverans in oratione, veniam de peccatis suis humiliter ac fidenter (*ms.* fideliter) exposcit. Dumque adhuc ante tumbam jaceret beati confessoris Christi, divina jubente gratia, per intercessionem sancti cœpit manus ipsius feminæ paulatim a ligno disjungi, et absque læsione cujuslibet doloris aperiri. Sicque dein tota manus expanditur, et lignum dicto citius in pavimento prolabitur, ac si nunquam adhæsisse videretur. Multi vero qui aderant, hoc supernæ pietatis cernentes miraculum, glorificaverunt mirabilem in sanctis suis Deum.

CAPUT XXV.

De sancto Theodulfo.

Tertius post beatum Theodericum S. Theodulfus ejusdem monasterii rector exstitit, qui conspicua fulsisse fertur nobilium propinquitate, et venerabilium monachorum, atque sacerdotum dignitate, quæque nobilitatis pompam pro nihilo ducens, elegit in sanctificatione Deo servire, relinquensque devios anfractus, viam recti callis expetiit, illa secutus vestigia, per quæ turgidos mundi fluctus pertransiens, properaret ad cœlestia. Ingressus itaque monasterium B. Theoderici, gloriam hujus sæculi tradidit oblivioni, dignitatemque natalium suorum humilitate despexit, et alienæ servitutis famulatui se subjugavit, terram rastro fodiens, et aratri vomere telluris terga scindens, illud psalmographi factis implere satagens: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit* (*Psal.* CXXVII, 2). Hoc autem quotidiano per viginti duos annos insistens operi, cum duobus juvencis ad hoc sibi commissis, duros et varios temporum pertulit invictus labores. Quod vero memorabile traditur, iidem juvenci nec ætate, nec lassitudine deficientes; quod alii ruricolæ cum quatuor, vel sex, aut octo vix poterant perficere, hic cum duobus infatigabiliter explebat. Cumque paululum cessaret ab aratro, rursum studebat insistere rastro. Stupendum quoque valde, quod cum tam duro servitio intentus esset, nec deficeret, ab agro rediens unam sæpe noctem, frequenter duas pervigil hymnorum, psalmorumque laudibus traditur excubare solitus.

Quadam denique die, dum laboris intermittendi tempore domum rediturus ab agricultura cessasset, monasterium repetenti quodlibet opus emendandi aratri accidit, virgamque stimuli figens in terram, domum quo tendebat, immemor ejusdem forte, imo sic divina disponit fieri moderatio, pervenit. Mirabile dictu, spinea virga sub nocte radices in terram dedit, et mane, cum ad consuetum beatus vir opus rediret, atque resumere vellet, turgentem frondibus invenit. Quæ plurimo tempore, cumulando robur, in excelsum crevit, et factum multis innotuit, donec iter agens quidam pœna plectendus, eamdem abscindit, oculorumque sibi lumine cum abscissione pariter adempto, juges incurrit tenebras.

Ejus post hæc aratrum a fidelibus in ecclesia villæ Colubrosæ suspensum, ibi, donec eamdem inimico impellente vorax flamma cremavit basilicam, permansit. De quo quisquis dolorem dentium patiens hastulam præcidisset, ac de loco doloris parum sanguinis fluere fecisset, statim medelam salutis exoptatam beati Theodulfi meritis percipere merebatur. Hæc beneficia non audita solum, sed a plurimis etiam visa noscuntur, et sanitate recuperata, sunt certissime propalata.

Defuncto denique abbate, qui beato Theodulfo præerat tertius, ut præmissum est, idem vir venerabilis in loco sanctæ recordationis domni Theoderici est ordinatus abbas, præsule annuente, et monachorum caterva petente. Qui adepto regiminis honore, quasi rudis tiro noviter addictus exercitio, nullam fere præstabat artubus requiem. Quin ut infatigatus in opera manuum prosilierat, sic exercendo se, non sibi parcens, ad divina totum dupliciter aptabat ministeria. Fabricavit enim basilicam in ho-

nore S. Hilarii, quo cursum sui duplicaret laboris. Signo siquidem dato, cum fratribus conveniens, horum laudes persolvebat hymnologiarum. Sed ut duplex corona meriti, quasi nihil ante gessisset, iterum prædicta vota reddebat in ecclesia : qui licet clam, taliter agendo, vellet habere quod meruit, opera tamen cultoris sui non est passa divinitas occuli.

Accedit itaque quadam die, ut sus circa puteum, quo loci hujus vicini adaquabantur, deambulans, rueret in ipsum. Circumfluentibus undique monachis, cum nullus esset qui pereuntem posset eripere de profundo, præsertim cum ipse puteus centum pedum feratur altitudinis, vir Dei supervenit : factoque comperto, de coinquinatione aquæ, si animal idem ibi moreretur, anxiari cœpit, oculisque ad cœlum porrectis, atque animo cum precibus in Domino fixo dum Christi suffragia devotus exposcit, ante pedes ipsius subito, limpha super os putei redundante, animal illæsum pervenit. Videntes cuncti stupore vehementi repleti, gratias egerunt Deo, qui tantam benignitatis suæ gratiam fideli suo contulit servo.

Quadam quoque die, cum isdem vir Dei iter ageret, a monasterio ad quemdam locum properans, agricolam quemlibet arantem viam publicam, per quam transire solitus erat, invenit. Cui et dixit : *Non est bonum, o homo, viam aratro scindi, quæ debet a viatoribus inoffenso pede calcari.* Regrediens autem vir sanctus per eamdem viam, rursus agricolam viam ut cœperat arantem offendit. *Nonne*, inquit, *dixi tibi quia viam istam arare non debes ?* appropiansque manu sancta caput rustici tetigit dicens : *Per istud caput te, homo, contestor ne viam istam amplius ares.* Retrahente autem eo manum, tota pars capitis hominis (*e. j.* illius), quam vir Dei tetigerat, candens apparuit ut lana. Nec dubium quod non homo Dei voluit ut capilli caderent, sed ut signa per succedentem generationem promererentur hujus facti, ne quis agere simile præsumeret quod sanctus Dei Theodulfus imperavit ne fieret. Nam dum generatio ipsius agricolæ mansit, signum quod a sancto viro pater accepit, et ipsa simili modo pertulit.

Vir denique quidam venit ad virum Dei oculum habens virgulto percussum, et lumine privatum, cui nulla dabatur requies de cruciatione, nec spes erat de visus recuperatione. Quem beatus Theodulfus ad sacrosancta ducens altaria, docuit osculanda. Ille sacra velamina ore tangebat, et servus Christi precibus incubabat. Surgit sanctus a pavimento, et nulla doloris vestigia remanserunt in juvenis oculo. Qui, ut erat dignum, viro Dei gratias referens pro medela, gaudens remeavit ad propria, collata sibi quam quæsierat medicina.

Quidam quoque legatus Austrasiorum, nomine Offo (qui sunt superiores Franci) veniens a partibus Orientis, dum ad hujus tunc regni principem mitteretur, orationis gratia monasterium viri Dei

A videtur ingressus. Sanctus vero Theodulfus, corpore laboribus vigiliisque confecto, forte quiescebat in lecto. Legatarius animi felle commotus, quod abbas loci non sibi dedisset occursum, rancore turbidus mentis, dabat ore proferens quæ non decebant. Cumque abiret indignans, ut ira iræ misceretur, potentissimus ejus equus, a puero mortuus nuntiatur. Ipse denique frendens in semetipso, cumulansque furorem furori, geminos dat cruciatus animo, de indignatione videlicet, et damno. Cumque vir sanctus id post soporem nuntio cognovisset, ad hominem consalandum non distulit exire ; suetoque de more blando conatur alloquio efferos ejus animos mitigare, invitansque ad orationem, monet in Deo spem ponere, ac de hoc quod accidisset

B minime conturbari. Pergentibus autem iis ad basilicam Christi confessoris Hilarii, dum veniunt in locum ubi signum crucis adoratur, in via prece solito data, blande vultum vertens in prædictum legatarium : *Noli*, ait *vereri, quia equum tuum invenies ante fores monasterii sanum, qui si ita furibundus, ut cœperas, recessisses, cadaver equi mortui nobis reliquisses.* Legatario vero animum non apponente, præsertim cum viderit eum mortuum, ac toto corpore tumidum, decurrit puer ejus, affirmans ita se rem habere, ut ei sacerdos Christi, Theodulfus studuerat indicare : sicque quod non credebat, miraculo virtutis probato, mentis furore deposito, gratias refert Domino, vera se testans oculorum experiri probatione, quæ de servo Domini

C quorumdam dudum perceperat relatione. *Non* inquit sanctus Dei, *hoc meis, cum sim homo peccator, ascribas meritis, sed Deo gratias age, sanctorumque merita non cesses venerari, qui tibi possunt in omnibus auxilium largiri.* Talibus itaque virum instruens monitis, data benedictione permisit abire. Unde liquido patet eum cum virtute mirabilium spiritu quoque viguisse prophetiæ, qui animal, quod mortuum dimiserat, esse vivum prænuntiabat.

Nec ullatenus omnia virtutum ipsius enumerare sufficimus insignia. Quot enim diversis detenti languoribus per ejus intercessionem, plenissimam receperunt sanitatem, solus ipse novit, qui hæc fieri præstitit. Inter cætera quoque bona quæ Christus

D huic servo suo concessit, illud memorabile spectabileque prædicatur, quod cum ad usque nonaginta vixerit annos, canitie præclarus, aspectu jucundus, moribus temperatus, charitate plenus, eleemosynis largus, contemptor sæculi gloriosus, nullo febrium dolore, nulla corporis lassitudine, nullo rerum variarum casu confectus, nulla mentis molestia motus, ab oratione, vel operum Dei exercitio cessavit, quousque beata ejus anima corpus vegetavit. Cum vero divina clementia fidelem famulum senio detentum, pro laboribus suis, quietis refrigerio, meriti præmio vellet remunerare, febrium calore aliquatenus eum permisit æstuare. Ingressusque basilicam die quadam dum matutino-

cum solemnia celebrarentur, orationibus prolixe incumbens, Deo commendare studebat animam, quam corporeo ergastulo cito præsenserat absolvendam. Depulsis itaque noctis tenebris, aurora rutilante, comitantibus secum quibusdam monachis, cellulam repetiit, hilaris de visitatione sibi facta sanctorum, ac de revelatione, qua sui transitus horam sibi gaudebat intimatam. Ad quam dum se pervenisse cognovit, cum fratribus pacem faciens, oculis ad cœlum cum manibus elevatis, et animam sanctam mundi naufragiis ereptam Conditori lætus reddidit, quam Christus cum cœtu cœlestis exsultatione suscepit.

Hoc denique beatorum monasterium patrum pro monachis modo clericos habet. Quorum quidam senex, Olbertus nomine, priusquam Gallia gladiis Hungarorum laceranda traderetur, ad extrema deductus, dum certamina dæmonum pro se litigantium, et eum ad interitum rapere conantium pateretur, dum patroni sui domni Theoderici tandem se vidit eripi meritis, dæmones vero per invocationem Christi nominis et sanctorum ejus, a se cum magno strepitu et indignatione recedere. Vidit etiam et quemdam fratrem, dictum Bertarium, qui non longe ante decesserat, se crebro visitantem, consolando quoque monentem, ne hic apud sæculum ultra manere cupiat, imo ad eum quantocius ire gaudeat, ut ea quæ nunquam potuit cogitare, valeat videre. Quoniam si diu moraretur in sæculo ulterius, nequaquam tantum malum vidisset aliquando, quantum visurus esset in proximo. Cujus dicti probatio constat veritatis inventa. Iste siquidem levi dolore corporis tactus, ad ecclesiam properans, exitum suum precibus Domino commendat, fratres advocat, missamque, quam debito propensius celebrarant, illos repetere facit; quæ viderat narrat, et eos coram se charitatis gratia potum sumere rogat. De servitio Dei studiosius agendo, et psalmodiam cum devotione canendam monet, atque jam quasi securus et hilaris migrat. Post cujus obitum gens Hungarorum Galliam ingressa, cædibus, incendiis, ac rapinis pene cuncta devastat; ipsumque monasterium flammis exurit, et proxima quæque circumpositarum ruinis fere villarum protexit. Intimaturque modo non manifeste quam vera fuerint quæ ille audierat ex revelatione.

CAPUT XXVI.

De fonte in silvula secus monasterium nuper reperto.

In silvula huic contigua monasterio, fons dudum noviter inventus est. Ad quem Letrannus quidam casu deveniens, vidit supra ipsum fontem inclinatum quemdam senem in clericali habitu stantem, aureum baculum manu tenentem. Qui cum sonitu advenientis motus se videretur erexisse a fonte, tanto ille pavore concussus est, ut attonitus in terram caderet et nihil omnino videre valeret. At post modicum rediens ad se, surrexit, et splendorem qua senior abierat monasterium versus, magnum vidit, sicque salvatus ab infirmitate sua, lætus abscessit. Cæci tunc temporis hoc in loco illuminati nonnulli, claudi erecti, muti locuti sunt, et surdi receperunt auditum.

Nuper quoque ordinato Hugone Remis episcopo, quædam paralytica, quæ jacebat in civitate ad januas ecclesiæ sanctæ Mariæ, Magenildis nomine, admonita per visum, illo se deferri petiit, atque ut aqua ipsius fontis perfusa est, incolumitatem recepit. Quædam nihilominus Adelwidis nomine, arida brachiis, ut eadem lota est aqua, sospitate potita recessit. Cæcus quidam de castro Mosomo (*Mouson*) tunc adveniens, mox ut ecclesiam sancti Theoderici visus est introisse, lumen recipere meruit. Quædam paupercula de ipso loco, ut oculos sibi hoc fonte diluit, lumen, quod jam ab annis ultra quam sexdecim perdiderat, recepit. Fulbertus quidam brachium gerens aridum et inutile sibi membrum, ut se hac aqua perfudit, sanitatem, brachiique recepit utilitatem. Tunc etiam quidam cæcus, nomine Amalricus, ibi visum recepit, mox ubi se hoc fonte lavit; aliaque plura nunc ibi contigisse probantur miracula, et ex diversis ægritudinibus diversa sunt collata remedia.

LIBER SECUNDUS

CAPUT PRIMUM.

De successoribus beati Remigii.

Beato Remigio successisse traditur Romanus, Romano Flavius, post quos Mapinius, cui potestas regia quondam dedisse reperitur prædia deinceps ab Ecclesia Remensi possidenda. Hujus quoque temporibus Suavegotta regina Remensi Ecclesiæ tertiam partem villæ Virisiaci (*Verzy*), per testamenti paginam, delegasse reperitur. Quam partem villæ ipse quoque præsul Theodechildi præfatæ reginæ filiæ, usufructuario, per precariam, salvo Ecclesiæ jure, concessit: eo duntaxat, ut post ejus obitum, absque ullo præjudicio, sicut ab ea meliorata fuisset, ad ditionem Remensis revocaretur Ecclesiæ. Quæ scilicet Theodechildis regina postmodum omnia, per testamenti sui auctoritatem, tempore domni Egidii, Remensi contulit Ecclesiæ prædia.

CAPUT II.

De Egidio præsule.

Qui præsul Egidius in episcopatu Mapinium legi-

tur secutus, episcopiumque invenitur auxisse, arva scilicet et mancipia nonnulla emisse, quarum ejus emptionum adhuc quædam quoque reperiuntur instrumenta, ut illud quo campos duos ab Oboleno super fluvium Rotumnam (f. Rotonam *Retourne*) legitur dato pretio comparasse, quorum unus modios mille tenere sementis, alter in cribatum quadringentos. Villarem etiam quemdam a Bertulfo quodam, cum adjacenti campo modios centum tenente. Partem quoque cujusdam silvæ a Charibodo quodam reperitur emisse. Necnon apud regiam majestatem immunitatis præceptum ecclesiæ suæ obtinuit, ut ab omni fiscali functione vel mutilatione prorsus haberetur ac permaneret immunis, omnia quoque data ecclesiæ stabilem obtinerent firmitatem. Childebertus etiam rex villarem quemdam situm in Vosago, prope fluvium Saroam, tam ipsi quam ecclesiæ suæ possidendum, instrumentis adhuc manentibus, invenitur tradidisse. Hujus præsulis tam vitam quam prædicationem Fortunatus Italicus, qui tunc apud Gallias in metrica insignis habebatur, his studuit commendare versibus [*lib.* III, *Carmin.* 18) :

Actibus egregiis venerabile culmen Egidi.
 Ex cujus meritis crevit honore gradus,
Subtrahor ingenio, compellor amore parato.
 Laudibus in vestris prodere pauca favens.
Namque reus videor tantis existere causis.
 Si solus taceam quidquid ubique sonat,
Sed quamvis nequeam digno sermone fateri,
 Da veniam voto me voluisse loqui.
Exiit in mundo (*or* mundum) gestorum fama tuorum,
 Et propriis meritis sidus in orbe micas.
Clarior effulges quam lucifer ore sereno.
 Ille suis radiis, tu pietate nites.
Nil lupus insidiis cauto subduxit ovili,
 Te pastore sacro pervigilante gregem.
Facundo eloquio cœlestia dogmata fundis,
 Ecclesiæ crevit te monitore domus.
Pontificis studio correctio plebis haberis,
 Ne tenebræ noceant semita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi,
 Qui satias epulis, pascis et ore greges.
Præcepta implentur, non solo pane cibamur,
 Delicias capimus, quas tua verba ferunt.
Ut gaudet corpus cui mitior esca paratur,
 Sic animæ gaudent, sic tua lingua sonet.
Hæresis illa (*or* itta) cadit forti te milite Christi.
 Acquiris regi, qui (*or.* quia) dedit arma tibi.
Qui purgas spinis agros sermone colente,
 Et mundata Deo surgit ubique seges.
Qui venit, ut exsul, tristis defessus, egenus,
 Hic recipit patriam te refovente suam.
Quæ doluit tollis, gemitus in gaudia vertens :
 Exsilium removens reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoque nudus amictum.
 Invenit hic semper quæ bona quisque cupit.
Consultum tribuis generaliter omnibus unum.
 Qui populi pater es, tot pia rite regis.
Hæc tibi vita diu, Domino tribuente, supersit,
 Atque futura micet lucidiore die.

Ab hoc præsule Gregorius (*lib.* II *Mirac.*, c. 17), etiam Turonensis benigno quondam se narrat fuisse susceptum, quando Siggo quidam Sigeberti regis referendarius, virtute beati Martini cujus idem Gregorius tunc secum habebat pignora, in sacrario domus ecclesiæ Remensis auditum surdæ recepit auris. Qui tamen Gregorius in Historia gentis Francorum (*lib.* VI, *cap.* 3) de hoc præsule narrat, quod legatus ex parte Childeberti regis Sigeberti filii, ad Chilpericum regem patruum ipsius Childeberti, cum aliis legatis missus fuerit. In qua legatione constitutum fuisse refert, ut ablato Gontramni regis Chilperici fratris regno, in se conjungere pacem deberent. Qua pactione firmata, legati cum magnis ad Childebertum sunt muneribus regressi (*ibid.*, c. 31). Item quod postquam Chilperico filius natus est, et ipse Parisios pervasit, legatis Childeberti ad eum venientibus, primus inter eos hic pontifex fuerit, qui data suggestione, pacem, quam Chilpericus cum præfato Childeberto fecerat, ut conservaretur, Childebertum petere promunt, cum fratre vero ipsius Chilperici Gontramno pacem habere non posse Childebertum : quia partem Massiliæ post mortem abstulerit patris, fugacesque suos retinens, nolit ei remittere. Adjecit etiam Chilpericus, in multis eumdem fratrem suum esse culpabilem, cujus colludio pater hujus Childeberti fuerit interfectus. Unde legati quoque permoti ultionem debitam super eum velocius inferri petunt ; idque ut est juramento firmatum, datis et acceptis obsidibus, discesserunt. Pro quibus legationibus rex Gontramnus, huic archiepiscopo semper erat infensus. Unde et cum pacem postea fecisset cum Childeberto, hortatus est eum, ut nullo modo crederet, aut haberet hunc præsulem, convicians eum perjurii crimine. Postea denique dum quidam reus torqueretur, qui ad percutiendum Childebertum regem a Fredegunde regina fuerat missus, confessus est hunc episcopum socium fuisse in quorumdam consilio ad interficiendum eumdem Childebertum regem (Gregor. lib. x, c. 13). Nec mora ; episcopus rapitur, et ad Metensem urbem, cum esset valde ab ægrotatione longinqua defessus, adducitur. Ibique dum sub custodia degeret, rex episcopus accersiri ad ejus examinationem præcepit, et apud Virdunensem urbem initio mensis octavi [Augusti] adesse jussit. Tunc a quibusdam clam (clam *deest in ms. et Gregorio*) sacerdotibus increpatus, cur hominem ab urbe rapi absque audientia, et in custodiam retrudi præcepisset, permisit eum ad urbem suam redire, dirigens epistolas ad omnes regni sui pontifices, ut medio mense nono ad eum discutiendum in urbe supradicta deberent adesse . Denique convenientes pertracti sunt usque ad Metensem urbem : ibique et Egidius præsul adfuit. Tunc rex inimicum sibi eum religionisque proditorem esse pronuntians Ennodium ducem ad negotium dirigit prosequendum. Cujus propositio prima hæc fuit : Dic mihi, o episcope, quid tibi visum fuit, ut relicto rege, in cujus urbe episcopatus honore fruebaris, Chilperici te regiis amicitiis subderes, qui semper inimicus domino nostro regi fuisse probatur, qui patrem ejus interfecit, matrem exsilio condemnavit, regnumque pervasit, et in his urbibus, quas, ut diximus, iniquo pervasionis ordine suo subjugavit, tu ab eodem possessionum fiscalium prædia meruisti ? Ad hæc ille respondit : Quod fuerim amicus regis Chilperici, negare non potero, non tamen contra utilitatem regis Childeberti hæc amicitia pullulavit. Villas vero

quas memoras, per istius regis chartas emerim. Quo proferente easdem in publico, negat, se rex hæc largitum fuisse. Requisitus Otto, qui tunc referendarius fuerat, cujus ibi subscriptio meditata tenebatur, adfuit, negans se subscripsisse. Hæc igitur causa primum fallax episcopus repertus esse dicitur. Post hæc epistolæ prolatæ sunt, in quibus multa de improperiis Brunechildis tenebantur, quæ ad Chilpericum scriptæ fuerant. Similiter et Chilperici ad episcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur insertum, quia si radix cujuslibet rei incisa [F. excisa] non fuerit, culmus qui terris est editus non arescit. Unde prorsus manifestum est ideo hæc scripta, ut superata Brunechilde filius ejus opprimeretur. Item alia nonnulla eidem præsuli objiciuntur, tam de pactionibus regum, quam de perturbatione patriæ, quorum quædam negavit, quædam negare non potuit. Et dum altercatio diutius traheretur, adfuit etiam abbas Epiphanius basilicæ sancti Remigii, dicens quod duo millia aureorum, speciesque multas pro conservanda Chilperici regis amicitia idem præsul accepisset : et cum legatis, qui cum episcopo missi fuerant, ad memoratum regem, propalat idem abbas, qualiter de excidio regionis ac regis Gontranni conventum fuerat, et ut gestum est ex ordine narrat. Hæc audientes episcopi, et in tantis malis sacerdotem Domini continentes, triduani temporis spatium deprecantur tractandi : scilicet ut ullum modum reperire posset episcopus per quem se ab objectis excusare valeret. Sed illucescente die tertia, convenientes in ecclesiam interrogant episcopum, ut si aliquid excusationis haberet, ediceret. At ille confusus ait : « Ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. Nam ego novi me ob crimen majestatis reum esse mortis, qui semper contra utilitatem hujus regis, matrisque ejus egi ; ac per meum consilium multa fuisse gesta certamina novi, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata sunt. » Hæc episcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium, obtenta vita, ipsum ab ordine sacerdotali, lectis canonum sanctionibus, removerunt. Qui statim ad Argentoratensem urbem, quam nunc Stratéburgum vocant, deductus exsilio condemnatus est. In cujus loco Romulfus filius Lupi ducis, jam presbyterii honore præditus, episcopus subrogatus est, Epiphanio ab abbatis officio, qui basilicæ sancti Remigii præerat, remoto. Multa enim auri argentique in hujus episcopi regesto pondera sunt reperta. Quæ autem de illa iniquitatis militia erant, regalibus thesauris sunt illata ; quæ vero de tributis, aut reliqua ratione Ecclesiæ inventa sunt, ibi relicta.

CAPUT III.

De sancto Basolo.

Hujus Egidii tempore sanctus Domini Basolus, ex territorio Lemovicino, regione Armoricana, nobili prosapia oriundus, a partibus Aquitaniæ, patrocinia beatissimi Remigii desiderabiliter appetens, Remensem devenit ad urbem. Cui advenienti comes itineris apparuisse traditur angelus Domini, quem constat habuisse prævium, dum destinatam ingreditur urbem. Hunc dignissime prælatus præsul Egidius suscipiens, cognito peregrinantis desiderio, petitusque secretioris conversationis habitaculum concedere, libentissime cessit, sed ubi sibi placitum Dei famulus infra episcopium Remense valuisset reperire. Invenit tandem, superna disponente gratia locum sibi congruum in vico Viriziaco, ad radices montis Remorum, quem nemus inde incipiens obumbrat Rigetum. Eo loci tunc temporis erat cœnobium, numero duodecim monachorum. Hic igitur benigne susceptus a fratribus, traditur ab abbate litteris imbuendus. Nec longum, sic doctrina emicuit, ut coætaneos et contubernales sapientiæ luce præiret. Nulla illi propensior cura quam, aut in lectione vel sermone de Deo, aut in oratione loqui cum Deo. Transitoria despiciens, et æterna concupiscens, victus pensam pauperibus erogabat, pauxillum sibi duntaxat reservans, ad infirmitatem corporis sustentandam.

Ita virtutum crescens culmine, solitariam concupiscit vitam, fastigiumque, ad secretius habitandum, contigui deligit montis, in quo cellulam cum oratorio construit, ubi liberius cœlesti deserviret contemplationi. In qua inclusionis habitatione per quadraginta traditur annos Deo militasse, et contra serpentis antiqui tentamenta viriliter dimicasse, jejuniis, eleemosynis, vigiliis, orationibus, atque lectionibus indesinenter vacans, et ad se venientes doctrinæ sanctæ luce perfundens.

Dum hic igitur almifica conversatione decertat, placuit supernæ pietati virtutem sui militis evidentibus ostendere signis. Nam, orante illo, Dominus aquam ei montis in vertice produxit e silice, quæ sub sancti sepulcro fertur exsilire, ac per ecclesiæ fundamenta quasi de vasculo sese profundere, haustu dulcis, et ad potandum salubris. De quo videlicet fonte multi sanitatum remedia, potantes, vel balneis utentes, seu capita diluentes, consequuntur ægroti.

Quodam denique tempore, cum puer quidam privatus oculorum ab ætate primæva lumine, Annegiselus nomine, ante fores excubaret ipsius, duodecimo suo cæcitatis anno, lapsa virtute cœlitus, orante viro Dei luminis est honore donatus. Quod divinæ claritatis miraculum comperientes monachi, magnis gratiarum actionibus Deum glorificant in clarificatione fidelis servi sui.

Accidit etiam quodam venatore, Attila nomine, in saltu ejus cellulæ continuo aprum insequente, ut usque ad ipsius præsentiam fera perveniret, et quasi liberandam se per ipsum credens, ad pedes ejus, deposita feritate, procumberet, canesque naturalis obliti sagacitatis, eam insequi parcerent. Exinde mos, imo virtus Christi, ad honorem dilecti famuli sui, adhuc modo servatur, ut promota [F. permota] quælibet venatio, si aggestum in circuitu silvæ ipsius prominentem fuerit ingressa, nec canum ulterius

in equorum aviditate, nec venatorum appetatur audacitate.

Fertur et aliud non contemnendæ rei miraculum ejus beati confessoris sui meritis, a Domino prærogatum, quod suspensus laqueo quidam nomine Ragenulfus, ab adversariis, cum in supremo mortis periculo oculos ad cœlum intenderet, invocato voce lacrymabili beato Basolo, mox a morte dira rupto meruit liberari laqueo. Post multa denique pietatis insignia in vita ipsius ab eodem patrata, prænoscens per Spiritum suæ vocationis imminere sibi tempus, misit ad nepotem suum, nomine Balsemium, qui eum ad se a Lemovicina regione perduceret, significans illi quod post obitum suum in prædicto suo conversationis habitaculo deberet vitam ducere, juxta quod revelatum sibi fuerat a Domino. Cujus salutaribus præceptis, ut bonus filius obtemperans, et ad supernam hæreditatem pervenire desiderans, usque ad exitus sui diem in eadem permansit habitatione. Decessit autem beatus Pater Basolus VI Kal. Decemb., supernis aggregatus civibus. Ad cujus sepulcrum multa postea monstrata sunt miraculorum insignia, quæ tamen per negligentiam et ob sui frequentiam non sunt litteris comprehensa.

Processu denique temporis, post obitum sancti viri, advenit huc homo quidam natione nobilis, sed ferox tumore mentis; qui post orationem baculum hujus beati Patris accipiens, et illum super pedem suum ponens, ut erat procerus corpore, quasi subsannando protulit dicens: En manifestat iste baculus quam parvæ staturæ fuerit Basolus. Nec mora, pes idem cui superpositus sancti baculus fuerat, emarcuit: quoque putrefacto, divina vir idem perculsus ultione cum gravi decedit labore. Cujus corpus ad tumulandum ferri disponitur ad hujus sancti Dei monasterium; sed aggravatum nullo modo valet moveri feretrum. Proponitur ferri ad cœmeterium sancti Remigii, sed nec sic potest moveri. Cogente tandem necessitate, in Catalaunicum defertur territorium, ibique demum permittitur habere sepulcrum.

Non longe quoque valde a nostra ætate, tempore scilicet domni Ebbonis archiepiscopi, ejus ordinatione quidam vir religiosus, Benedictus nomine, abbas constituitur hujus abbatiæ. Qui cum modestia familiam sancti Basoli tractans, et in simplicitate Domino serviens, diversis ecclesiam donariis ornavit, et post non modica vitæ suæ spatia, divinæ præceptione vocatus, ad Dominum transiit. Cui carne frater, cognomine Speruus [*j.* Spernus *et infra*], abbas in eodem loco subrogatur. Qui moribus fratri dissimilis, et diræ facibus ardens cupidinis, dum temulentus aliquando sederet, cœpit dicere quod frater suus de abbatia illa nihil boni sciverit habere, præcipiens villarum procuratoribus, in crastinum sibi ruricolas exhibere, quos variis faceret suppliciis torqueri, ut facultates ipsorum ab eis posset extorquere. Audientes ergo villarum incolæ quantæ intentabantur sibi pœnæ, omnes sancti Basoli flebiliter [*c. i*, suppliciter] expetunt suffragium, ne tam crudeli Sperno traderentur ad dilacerandum, lugubresque in gemitu pernoctantes, non cessabant sancti Basoli implorare solatium. Nec renuit audire sanctus Domini querelas suæ plebis. Nam facto mane Spernus idem reperitur mortuus; quem lecto nitentibus extrahere suis, crepuit medius, tantusque fetor eumdem locum replevit, ut nemo inibi remanere valuerit. Sicque familia S. Basoli trepidatis eripitur diversis suppliciis.

Avunculus matris meæ, Flavuardus [*ms.*, Flavardus] nomine, duos filios in hujus sancti viri cœnobio Deo servientes habuit; quorum juniorem, nomine Tetbertum, charitate supra vires etiam exuberantem vidimus, qui presbyter dudum apud nos obiit. Is denique de patre suo quod dicturi sumus narrare nobis solebat; cui rei testis adhuc superat nuper Rotoldus [*al.*, Rautnoldus], presbyter, horum tertius frater. Consueverat siquidem semel in anno vir præfatus ad monasterium venire, fratribusque de suis facultatibus ministrare. Qui cum aliquando de more veniret, latrones eum properantem invadunt, caballum cui sedebat, cum cæteris quæ sibi visa sunt, sed et pecunias, quas servis Dei distribuendas ferebat, ornamenta quoque uxoris suæ pariter auferunt. Cumque de præda lætantes aliquantulum processissent, uxor ejus quæ simul aderat, ingemiscens pro injuria, querulosis sanctum Basolum cœpit inclamare vocibus, dicens: Non ultra se venturus in ejus vel famulorum ipsius servitium, si sic eos abjiceret non ferendo præsidium. Post quas lamentationis voces, equi latronum, qui eum spoliis concite ferebantur, subito defiguntur, nec ullo modo promoveri possunt ad gradiendum. Ipsos quoque latrones caligo quædam perfudit, ut quonam sese verterent ignorarent. Resipiscentes tandem prædones, conferunt inter se ob innocentum factam injuriam sibi talia contigisse; initoque consilio, ad eos, quos rebus injuste privatos dimiserant, revertuntur; sua illis cuncta restituunt, et, ut veniam facinoribus suis deprecentur, exposcunt. Ita consolatione, domini Basoli suffragante sibi patrocinio, recepta, rapacibus ire dimissis, devotiores ad destinatum properant cœnobium; gratias Deo et sancto suo confessori pro indultis sibi beneficiis referunt, et læti servis Dei ministrare satagunt, pecuniis honorant, ac deinceps annis singulis idem promptiores, quod cœperant peragunt.

Quando nuper hæ Galliarum patriæ, peccatis nostris impellentibus, Hungarorum gladiis dilacerandæ sunt traditæ, quidam barbarorum sancti Basoli monasterium ingressi, dum clerici jam cum patroni sui pignoribus ad civitatem confugissent, habitacula cœnobii hominibus pene vacua repererunt, ibique metatum suum constituentes, huc undecunque prædatu reverti cœperunt. Quorum quidam in ecclesiæ signorum turricula, deaurata conspiciens relucere metalla, cupidus auri pecuniæ, tectum conscendit basilicæ, nisusque dissipare turriculam, subito delapsus ad terram corruit, membrisque confractis

interiit. Alius horum super aram ipsius ecclesiæ, in honore beati Martini consecratam, conatus ascendere, dum manum supra cornu altaris apposuisset, ipsa manus ejus ita inhæsit marmori, ut nullo modo ab eo postea potuisset avelli (FLODOARD. in Chron. an. 937). Et quia hic eum sui noluerunt relinquere, partem lapidis circa manum ipsius bipennibus abscindentes, eum secum particulam marmoris, quæ manui ejus adhæserat, invite ferentem deduxerunt. Qui etiam (ut captivi qui reversi sunt referunt) usque ad terram suam, arente jam brachio, hunc lapidem ferens, et Basoli virtute factum proclamans, reversus est.

CAPUT IV.

De Romulfo præsule.

Post Egidium Romulfus Remense rexit episcopium, vir genere nobilis, Germanus Lupi tunc temporis ducis, quorum pater Lupus multas eis possessiones æqualiter inter se dividendas reliquit. De qua divisione pars quæ prædicto præsuli obtigerat regione Massiliensi siquidem excellebat patrimonialis, maximeque trans Ligerim, et in pago Pictavensi; quorum ex parte maxima, per paginam testamenti ecclesiam Remensem fecit hæredem, quædam dimittens fratribus vel nepotibus suis, quædam matriculæ quoque sancti Martialis deputavit, quædam ad basilicam sancti Remigii. Villam vero Lautuniacum super fluvium Caliaunam, contulit monasterio puellarum Remis in honore sancti Petri constructo; quam videlicet dato pretio se meminerat comparasse. Quædam etiam donaria testamento diversis attribuit ecclesiis, tam Remensis episcopii, quam Suessonici, sed et Tullensis, aliarumque quarumdam. Familiæ suæ partem maximam ingenuitate donavit. Cujus etiam testamenti pagina in Archivo Remensis ecclesiæ reservatur, cum auctoritate Childeberti regis; qua petitus idem rex a præfato præsule per Sonnatium diaconum virum venerabilem hoc testamentum confirmare decrevit: scilicet, ut terras, vineas et mancipia, quæ ad ecclesiam principem Remensem, vel ad cætera loca sanctorum prædictus pontifex delegaverat, si quis hæredibus ipsius injuste usurpare præsumpsisset, commonitis ea recipiendi sacerdotes eorumdem locorum liberam valerent habere potestatem. Quasdam quoque villas in territorio Metensi constitutas, quarum caput est Ortivallis (*al.*, Orcivallis), quas dominus Egidius a Vincentio quodam traditur emisse, cum Childeberto rege commutavit, pro aliis villis in pago Remensi sitis, id est Marcoiana et Artidogeo (F., *Margilly et Ardeuil*). Res quoque, vel mancipia, in pontificatu positus ad augmentum ecclesiæ invenitur emisse. Oratorium denique sub honore beati Germani construxit in atrio sancti Remigii. Quasdam quoque res a quibusdam pervasas, apud regiam majestatem, agente præfato Sonnatio archidiacono, evindicasse reperitur, regiæ auctoritatis super his evindicationibus, adhuc manentibus instrumentis.

CAPUT V.

De Sonnatio episcopo.

Romulfum sequitur in episcopatu Sonnatius, qui synodum celebrasse reperitur cum aliis quadraginta, vel eo amplius Galliarum episcopis. Ubi etiam sanctus Arnulfus Metensium præsul invenitur interfuisse, cum Theodorico Lugdunensi, Sindulfo Viennensi, Sulpitio Bituricensi, Medegiselo Turonensi, Senoco Elosanensi, Leontio Santonensi, Modoaldo Treverensi, Chuniberto Coloniensi, Richario Senonensi, Donato Vesontionensi, Ausperio Augustidunensi. Item Modoaldo Lingonensi, Ragueberto Bajocensi, Childoaldo Abrincatensi, Bertegiselo Carnotensi, Palladio Antissiodorensi, Gondoaldo Meldensi, Leudeberto Parisiacensi, Chamoaldo Laudum Clavati, Godone Virdunensi, Ansarico Suessonensi, Claudio Reiensi, Berthoaldo Camaracensi, Agomaro Silvanectensi, Cæsario Avernensi, Vero Rutenensi, Agricola Gabalensi, Lupoaldo Magontiacensi, Willegiselo Tolosano, Constantio Albiensi, Nammatio Egolemensi, Rustico Caturcensi, Auderico Auscensi, Eumone Areselensi, Felice Cathalanensi, Hadoindo [*ms.*, *r.* Chadoindo] Cenomannensi, Magnebodo Andegavensi, Joanne Pictavensi, Leobardo (*al.*, Lontbardo) Namnetico. In qua synodo multa leguntur utilia constituta.

1. De rebus scilicet ecclesiæ qualiter tractandæ sint; et de his quæ per precatoriam impetrantur ab ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in jus proprium usurpentur, et ecclesiæ defraudentur.

2. De clericis, si qui rebellionis ausu sacramentis se, aut scripturæ conjuratione constrinxerint, atque insidias episcopo suo callida allegatione confecerint, ut si admoniti emendare contempserint, gradu proprio omnino priventur.

3. Ut capitula canonum Parisiis acta in generali synodo, in basilica sancti Petri, Lotharii regis studio congregata, omni firmitate custodiantur.

4. Ut si qui hæretici adhuc esse suspicantur in Galliis, a pastoribus ecclesiarum perquirantur; et si veraciter fuerint inventi, ad fidem catholicam revocentur.

5. Ut temere nullus excommunicetur; et si excommunicatus existimat se injuste damnatum, in proxima synodo habeat licentiam reclamandi: et si injuste damnatus fuerit, absolvatur; sin autem juste, impositum pœnitentiæ tempus exsolvat.

6. Ut si quis judex cujuslibet ordinis clericum publicis actionibus inclinare præsumpserit, aut pro quibuslibet causis, absque conscientia et permissu episcopi distringere, aut contumeliis, vel injuriis afficere præsumpserit, communione privetur. Episcopus tamen de reputatis conditionibus clericorum negligentias emendare non tardet.

7. Hi vero, quos publicus census spectat, sine permissu principis, vel judicis, se ad religionem sociare non audeant.

8. Si quis fugitivum ab ecclesia absque sacramento, quod ei jurandum est, ut de vita [*al.*, devitato]

tormento, et truncatione securus exeat, qualicunque occasione abstraxerit, communione privetur.

9. Similiter si quis jus sacramenti præstitum violaverit, communione privetur. Ille vero qui sanctæ Ecclesiæ beneficio liberatur a morte, non prius egrediendi accipiat libertatem, quam pœnitentiam se pro scelere acturum esse promittat, et quod ipsi canonice imponetur impleturum.

10. De incestis conjunctionibus, si quis intra præscriptum canonibus gradum incestuoso ordine cum his personis, quibus a divinis regulis prohibetur, se conjunxerit, nisi pœnitentiam sequestratione testentur, communione priventur, et neque in palatio militiam, neque agendarum causarum licentiam habeant. Et quando prædicti incestuosi se conjunxerint, episcopi seu presbyteri, in quorum diœcesi vel pago actum fuerit, regi vel judicibus scelus perpetratum annuntient, ut cum ipsis denuntiatum fuerit, se ab eorum communione aut cohabitatione sequestrent, et res eorum ad proprios parentes perveniant, sub ea conditione, ut antequam sequestrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perveniant facultates, nisi præfati sceleris separatione pœnitentiam fateantur.

11. Si quis homicidium sponte commiserit, et non violentiæ resistens, sed vim faciens impetu hoc fecerit, cum isto penitus non communicandum : sic tamen ut si pœnitentiam egerit, in exitu ei communionis viaticum non negetur.

12. Clerici, etiam vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas retinere præsumpserint [*Concil. Paris.* III, c. 1] : aut id, quod ipsi donaverint ecclesiis aut monasteriis, crediderint auferendum, sicut ante synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab ecclesiis excludantur.

13. Ut Christiani Judæis vel gentilibus non vendantur : et si quis Chistianorum necessitate cogente mancipia sua Christiana elegerit venundanda, non aliis nisi tantum Christianis expendat. Nam si paganis aut Judæis vendiderit, communione privetur, et emptio careat firmitate. Judæi vero si Christiana mancipia ad Judaismum vocare præsumpserint, aut gravibus tormentis afflixerint, ipsa mancipia fisci ditionibus revocentur. Qui tamen Judæi ad nullas actiones publicas admittantur. Judæorum vero convicia in Christianos penitus refutanda sunt.

14. Item si clericus proficiscens de civitate ad alias civitates voluerit, aut provincias pergere, pontificis sui epistolis commendetur. Quod si sine epistolis profectus fuerit manifestis, nullo modo recipiatur.

15. Item ut episcopus mancipia vel res ad jus ecclesiæ pertinentes neque vendere, neque per quoscunque contractus, unde pauperes vivunt, post mortem alienare præsumat.

16. Item de his qui auguria, vel paganorum ritus inveniuntur imitari, vel cum paganis superstitiosos comedunt cibos, quos benigna placuit admonitione suaderi, ut ab erroribus pristinis revocentur. Quod si neglexerint, et idololatris vel immolantibus se miscuerint, pœnitentiæ dignum tempus exsolvant.

17. Item ut serviles personæ ad accusationem non admittantur : et qui personam susceperint accusantis, cum unum crimen non probaverint, ad alia accusandum non admittatur.

18. Item si quis in quolibet gradu vel cingulo constitutus, aut potestate suffultus, decedente episcopo, res cujuslibet conditionis in domos vel agros ecclesiæ positas, ante reserationem testamenti, vel audientiam ausus fuerit occupare, vel ecclesiæ repagula effringere, et supellectilem intra domum ecclesiæ positam contingere, vel scrutari præsumpserit, a communione Christianorum penitus abdicetur.

19. Item, si quis ingenuum aut libertum ad servitium inclinare voluerit, aut fortasse jam fecit, et commonitus ab episcopo se de inquietudine ejus revocare neglexerit, aut emendare noluerit, tanquam calumniæ reum placuit sequestrari.

20. Item ut clerici cujuslibet ordinis, neque pro propriis, neque pro ecclesiasticis causis aliter adire debeant forum, nec causas dicere audeant, nisi quas cum permissu et consilio episcopi agere eis fuerit omnino permissum.

21. Item, ut in parochiis nullus laicorum archipresbyter præponatur, sed qui senior in ipsis esse debet clericus ordinetur.

22. Item, pontifices quibus in summo sacerdotio constitutis ab extraneis duntaxat aliquid, aut cum ecclesia, aut sequestratim, aut dimittitur, aut donatur (quia ille qui donat, pro remedio animæ suæ, non pro commodo sacerdotis probatur offerre non quasi suum proprium, sed quasi dimissum ecclesiæ inter facultates ecclesiæ computabunt, quia justum est, ut sicut sacerdos habet quod ecclesiæ dimissum est. ita et ecclesia habeat quod reliquerit sacerdos [*i*, relinquitur sacerdoti]. Sane quidquid per fidei commissum aut sacerdotis nomini aut ecclesiæ fortasse dimittitur, cuicunque aliis postmodum profuturum, id inter facultates suas ecclesia computatum retinere non poterit.

23. Item, si quis episcopus res, quæ ab alia ecclesia præsentaliter [*e*. præsentialiter] possidentur, quocunque ingenio aut callida cupiditate pervaserit, aut sine audientia præsumpserit usurpare, ac suis vel ecclesiæ suæ ditionibus revocare, dum communione privari non potest, ut necator pauperum, ab officio deponatur.

24. Item, si quis episcopus (excepto, si evenerit ardua necessitas, pro redemptione captivorum) ministeria sancta frangere pro qualicumque conditione præsumpserit, ab officio cessabit ecclesiæ.

25. Item, viduas, quæ se Domino consecrari petierunt, vel puellas Domino consecratas, nullus,

neque per auctoritatem regiam, neque qualiscunque potestate suffultus, aut propria temeritate rapere aut trahere audeat. Quod si utrique consenserint, communione priventur.

26. Judices, qui super auctoritate et edicto dominico canonum statuta contemnunt, vel edictum illud dominicum quod Parisiis factum est, violaverint aut contempserint, placuit eos communione privari.

27. Item, ut decedente episcopo in locum ejus non alius subrogetur, nisi loci illius indigena, quem universale et totius populi elegerit votum, ac comprovincialium voluntas assenserit. Aliter, qui præsumpserit, abjiciatur e sede quam invasit potius quam accepit. Ordinatores autem triennio ab officio administrationis suæ sedis cessare decernimus.

Præterea res ecclesiæ prælatus præsul dominus Sonnatius probabiliter ordinasse legitur, augens etiam episcopium, terris ac mancipiis dato pretio coemptis, quarum adhuc emptionum nonnulla reperiuntur monumenta. Quasdam quoque res, quas pravi quidam pervaserant, apud regiam majestatem, tam per seipsum quam etiam per suos actores, Marco presbytero quoque legato suo causas agente, repetitas et obtentas ecclesiæ rite restituit. Colonias etiam villarum quarumdam episcopii depositis ordinavit servitiis. Præcepta necnon regalia super ecclesiasticarum immunitate rerum, sed et traditionum quarumdam obtinuit firmitate. Sed et res invenitur quasdam cum regina Brunechilde commutasse, pro utriusque partis opportunitate.

Testamentum quoque rerum suarum condidit, in quo plura diversis donaria contulit ecclesiis. Basilicam tamen beati Remigii præcipue sibi hæredem instituit, ubi et sepulturam se habiturum delegit; ibique missorium argenteum deauratum deputavit. Cochlearia quoque duodecim, et salarium argenteum, ac portionem suam de villari quodam cum mancipiis, vineis, pratis, cæterisque adjacentibus, et alia nonnulla, quæ se dato pretio meminit comparasse. Ad basilicam sanctorum Timothei et Apollinaris delegavit casas quasdam tam juxta ipsam ecclesiam, quam intra civitatem. Ad basilicam sancti Martini quem peculiarem patronum suum dicit, villam Mutationis, quam comparavit ad integrum, sicut a se possessa est, tradidit; insuper et aurum dedit, unde calix inibi fieret. Ad basilicam sancti Juliani recuperandam auri solidos quinque. Ad basilicam sancti Nicasii similiter solidos quinque. Ad basilicam sancti Joannis solidos quinque. Ad basilicam sancti Sixti similiter in auro solidos tres. Ad basilicam sancti Mauritii solidos tres. Ad basilicam sancti Medardi solidos tres. Ad monasterium puellarum vineam in Germaniaco (*Germiny*) sitam, cum quibusdam vasis ipsi basilicæ profuturis. Ad basilicam quæ dicitur ad Apostolos, auri solidos tres, cum aliis munusculis unde calix fieret. Ad basilicam sancti Petri in civitate auri solidos tres. Ad basilicam sancti Theoderici portionem suam de villa Germaniaco, cum mancipiis, vineis, et cæteris ad ipsam pertinentibus, argentum quoque ad sepulcrum domni Theodulfi fabricandum, vel exornandum. Ad basilicam sancti Viti vas quoddam argenteum ad calicem faciendum, et in auro solidos quindecim. Ad basilicam sanctorum martyrum Rufini et Valerii in auro solidos quindecim. Ad basilicam sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani auri solidos quindecim. Ad matriculam præterea sanctæ Remensis ecclesiæ nonnulla contulit donaria.

Cæteris quoque matriculis, vel congregationibus diversa delegavit munera. Quibusdam hæredum quoque suorum personis prædia quædam eo tenore dereliquit, ut ad loca sanctorum a se destinata post eorum reverterentur decessum. Mancipia nonnulla libertate donavit, additisque ditavit peculiis. Quod viri Dei testamentum regalis præcepti reperitur pagina roboratum.

CAPUT VI.

De Leudegisilo episcopo, Angelberto et Landone.

Post hunc beatum virum Leudegiselus, Attilæ episcopi frater, tempore Dagoberti regis episcopium rexit quod etiam rebus emptis, scilicet silvis, pratis, ruribus auxit. Quædam quoque cum Albone Tricassino episcopo, pro utriusque partis opportunitate, commutavit, sed et alia quædam cum aliis quibusdam personis. Res etiam quasdam ecclesiæ ordinatis disposuit colonis.

Hunc sequitur Angelbertus. Ipse quoque rebus emptis auxisse reperitur episcopium. Cui successit Lando vir illustrissimus, et multorum possessor prædiorum: quorum nonnulla junxit ecclesiæ, quædam vero propinquis suis distribuit. Sed et ea quæ trans Ligerim Remensis habuerat ecclesia, et Felix abbas quidam ecclesiæ sancti Juliani martyris indebite retinebat, apud majestatem regiam legibus evindicata recepit; pro quibus jam antea prædecessor ejus Angelbertus episcopus cum Gallo Arvernensi episcopo, coram rege controversiam habuisse reperitur. Hinc Lando præsul ecclesiam Remensem rerum suarum per testamenti paginam rite fecit hæredem, et quæcunque aliis dedit personis, vel ecclesiis, eidem ecclesiæ, vel successori suo constituit dispensanda. Diversorum siquidem sanctorum basilicis diversa delegavit donaria. Basilicæ scilicet sancti Remigii, ubi sepulturam fieri sibi delegit, villas et munera. Basilicæ sancti Gangerici et sancti Quintini argenti varia dona; item, basilicis atque matriculis Remis, sanctorum scilicet Timothei et Appollinaris; item, sancti Martini; item, sancti Nicasii; item, sanctæ Genovefæ; monasterio quoque sanctorum Theoderici et Theodulfi; item, ad basilicam sancti Germani, et matriculam ipsius; item, sancti Juliani; item, sanctorum Cosmæ et Damiani; item, sancti Petri ad Cortem; item, sancti Petri ad Monasterium puellarum; item, ad basilicam S. Symphoriani, quæ vocatur ad apostolos; item, sancti Medardi, et sanctorum Crispini et Crispiniani; item, sancti Victoris; item, sancti Mauritii; item sancti Basoli diversa contulit donaria; ecclesiæ quoque Laudunensi cujusdam villæ portionem suam de-

legavit, et basilicæ sanctæ Genovefæ ibidem constitutæ villam Appiam (*le village d'Eppe*), cum omni re ad se pertinente tribuit. Turrim quoque auream, quam ad votum suum fabricari fecerat, super altare posuit S. Mariæ Remensis ecclesiæ, et patenas tres, ac brachiale aureum. Fuit autem Sigiberti regis tempore.

CAPUT VII.

De sancto Nivardo.

Post præmissos, ad episcopale culmen eligitur beatus Nivo, qui et Nivardus; utroque namque reperitur vocitatus nomine. Hic prius in aula regis, utpote vir illustrissimus, traditur conversatus. In episcopatu vero positus, emptis per diversa loca tam fundis, quam domibus, necnon mancipiis dilatasse res invenitur ecclesiæ. Disposuit etiam nonnullas ordinatis coloniis villas episcopii: quasdam quoque res commutasse reperitur cum Attila Laudunensi præsule, pro utriusque partis opportunitate. Commutavit etiam a Bavone et Theoderamno fratribus locum quemdam super fluvium Maternam de rebus Remensis ecclesiæ, ubi construxit monasterium, quod dicitur Altumvillare (*Hautvilliers*), petente Berecario abbate, qui ab eo petierat locum sibi dari, ubi cum fratribus suis monachis, sub regula Patrum sancti Benedicti et sancti Columbani, vivere posset; quod et idem præsul facere studuit, ut infra continetur. Sed et cum aliis quibusdam personis, prout congruum visum fuit, res quasdam commutavit. Dedit quoque, sub jure privilegii, ad monasterium sancti Basoli, ecclesiam in Viriziaco in honore sanctæ Mariæ constructam, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, simulque locellum qui Wasciacus dicitur. Immunitatem quoque ipsis monachis, sub Petrone abbate ibidem Deo servientibus instituit, ut nullus ecclesiasticorum judicum eos indebite in aliquo inquietare præsumeret, sed eis quieto ordine sub sancta regula vivere, ac Deo servire liceret. Præceptum etiam immunitatis a Childeberto rege (*Childebertus III*) super teloneis et quibusdam tributis, ecclesiæ Remensi obtinuit. Cui Ludovicus quoque rex, sub ecclesiæ suæ nomine, res quasdam in Malliaco super fluvium Vidulam, quas quibusdam infidelibus suis ejectis receperat, auctoritatis suæ præcepto concessit. Hujus etiam tempore tradidit Grimoaldus vir illustris sancto Remigio villas suas Calmiciacum et Victuriacum (*Mally, Veeste*), pro animæ suæ remedio.

Hic beatus Nivardus, dum ex communi consensu totius concilii præsulum Galliæ, Namnetis, Romani jussione pontificis, exhibiti, rege favente, restruxisset ecclesiam monasterii super ripam Maternæ fluminis, in loco nuncupato Villari, dudum siti, sed a barbaris diruti, et ab eo constructa hæc funditus cecidisset ecclesia, in alio loco rursus ab eo restructa, rursum traditur corruisse. Quadam vero die veniens de villa Sparnaco, simul comitante secum præfato abbate Berecario, visum sibi est, transito flumine, debere paululum requiescere: sicque caput in unum sedentis reclinans Berecarii, obdormivit, et visum vidit, scilicet columbam locum silvæ circuire, et in ligo quodam post hanc circuitionem residere; atque tertio columbam videt eamdem egisse, tumque cœlos petisse (1). Quam visionem, sicut ipse in somnis, ita prædictus quoque Berecarius vigilans fertur accepisse. Quo viso compunctus idem cœpit abbas fundere lacrymas. Experrectus autem beatus præsul a somno, ex lacrymis ejus sibi faciem reperit udam; et interrogans quæ sibi causa fletus existeret, accipit eum propter sui ruinam flevisse operis. Invicemque sibi visa referentibus, traditur pontifex hæc etiam cuidam Dei servo, nomine Banovi, cujus erat ipsa possessio, visa narrasse. Qui oratorium in honore sanctæ crucis illic habens, ibi conversabatur. Qui etiam postquam visionem præsulis, et ejus agnovit voluntatem, obtulit illi eamdem possessionem suam, partem quoque possessionis cujusdam fratris sui, nomine Baldini. Alterius vero fratris, Theoderamni nomine, causam retulit, quod esset scilicet in factione contra Reolum comitem, qui Remensis post exstitit episcopus, pro filiis ejus, quos occiderat in ultione filiorum suorum, quos Reolus pro latrocinio quod exercebant, suspendio necaverat. Unde dominus Nivardus eum cum Reolo, qui neptem suam filiam Childerici habebat uxorem, pacificavit; et sic ipse Theoderamnus simul cum cæteris fratribus suis eamdem possessionem sancto Nivardo, commutatione ab eo sumpta, tradidit. Mox idem præsul succidi silvam jubens, in honore sancti Petri et omnium apostolorum ibi construxit ecclesiam, et ubi resedisse columbam viderat, altare instituit, collectisque servis Dei monasterium ordinavit. Ubi etiam præfatus Theoderamnus monachus efficitur. Sed et Reolus filium suum nomine Gedeonem, de nepte sancti Nivardi susceptum, ibi monachum fieri petiit et rerum suarum partem ad idem monasterium condonavit. Beatus autem Nivardus, constituto monasterio, quidquid possessionum ante episcopatum fuerat visus habere ad ipsum locum tradidit, et exhortatus beatum Reolum, religionis ei suasit assumere habitum. Privilegium quoque, poscente præfato abbate Berecario, eidem contulit monasterio: ut scilicet ipse præsul idem monasterium in sui juris dominatione dum adviveret, conservaret, et ut post suum decessum Remensis episcopus ipsum cœnobium gubernet, et eosdem monachos contra omnes adversitates defendat; ipsi vero monachi potestatem habeant prælatum sibi regulariter eligendi, prout in descriptione ipsius privilegii continetur. Post hæc in ecclesiola sanctæ Mariæ, quam in eodem monasterio construxerat, obiisse fertur, et ad ecclesiam sancti Remigii Remis deportatus, ibidem sepultus est.

CAPUT VIII.

De translatione sanctæ Helenæ ad ipsius sancti monasterium.

Ad prænotatum hujus sancti viri cœnobium beatæ

(1) Idem latius refertur in Vita S. Berchari.

Helenæ reginæ constat corpus ab urbe Roma devectum. Quod quidam presbyter Remensis parochiæ, Teutgisus nomine, Romam profectus, noctis intempestæ in ecclesia remanens tempore, furatus cautissime secum studuit deferre. Qui dum jam secundæ mansionem haberet, in silva quæ civitati adjacet Sutriæ, in crastinum unus e comitibus ejus pignora sancta levare super asellum gestiens, ea minime valuit movere. At stupidus hæc magistro notificat; qui concitus pergens, thesaurum pavidus apprehensum jumento sine gravitate ponderis imposuit, cum esset inferior repulso viribus corporis. Confessus est autem idem minister nocturno se pollutum fuisse somnio. Venientes ad rapidissimum fluvium Tarum, cum illum non auderent ingredi, propter validissimum ipsius impetum, animal sacro tutum munere, sponte descendit in flumine. Quem secutus alter asellus ferens presbyterum, licet undis pene videretur immersus, transiit tamen fluvium, cum latera fluctibus non tinxisse probaretur almi pignoris bajulus. Item dum superant Alpium juga quædam comes hujus itineris puella in præceps labitur acta. Quæ dum miserabiliter volvitur per devexa, socii beatæ reginæ proclamantes expetunt patrocinia: cum subito in prærupto montis hæsit latere delapsa; sicque demissis fasciolis retrahitur incolumis ad superiora, nullam, ceu visum sibi est, læsionem perpessa. Quibus compertis nonnulli miraculis, devotius hujus oneris famulabantur obsequiis. Inter quos equo quidam desiliens, beata superimponit pignora, descensuque montis artam ingressus semitam, propriis onus extollit humeris. At subito lubrica pede secuto ruit in præceps, sacra tamen brachiis astricta nullatenus omittens munera: cum protinus, turba sequente nomen reginæ precibus ingeminante, equus, qui sacra gesserat, suam nihili pendens ruinam, ruentem anterioribus hominem cruribus amplexus, tandiu eum, Deo se sustinente tenuit, donec ab incolis subter degentibus glacies ferro crispata, et tam homo quam equus in callem sunt funibus revocati. Pervenientes autem ad pagum Lingonicum, in vicum qui vocatur Osismus, ecclesiæ beati Winebaldi, almas intulerunt reliquias. Ubi quædam contracta genibus repens muliercula, mox ut horum gestamen pignorum attigit, ad sua revocatis officia nervis, sanitati perfectissime redditur. Inde itinere unius diei peracto, quidam omnibus jam per sexennium dissolutus artubus, linteum beatæ reginæ cum g[illegible] mittit in munere. Sed antequam conjux ejus ad eum, quæ hæc detulerat munuscula, rediret, infirmus idem membrorum omnium recuperat munia. His auditis, quædam matris ab utero cæca puellula deducitur huc ad sancta præsidia, moxque dum feretrum beatæ contigit Dominæ, depulsa lumen recepit cæcitate. Ingressis villam Avergam quædam muta, sed et officio manuum destituta, progreditur obviam, quæ statim, recuperatis membrorum muniis, optatam meruit invenire medelam.

Deinde venerando hoc in ecclesia villæ Falesiæ posito munere, quidam lunaticus eamdem basilicam est ingressus. Tum novissime vexatus, merita beatissimæ petentibus cunctis plenissime regreditur absolutus, integra scilicet sospitate donatus. In eadem villa quidam morbo attritus tria grabato exegerat lustra, carne jam ita putrefacta ut viginti tria e corpore ipsius cecidisse ferantur ossa: qui ad divam perlatus medicatricem, virtute divina erectus, stupente populo redditur sanus. Quædam quoque puella, nomine Bava, genibus attracta repens, utpote utroque poplite contracto matris ex utero, basibus hic solidatis, recto recessit vestigio, quæque postmodum Remis in sancto permansit proposito. Accedit quoque femina, quæ paralysi resoluta linguæ penitus amiserat officia, laxisque nervis, dextræ manus inutilia dependebant vincula. Cujus allatus in munere linteolus, ut thecam sacri contigit corporis, mulier pristinæ munia perfectæ recepit salutis. Quidam surdus a nativitate vervecem adduxit, ecclesiam ingressus ad missarum solemnia stetit. Ut ad evangelium ventum est recitandum, verba vitæ insolita cœpit aure percipere; quo perlecto curatus confessus est Evangelium se nunquam prius audisse. Pater quidam lactentis advenit pueri, quem ad exitium jamjamque vis impellebat ægritudinis. Genitor ergo, votum pro vita vovens nati, rediit, et puerum, qui per quinque jam dies fomenta spreverat mammæ, reperit incolumem, lacque sugentem. Paralyticus quidam Trevirorum e finibus est advectus, qui septem dudum vicibus omnium membrorum soliditatem adeptus, toties, carnis se prementibus desideriis, miserabiliter est recontractus. Qui postquam propria confessus est facinora, quod non egerat jam vicesimus volvebatur annus, permansura deinceps est sanitate potitus. Allata est item mulier quædam, dextro latere pestis immunitate resoluta, quæ perfectam consecuta medelam, reversa est sana. Item, adducitur mane mulier cæca, quæ hora rutilante tertia, gemina regreditur illuminata lucerna.

Denique ut perlata est ad præfatum Altumvillarense monasterium sacratissima gleba, quibusdam dubitantibus an ipsa foret Helena Constantini Augusti genitrix, vitalisque ligni repertrix, id probabili Christus asseverare dignatur aquæ judicio, triduano supplicatus jejunio. Mittuntur etiam tres fratres ex eodem monasterio Romam, ad indagandam translationis hujus beatæ reginæ certitudinem; qui redeuntes et veritatis hujus indaginem, et geminatum gaudium, corpus videlicet beati Polycarpi presbyteri, collegæ sancti Sebastiani, huic attulere cœnobio.

Hujus beatæ reginæ quondam natali die imminente, piscatores monachorum nocte capturæ instabant piscium in Materna flumine, cassoque frustrati per totam fere noctem labore, tandem conquesti, sanctam Helenam pro sua cœperunt incusare fatigatione. Tum in Dei, et in ipsius nomine laxantes rete, gemino ditati gaudent esoce. Sed mox

unus horum repetens matrem, quodam gaudii interpolavit mœrore. Dumque rursus quæruntur, iterumque dominam inclamando turbantur, puelli elapsus mirabiliter dans saltum ab uno, superiorem retis funem tenaci sanno corripit morsu, et sic inhærens funi pependit, donec stupefactus eum tandem piscator gratanter excepit.

CAPUT IX

De translatione sancti Sindulfi ad idem monasterium.

Ad hoc monasterium beati Sindulfi translata sunt ossa, quæ in villa quæ dicitur Alsontia, fuerant posita,ubi Deo idem sanctus vir sacerdotali servierat officio, et ubi pluribus post obitum claruerat miraculis. Cujus pignora ut perlata sunt ad villam, quæ dicitur Spida, mulier quædam cæca pristinum gavisa est lumen adepta. Cumque appropinquarent jam portæ civitatis Remensis, obviam properante populi multitudine, accessit quædam muta et debilis manu puella ; quæ ut se terræ prostravit, ab utraque sanari peste promeruit. Allata est illuc quædam muliercula manibus, genibusque contracta, quæ continuo, ut est ad terram deposita, sanitati lætatur restituta. Sed ubi victa luxu gloriari cœpit, quod eam vellet, nollet, vir suus reciperet, qui eam infirmitatis hujus causa dimiserat, ad depulsam rursus est miseriam revoluta. Item ut posita sunt beati viri membra in ecclesia, coram altari sanctæ Mariæ, advenit quædam puella reptans genibus contracta : quæ virtute erecta, hujus sancti meritis astitit sana. Adducitur etiam quædam jam per annos septem cæca, quæ mox ut valvas templi attigit,lumen recipere meruit. Celebratis missæ sacramentis, defertur inde corpus beati viri ad basilicam sancti Remigii. In crastinum perfertur ad monasterium Avennacum, et occurrentibus sanctimonialibus, advenit quidam jam duobus annis claudus ; qui ubi se prostravit in humum, surgens priscum cœpit figere gressum. Affertur etiam quædam contracta, membrisque resoluta, quæ sine mora sospitati gaudet restituta. Tum perlatum est munus hoc venerabile ad monasterium Altumvillarense, ubi quædam puellula advecta a primo nativitatis anno cæca, ut ad januam monasterii pervenit, lucem videre cœpit. Duo germani provectæ fratres ætatis sub uno anno luce privati oratorium ingressi, ut se dederunt in orationem, cruor eis pro lacrymis fluere cœpit ex oculis ; moxque lumine recepto, lætantur sepulcrum videre sanatoris. Quædam Deo sacrata votum habuit cum sociis, ut iret ad locum pignoris ; quæ de itinere medio cæteris iter peragentibus cœptum reversa, ut ad suæ locum cellulæ pervenit, poplitibus, brachiisque contracta diriguit. Postea, plaustro ad præfatum devecta cœnobium, postquam aliquandiu ibidem in hac est ægritudine remorata, exsultat tandem pristina sibi sospitate redhibita.

CAPUT X.

De sancto Reolo episcopo.

Post S. Nivardum præfatus domnus Reolus (*saint* A *Rieul*) episcopium hoc est adeptus, quod tam hæreditariis, quam emptitiis invenitur auxisse rebus. Qui ex præcepto domni Nivardi causas apud regiam majestatem pro rebus ecclesiasticis, vel colonorum legibus egisse ac exercuisse reperitur. Ipse vero beatus Reolus in episcopatu jam positus magnam habuit intentionem, pro rebus præmemorati sancti Nivardi episcopi, cum Gundeberto regis optimate, ipsius domni Nivardi fratre germano, dicente Gundeberto quod villæ germani sui Nivonis episcopi, tam de paterna, quam de materna hæreditate, quas Nivo moriens dereliquerat, ipsi jure legitimo deberentur. At contra domnus Reolus vel agentes sui dicebant, quod domnus Nivardus omnem rem suam, pro animæ suæ remedio, ad loca sanctorum per sua instru- B menta contulisset, scilicet ad ecclesiam sanctæ Mariæ, et sancti Remigii, atque ad monasterium Altumvillare, necnon et Virziacum, ubi domnus Basolus in corpore requiescit ; quæ monasteria ipse domnus Nivo suo construxerat, vel restruxerat opere. Item, Remis ad monasterium puellarum, ubi Boba præesse videbatur abbatissa. Item sanctis Rufino et Valerio, vel per reliqua loca sanctorum. Sed dum inter utramque partem hæc intentio verteretur, mediantibus pacificis tandem personis, eo tenore ad pacem concordia redierunt, ut Gundebertus ea quæ ultra Ligerim fuerant Emmæ genitricis ipsorum, absque repetitione Reoli episcopi, vel agentium suorum, in sua reciperet potestate. Reliqua vero, quæ- C cunque bonæ memoriæ domnus Nivo ad loca sanctorum per sua instrumenta delegavit, ad integrum eadem sanctorum loca perpetualiter absque repetitione Gundeberti, vel hæredum suorum cum Dei adjutorio possiderent. Unde conventiale quoque scriptum digestum apud nos adhuc reservatur, utriusque partis assignatione roboratum.

Hic partem villæ Diciaci positus in episcopatu emit ; item, mansum et campos in villari Bersiniaco [*ms.*, Hersiniaco] ; item, mansos aliquos plusquam quatuor infra civitatem Remensem a diversis personis, et alia quædam ; item, portionem de villa, quæ dicitur Mons Allonis ; item, partes villarum Rosiciaci et Popiciaci, et alia nonnulla, tam prædia quam mancipia, ejus temporibus tradidit vir illustris D Waratus ad ecclesias sanctæ Mariæ, et sancti Remigii Remis Cruciniacum (*Cruny*) montem, Curbam villam (*Courville*), cum Acciniaco, in pago Tardonensi, (*Arcini en Tardenois*). Quædam denique hic beatus præsul Reolus ex rebus ecclesiæ invenitur cum quibusdam personis commutasse, partium scilicet liberata opportunitate.

Habuit filiam Deo sacratam in monasterio quod Ebroinus Suessionis construxit, sub sancta regula conversantem, nomine Odilam, quam ex legitimo susceperat ante clericatum matrimonio ; cui villas quasdam, tam in pago Remensi, vel Bellovagensi, quam etiam in partibus Transligeranis, eo tradidit jure, ut ad idem monasterium res ipsæ post ejus decessum proficerent omni tempore.

Construxit hic venerabilis præsul monasterium Orbacense, in loco quem promeruit dono regis Theoderici, per ipsius licentiam, suffragante quoque Ebroino majore domus. Impetravitque domnus idem Reolus a monasterio Resbacensi sex monachos, qui regimina sanctæ regulæ ibidem tenerent, et alios ea docerent. Ex quibus unum Laudemarum (*al.* Leudomarum) nomine, in eodem loco abbatem constituit, qui rexit idem monasterium donec vixit. Nam licet ab Odone quodam fuerit expulsus, a Childeberto tamen rege postea restitutus est. Post cujus obitum domnus Rigobertus archiepiscopus ipsum recepit et rexit. Hujus monasterii monachum, nomine Hucbaldum, nuper Hungari comprehensum trucidare nisi sunt; sed nequaquam ferro incidere potuerunt (6). Nam ut idem refert, et nonnulli captivi qui viderant, reversi nunc quoque testantur, dum sagittis eum undique barbari petissent, ut ab [illegible], sic ab ejus corpore resiliebant sagittæ, nec signum ictus ullum apparebat in cute, sed et omni conatu gladio percussus, nihilominus mansit intemeratus. Unde et Deum dicentes eum esse, duxerunt reverti secum, donec redemptus a quodam episcopo, atque dimissus revertitur.

CAPUT XI.

De sancto Rigoberto.

Præfato domno Reolo beatus Rigobertus successit in episcopatu, ejus, ut traditur, etiam carne propinquus in regione Ribuariorum (*pays de Ribemont*) nobili prosapia genitus; patre siquidem ex eodem pago, nomine Constantino, matre vero ex Porcensi oriunda territorio: vir piis moribus instructus, et virtutum insignibus adornatus. Qui nonnulla in episcopio collapsa reperiens, reparavit. Sed canonicam clericis religionem restituit ac sufficientia victualia constituit, et prædia quædam illis contulit, necnon ærarium commune usibus eorum instituit. Ad quod has villas delegavit, Gerniacum cortem (*Gernicourt*), Maseriam, Rosetum, Wiltiniacum, Rivum, Cavellas; ecclesiam quoque S. Hilarii, cum suburbio ad eam pertinente, scilicet ut in annua transitus sui die sufficiens eis inde refectio pararetur; quæ supersessent, ipsius communiter dividenda cederent. Famulos quoque, et eorum colonias ad necessaria canonicorum servitia deputavit, et eosdem Christi pauperes rerum suarum hæredes fieri destinavit. Harum vero omnia rerum in 40 vel amplius mansos colliguntur. Nonnullas etiam episcopii villas, descriptis eorum colonis, servitiisque rite disposuit.

Res etiam quibus episcopium auxit quasdam dato pretio comparavit, ut villam, nomine Cartoleum, in pago Laudunensi, a Grimoaldo, pro qua dedisse traditur auri solidos quingentos, et in villa, cui nomen Turba, mansos duos, a diversis personis. Item portionem de villa quæ dicitur Campaniaca super fluvium Vidulam, ab Hosmo (ms., Hosonio), pro qua dedisse reperitur in auro solidos 140. Item, a quadam consobrina sua, nomine Gilsinda, portionem de villa Brocaneto (*Brécy...*) super fluvium Rotumnam, cum mancipiis, ædificiis, et omnibus ad ipsam possessionem pertinentibus. Item ab eadem Gilsinda partem quamdam de villa Baldiniaca supra fluvium Saipiam (*Baul sur Suippe*), cum domibus, mancipiis, pratis, campis, et cæteris ad eamdem possessionem pertinentibus; pro quibus rebus in auro solidos centum invenitur dedisse. Quasdam quoque res trans Ligerim non modico auri dato pondere reperitur emisse. Quasdam quoque cum aliquibus personis invenitur commutasse, pro partium scilicet opportunitate. A Dagoberto (*Dagobert II*) denique rege præceptum immunitatis suæ obtinuit ecclesiæ, suggerens eidem regi, qualiter ipsa ecclesia sub præcedentibus Francorum regibus, a tempore domni Remigii et Clodovei regis, quem ipse baptizavit, ab omni functionum publicarum jugo liberrima semper exstiterit. Qui præfatus rex hoc beneficium confirmare vel innovare disponens, cum consilio procerum suorum statuit, ad prædecessorum formam regum, præcipiens ut omnes ipsius sanctæ Dei ecclesiæ res, tam in Campania, et infra urbem, vel suburbanis, quam in Austrasia, seu Neustria, vel Burgundia, seu partibus Massiliæ, in Rodonico, etiam, Gavalitano, Arvernico, Turonico, Pictavico, Lemovicino, vel ubicumque infra regna ejus ipsa Remensis ecclesia, vel basilica beatissimi Remigii villas aut homines habere videbatur, sub integra immunitate omni tempore possent manere. Sic quoque ut nullus judex publicus in ipsas terras auderet ingredi, ut mansiones intrando faceret, aut qualibet judicia, vel xenia ibidem exigere ullatenus præsumeret; sed quodcumque a prædecessoribus suis regibus ecclesiæ Remensi vel basilicæ sancti Remigii fuerat concessum, cunctis diebus eadem ecclesia valeret habere conservatum. Sed et a filio ipsius super hujusce auctoritatis corroboratione, et a cæteris sui temporis regibus, immunitatis, ac teloneorum remissionis præcepta ecclesiæ suæ studuit obtinere. Item, Theoderici regis specialiter pro villa Calmiciaco, quam Grimoaldus vir illustris ecclesiæ Remensi contulerat. Quarum adhuc regalium monimenta præceptionum in archivo sanctæ hujus Remensis conservantur ecclesiæ.

Hic venerabilis præsul Pippinum majorem domus regiæ traditur amicissimum habuisse; cui eulogias pro benedictione crebro solebat mittere. Ad quem collocuturus, dum venisset aliquando, cœpit idem princeps requirere, quid huic sancto Patri gratum potuisset offerre. Morabatur autem tunc apud Gernicam cortem, quam villam eidem oblatam, ubi gratam haberi beato pontifici comperit, offert ei, ut quantum vellet in gyro acciperet, vel quantum circuiret, dum ille meridie quiesceret. Beatus itaque Rigobertus, exemplum beatissimi Remigii secutus

(6) Idem refert auctor in Chronico ad annum 937.

per fines qui manifestissime patent, pergens, passim itineris sui limitem poni præcepit, ut litem discerneret arvis. Cui regresso surgens Pippinus a somno, largitus est omnem quem circuitu suo concluserat locum. Ad indicium vero memorabile super hoc itineris sui vernantior omni tempore, quam in cæteris circa locis, visitur herba virere. Est et aliud non contemnendæ rei miraculum, quod procul dubio meritis ipsius constat eisdem rebus a Domino prærogatum. Siquidem postquam ejus cessere dominio, fertur eas nunquam læsisse tempestas, nec cecidisse super illas grando; et cum in locis contiguis videbatur cadere, fines eorum non præsumit attingere.

Denique res istas, vel cætera quæ visus est obtinuisse, nullo mundanæ cupiditatis impetravit obtentu; sed ecclesiæ suæ in cunctis consulens utilitatibus, illam constituit hæredem. Plures etiam rerum suarum participes fecit ecclesias, ut variis chartarum docemur instrumentis. Sub ipsius episcopatu dedit Ado quidam abbas ad ecclesiam sanctæ Mariæ Remensis res suas sitas in pago Laudunensi, in vico, qui dicitur Rausidus [*c. i*, Raosidus], cum adjacentiis earum, domibus scilicet, colonis, campis, vineis, pratis, silvis, piscinis, aquis, aquarumve decursibus, et omnibus appendiciis. Item ad matriculam sancti Remigii res quasdam in pago Tardonensi, in villa Corneciaco constitutas. Diversæ quoque personæ in locis diversis res suas pro animarum remedio ecclesiæ Remensi sub hoc Patre beatissimo tradiderunt, ut Beroaldus [*ms.*, Heroaldus] et Sairebertus in monte Betelini, et Taxovariis domos, arva, mancipia, vineas ac silvas: Gairefredus et Austreberta in pago Laudunensi, in villa Warocio, mansos cum terris adjacentibus, vineis ac mancipiis. Abbo res suas sitas in pago Porcensi, villa Augusta. Landemarus in Camarciaco, in pago Remensi, mansos cum ædificiis, mancipiis, ruribus, vineis, silvis, pratis, et cœteris adjacentiis. Rodemarus rex suas sitas in vico Castricensi. Item Austrebertus suas in eadem villa. Quarum adhuc exemplaria traditionum apud nos condita reservantur.

CAPUT XII.

De expulsione ipsius ab urbe Remensi.

(*An.* 717, *Sigeb.* 7, 8.) Orta denique simultate inter regem Chilpericum et Karolum præfati Pippini filium, majoremque domus Ragemfridum, Karolus iste prope urbem transiens Remorum, clamasse fertur ad beatum Rigobertum supra portam civitatis situm, ut ei juberet eamdem portam aperiri, quatenus ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis oratum posset abire. Cui crebris in idipsum vocibus instanti respondisse vir Domini perhibetur, quod non illi eam prius aperiret, donec sciret quem finem lis cœpta perciperet; ne forte urbem sibi commissam ipsi diripiendam proderet, qui aliarum res nonnullas urbium diripuisset. Ad hæc Karolus cominatus asseritur furibunde, quod si reverteretur victor in pace, non ultra idem vir Dei tutus maneret in eadem civitate. Suprà portam siquidem, quæ dicitur Basilicaris, vel quod basilicis in gyro sui dispositis abundaverit, vel quod euntibus ad basilicas in vico sancti Remigii sitas pervia fuerit, hic benedictus Domini consuevisse traditur commorari, quod apertis cœnaculi sui fenestris, loca sanctorum beati Remigii, cæterorumque orandi gratia solitus fuerat contemplari.

Oratorium quoque super eamdem portam construxerat in honore sancti Michaelis archangeli, de quo in contiguam sancti Petri ecclesiam descendere morem fecerat orationis amore. Quod oratorium non parvo tempore perseveravit ibidem, donec Ludovicus imperator idem sancti Petri monasterium Alpaidi filiæ suæ dedit. Cujus mulieris vir, nomine Bego, prælatum diruit oratorium; quia scilicet quadam die caput in superliminari ejusdem ostioli graviter eliserit, eo quod statura procerus fuerit, et erecto collo ambulaverit, nec ad introeundum seipsum humiliaverit: prætendens quod fenestram obnuberet ecclesiæ præ sui celsitudine. Quod tamen oratorium ut cœpit everti, mox ille corripitur a dæmone, ut erat in pago Laudunensi, procul ab urbe Remensi. Porro per hujus portæ viam pulvis et venti mistim ferebantur, unde et tenebræ urbi videbantur illatæ: nec per eamdem viam facile valebat quisquam incedere. Hoc autem oratorium modo reparatum, et in præmemorato beati Michaelis veneratur honore restitutum.

Præfatus itaque Karolus ut principatum bello adeptus est, hunc virum Domini Rigobertum patronum suum, qui, ut traditur, eum de lavacro sancto susceperat, episcopatu deturbavit, et cuidam Miloni sola tonsura clerico, quod [*i*, qui] secum processerat ad bellum, dedit hoc episcopium. Hic Karolus ex ancillæ stupro natus, ut in annalibus regum de eo legitur, cæteris qui ante se fuerant audacior regibus, non solum istum, sed etiam alios episcopatus regni Francorum laicis hominibus et comitibus dedit; ita ut episcopis nihil potestatis in rebus ecclesiarum permitteret. Verum quod contra hunc virum sanctum et alias ecclesias Christi perpetravit malum, justo judicio Dominus refudit in caput ejus. De quo Patrum scripta relatione traditur, quod sanctus Eucherius, cujus in monasterio sancti Trudonis humatum est corpus, Aurelianensium quondam episcopus, dum in oratione positus, mente cœlestibus intenderet, ad alteram vitam raptus, inter cætera quæ Domino sibi velante conspexit, hunc Karolum in inferno inferiori torqueri vidit. Cui de hoc sciscitanti responsum est ab angelo ductore suo, quod sanctorum judicio, qui in futuro examine cum Domino judicabunt, quorum res abstulit, sempiternis sit pœnis deputatus. Qui beatus Eucherius ad sæculum reversus, sancto Bonifacio, qui tunc Galliis, ad restituenda jura canonica, fuerat ab apostolica sede prælatus, et Fulrado abbati monasterii sancti Dionysii, et summo capellano regis Pippini, hæc indicare studuit, dans in assertione, ut ad sepulcrum ejus accedentes, si corpus ipsius inibi non reperie-

rint, quæ de illo referebat, vera esse scirent. Quibus ad locum, ubi corpus ejusdem Karoli (*vel Martelli*) sepultum fuerat, venientibus, et sepulcrum ipsius aperientibus, subito visus est serpens egressus; et totum illud sepulcrum vacuum reperitur interius, sicque denigratum, ac si fuisset flammis exustum. De præfato denique Milone Zacharias papa Romanus, præmonito sancto Bonifacio inter cætera, quæ ad eum mandata dixerit, ita scribit [Zacharias ep. 12]: « De Milone autem, et ejusmodi similibus, qui ecclesiis Dei plurimum nocent, ut a tali nefario opere recedant, juxta Apostoli vocem, opportune, importune prædica (*II Tim.*, IV). Si acquieverint admonitionibus tuis, salvabunt animas suas; sin vero, ipsi peribunt obvoluti in peccatis suis; tu autem, qui recte prædicas, non perdes mercedem tuam. »

Cæterum sanctus Domini Rigobertus, Dominicis obtemperando præceptis, quibus jubetur sub persecutione de civitate in civitatem fugere, secessit in Vasconiam. Ubi exsulando, dum multorum sancto fervore memorias sanctorum lustraret, quamdam ingressus basilicam, donec insistit orationibus, campanæ pulsantur ex more, deindeque duo pulsata signa sonitum nullum reperiuntur dedisse. Tunc sacerdos et alii circumstantes sollicite perscrutantur, quis sit, et unde advenerit. Ille se profitetur clericum, et de Francia profectum. Adjicientes illi, super novæ rei sciscitantur eventum; cur scilicet impulsa eorum consuete non resonent signa. At ille duo pandit sibi de quadam ecclesia sua furtim ablata, arbitratque se, ne forte sint ea. Quibus sibi ostensis, ut asserit sua fuisse, experimenti gratia rogatur pulsare illa. Ad cujus impulsum his altisone resonantibus, vera dixisse comprobatur. Ita cunctis super hujuscemodi facto stupentibus, sua sibi signa redduntur; et ipse tam admiratione quam veneratione dignus habetur, quæ postmodum in Franciam relata, et ecclesiæ Gerniacæ cortis sunt restituta.

Fertur hunc virum Dei prælatus Milo, cui episcopium Remense datum fuerat a Karolo, cunctus legatione apud Vascones in hac regione reperisse, eique ut in Franciam reverteretur suasisse, suumque sibi redhibendum episcopium spopondisse. Qui regressus petitur a Milone, ut res quas ecclesiæ suæ delegaverat, in jus proprium sibi traderet; quod eo nullatenus assentiente, et Milone se de pollicitatione mutante, altare tantum vir Dei sibi rogat concedi sanctæ Dei genitricis Mariæ, ut scilicet in eo missas sibi liceat celebrare. Quo demum obtento, habitavit in Gerniaca corte tempore non pauco, vitam in humilitate, parcitate, vigiliis, orationibus, et eleemosynis, cæterorumque bonorum operum exhibitionibus agens. Morisque fuit ei, civitatem Remensem frequenter invisere, et in ara beatæ Mariæ missas, ut optaverat, celebrare. Tum per ecclesiam sancti Mauritii ad sanctum Remigium orandi gratia pergere. Inde sancti Theoderici monasterium visitare, ac per ecclesiam sancti Cyrici de Culmisiaco ab sanctum Petrum in Gerniacam cortem redire.

CAPUT XIII.

De miraculis in vita ejus ostensis.

Contigit itaque quondam, dum ab sanctum Cyricum oratum venisset in Culmisiacum, [illegible] cum eum œconomo Remensis ecclesiæ qui aderat, rogatusque ad prandium, recusavit, utpote missas acturus ad sanctum Petrum. Interea mulier quædam anserem attulit vicedomino, quem ille offerens episcopo, petit ut jubeat recipi, secumque deferri. Quem puer viri Dei suscipiens ferebat, cum subito de manibus ejus evadens avolavit, spemque resumendi puero abstulit. At Pater sanctus puerum vehementer anxiatum conspiciens, blande, ceu vir mitissimus, consolatur, docens de temporalium amissione rerum nequaquam flendum vel contristandum; quinimo semper in Domino, *qui dat omnibus affluenter* (*Jac.*, I), sperandum. Et ecce post aliquod spatium, avis ultro revolans, ad terram coram sancto præsule descendit, eumque quasi prædux præiens, nusquam a tramite deviat, donec ad Gerniacam cortem quo ibant, pervenit. Quam vir Domini non passus occidi, prævium habebat itineris. Fertur enim ante se cursitare solita, dum civitatem adibat, aut redibat. Hujus beati præsulis Adrianus, sedis apostolicæ pontifex, meminit in epistola sua Tilpino, post episcopo Remensi directa, in qua et querimoniam facit super eo, scribens in hunc modum: « Tua fraternitas nobis retulit, quia faciente discordia inter Francos, archiepiscopus Remensis, nomine Rigobertus, a sede contra canones dejectus et expulsus fuit, sine ullo crimine, et sine ullo episcoporum judicio, et sine ullo apostolicæ sedis consensu, vel interrogatione; sed solummodo quod antea non consensit in parte (*Karoli*), partem illius, qui postea partem illam de illo regno in sua potestate accepit, in qua parte Remensis civitas est (*id est in regno Austrasiæ*) et donatus, atque magis usurpatus contra Deum et ejus auctoritatem fuit ille episcopatus, simul cum alio episcopatu, et aliis ecclesiis, a sæcularibus potestatibus Miloni cuidam, sola tonsura clerico nihil sapienti de ordine ecclesiastico, et alii episcopatus de ipsa Remensi diœcesi diverso modo essent divisi, et aliqui ex magna parte sine episcopis consistentes, et ad alios metropolitanos episcopi et clerici ordinationes aliquando accipientes erant, et [illegible] indebita habebant, et a suis episcopis judicari et distringi non sustinebant, et clerici, et sacerdotes, et monachi, et sanctimoniales sine lege ecclesiastica pro voluntate et licentia vivebant, » etc.

CAPUT XIV.

De obitu et sepultura ejus.

Hic denique beatus præsul Rigobertus actibus egregiis, magnisque virtutibus pollens, annos plures in hac exegit conversatione, consummataque viriliter præsentis vitæ militia, decessit pridie nonas Januarii. Humatus est autem venerabiliter a sacer-

dotibus in præfata villa, in qua morari solebat, in ecclesia sancti Petri, ad australem plagam altaris. Qui multis hic post sanctam depositionem suam refulgens miraculis quanti sit apud Deum meriti, patenter innotuit ; quæ tamen mira ob incuriam, vel scriptorum raritatem, non fuere descripta.

Tres siquidem claudi ab incolis ejusdem loci memorantur inibi fuisse curati. Cujus redhibitæ sanitatis indicia baculi videlicet ac scabella, in eadem ecclesia diu sunt reservata, donec exinde beata ejus sunt pignora translata. Quædam quoque mulier cæca, nomine Ansildis [*i*, Ausisdis], ipsius loci habitatrix, ibi pristinum meritis hujus patrocinantibus lumen recepit oculorum. Puer quidem, scholaribus apud loci presbyterum studiis deditus, lascive quondam ludendo supra tumulum ejus subsilire cœpit, non dans honorem Deo, neque sancto ipsius ibidem sepulto. Sed ut sepulti meritum panderetur, et hujusmodi præsumptio cohiberetur, continuo pes illius indoluit ; moxque claudus effectus, officium pedis unius amisit. Quo comperto, presbyter cancellos inibi circa tumbam, ne quis ignarus simile quid pateretur, fieri procuravit. In eadem basilica voces tantæ dulcedinis post ejus sepulturam sæpius auditæ narrantur, ut nonnisi angelicæ comprobentur. Lux quoque tantæ claritatis mediis inibi noctibus emicuit, ut solis fulgorem vicisse videretur, quæ magno etiam quondam jubare, sacerdotis contiguam penetravit ædiculam. Quo viso tantus timor invasit presbyterum, ut abinde majorum huic loco reverentiam exhibuit, quam antea solitus fuerit. Ad hoc viri Dei sepulcrum diversis ab ægritudinibus multi curantur infirmi. Frigoritici quidam cum fide venientes, candelam in votis offerunt, et abrasum sepulcri pulverem sumunt, quem aquæ mistum bibunt et sanitatem hujus sancti meritis adipiscuntur. Dentium vero doloribus cruciati hunc debita cum veneratione tumulum deosculantur, et ita curari merentur.

CAPUT XV.

De translatione corporis ejusdem.

Itaque dum in loco hic inclytus Domini confessor pluribus clarificatus signis reniteret, domnus præsul Remensis Hincmarus hinc eum transtulit, et ad cœnobium sancti Theoderici detulit, ac secus ipsius beati viri tumbam posuit. Ubi dum aliquod annis veneratur, plura per eum Dominus mira patrare dignatus est. Multi siquidem febribus vexati, vel dolore dentium fatigati, ejus hic quoque cum fide petentes auxilium, divinum gavisi sunt adepti remedium. Ex quibus mulier quædam, nomine Audinga, de quadam proxima monasterio villa, nomine Colmelecta, febribus attrita, hæc apud se super recuperanda sibi sanitate fecisse traditur experimenta. Tres enim candelas unius fecit quantitatis, quarum unam nomine sancti Theoderici, alteram sancti Theodulfi, tertiam sancti Rigoberti constituit ; quas simul accendens, quæ superaret ardendo, probare disposuit. Quo facto, dum superdurat flagrando quæ beati fuerat nomine Rigoberti, mulier id reputans Deo placitum, eidem sancto fieri votum suum instituit. Continuo aliam instaurans candelam, hujus almi viri duntaxat venerationi dicatam, veniensque ad locum designatum, munusculum obtulit; et ante quiescentia sancti Dei pignora post orationem dormivit, evigilansque desideratam se sospitatem recepisse probavit.

Post annos novem hujus beati præsulis ossa Remorum perferuntur in urbem, et in basilica sancti Dionysii honore dicata locantur, ubi canonicorum sepultura Remensium tunc habebatur. Erat tunc quædam mulier cæca, in villa quam vocant Alamannorum cortem [*Aumenancourt*], quæ dormiens audivit in somnis vocem dicentem sibi : Quid hic facis ? cur jaces ? Crastina die pontifex Hincmarus et canonici Remenses sanctum transferent Rigobertum. Vade ad illum, et ille te adjuvabit. At illa diluculo consurgens acceleravit, candelam secum deferens, advenire. Quæ mox ad loculum beati pignoris accessit, lumen olim amissum recipere meruit. Surdus etiam quidam translationis hujus æque die veniens, ut locellum sacri corporis bajulum tetigit, auditum statim recepit qui tali quoque modo se retulit accersitum. Noctu siquidem in diversorio quiescentem persona quædam incognita leviter [*i*, leniter] hunc in latere percussit et excitavit, excitatumque vocavit. Sensit ille tangentem, sed non audivit, utpote surdus, vocantem. Audierunt tamen qui secum aderant in domo vocem ad sanctum Rigobertum ire quantocius eum admonentem, licet viderint neminem. Qui confestim abiit, et salutem diu desideratam invenit.

Hujus beati Patris membra veneranda, quoniam ecclesia prænotata necessitate muri civitatis, ob infestationem paganorum construendi, evertebatur, Fulco præsul urbi postmodum intulit, et in medio ecclesiæ beatæ Dei genitricis Mariæ post altare sanctæ crucis collocavit ; ubi plures etiam cum fide accedentes optatam reperere medelam. His fere diebus monachus quidam cœnobii beatissimi Remigii, nomine Sigloardus, validissima febre correptus, impos quoque mentis effici videbatur. Qui dum quadam nocte cubitum perrexisset, incœnatus tamen, et quiescere nullatenus sineretur, arctatus undique, beatum Rigobertum auxilium sibi ferre clamans, invocat, et optatam protinus sanitatem recuperat.

Post aliquantum temporis deferuntur hujus sancti viri pignora in pagum Veromandensem ad villam Nemincum, quam Odalricus comes ecclesiæ Remensi tunc temporis contulerat, et Fulco præsul canonicorum victui deputarat, ubi quidam commanebat in proximo præsbyter, nomine Signinus, qui magno cruciabatur dentium dolore. Hic audiens hæc pretiosa illuc delata membra, quoniam victus ægritudine impediebatur adire, candelam illo studuit transmittere. Ac licet absens corpore, precibus tamen et lacrymis sanctum Domini Rigobertum non distulit exorare, quatenus per ipsius interventum medelam meretur accipere. Qui mox ut munusculum ejus ad sancti locu-

lum pervenit, medicum cœlestem sibi adesse, recepta sanitate, sentire promeruit. Et confestim ad locum sacri medicatoris profectus est, totumque se in lacrymis ante ipsius effundens memoriam, gratias retulit, et quanta sibi per ejus invocationem Patris fecerit Dominus, indicavit. Nec longum post hæc urbi Remensium sacra membra revocarunt, et ecclesia sancti Dionysii extra murum civitatis canonicorum Remensium studio, sumptibusque constructa, ibidem cum beati Theodulfi pignoribus honorifice venerantur illata.

CAPUT XVI.

De Abel ejus successore.

Beatum Rigobertum secutus Abel in episcopatus ordine reperitur, quamvis eum quidam corepiscopum tantum fuisse tradant. Pontificem tamen illum exstitisse diversis invenimus assertionibus, et maxime in epistolis Zachariæ papæ ad sanctum Bonifacium directis (Zachar. *epist.* 85, tom. III *Concil.*), in quarum una commemorat, intimasse prædictum beatum Bonifacium suis litteris inter cætera, quod tres episcopos per singulas metropolitanas urbes ordinasset, id est, Grimonem in civitate quæ dicitur Rotomus, secundum vero Abel in civitate quæ dicitur Remorum; tertium denique Hartbertum in civitate quæ dicitur Senonis: « Qui et apud nos, inquiens, fuit, et tua nobis pariter, et Karlomanni atque Pippini detulit scripta, per quæ suggessisti, ut tria pallia iisdem tribus prænominatis metropolitanis dirigere deberemus, quod et largiti sumus pro adunatione et reformatione Ecclesiarum Dei. » Item in alia ipsius ad eumdem epistola (Zachar. *epist.* 9, al. 4): « De episcopis vero metropolitanis, id est Grimone, quem nos jam compertum habemus, Abel, sive Hartberto, quos per unamquamque metropolim per provincias constituisti, hos per tuum testimonium confirmamus, et pallia dirigimus ad eorum firmam stabilitatem, et Ecclesiæ Dei augmentum, ut ita meliori proficiat statu. Qualiter enim (*i.* etiam) usus pallii sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant hi qui pallii usu licentia conceduntur, eis direximus, informantes eos, ut sciat quod (*ms. i.* quid) sit pallii usus, et subjectis viam prædicare salutis, ut ecclesiastica disciplina in ecclesiis eorum immutilate servetur, et maneat inconcussa: et sacerdotium, quod in eis fuerit non pollutum, ut antea fuit, sed mundum, et acceptum Deo esse possit, quantum humana conditione (*al. ms.* conditio) valet; ita ut nullus reperiri possit sacris deviare canonibus, et sacrificium mundum eorum ab eis immoletur; ita ut Deus in eorum placetur muneribus, et populus Dei purificatus mentibus ex omni squalore sincerum exhibere valeant Christianæ religionis officium. » Sed et quædam chartæ ipsius episcopi reperiuntur, nomine titulatæ.

De quo etiam præfatus Adrianus papa in præmemorata epistola ad Tilpinum archiepiscopum, post illa, quæ superius præmissa sunt, ita subinfert (Adrian. I, *ubi supra*, c. 13): « Sanctæ memoriæ Bonifacius archiepiscopus et legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et præfatus amabilissimus Fulradus Franciæ archipresbyter, tempore antecessorum nostrorum Zachariæ et Stephani (*Steph.* II) successoris illius, multum laboraverunt, ut bonæ memoriæ prædecessor noster dominus Zacharias pallium archiepiscopo Remensi, Abel nomine, per deprecationem suprascripti Bonifacii transmitteret, quod (*i.* qui) ab illo constitutus fuit, sed ibi permanere permissus non fuit, sed magis contra Deum ejectus est et Remensis Ecclesia per multa tempora, et per multos annos sine episcopo fuit, et res ecclesiæ de illo episcopatu ablatæ sunt, et per laicos divisæ sunt, sicut et de aliis episcopatibus, maxime autem Remensi metropolitana civitate.

CAPUT XVII.

De Tilpino episcopo.

Præmissos in episcopatu sequitur Tilpinus, ex monasterio sancti Dionysii assumptus, cui magnus Karolus ab Adriano papa impetrasse pallium reperitur, sicut ejusdem papæ ad ipsum directa pandit epistola, quæ ita incipit:

« Adrianus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri nostro Tilpino Ecclesiæ Remensis archiepiscopo (7).

« Quia ad petitionem spiritalis filii nostri et gloriosi regis Francorum Karoli, præbente tibi bonum testimonium de sanctitate et doctrina Fulrando amabilissimo abbate, Franciæ archipresbytero, pallium secundum consuetudinem tibi transmisisse nos cum privilegio ut metropolis Ecclesia Remensis in suo statu maneret, et (*ms. i. omit.* et) bene memoramus: » Et post aliquanta, quæ de sancto Rigoberto, et Abel superius jam præmissa sunt, cum de rebus ecclesiæ Remensis ablatis loqueretur: « Et tua, inquit, fraternitas jam ex magna parte ipsas res apud gloriosum filium nostrum Karolum, et ante ad Carlomannum fratrem ejus impetratas habes, et ordinem ex aliqua parte, et in episcopiis, et in aliis secundum canonicam, et sanctæ sedis Romanæ auctoritatem directum habes; propterea petisti a nobis, tibi et ecclesiæ tuæ fieri privilegium ex auctoritate beati Petri principis apostolorum et sanctæ sedis Romanæ, ac nostra, ut quod perfectum habes in ante valeat permanere, et quod adhuc perfectum non habes, per nostram auctoritatem possis, auxiliante Deo, et B. Petro apostolo ad perfectionem perducere. Pro quo et nos ardenti animo, et divino juvamine apostolica fulti auctoritate, non solum vetera secundum sacros canones, et apostolica hujus sanctæ sedis decreta statuimus, sed et nova tibi pro tuo bono studio concedimus, atque, auctoritate B. Petri principis apostolorum, cui data est a Deo et Salvatore nostro Jesu Christo ligandi, solvendique potestas peccata hominum in cœlo et in terra (*Matth.* XVI; *Joan.* XXI), confirmamus atque solidamus Remensem ecclesiam sicut et antiquitus fuit, metropolim permansuram, et primam sui diœceseos, sedem esse,

(7) Non exstat inter ejus epistolas.

et te qui, in eadem sede, cooperante Deo, ordinatus es, primatem ipsius diœcesis esse, cum omnibus civitatibus quæ ab antiquo tempore Remensi metropoli ecclesiæ subjectæ fuerunt, atque etiam perpetuis temporibus tibi et successoribus tuis sit confirmatum. Et hoc interdicentes, ut nullus audeat juxta sanctorum canonum traditionem, ex alio episcopatu ibidem translatare, aut constituere episcopum post tuam de hoc sæculo evocationem. Neque aliquis tuas parochias, aut ecclesias, vel civitates subtrahere, neque diœcesim Remensem ullo unquam tempore dividere, sed integra maneat, sicut antiquitus fuit, et sacri canones et prædecessorum nostrorum firmavit, et nostra firmat auctoritas. Et te, aut futuris temporibus Remensem episcopum, et primatem illius diœcesis, non præsumat, neque valeat unquam aliquis de episcopatu dejicere sine canonico judicio, et neque in illo [*ms. i,* ullo] judicio sine consensu Romani pontificis, si ad hanc sanctam sedem Romanam, quæ caput esse dignoscitur orbis terræ, appellaverit in ipso judicio. Sed in sola subjectione Romani pontificis permanens, diœcesim et parochiam Remensem, adjuvante Domino, et nostra atque B. Petri fultus ex ista sancta sede auctoritate, secundum sanctos canones et hujus sanctæ sedis preceptiones, tibi subjectos ita certes et studeas gubernare, ut illam desiderabilem vocem Domini nostri Jesu Christi valeas cum electis ejus audire : *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam ; intra in gaudium domini tui* (*Matth.* XXV). Et quod ad nostram notitiam perduxisti, quia ad alios episcopos de ipsa diœcesi Remensi quidam accipiebant ordinationes, et habebant indebita refugia, et hoc per omnia prohibemus, sed sicut sacra docet auctoritas, et in synodis comprovincialibus convocandis et faciendis, et in ordinationibus, ac dijudicationibus, Remensis ecclesia, et archiepiscopus, qui in ea constitutus fuerit, talem habeat auctoritatem, sicut sacri canones, et hujus sanctæ Ecclesiæ constitutiones docent. Et nullus per ullum unquam tempus tibi, vel Remensi Ecclesiæ, de rebus ad illam debite pertinentibus divisionem vel violentiam, sicut antea factum fuit, facere præsumat. Nam si, quod non credimus, quis ille fuerit, qui contra hanc nostram præceptionem temerario ausu venire tentaverit, nisi se cito, et maxime post commonitionem correxerit, sciat se æterno Dei judicio anathematis vinculo esse innodatum ; si quis vero apostolica servaverit præcepta, et normam rectæ et orthodoxæ fidei fuerit assecutus, benedictionis gratiam consequatur. Hæc a nobis diffinita per hujus nostræ confirmationis paginam, in tua ecclesia perpetuis temporibus pro sui confirmatione conservanda esse mandamus. Injungimus etiam fraternati tuæ, ut quia de ordinatione episcopi, nomine Lul, sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ ad nos quædam pervenerunt, assumptis tecum Viomago et possessore episcopis, et missis gloriosi ac spiritalis filii nostri Karoli Francorum regis, diligenter inquiras omnia de illius

A ordinatione, et fidem ac doctrinam illius, atque conversationem et mores, ac vitam investiges ; ut si aptus fuerit et dignus ad episcopalem cathedram gubernandam expositam et conscriptam, et manu sua propria subscriptam catholicam et orthodoxam fidem per missos suos cum litteris ac testimonio tuo seu aliorum episcoporum, quos tecum esse mandavimus, ad nos dirigat, ut pallium illi secundum consuetudinem transmittamus et ordinationem illius firmam judicemus, et in eadem sancta ecclesia Moguntina archiepiscopum constitutum esse faciamus. Bene vale.

Qui præsul res ecclesiæ diversa per loca direptas tam per se apud regiam majestatem, quam per auctores ecclesiæ, diversos apud judices legibus obti-
B nuit, et ecclesiastico juri restituit ; maximeque per quemdam Achabbum, qui tam in Francia, quam etiam trans Ligerim pro rebus ecclesiæ revocandis operose laboravit, et tam prædia quam mancipia multa legibus evindicata Ecclesiæ reformavit. Possessionibus quoque vel mancipiis a quibusdam dato pretio coemptis, res auxisse præsul iste reperitur ecclesiæ ; nonnullarum quoque jura villarum dispositis ordinasse coloniis. Sed et sacrarum codicibus Scripturarum, quibus adhuc aliquibus quoque utimur, hanc instruxit Ecclesiam. In cœnobio denique sancti Remigii monachos ordinasse, ac monastica vita eos traditur instituisse, cum canonicos prius idem cœnobium a tempore Gibehardi abbatis, qui eamdem congregationem, ob amorem Dei et sancti Remigii
C reperitur aggregasse, ad hoc usque tempus habuisse feratur. Immunitatis denique præceptum a Karlomanno rege filio Pippini, primo mox regni ejusdem anno, ecclesiæ Remensi obtinuit, ad exemplar immunitatum quas ipsius prædecessores reges huic contulerant ecclesiæ : quarum ostendere quoque curavit ei monimenta ; ut nullus scilicet judex publicus in hujus ecclesiæ terras auderet ingredi ad mansiones parandum, vel quælibet judicia facere, aut penitus xenia ibi requirere. Sed quæcumque antecessores ejus eidem concesserant ecclesiæ, perpetualiter habere valeret indulta. Postea quoque aliam ejusdem regis de omnium teloneorum remissione impetravit præceptionem ; item, aliam de ponte Baisonensi ; item de chartis concrematis, quarum
D tunc temporis per negligentiam acciderat exustio, ut res, et facultates ecclesiæ, quas eo tempore possidebat, ita permanerent absque diminutione confirmatæ ipsi ecclesiæ per regiam ejus auctoritatem ; item de militibus, qui in villa Juviniaco residentes erant super terram sanctæ Mariæ, et sancti Remigii, concessa, remissaque ipsis omni quam debebant exactione militiæ. Item, aliud de his qui in Cruciniano, Curba villa, vel in omni pago Tardonensi infra terram Remensis ecclesiæ residebant. Dedit etiam idem Karlomannus rex sub hoc pontifice per chartarum instrumenta, pro loco sepulturæ vel remedio animæ suæ, villam Novilliacum in pago Urtinse sitam, cum omnibus terminis vel appen-

ditus sit, omnique integritate ad basilicam vel monasterium sancti Remigii, ubi sepulturam quoque habere dignoscitur. Cujus germanus Karolus imperator magnus huic præsuli Tilpino pallium per legatos et litteras suas obtinuit ab Adriano papa, sicut in ejusdem papæ litteris ad ipsum regem super hac ipsius petitione directis, continetur. Immunitatis quoque præceptum ab hoc etiam rege, juxta præcedentium exemplaria regum, Remensi ecclesiæ idem præsul impetravit ; item, aliud præceptum de militibus pagi Tardonensis, juxta cessionem germani sui Karlomanni regis ; item, de chartis concrematis ; item, de confirmatione traditionis prælati germani sui regis, qua Novilliacum, et Bolonacum villas idem rex ad basilicam sancti Remigii condonavit. Præterea multi sub hujus præsulis episcopatu res suas ad ecclesiam Remensem, tam sanctæ Mariæ, quam sancto Remigio, contulerunt. Qui præsul defunctus est anno sui episcopatus 47, cujus corpus ad pedes sancti Remigii tumulatum, hujusmodi cernitur habere titulum :

Hoc requiescit humo Tilpinus præsul honoris,
  Vivere cui Christus vita et salus fuit.
Hanc Remis populo mercem Dionysius almus
  Præbuerat vigilem misit, et esse Patrem,
Quem pascens quadraginta est amplius annis,
  Vestibus sanctitatis [illegible]
Quartas cum Nonas mensis September haberet,
  Mortuus pro quo Christus, mors sibi vita manet.
Et quisquis hæc legis, [illegible] Hincmar
  Huic fecit tumulum, composuit titulum.

CAPUT XVIII

De Vulfario episcopo.

Tilpinum sequitur Vulfarius, qui ab imperatore præfato magno Karolo missus dominicus ad recta judicia determinanda fuerat ante episcopatum constitutus super totam Campaniam : in his quoque pagis, Dulomense scilicet, Vongense, Castricense, Stadonense, Catalaunense, Otmense (*al.* Ormense), Laudunense, Vadense, Portiano, Tardunense, Suessionense, sicut et alii quidam sapientes, et Deum timentes habebantur abbates per omnem Galliam et Germaniam a præfato imperatore delegati, quo diligenter inquirerent, qualiter episcopi, abbates, comites et abbatissæ per singulos pagos agerent, qualem concordiam et amicitiam ad invicem tenerent, et ut bonos et idoneos vicedominos et advocatos haberent, et ubicumque necesse fuisset, tam regias, quam ecclesiarum Dei justitias, viduarum quoque et orphanorum, sed et cæterorum hominum inquirerent, et perficerent, et quodcumque emendandum esset emendare studerent, in quantum melius potuissent, et quod emendare per se nequivissent, in præsentiam imperatoris adduci facerent, et de his omnibus eidem principi fideliter renuntiare studerent. Residens igitur præfatus vir illustris Vulfarius ad injuncta sibi definienda judicia, cum quibusdam comitibus et missis publicis, jam quoque vocatus episcopus adhuc etiam antequam ordinaretur, res quasdam Remensi ecclesiæ, sed et mancipia nonnulla, vel colonos reinquisisse, ac legibus per ecclesiæ advocatos evindicasse reperitur. Necnon etiam postquam præsul ordinatus est, plura invenitur ecclesiæ conquisisse, et res et colonos, tam apud regiam majestatem quam apud colonos et judices publicos, nec solum per auctores ecclesiæ, sed etiam quando per sui præsentiam. Cui valde credidisse Carolus imperator magnus ex eo probatur, quod illustres Saxonum obsides quindecim quos adduxit de Saxonia, ipsius fidei custodiendos commisit.

Hic synodum invenitur habuisse anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 814 in ecclesia Noviomensi, regnante Ludovico filio Karoli, congregatis secum coepiscopis suis Hildoardo, Ermenone, Jesse, Ragumberto, Grimboldo, Rothardo, Wendilmaro, Ostroaldo, et chorepiscopis Waltario, Sperno, necnon et abbatibus Adalhardo, Nantario, Fulrado, Ericho, Hilderico, Remigio, Ebbone, Sigbaldo, cum cætero clero, presbyteris et diaconibus ; convocatis etiam comitibus Gunthardo, Rotfrido, Gisleberto, Otmero. His omnibus residentibus, sententia ventilata est inter Wendilmarum et Rothardum episcopos de terminis parochiarum suarum, et requisitum ac definitum est, quod hæc loca trans fluvium Isaram in pago Noviomensi pertinere deberent ad parochiam ecclesiæ Noviomensis, id est, Varinæ, Urbscampus, Frapiacus, Jerusalem, Harbaudianisva, sive ecclesia sancti Leodegarii, cum reliquis villis ad has ecclesias convenientibus. Cætera vero loca trans supradictum fluvium, in prædicto pago, omnia pertinere deberent ad parochiam ecclesiæ Suessionicæ. Hæc diligentissime investigata consenserunt supra scripti episcopi, et chorepiscopi, abbates, presbyteri et diaconi, et pars ecclesiæ Noviomensis, clerici et laici ; et pars ecclesiæ Suessonicæ, similiter clerici, et laici, et uno animo unoque consensu confirmare decreverunt. Nec suæ tantum diœceseos, quin etiam Trevericæ urbis archiepiscopum Amalarium, cum Adalmaro ipsius coepiscopo, et Herilando, jussione imperatoris magni Karoli, ab eodem scilicet Vultfario metropolitano convocatum ad ordinationem episcopalem cujusdam Frotharii, præfatæ Treverensis ecclesiæ presbyteri, eidem paruisse reperimus. Hoc etiam Vulfario præsule ordinante, congregatum reperitur Remis ab imperatore Karolo Magno concilium plurimorum Patrum, in quo constituta 43, leguntur capitula, in quibus de fidei ratione atque Dei Ecclesiæ honore, rectorumque ipsius ac ministrorum dispositione, regisque fidelitate, atque totius regni utilitate tractatum est.

Quasdam præterea villas ecclesiæ Remensis rite distributis atque descriptis ordinavit colonis. Sed et res ecclesiæ aliquas, mancipiaque, cum personis quibusdam pro partium commutavit opportunitate. De thesauris etiam sanctæ Mariæ, ac sancti Remigii nonnulla cum testimonio virorum illustrium, tam clericorum quam laicorum mutavit (*al.*, mutuavit), et ornamenta vel vasa ecclesiastica exinde, prout dignum sibi visum fuit, fabricari fecit. Eundi denique Romam causa orationis ad sanctum Petrum licentiam ab imperatore se accepisse in quadam sua

designat epistola : sed utrum ierit, certum non habemus. Redditus autem villarum quarumdam ecclesiæ in eleemosyna probabiliter, pro sui corporis et animæ salute distributi, quibusdam adhuc descriptionibus tunc factis leguntur; in quibus inveniuntur inter Termidum, Grandem pratum, Vindicum, Furvillam [*ms.*, Furnillam], Gramadum [Graviagum], Pidum, Cadevellum, et Cortem Magnaldi, in distributione eleemosynæ de annona modii 1975 (*l.*, 167). De animalibus inter majora et minora capita 168. Item inter villas Fagum, sive Boleticum, et alias quasdam annonæ modii 1052, vini mod. 64, salis modii 5, cum diversis animalibus, et aliis variis rebus expensa. Ad opus quoque fratrum Orbacensis cœnobii quantum sufficeret eis. Unde datur intelligi, in majoribus quoque locis multa tunc plura fuisse dissipata. Immunitatis quoque præceptum ab imperatore Ludovico, secundum præceptionem Karoli Augusti patris ipsius, ecclesiæ Remensi, monasterioque sancti Remigii obtinuit.

CAPUT XIX.

De Ebone præsule.

Huic successit Ebo, vir industrius et liberalibus disciplinis eruditus, patria Transrhenensis ac Germanicus, imperatoris, ut fertur, Ludovici collactaneus, et conscholasticus, qui multis ecclesiam curavit instruere commodis, et præcipue artificibus quibus undecunque collectis sedes dedit, et beneficiis muneravit. Mancipia vel colonos quosdam ecclesiæ desertores tam per seipsum, quam per Radulphum vicedominum et ecclesiæ advocatum, apud judices publicos legibus evindicatos et obtentos, ecclesiastico juri restituit. Quasdam quoque res ecclesiæ, atque mancipia, cum aliquibus personis pro partium commoditate commutavit. Sed temporalia super ejusdem commutationibus præcepta obtinuit Ab imperatore quoque Ludovico litteras ad Robertum comitem pro ecclesiasticarum rerum defensione (quas quidam pervadere moliebantur) impetravit. Colonias vero nonnullas ecclesiæ, descriptis per strenuos viros colonis, eorumque servitiis, ordinavit.

Archivum ecclesiæ tutissimis ædificiis, cum crypta in honore sancti Petri, omniumque apostolorum, martyrum, confessorum, ac virginum dedicata, ubi Deo propitio deservire videmur, opere decenti construxit : ubi multorum tam apostolicorum, quam cæterorum sanctorum condita pignora reservantur. In qua nonnullæ illustrationes ostensæ noscuntur. Vidi siquidem nutritoris mei Gundacri, in prospectu ipsius ecclesiæ commanentis, servum, dum temere prope fenestram hujus cryptæ accessisset mingere, terribili quadam quasi armati cujusdam viri visione ita deterritum, ut putaretur amittere sensum Sed et Rohingum quemdam, hujus loci diaconum a simili præsumptione pari ferunt visione cohibitum. Unde cautum deinceps ac prohibitum, ne quis talem præsumere gestiat ausum.

Hujus ecclesiæ pinnaculum talem videtur præmonstrare titulum, personis etiam vel imaginibus Stephani papæ, ac Ludovici Imperatoris insignitum.

Ludovicus Cæsar factus coronante Stephano
Hac in sede, papa magno, tum et Ebo pontifex
Fundamenta renovavit cuncta hæc istius,
Urbs pura ubi videbis, prorsus surgit omnia.

Matris ejusdem Ebonis hujusmodi habetur epitaphium

Mea forte si requiris tempora multa,
Sata Karoli fui regni sub primordia,
Ludovico triumphante dies flavit ultima
Rhenus primos lavit mores, alveus Germanicus.
Hinc nutrivit et secundos Liger amnis Gallicus.
Sequana fovit juventam, reliquos ordine Vidula.
Præsul erat urbis hujus mihi natus unicus,
Idem me conduxit ubi socium laboribus,
Proximum ruinis locum renovandi cupidus,
Decem ferme nuper annos simul hic peregimus.
Ebo rector, ego mater Himiltrudis humilis,
Fundamenta sedis sanctæ pariter ereximus,
Deo debitum laborem dum gerebat pontifex.
Fessa quietem quærebam, ecce sub hoc tumulo
Quinto me September mensis Kalendarum rapuit.
O viator, esto cautus semper ab excessibus.
Fateor non profuisse, ut debui, dum potui :
Veniam, die pro vindicta, da Deus, peccantibus.

Hujus præsulis hortatu Halitgarius Camaracensis episcopus sex libellos De remediis peccatorum, et ordine vel judiciis pœnitentiæ conscripsit. Ad quem talis ejus exstat epistola.

« Reverendissimo in Christo fratri ac filio Halitgario episcopo, Ebo indignus episcopus salutem.

« Non dubito tuæ id notum esse charitati, quanta nobis ecclesiasticæ disciplinæ, quantisque nostrorum necessitatibus, quibus quotidie agitamur, cura constringat. Idcirco, ut tecum contuli, ex Patrum dictis, canonumque sententiis ad opus consacerdotum nostrorum excerpere Pænitentialem minime valui, quia animus cum dividitur per multa, fit minor ad singula. Et hoc est quod in hac re me valde sollicitat, quoniam ita confusa sunt judicia pœnitentium in presbyterorum nostrorum opusculis, atque diversa, et inter se discrepantia, et nullius auctoritate suffulta, ut vix propter dissonantiam possint discerni. Unde fit ut concurrentibus ad remedium pœnitentiæ, tam pro librorum confusione, quam etiam pro ingenii tarditate, nullatenus valeant subvenire. Quapropter, charissime frater, noli teipsum nobis negare, qui semper in divinis ardenti animo disciplinis, ac solerti cura Scripturarum meditationibus perfectissimo otio floruisti. Arripe, quæso, sine excusationis verbo, hujus sarcinæ pondus a me quidem tibi impositum, sed a Domino cujus onus leve est, (*Matth.* XI), levigandum. Noli timere, neque formides hujus operis magnitudinem : sed fidenter accede, quia aderit tibi qui dixit : Aperi os tuum, et ego adimplebo illud (*Psal.* LXXX, 11) Scis enim optime parvis parva sufficere, nec ad mensam magnatorum pauperum turbam posse accedere. Noli tuæ devotionis nobis subtrahere scientiam ; noli accensam in te sub modio ponere lucernam, sed præcelso eam superpone candelabro, ut luceat omnibus, qui in domo Dei sunt fratribus tuis (*Matth.* V, 3), et profer nobis veluti scriba doctus (*Matth.* XIII, 52) quod

accepisti a Domino. Adsit tibi hujus laboris itinere illius gratia, qui duobus discipulis euntibus tertium se socium addidit in via, et aperuit illis sensum, ut sanctas intelligerent Scripturas (*Luc.*, XXIV, 32). Spiritus paracletus omni veritatis doctrina et perfectæ charitatis scientia tua resplendeat pectora, charissime frater. Vale. »

Ad quæ idem talia rescribit Halitgarius.

« Domino et venerabili Patri in Christo Ebboni archiepiscopo, HALITGARIUS, minimus Christi famulus, salutem.

« Postquam, venerande Pater, directas beatitudinis vestræ accepi litteras, quibus me hortari dignati estis, ne mentis acumen inertiæ, torpentique otio submitterem, sed cognitioni ac meditationi quotidie sacræ Scripturæ me vigilanter traderem : et insuper ex sanctorum Patrum, canonumque sententiis Pœnitentialem in uno volumine aggregarem, durum quidem mihi, et valde difficile, tremendumque hoc fuit imperium, ut hanc susciperem sarcinam, quam a prudentibus cognosco relictam. Multumque renisus sum voluntati vestræ, non velut procaciter durus, sed propriæ infirmitatis admonitus. Hac etenim cura sollicitus necessarium duxi, ut aliquandiu me a scribendi temeritate suspenderem, quia sicut perpendi injuncti operis difficultatem : ita et injungentis auctoritati nec volui, nec debui usquequaque resistere, certus quia imbecillitatem meam multo amplius vestra adjuvaret præcipientis dignitas, quam gravaret meæ ignorantiæ difficultas. Valete. »

Hic Ebo præsul supra memoratum papam Stephanum cum Ludovico rege Remis suscepit, postquam rex idem Sclavos in Oriente positos directo devicit, et oppressit exercitu : quando præfatus papa Stephanus, qui Leoni successerat, legatos suos ad eumdem principem destinans, intimavit ei, quod libenter eum videre vellet in loco ubicunque ipsi placuisset. Quod audiens rex, magno repletus gaudio, jussit obviam missos suos ire summo pontifici, et servitia præparare. Post quos et rex ipse perrexit ; obviaveruntque sibi in campo magno Remensium, et descendit uterque de equo suo. Et princeps prostravit se in terram tertio ante pedes tanti pontificis, salutaveruntque se invicem magnifice, et amplexantes se deosculati sunt pacifice, perrexeruntque ad ecclesiam, ubi cum diu orassent, erexit se pontifex, et excelsa voce cum choro suo fecit regi laudes regales. Postea pontifex honoravit eum magnis et multis honoribus, ac reginam pariter Hirmingardim, deinde et optimates atque ministros eorum. Proximaque die Dominica, in ecclesia ante missarum solemnia, coram clero et omni populo, consecravit et unxit eum in imperatorem, coronam miræ pulchritudinis auream, pretiosissimis gemmis ornatam, quam secum detulerat, imponens super caput ejus. Reginam appellavit Augustam, et coronam auream posuit super caput ejus. Et quandiu mansit ibi apostolicus papa, quotidie colloquium habuere de utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ. At postquam imperator eum maximis muneravit donis, amplioribus multo quam suscepisset ab eo, dimisit eum cum legatis suis Romam reverti, quibus præcepit ubique in itinere honestum ei servitium exhibere.

Cupiens ergo præfatus pontifex Ebo domum ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ diuturna pene lapsabundam vetustate reparare, in qua etiam secundus Stephanus papa Pippino regi dudum, et Leo tertius Karolo magno imperatori apostolica reperiuntur munia contulisse, ut in epistola commemoratur imperatoris Lotharii Leoni quarto, pro causa commendationis Hincmari archiepiscopi directa (*infra lib.* III, c. 10), petiit a præmisso imperatore Ludovico ad renovandam et amplificandam eamdem basilicam murum civitatis sibi concedi. Quod idem princeps quietissima pace fruens, et imperii præclarissima potestate subnixus, nullas barbarorum metuens incursiones, nequaquam refutavit, sed benignissime ob amorem Dei, et ipsius almæ genitricis honorem concessit, atque jussionis suæ monimento fieri delegavit, hujusmodi super hoc suæ dans præceptionis decreta.

« In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus. Si locis venerabilibus ea quæ exinde a prædecessoribus nostris, regibus vel imperatoribus, ad reipublicæ usus exigebantur, religiosa liberalitate in utilitatibus et necessitatibus eorumdem sanctorum locorum expendendis remittimus, et fidelium nostrorum saluberrimis pro hac eadem re suggestionibus ac petitionibus benignum commodamus assensum maximum et animæ nostræ, et regi ac regno providemus consultum, quia nihil cernitur reipublicæ imminutum, quidquid ex eadem republica piis actibus, et locis religiosis, ac ecclesiarum Dei utilitatibus, seu servorum Dei fuerit commoditati indultum. Quapropter notum esse volumus omnibus Dei fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, præcipue quoque successoribus nostris in potestatis culmine in quo sumus, auctore Domino, constituti, ab eodem dominorum Domino deinceps constituendis : quia Ebo venerabilis archiepiscopus Remensis Ecclesiæ, et reverendissimæ sedis sancti Remigii, gloriosissimi pontificis, et specialis patroni nostri præsul, clementiæ nostræ innotuit, quia vetustatis senio contrita jam dictæ metropolis urbis sancta mater nostra ecclesia, in honore sanctæ, semperque virginis ac genitricis Mariæ consecrata, existeret. In qua auctore Deo, et cooperatore (*ms.*, cooperante) S. Remigio gens nostra Francorum, cum æquivoco nostro rege ejusdem gentis, sacri fontis baptismate ablui, ac septiformis Spiritus sancti gratia illustrari promeruit. Sed et ipse rex nobilissimus ad regiam potestatem perungi Dei clementia dignus inventus fuit. Ubi etiam et nos divina dignatione per manus domini Stephani Romani summi pontificis, ad nomen et potestatem imperialem coronari meruimus. Quam pro tantis beneficiis nobis ibidem a Deo collatis renovare cu-

pientes, et ad id exsequendum loci incommoditatem cernentes, concedimus ad hoc opus, et ad cætera quæque pro servorum Dei ibidem degentium necessitatibus ædificanda, murum omnem cum portis ipsius civitatis, et omnem operam cum cunctis impendiis, quæ ex rebus et facultatibus ipsius ecclesiæ et episcopatus Remensis Aquis palatio nostro regio peragi et exsolvi solitum fuerat, in eleemosyna videlicet nostra, et pro remedio animæ domni ac genitoris nostri, atque cæterorum prædecessorum nostrorum, qui eumdem episcopatum contra salutem suam aliquandiu tenuerant, et in suos usus contra ecclesiasticas regulas, et res ac facultates ecclesiæ ipsius expenderant; et ob hoc minus quam debuerat utilitatis sacris locis in eodem episcopatu constitutis exinde provenerat. Volumus etiam, ut vassalli, et quicunque fideles nostri ex rebus ejusdem episcopatus aliquid habent, eidem operi inserviant, sicut constitutum est a bonæ memoriæ domno et genitore nostro, et sicut decretum est a piæ recordationis domno et avo nostro Pippino, decimas et non eidem ecclesiæ sanctæ ex rebus, quas exinde habent, persolvant. Vias etiam publicas omnes, quæ circa eamdem ecclesiam vadunt, et impedimento esse possunt ad claustra, et servorum Dei habitacula construenda, ut transferri atque immutari possint, concedimus. Et si aliquid ibi fisco nostro habetur, per hoc nostræ auctoritatis præceptum perpetuo æque concedimus, ut nullus judex, comes, aut missus, sive aliquis ex judiciaria potestate, ullam inde eidem sanctæ Dei prædictæ Remensi ecclesiæ inquietudinem, aut ullum calumniæ impedimentum inferre unquam præsumat, obsecrantes successores nostros, ut memores salutis suæ, præsentis scilicet et æternæ, memores etiam beneficiorum, quæ nobis et genti nostræ ac prædecessoribus nostris in eodem sancto loco, per B. Remigium, meritis S. Mariæ collata sunt, sicut sua bene gesta a suis successoribus conservari voluerint, ita quæ pro amore Dei, et sanctæ ejus genitricis ac beati protectoris nostri Remigii sæpe fato sancto loco contulimus, perpetuo inviolabiliter conservare procurent. Et ut hæc nostra concessionis auctoritas per futura tempora pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, annuli nostri impressione subtersignari decrevimus. »

Sed et quemdam fabrum servum suum, nomine Rumaldum ad petitionem ejusdem, præsulis ecclesiæ Remensi concessit, ut hic de talento a Domino sibi collato, juxta vires diebus vitæ suæ proficeret; Quam etiam cessionem apicum adnotatione et annuli sui sigillatione roboravit. Aliud quoque præceptum de vitiis publicis transmutandis ob quasdam clausuras in locis vicinis ipsius urbis faciendas, et multimoda ecclesiæ compendia, eidem pontifici dedit, quod et annulo suo insignivit. Præterea de restituendis eidem sanctæ sedi prædiis, quæ illi quondam fuerant ablata, una cum filio Lothario Cæsare talem præcepti dedit auctoritatem.

« In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia imperatores Augusti. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas nostro relevamus juvamine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quod sanctam Remensem ecclesiam, in qua prædecessores nostri reges videlicet Francorum fidem et sacri baptismatis gratiam perceperunt, in qua et nos per impositionem manus domni Stephani papæ imperialia sumpsimus insignia ob reverentiam fidei Christianæ, et ob animæ nostræ salutem, ab imo construi fecimus. eamque in honorem Domini nostri Jesu Christi Salvatoris mundi, simul et in honorem ejusdem sanctæ et intemeratæ genetricis Mariæ consecrari decrevimus. Itaque, divina inspiratione compuncti, et cœlestis patriæ amore succensi, quædam prædia, quæ eidem sanctæ sedi quondam ablata fuerant devota mente restitui jussimus, id est, in suburbanis ipsius sanctæ ecclesiæ titulum S. Sixti, necnon et titulum S. Martini, cum appendiciis eorum. Exterius etiam in eadem parochia, in castro Vonzensi titulum baptismalem, et titulum in eadem parochia S. Joannis similiter baptimalem. suis cum appendiciis, et Bretiniacum : villam quoque Sparnacum cum appendiciis suis, et in villa quæ vocatur Lucida [*Lude*], necnon et in Proviliaco [*Prouilly*] in eodem pago Remensi. In pago vero Dulcomensi villam, quæ vocatur Cavera [*i*, Canera], necnon et in villa quæ dicitur Verna in pago Vertudense. Vel si forte deinceps de rebus prædictæ sanctæ ecclesiæ temporibus nostris adhuc superaddendum decrevimus, statuimus, per hoc nostræ auctoritatis præceptum, ut non tantum de istis restitutis, sed etiam restituendis, quidquid de ipsis vel in ipsis rectores et ministri præmemoratæ ecclesiæ elegerint, ita debeant perpetualiter possidere, atque ordinare, vel etiam facere, proutcunque sibi propensius voluerint, ut absque ullius injusta contradictione ordinent atque disponant, et faciant quidquid utilitati prædictæ ecclesiæ congruere et convenire prospexerint. Et ut hæc nostræ auctoritatis confirmatio præsentibus futurisque temporibus firmiorem in omnibus semper obtineat vigorem, manibus propriis subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus. »

Obtinuit etiam idem præsul ab eodem imperatore Ludovico Remensi ecclesiæ, secundum antiqua exemplaria priscorum regum immunitatis præceptum. Aliud quoque præceptum de ponte Bansionensi, et teloneis, vel exactionibus publicis ; item, aliud de chartis concrematis secundum auctoritatem imperatoris Karoli ; item, a Pippino Aquitanorum rege præceptum immunitatis de rebus Remensis ecclesiæ in pago Avernico sitis. De villa vero Sparnaco semotim quoque præceptum Ludovici, atque

separatim postea praeceptum Lotharii filii ejus reperitur accepisse. Hic praesul Ebo cum consilio Ludovici imperatoris, et auctoritate Paschalis Romani pontificis praedicandi gratia ad terminos usque Danorum accessit, ac multos ex eis ad fidem venientes baptizavit.

Orta denique simultate inter patrem et filium Ludovicum, scilicet imperatorem, et Lotharium, partibus filii favit, et cum caeteris episcopis corripuit imperatorem Ludovicum pro quibusdam erratis, quae ei objiciebantur, quando filii sui comprehenderunt eum, et Lotharius adduxit senem patrem ad Compendium (*Compiegne*) palatium, ubi eum afflixit cum episcopis et caeteris nonnullis optimatibus (*ms. c.* primatibus), qui jusserunt ut in monasterium iret, et esset ibi cunctis diebus vitae suae. Quod ille renuens non consensit voluntati eorum. Tunc omnes episcopi qui aderant, molesti ei fuisse narrantur, et deprecantes illi poenitentiam, abstulerunt ei gladium a femore suo, induentes eum cilicio.

Dum frequenter igitur Ebo praesul in palatio tunc moraretur, hujusmodi de eo in monasterio sancti Remigii visio revelata est. Erat ibi monachus quidam, nomine Radninus, genere Longobardus, qui decanus quondam exstiterat monasterii quod in monte Bardonis in Italia beatissimi Remigii celebri pollet memoria, Moderamini Redonensis episcopi studio decorata. In quo monasterio, dum praelatus Radninus monachicae professionis gereret officia, ductus amore meritorum beati Remigii, sepulcri ejusdem limina petiit. Qui cum fratribus ejusdem loci vitam ducens religiosam, digne sese ad coelestem satagebat praeparare militiam. Quadam vero die, sacrae scilicet assumptionis sanctae Dei Genitricis, post expletum matutinae solemnitatis officium, reliquis fratribus quietem petentibus, ille precis gratia solus remansit in choro, custodibus ecclesiae quiescentibus. At ubi psalmorum continuatione fatigatus, irrepenti coepit soporari somno, vidit a loco sepulcri sancti pontificis ipse Remigii procedere beatissimam Dei Genitricem nimio lumine coruscantem, cujus haerebant lateribus evangelista Joannes, et ipse sacer Remigius; sicque se visi sunt compositis adire gradibus. Superposita vero manu Virgo gloriosa leniter ejus capiti: Quid hic, inquit, agis, frater Radnine? quo mox pedes illius osculari procumbente, adjecit: Ubi modo degit Ebo Remensis archiepiscopus? Quo respondente: palatina jussu regis exsequitur negotia. Et cur, inquit, tam sedulo palatii terit limina? prorsus hinc nequaquam majore ditabitur sanctitatis efficacia. Veniet enim, veniet celerrime tempus, quando non prosperabitur in talibus. Quem nihil ad haec audentem respondere, tali prosequens affatur allocutione: Quae vestrorum versatur apud homines regum disceptatio? Tunc eo respondente: Domina Genitrix Salvatoris mundi, tuae melius novit hoc sanctitatis incorruptio, ait, quid tantae malo cupiditatis illecti vana nunc grassantur audacia. Illud enim tunc aderat tempus, quando filiorum suorum contumeliis agebatur imperator Ludovicus. En, inquit, hunc astringens manum sancti Remigii auctoritas est, a Christo tradita, Francorum perseveranter imperii. Equidem sicut hanc gentem sua doctrina percepit ab infidelitate gratiam convertendi, sic etiam donum semper inviolabile possidet eis regem vel imperatorem constituendi. Quae beatissima Dei Genitrice dicente, frater praememoratus evigilavit repente.

CAPUT XX.

De Ebonis depositione.

Itaque postquam Ludovicus ab aequivoco filio suo restitutus est in regnum et honorem suum, Ebo propter hujuscemodi factum depositus est ab episcopatu, pro infidelitate imperatoris. Pro qua re ipse jam Jesse Ambianensium praesulem dudum deposuisse traditur, sed nunc eum revocasse fertur in gradum priorem.

De Ebonis autem depositione, requirente postmodum papa Nicolao ab episcopis Galliae, maximeque Belgicae provinciae, haec inter alia in responsis accepit: Quod Ebo Remorum episcopus accepta a Lothario pro patris proditione abbatia sancti Vedasti, falsarum objectionum incentor exstiterit, et taliter criminatum eumdem imperatorem idem Ebo a suis complicibus a liminibus ecclesiae projectum, ac publicae poenitentiae mancipatum, custodiri fecerit (*anno* 834), usque dum in anno incarnationis Dominicae octingentesimo tricesimo quarto, Lotharius territus conventu fratrum suorum, ac plurimorum fidelium patris imperatoris, fuga lapsus patrem suum adhuc ab ingressu ecclesiae sequestratum dimisit. Cum quo inter alios etiam quidam episcopi, fautores ipsius in adversitate patris sui, relictis contra sacra regulas sedibus suis perrexerunt, Jesse videlicet Ambianensis, et Hereboldus Autissiodorensis, Agobardus Lugdunensis, et Bartholomaeus Narbonensis episcopus, et abscedente illo, qui adfuerunt episcopi imperatorem in ecclesia sancti Dionysii reconciliaverunt, et ecclesiasticae communioni restituerunt. Quod Ebo audiens, quibusdam familiaribus suis plenitudinem suorum delegavit hominum, et certum eis placitum dedit, ubi et quando iterum ad eum venirent. Adjicitur etiam quod Ebo plurima, quae de facultatibus ecclesiasticis ferre tunc in argento et auro potuit, secum assumens, cum quibusdam Normannis, qui iter et portus maris ac fluminum mare influentium notos habebant, cum paucis quoque aliis domesticis suis, nullo impetente vel persequente, noctu Remis aufugit, et non solum parochiam suam, verum et Belgicam regionem deseruit, et iter ad Normannos, quibus a Paschali papa (*Paschal. I*), necnon ab Eugenio (*Eug. II*) successore ipsius, sicut epistolis eorumdem praesulum ad ipsum pro hac re datis edocemur, fuerat praedicator destinatus, arripuit. Quod manifestantibus eis, cum quibus hoc consilium iniit, imperatorem latere non potuit. Quapropter imperator eum per episcopos, Rothadum scilicet Suessonicam, et

Erchenradum (*al.*, Arkeur) Parisiorum episcopum, revocari fecit, et in monasterio sancti Bonifacii, ei, et clericis ac laicis qui cum eo erant, necessaria ministrari, et synodum exspectare præcepit. Sed et Hildemannus Belvacensis episcopus insimulatus, quod sicut prælati episcopi, fugam ad Lotharium moliretur, in monasterio sancti Vedasti detentus, synodum exspectavit. Ad quam anno Incarnationis Dominicæ 835 venientes, omnes episcopi qui convenerant singillatim libellos de restitutione imperatoris communi consilio atque consensu ediderunt, et propriis manibus subscripserunt. Cum quibus et Ebo (ut revera in statu suo adhuc manens) libellum manu sua cum additamento archiepiscopi scriptum edidit. In quo libello professus est, quidquid in ipsius imperatoris dehonoratione gestum fuerat, injuste factum fuisse. Item post pauca : et post datos libellos, venientes episcopi cum imperatore, et quamplurimis ejus fidelibus, ac regni primoribus, in urbem Metensium, in basilica beati Stephani, publice a Drogone episcopo relecta sunt, quæ de restitutione imperatoris omnium unanimitate inventa fuere. Post hanc annuntiationem, Ebo Remorum episcopus, qui ejusdem factionis velut signifer fuerat, conscendens eumdem locum ubi Drogo steterat, coram omnibus professus est eumdem Augustum injuste depositum, et omnia quæ adversus eum patrata fuerant, inique, et contra totius auctoritatis tramitem fuisse machinata, merito justeque proprio imperii solio reformatum. Et sic omnibus laudes Deo canentibus, et quæ tunc ibidem fuerant agenda peractis, ad Theodonis villæ (*Thionville*) palatium regressi sunt, ibique Hildemannus in synodo præsens se a calumnia sibi impacta regulariter exuens, satisfecit synodo, et per eam imperatori. Ebo vero in eadem synodo præsens ab imperatore præsente accusatus est, quod eum falso fuerat criminatus, et eisdem falsis criminibus appetitum a regno dejecerat, armisque ab eo ablatis, nec confessum, nec convictum, contra regulas ecclesiasticas ab ecclesiæ aditu ac Christianorum societate eliminaverat, sicut et idem scripto subscriptione sua roborato, et verbis coram omnibus professus fuerat. Et cum essent alia etiam crimina, de quibus post hanc accusationem, accusandus erat, et de quibus apud imperatorem jam antea fuerat accusatus, et non canonice purgatus, sicut et epistola episcoporum ad Sergium papam demonstrat, et pro quibusdam eorum exstiterat a consilio imperatoris ejectus, quæ patefacta veritate negare non valebat, petiit secessum, ut sine præsentia imperatoris liceret ei in synodo episcoporum suam agere causam. Quod obtinens, convocavit ad se quosdam episcopos, et nullo cogente, sed propria sponte, secundum eorum consilium sequentium Africanum concilium, ut parceretur ipsius verecundiæ, ac propter ecclesiæ opprobrium et insolentem insultationem sæcularium, ne dignitas sacerdotalis pollueretur, si publice de his, de quibus impetitus et adhuc impetendus erat, confessus aut convictus foret, libellum suæ depositionis dictavit, et scribi coram se fecit, et propria manu subscripsit, secundum traditionem ecclesiasticam, eumdemque libellum propriæ ac vivæ vocis confessione attestatum in abdicationem sui, nullo ab eo quærente vel exigente, synodo ultro porrexit. Et sicut videri tunc ab his qui interfuerunt, potuit, sacerdotio se sponte submovit, quærens remedium pœnitendi, sicut in eodem professionis ac subscriptionis suæ libello continetur hoc modo

« Ego Ebo indignus episcopus, recognoscens fragilitatem meam, et pondera peccatorum meorum, testes confessores meos, Aiultum videlicet archiepiscopum, et Badaradum episcopum, necnon et Modoinum episcopum, constitui mihi judices delictorum meorum et puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, et salutem animæ meæ, ut recederem ab officio et ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, et alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus pecasse secreto ipsis confessus sum. Eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alii (*ms.* alio) succedendi et consecrandi in loco meo, qui digne præesse et prodesse possit ecclesiæ, cui hactenus indignus præfui. Et, ut inde ultra nullam repetitionem, aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmavi. Ebo quondam episcopus subscripsi. † »

Et ut omnia secundum leges quibus moderatur Ecclesia, in synodo legaliter adimpleret, simul cum eis, quos secundum Africæ provinciæ canones (*can.* 63) legerat sibi judices, dicente Apostolo : *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus* (1 *Tim.* v, 19) ut in ore duorum vel trium testium constaret etiam suæ accusationis, et ut alius se sacerdotio defuncto ei succederet, testificationis verbum (*Matth.* XVIII, 16), ascivit et alios tres episcopos, veritatis de sua accusatione, et testificatione conscios in testimonium suæ professionis, Theodericum scilicet episcopum, et Achardum episcopum diœceseos suæ, et Nothonem archiepiscopum. Et sic ipse professus, et sex episcopis suæ professioni attestantibus, ut prædiximus, libellum synodo porrexit, cunctique episcopi, qui synodo interfuerunt, singilatim ac viritim dixerunt illi : Secundum tuam professionem et subscriptionem cessa a ministerio. Et coram omnibus hanc notitiam cum præscripto libello temporibus futuris conservandam, Jonas episcopus Heliæ notario (qui libellum Ebonis scripserat, cui idem Ebo subscripsit, secundum quinquagesimum nonum capitulum, et item secundum capitulum septuagesimum quartum concilii Africani) pro omnibus dictavit : et idem Helias hæc quæ sequuntur conscripsit : « Acta est Ebonis professio, ejusque propriæ manus subscriptione roborata in conventu synodali generaliter habito apud Theodonis villam, anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo tricesimo quinto, anno

etiam 21 imperii gloriosi Cæsaris Ludovici. » Item post aliquanta : Libellum sibi ab Ebone porrectum post damnationem ejus synodus Fulconi presbytero, qui eidem Eboni in episcopii Remensis susceptione successerat, cum synodali notitia dedit, qui usque in Remensis Ecclesiæ scrinio conservatur, cujus exemplar sanctæ memoriæ papæ Leoni directum didicimus, etc.

Igitur Ebo post hanc depositionem suam in Cisalpinis fertur regionibus conversatus usque ad obitum Ludovici imperatoris, qui contigit anno Dominicæ incarnationis 840. Quo imperatore defuncto Lotharius ab Italia in Franciam venit, cui Ebo ad Wormaciam civitatem occurrit, eumque Lotharius post aliquot dies sedem, et diœcesim Remensem per edictum imperiale restituit. Cujus edicti hoc habetur exemplar :

« In nomine Domini nostri Jesu Christi, Dei æterni. Lotharius divina ordinante providentia imperator Augustus. Quia confessio delictorum non minus in adversis necessaria est, quam in prosperis, et cor contritum et humiliatum Deus non despicit (*Psal.* L, 19), gaudium etiam esse angelorum in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV, 7) non dubitamus, nos mortales in terris eos nequaquam despicimus, pro quibus gaudere angelos in cœlo divino testimonio non ignoramus. Accusantes et reprehendentes in excessibus semetipsos divina nos benignitas non condemnare, sed revocare docuit, qui meretricem non solum a legali damnatione eripuit (*Joan.* VIII, 11), verum etiam publicanum humiliatum et accusantem se non condemnavit, sed magis justificando exaltavit (*Luc.* XVIII, 14). Qui non dixit, omnis qui se humiliat condemnabitur, sed exaltabitur (*ibid.*). Potestatem ergo, quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus Ecclesiæ tuæ filiis, præsentibus quoque astantibus, ac decernentibus præsulibus, sedem ac diœcesim Remensis urbis tibi, Ebo, restituimus, ut pristino sanctæ largitatis apostolicæ pallio indutus concordiam atque gratiam divini officii nobiscum, humili satisfactione expleta, solemni nostra a largitate recipiendo, exerceas. Drogo episcopus assensi, Otgarius archiepiscopus, Hetti archiepiscopus, Amalwinus archiepiscopus, Audax archiepiscopus, Joseph episcopus, Adabulfus episcopus, David episcopus, Rodingus episcopus, Giselbertus episcopus, Flotharius ep., Badaradus episcopus, Hugano episcopus, Hartgarius episc., Ado episcopus, Samuel episcopus, Rambertus episcopus, Hamminus episcopus, Ratoldus presbyter vocatus episcopus, Amalricus vocatus episcopus, cum cæteris pluribus presbyteris ac diaconibus publice assistentibus. Actum in Engilenheim palatio publico, in mense Junio, VIII Kal. Julii, regnante et imperante domno Lothario Cæsare, anno reversionis ejus 1, successor factus patris in Francia, indictione 3. » Cui restitutioni prælatæ, quæ Suessonis habita est, contradixit synodus, asserens quod damnatus a se atque a 34 episcopis, a minori numero restitui non prævaluit. Quod edictum regis Ebo secum detulit, et apud episcopos et plures illud diversæ professionis et ordinis, dimulgavit [*l.* divulgavit], et in ecclesia Remensi publice recitari fecit. Et ita eo tempore quo Lotharius Karolum a regno expulit, et ultra Sequanam fugavit, Ebo sedem Remensem, post sex annos suæ depositionis recepit, et episcopale ministerium agere cœpit : sicque ordinationes [*ms.*, ordinationem] celebrans quosdam clericos ordinavit, et per totum circiter annum hoc episcopium tenuit, donec Karolus resumptis viribus in Belgicam reversus est. Quod audiens Ebo, relicta sede Remensi, ad Lotharium profectus est, et in ejus familiaribus mansit obsequiis, donec una cum Drogone Metensium præsule Romam petiit, ubi a Sergio (*Serg. II*) papa reconciliari, ac pallium sibi tribui postulavit. Cui idem papa, communione tantum concessa, dare pallium renuit.

At Ebo Roma reversus, abbatiam sancti Columbani in Italia dono imperatoris Lotharii possedit, donec legationem in Græciam ab eodem imperatore sibi commissam exsequi detrectavit. Quocirca rebus sibi ab imperatore quæ datæ fuerant ablatis, ad Ludovicum regem Germaniæ demigravit. A quo in regione Saxoniæ quoddam episcopium promeruit, ubi et episcopi deinceps perfunctus est ministerio.

LIBER TERTIUS

CAPUT PRIMUM.

De electione vel ordinatione Hincmari.

Anno denique Dominicæ incarnationis 845, Karolus (*Calvus*) synodum episcoporum regni sui apud Bellovagum civitatem Remensis provinciæ convocavit. Ubi inter cætera Ecclesiæ regnique negotia, de Remensis ecclesiæ desolatione, quæ Fulcone presbytero illam diu tenente, et Nothone in ea sibi succedente, tanto vacante pastore viduabatur tempore, cum eisdem episcopis cœpit tractare. Qui sicuti viderant vel audierant, depositionem narrantes Ebonis, et auctoritatem sanctorum Patrum super hujusmodi negotiis ad memoriam revocantes, cogente necessitate atque suadente auctoritate, communi decrevere consensu, quo tandem post decennium depositionis Ebonis in ecclesia eadem ordinaretur episcopus. Igitur a clero et a plebe ipsius metropolis, necnon ab episcopis ejusdem provinciæ, archiepiscopo Senonensis Ecclesiæ Wenilone atque Ercanrado Parisiorum episcopo annuente, cum consensu abbatis sui

et fratrum monasterii sancti Dionysii, in quo degebat, favente quoque Karolo rege, Hincmarus electus est. Sicque decreto peracto eligentiumque manibus roborato, Ecclesiæ Remensis ordinatur episcopus. Is siquidem Hincmarus, a pueritia in monasterio sancti Dionysii, sub Hilduino abbate monasteriali religione nutritus et studiis litterarum imbutus, indeque pro sui tam generis quam sensus nobilitate, in palatium Ludovici imperatoris deductus, et familiarem ipsius notitiam adeptus fuerat ; ibique, prout potuit, cum imperatore et præfato abbate sub episcoporum auctoritate laboravit, ut ordo monasticus in prædicto monasterio, quorumdam voluptuosa factione diu delapsus, restauraretur. Et ut opere quoque adimpleret quod sermone suadebat, etiam ipse religiosæ conversationi cum aliis se subdidit, castigans corpus suum, et spiritali subjiciens servituti. Processu vero temporis, cum præmemoratus Hilduinus abbas imperatoris Ludovici archicapellanus, offensam ipsius Augusti adeo cum aliis regni primoribus incurrisset, ut ablatis sibi abbatiis, in Saxoniam fuerit exsilio relegatus, iste per licentiam proprii episcopi cum benedictione fratrum illum secutus est in exsilium. Cui pro familiaritatis propiore [*al.*, priore] notitia, tantam Dominus apud imperatorem, proceresque contulit gratiam, ut studere pro suo nutritore quiverit, donec ab exsilio revocatus duarum fuerit abbatiarum prælationi restitutus. Deinde quando Gregorius (*Greg. IV*) papa in Galliæ venit regiones, et regnum Francorum a præfato defecit imperatore, voluit eum præmemoratus abbas suus in obsequium suum contra fidelitatem imperatoris ducere ; quod nequaquam potuit ab eo exigere. Restituto postea imperatore, prout potuit abbati suo prodesse studuit. Sicque deinceps in monasterio sine querela custos sacrorum pignorum, ecclesiæque sanctorum martyrum conversatus exstiterat, donec regiis ascitus obsequiis regimen monasteriis sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Germani regali et episcopali, atque abbatis sui Ludovici diaconi jussione suscepit ; rerum quoque ac mancipiorum possessionem quamdam regia liberalitate percepit, quam consecratus jam præsul monasterio sancti Dionysii, ubi Christo militaverat, per testamenti paginam tradidit.

CAPUT II.

De reparatione judicii pro Ebonis depositione.

Emenso denique anno post ipsius Hincmari ordinationem, Lotharius imperator pro contentione regni quam erga fratrem suum Karolum habebat, cujus obsequiis idem præsul fideliter adhærebat, contra eum commotus, epistolas a Sergio (*Serg. II*) papa exegit pro reparando judicio de Ebonis depositione. Unde idem papa litteras Karolo regi mittens, præcepit ut Guntboldum Rothomagensem episcopum cum cæteris episcopis regni sui, quos ipse Guntboldus ad hoc sibi eligeret, legatis ejus obviam Treveris ad hanc discutiendam querelam diligeret, et Hincmarum episcopum ad ipsam synodum venire fuerit. Ipse quoque Guntboldo litteras mandavit, ut cum post dies sanctæ Domini resurrectionis missos suos in servitium imperatoris mitteret, ipse cum episcopis prædictum locum, hanc causam diffiniturus, adiret. Sed et ipsi Hincmaro litteras misit ut ad idem veniret concilium. Legatis itaque Sergii papæ juxta condictum non venientibus, Guntboldus, annuente [*al.*, annitente] rege Karolo, cum episcopis synodum condixit, ad quam Ebonem per litteras et legatos ex auctoritate prædicti papæ convocavit. Quo tamen Ebo neque venisse, neque vicariam pro se personam, vel litteras canonicas misisse traditur. Guntboldus tamen et cæteri episcopi, qui apud Parisios tunc convenerunt (*an.* 847), Wenilo scilicet Ecclesiæ Senonicæ metropolitanus cum diœcesanis suis, Lantrannus [*al.*, Landrannus] Turonensis cum suffraganeis suis, et specialiter Hincmarus cum omnibus Remensis diœceseos coepiscopis, litteras suas ad eum miserunt, et diœcesim Remensem interdicentes, ut non haberet deinceps licentia ex eo quempiam sollicitare, nec scripto, nec verbo, nec misso aliquo, donec secundum jussionem Sergii papæ ipsis occurreret, et juxta canonica et apostolica statuta definitionis sententiam ab ipsis coram generali conventu perciperet. Sed ille ad nullam synodum, vel ad sedem apostolicam, vocem postea reclamationis vel repetitionis de sede Remensi, aut de ordine suo emisit. Qui etiam (postquam res gestas Leoni (*Leoni IV*) papæ referentibus episcopis, et regalibus insuper epistolis, ordinatio Hincmari, quando fidei quoque suæ tenorem Romam misit rata est cum largitione pallii comprobata) per quinque circiter annorum curricula supervixisse fertur in corpore, usque ad annum videlicet incarnationis Dominicæ octingentesimum quinquagesimum primum.

CAPUT III.

De visione ejusdem Bernoldi.

De quo postmodum talis ostensa est revelatio cuidam homini Remensis parochiæ, nomine Bernoldo, qui depressus infirmitate, pene usque ab mortem pervenit, ita ut per quatuor dies nec cibum nec potum capere, nec loqui valeret. Quarto vero die hora nona, velut exanimis jacuit, adeo ut non posset in eo sentiri halitum remansisse, nisi per vices, dum quis manum misisset ad os ejus, vel super pectus illius, vix sentiebat in eo adhuc spiritum esse. Rubor illi tamen in facie magnus videbatur, et sic jacuit usque ad mediam noctem. Tunc viriliter oculos aperiens, et affatus uxorem suam atque circumstantes, jussit ut quantocius currerent, et presbyterum suum velociter ad se venire rogarent. Accito autem presbytero, antequam intraret ille domum, dixit infirmus ut apponerent sellam, quia presbyter jam domum intraturus esset. Illo vero ingresso postquam orationem pro eo fudit, dixit ei ut sederet juxta eum, et attenderet quæ dicturus erat, ut si ipse superstes illi non potuisset annuntiare, saltem presbyter ea nuntiaret. Tunc ergo cœpit vehementer

flere, et cum singultibus dixit : Ductus de isto sæculo ad aliud veni ad quemdam locum, inveni episcopos quadraginta et unum, inter quos cognovi Ebonem, Pardulum et Æneam pannosos, et denigratos, squalentesque sicut et alios, ac si ustulati fuissent, et per vices nimio frigore horribiliter cum fletu, ac stridore dentium tremebundos ; per vices autem calore nimio æstuantes. Et Ebo episcopus me vocavit ex nomine, dicens : Quia tibi datur licentia redeundi ad corpus, precamur te ego et isti confratres nostri, ut adjuves nos. Et ego respondi : Quomodo vos possum adjuvare ? Qui ait : Vade ad homines nostros clericos et laicos, quibus benefecimus, et dic illis ut pro nobis faciant eleemosynas, et orationes, et impetrent pro nobis offerri sacras oblationes. Et ego dixi quia nescirem ubi homines illorum essent. Ille vero ait : Nos dabimus tibi ductorem, qui te ad illos ducet. Et dederunt mihi ductorem quemdam, qui me præcessit et duxit ad quoddam palatium magnum, ubi multitudo erat hominum eorumdem episcoporum, qui de ipsis episcopis inter se loquebantur. Quibus suggessi quod mihi fuerat jussum ex parte episcoporum. Inde cum ductore meo reversus, ad locum redii ubi erant ipsi episcopi, et quasi jam facta fuissent pro ipsis ea quæ postulaverant, inveni eos facie jucundos, ac si a novo rasos et balneatos, albis vestitos, et stolis amictos atque sandaliis calceatos. Et dixit mihi præfatus Ebo præsul : Vides quantum nos adjuvit tua legatio. Usque modo nimis durum custodem et custodiam gravem habuimus sicut vidisti, modo vero habemus dominum Ambrosium custodem, et levem [l. levem] custodiam : et cætera quæ visa atque relata ab eodem Hincmarus episcopus descripsit.

CAPUT IV.

De restitutione rerum ecclesiasticarum a Karolo rege peracta.

Ordinato denique, ut præmissum est, Hincmaro Ecclesiæ Remensis archiepiscopo, rex Karolus res quas ex eodem episcopio suis palatinis usurpare concesserat, ipsi sanctæ reddidit ecclesiæ. Pro qua restitutione talem præcepti sui dedit auctoritatem :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Karolus Dei gratia rex. Si ea, quæ a prædecessoribus nostris vel fidelium devotione bene tradita, statuta ac confirmata sunt, nostris oraculis roboramus ; si etiam illa quæ quacunque necessitate corrupta sunt regia nostra auctoritate corrigimus et in melius commutamus, saluti nostræ consulimus et regium ministerium susceptum a Domino exercemus. Proinde noverit omnium fidelium Dei ac nostrorum solertia quia res ex episcopatu Remensi, quas magna necessitate et per omnia inviti, dum a pastore sedes illa sancta vacaret, fidelibus nostris ad tempus, unde quoddam temporale solatium a nostro haberent servitio, commendavimus, electo et ordinato munere sancti Spiritus, per Dei et nostram dispositionem, in eadem sancta sede Hincmaro archiepiscopo, hoc nostræ auctoritatis præcepto cum integritate quidquid exinde nos fidelibus nostris beneficiavimus, præsentaliter restituimus, tam Sparnacum et Juliacum, vel quidquid ex eodem episcopatu Richuinus habuit, vel quidquid exinde Odo comes habent : quam et villam Culmiciacum, cum capella quam Rabanus presbyter habuit, seu et illa, quæ Pardulus, necnon et Adalgardis [al. Algudis] abbatissa, sive Rotbertus atque Amalbertus clericus, vel Altmarus, seu Joannes medicus, sive item Rabanus, atque pusillus Pumilio, Ratholdus [ms., Ratboldus] quoque, Goderamnus, et Herenboldus, vel Donatus, seu Gilbuinus, habuerunt ; sive etiam illa omnia, quæ tam clerici quam laici, qui in nostra dominatione aliquandiu fuerant, quosque jam dicto episcopo commendavimus, habebant. Et ut in eadem omnia concludamus, quidquid ex eodem episcopatu, quando de manu Fulconis illum recepimus, alicui præstito beneficio concessimus, per hanc nostræ confirmationis auctoritatem, inspecto coram cunctis fidelium nostrorum, tam ecclesiastici quam laicalis ordinis testamento sancti Remigii, præsentialiter casæ sanctæ Mariæ, et sancti Remigii, atque Hincmaro archiepiscopo cum omni integritate reddimus vel restituimus, ut absque ulla retragatione, cassatis quibuscunque aliis conscriptionibus, easdem res per hanc nostram auctoritatem recipiat ; ut sicut res ecclesiæ disponendæ sunt ad utilitatem ipsius Ecclesiæ Dei, tam ipse quam successores ipsius disponant. Quam auctoritatem (in qua nos ulterius tale quiddam erga ipsam casam Dei non acturos spondemus, et ut nemo successorum nostrorum agere moliatur, per omnipotentem Dominum ejusdem Virginis filium obsecramus) ut per ventura tempora certior habeatur, et contra æmulos ipsius sanctæ ecclesiæ sui notitia valeat, manu nostra subterfirmavimus, et annuli nostri impressione roborari decrevimus. Data Kalendis Octobris anno 6 regnante Karolo gloriosissimo rege, indictione 8. Actum in pago Andegavensi, in villa Avegio. »

De cæteris quoque rebus, quæ tunc redditæ non fuerunt, hujusmodi postmodum invenitur dedisse [ms., edidisse] præceptum :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex : omnibus comitibus, abbatibus, abbatissis, missis, vassalis, et cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus ac nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, quia Hincmarus sanctæ ecclesiæ Remorum religiosus, nobisque valde dilectus ac venerabilis pontifex, accedens ad celsitudinis nostræ magnitudinem, innotuit mansuetudini nostræ, quod ex rebus sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sancti ac pretiosi confessoris Christi Remigii, quæ per parentum antecessorum videlicet nostrorum regum dationem, sive per rectorum ejusdem ecclesiæ improvidentiam, vel concessionem, vel etiam quorumcunque malivolorum machinationem ab eadem sancta ecclesia abstractæ esse cernuntur, nunc et deinceps, ad eamdem prædictam ecclesiam

minime, sicut rectum est, persolvantur. Unde magnificentiæ nostræ petiit dignitatem, ut nostræ auctoritatis præceptum ob Dei et sanctæ ipsius Genitricis, sive pretiosi patroni nostri Remigii amorem ei fieri juberemus. Cujus nobis amabilibus et necessariis petitionibus acquiescentes, et libere placideque obsequentes, hoc nostræ magnæ auctoritatis præceptum ei fieri jussimus. Per quod præcipientes expresse jubemus, ut quisquis fidelium Dei omnipotentis, nostrorumque, ex eisdem sanctæ Dei genitricis Mariæ, vel sancti confessoris Christi Remigii, Remorum ecclesiæ rebus, sive episcopatus religiosissimi et dilectissimi nobis Hincmari venerabilis archiepiscopi, aliquid habere dignoscitur, sive per largitionis nostræ concessionem, sive per quorumcunque supramemoratorum affectationem, vel machinationem, seu etiam et deprecationem, aliquid tenore aliquo ex prædictis rebus tenere vel possidere cernitur, nonam et decimam in missorum nostrorum præsentia, misso ecclesiæ sanctæ Mariæ, vel sancti Remigii Remorum, sive Hincmari venerabilis archiepiscopi revadiet, et annis singulis ad eamdem præfatam et memoratam ecclesiam persolvere, absque ullius occasionis contradictione cum omni vigilantia studeat. Quicunque vero contra hanc nostræ auctoritatis præceptionem de hoc fieri præsumpserit, sciat secundum dignæ memoriæ avi, et piæ recordationis genitoris nostri capitula se emendaturum, et ipsas easdem res absque alicujus intercessionis impetratione amissurum (*lib.* I. *cap.* 163 ; *lib.* II. *c.* 21 ; *lib.* IV, *c.* 40). Et ut hæc nostræ præceptionis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatis rigorem, et ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, verius, certiusque credatur, eam annulo nostro subter sigillari jussimus. Data IV Nonnas Septembris, anno 8, indictione 10, regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in monasterio sancti Quintini. »

Immunitatis etiam secundum antecessorum suorum regum exemplaria eidem sanctæ sedi suam contulit auctoritatem. Cessionem quoque genitoris sui Ludovici de exactione regia (*supra, lib.* II, *c.* 19), vel operariis ac muro civitatis ob restaurationem ipsius sanctæ Dei ecclesiæ delegata, hujusmodi confirmavit auctoritate :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Si petitionibus fidelium nostrorum, maxime Domini sacerdotum, præcipue in his, quæ ecclesiasticis utilitatibus possunt præbere consultum, benignum commodamus assensum, nobis id ad æternæ remunerationis credimus provenire augmentum. Proinde noverit omnium fidelium Dei ac nostrorum, præsentium scilicet et futurorum industria, quia vir venerabilis Hincmarus, Remensis urbis archiepiscopus obtulit serenitatis nostræ obtutibus præceptum piæ memoriæ domni ac genitoris nostri Ludovici imperatoris, quod id eleemosynæ suæ augmento ecclesiæ S. Mariæ atque sancti Remigii fieri decrevit, de opere et operariis, atque ab omni exactione, quæ tempore avi nostri domni Karoli imperatoris ex eadem casa Dei exigebantur ad palatium, quod vocatur Aquisgrani, ut in ædificatione et restauratione ipsius ecclesiæ Dei, per futura tempora usque ad finem sæculi, ad utilitatem sæpedictæ sanctæ ecclesiæ in eleemosyna illius proficerent, et nec ad eumdem locum, vel ad alium quemlibet ipsæ redhibitiones, vel impensæ ullo unquam tempore exigerentur, sed remissa indulgentia illius in eodem loco proficerent. Cujus bene gesta rata judicantes, per hoc nostræ auctoritatis præceptum decernimus, ut quidquid de exactione, vel operariis prædictæ constitutionis supra scriptus domnus et genitor noster, seu et de muro civitatis ipsius, vel viis ad utilitates claustri canonicorum proficientibus in suo præcepto concessit ; hoc totum perpetua nostra indulgentia vel concessione, seu auctoritate concessum, vel confirmatum maneat in perpetuum. Et ut hæc nostræ confirmationis vel concessionis auctoritas per futura tempora certior cognoscatur, et permaneat inconvulsa, eam manu nostra subterfirmavimus, et de annulo nostro eam sigillari præcepimus. Data IV Kalendas Junias, anno 10 regnante Karolo glorioso rege, indictione 13. Actum Vermeriæ in palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen. »

CAPUT V.

De reparatione Remensis ecclesiæ ab ipso Hincmaro patrata.

Hujusmodi regiæ benignitatis functus auctoritatibus et in episcopali sede confirmatus, præfatus Hincmarus archiepiscopus, templum beatæ Dei genitricis Mariæ, quod a fundamentis Ebo renovare cœperat, iste pace gratiaque fruens regia, præclari consummavit decoris eminentia. Insuper et aram sanctæ Dei genitricis auro vestivit, ac lapidibus pretiosis ornavit. His quoque versibus titulavit :

Hanc aram Domini Genitricis honore dicatam
Cultor ubique suus (suis) decoravit episcopus Hincmar.
Muneribus sacris, functus hac sede sacerdos.
Jam bene completis centenis octies annis.
Quadraginta simul quinto volvente sub ipsis.
Cum juvenis Karolus regeret diademata regni.
Hunc sibi pastorem poscentibus urbis alumnis.

Et ad imaginem Dei Genitricis in ipso altari.

Virgo Maria tenet hominem, regemque, Deumque
Visceribus propriis natum de Flamine sancto.

Tecta templi plumbeis cooperuit tabulis, ipsumque templum pictis decoravit cameris, fenestris etiam illustravit vitreis, pavimentis quoque stravit marmoreis. Crucem eminentiorem gemmis, auroque cooperuit. Alias etiam cruces tam auro quam argento paravit. Calicem majorem cum patena, sumptorioque fecit ex auro, lapidumque pretiosorum illustravit nitore. Qui calix postea pro redemptione ac salute patriæ Nortmannis datus est ; patena adhuc reservatur ibidem. Libellum quoque de ortu sanctæ Dei genitricis Mariæ, sed et sermonem beati Hieronymi de ipsius Dominæ assumptione scribi fecit, et tabulis eburneis, auroque vestitis munivit. Locellum etiam quemdam, hoc est capsam majo-

rem, quæ a duobus clericis ferri solet, fieri jussit, argentoque imaginato ac deaurato vestivit; ubi ad urbis hujus totius tutamen, multorum sanctorum pignora recondidit. Insuper et alia altaris vasa, tam aurea quam et argentea, præparavit. Evangelium auro argentoque describi fecit litteris, aureisque munivit tabulis, et gemmis distinxit pretiosis. His quoque versibus insignivit:

Sancta Dei genitrix et semper virgo Maria,
  Hincmarus præsul defero dona tibi.
Hoc per quod gessit, docuit nos Christus Jesus,
  Editus ex utero, casta puella, tuo.

Librum quoque sacramentorum, sed et lectionarium, quos scribi fecit, ebore argentoque decoravit. Candelabra texit argento, et templum variis ornavit lampadibus, et coronis, diversisque tam palliorum quam cortinarum atque tapetium operuit ornamentis. Sacras etiam vestes altaris procuravit ministris. Pluribus denique convocatis episcopis, sed et Karolo rege in hanc civitatem adveniente, in honore incomparabilis et perpetuæ virginis genitricis Dei Mariæ, ut et antiqua fuerat sacrata, basilicam honorifice dedicavit, et cum coepiscoporum cooperatione sub omnipotentis invocatione Trinitatis altaria consecravit.

CAPUT VI.

De miraculis in eadem ecclesia postea factis.

In hac igitur ecclesia multa diversis temporibus Dei virtute sub ineffabilis Christi genitricis Mariæ sunt honore patrata miracula. Quorum plurima, quæ ante nostram ætatem sunt gesta, nobis habentur incognita. Nos tamen ea, quæ coram positi vidimus, vel personis quæ viderant referentibus agnovimus, silentio hic quoque præterire incongruum rati sumus, licet ea versibus olim exaravimus. Mulier quædam civis hujus urbis, nomine Alfrudis, unicam parvulam nutriebat filiam, quæ adhuc sub ubere matris posita, efficitur cæca. Pro qua cum variis frustra æstuaret mater remediis, nec ulla posset juvari medela, ad summum cogitat se vertere medicum; ejusque probat non aptius per quempiam sanctorum poscere posse misericordiam, quam per ipsius unicam, cujus etiam erat ipsa famula, Genitricem. Præparansque candelarum munuscula, non pro se quam pro filia, templum hoc petit, cœlitum reginæ clementiam rogatura; præfigensque candelabris luminaria, tum pavimentis strata, cor supplex effundit in vota. Nec se posse præsumens sufficere, ministros suppliciter deposcit altaris, ipsius petitionem suis precibus adjuvare. Et quia devote ac fideliter postulavit, votum obtinere promeruit, lumenque sobolis impetravit. Unde gratias agentem Deo ipsiusque Genitrici piissimæ, cum adjutoribus sibi sacris ministris eam vidimus postea, dum sanam, clareque contuentem suam nobis exhiberet filiam.

Quidam clericus nostræ congregationis, carne nobilis, Hugo nomine, ita cœpit dentium fatigari dolore, ut nec somnum, nec cibum præ nimietate valeret ægritudinis capere. Qui requisitus a quodam seniore, exposita suæ vexationis afflictione, hoc ab eo consilii accepit, ut coram altari Dei Genitricis sese prosternens, ejus cordetenus super hac anxietate sua deprecaretur clementiam. Et surgens ab oratione, osculato altari, supra nudum ipsius marmor, in qua vexabatur deponeret maxillam, sicque sanandum se confidens, domum regressus cooperiri se vestibus faceret atque sopori permitteret. Quibus ille per ordinem patratis, somnum iniit. Tempus autem erat solemnitatis natalis Domini, et fratres post celebratum vespertinum officium in caminulo, ubi calefaciendi causa consueverant colligi residebant. Præfatus vero frater videt in somnis illic se pro gradibus caminuli astitisse, atque beatam Dei Genitricem in superioribus, ante ipsius ostium domus consistere. A sinistris in gradu infimo sub specie cujusdam chirurgi, malignum conspexit astare spiritum. Non dubitans autem quæ esset illa quam aspiciebat domina, pavore tetri hostis abjecto, ad eam usque conscendit, et ante ipsius procidens pedes ejusdam susceptus est manu; ita ut mentum illius tenens, vexatam piissima domina contingeret maxillam. Et erigens eum blande consolata est, asserens illam se non inventam ab eo in ecclesia, quoniam ibidem ad custodiam fratrum staret. Ille, inquiens, malignus, quem vides hic prope astantem, cogitat huc ascendere, et vult nostros fratres conturbare. Præcepitque eum redire, et de concessa sibi salute confidere. Qui rursus ad ejus se prosternens pedes erectus est ab ea, vestem tantum purpuream, qua ipsa erat induta, deosculans. Sicque mox excitatus, dari sibi præcepit manducare. Quod ut ejusdem domestici audiere, insanire illum putantes, quia tam alacriter sibi cibum dari peteret, anxiari cœperunt. Ille vero confirmabat se a beata Dei Genitrice sanatum, vel nihilque ægritudinis se, vel insaniæ pati. Sicque celerrime redditus sospitati, sæpe postea fidenter astipulabatur non se ulterius esse passurum talia, quem tanta saluti restituisset domina. Quod et revera illi accidit, ut deinceps hujusmodi ægritudinem nequaquam senserit, dum pluribus postmodum vixerit annis.

Hujus Hugonis clericus et diaconus, Ebrardus nomine, febris anhelæ vexabatur æstibus; qui ejus ægritudinis agitatus angoribus, in crypta, quæ sub ipsius ecclesiæ sede in honore beati Remigii consecrata est, fessus residebat, dum illic missæ celebrarentur mysteria. Cui vi febrium fatigato ut assolet febricitantibus) sopor irruit. Et ecce videt beatam Dei Genitricem sibi astantem, impositaque manu ejus capiti pertransisse, et post altare sese visa est intulisse. Mox ille patefactis oculis surgit, finitisque mysteriis jam sanus amen respondet, et alacer officiorum insequitur expletionem. Cujus caput ad tactum mirabilis dominæ ita est delibutum, ac si oleo eadem fuisset hora perunctum. Quod nos quoque mirati sumus, qui eum ipsa die lætum, et comedentem nobiscum vidimus.

Tres denique claudos, et poplitibus contractis, nullo modo gressum figere valentes, in hac ecclesia diversis conspeximus ..., cognovimus erectos tem-

poribus. Unum quidem sub episcopatu domni Hervei præsulis, qui aliorum manibus illuc delatus, propriis regressus est pedibus. Alium sub præsulatu Seulfi, nomine Maganerum, qui gente Britannus, utroque genu claudus et scabellis inhærens, inter nos piorum eleemosynis sustentatus, transacto fere jam demorabatur anno. Huic dum nocturnas in omnium sanctorum solemnitate celebraremus laudes, ita subito in medio populi jacenti genuum extensi sunt nervi, ut lora quoque, quibus crura cum coxis erant annexa, rumperentur, rupta etiam pelle ex poplitibus ei sanguis deflueret; surgensque, stupente populo, gressibus deinceps usus est propriis (8). Tertium vero sub hujus domini præsulis Artoldi pontificatu, eoque missarum sacra celebrante, die solemni ejusdem sacratissimæ Virginis, qua Gabriel archangelus ad eam missus ab astris, partum illi mirabilem sæculis nuntiavit. Qui claudus, pauper, et miserabilis, dum per pavimenti sese marmora traheret, repente solutus extenditur, et tellurem corpore mensus, in pedes tandem erigitur, incessuque novo auxit lætanti gaudia populo, quique adhuc inter nos degens stipe sustentatur præsulis.

Quartus quoque quidam ruricola, Gerlaius [*i*, Gerlanis] nomine, ex familia hujus ecclesiæ, hanc urbem adiens oraturus, beatæ Dei genitricis Mariæ ingressus est basilicam. Ubi dum vota profundit, subito marcore diriguit, contractisque nervis, pene cunctis astringitur membris, sicque coarctatus, ibidem se permansurum, et dum videret serviturum, si relaxaretur, promisit. Tandem post mensem his absolutus vinculis, ecclesiasticis addicitur servitiis. Sicque partim in eadem ecclesia, partim in basilica sancti Dionysii extra murum civitatis per quinquennium incolumis deservivit. Post quod temporis spatium, in eadem solemnitate, Hypapanti scilicet Salvatoris, hanc ingressus ecclesiam, dum precibus incumbit, ita rigentibus membris visus est adhæsisse pavimentis, ut nec os, nec aliquod membrum ab his relevare valeret. Erectus autem a circumstantibus, tam cruribus quam ambabus contrahitur manibus. Quintadecima deinde die iterum absolutus, nec multo post humanis exemptus est rebus. Sed quis enarrare prævaleat, quot hic languentes pene quotidie pia dona salutis sumunt? quot febricitantes, quot salvantur energumeni? quis vel edicere pestes hic liberatis hominibus effugatas? Sed de innumerabilibus saltem pauca commemorasse sufficiat.

CAPUT VII.

De visione cujusdam Gerhardi presbyteri.

Presbyter quidam de pago Porcensi, Gerhardus nomine, in quamdam dudum deciderat valetudinem, ita ut veneno potatus esse crederetur. In qua valetudine sanctorum nonnullis consolatus est visitationibus, beati scilicet Petri apostoli, qui suam ei, quam regebat, præcepit etiam bis, ut restaurare studeret ecclesiam, atque redarguit per visa, cur toties medicos salutis suæ requisierit causa. Sanctum quoque Remigium postea sibi videt assistere, suam illi pandendo personam, et ægritudinis hujus remedia pollicentem. Qui mox urbem Remensem adiens, dum perlustratis orationis gratia beatæ Dei Genitricis, ac sancti Remigii basilicis, in vico noctu requiesceret, ipsius beati Remigii videt se deductum in templum quoddam splendidissimum, ad quod beatissimam contuetur Virginem Mariam properantem, sancto Remigio, sanctoque Martino ab utroque latere stipantibus eam. In ipso vero templo multitudo Levitici ordinis atque sacerdotalis dignitatis eam exspectabat, et diacones induti dalmaticis, quidam cum palmis, quidam sine ipsis astabant. Cæterorum quoque sanctorum plurimus hic ordo videbatur. Idem vero presbyter nullius specialiter cognoscebat vultum, præter beati Petri, qui sibi jam pridem fuerat revelatus. At postquam beata Dei Genitrix ad prædictum templum pervenit, ubi ejus adventum hic frater se præstolari videbat, requirere cœpit, quis ille esset, aut quid quæreret? Cui beatus Remigius: Famulus, inquit, meus est, domina, quærens a tua pietate salutis remedia. Quid autem ipsa responderit, iste, ut retulit, audire non potuit. Velum vero quoddam appensum ibidem videbatur; post quod ubi ipsa intravit, splendidius hanc sole lumen ab oculis ejus suscepit, ita ut in id, præ splendoris magnitudine, intendere minime potuerit. Post aliquot denique dies apparuit illi beatus Martinus, missumque se a sancto Remigio ad eumdem testatus est, asserens etiam illi donatam vitam, concessamque medicinam. Restitit tamen postea huic dubietas aliqua de beatæ Dei Genitricis persona, quoniam nomen ipsius in visione revelatum non audierat. Sed precabatur assidue, ut Dominus sibi monstrare dignaretur utrum ipsa fuisset, quam viderat, Dei genitrix virgo Maria. Contigit autem illi post sex fere menses, ut subito, dum noctu quiesceret, gravi premeretur ægritudine, adeo ut desperaret ulterius se posse vivere. Et dum valde anxiaretur, appensis supra se beatæ Mariæ pignoribus, hujusmodi cœpit effundere preces: O beata Dei Genitrix, cujus hic dependent pignora, si revera, ut credimus, de te nobis hæ superappensæ habentur reliquiæ, et si vere de te visio est quam nuper vidi; si tu es illa domina, quam ad illud mirabile templum sanctus Martinus, et almus Remigius comitabantur euntem, ubi te clarissimus sanctorum cœtus expectans, aspiciente me, lætanter excepit, fer opem mihi indigno famulo tuo, et tam diu impetra mihi vitam atque virtutem, ut missæ mysteria Domino celebrem, et munera vitæ corporis Christi sumere merear; vosque, beati pontifices Christi, quos cum eadem comitari conspexi, adjuvate me apud ipsam, qui me vestro piissimo consolari dignari fuistis alloquio. Interea inter angores precesque vix levis obrepsit somnus, cum subito sub eodem vultu habituque, quo prius eamdem aspexerat, beatissima se videndam præbuit regina, eisdem columnis innixa, quibus et antea inniti

(8) Idem refert in Chron., au. 934.

fuerat, visa, luce coruscans clarissima. At ille tanto tremefactus splendore, nihilque fari avens, luminibus in terram demissis videbatur stupefactus jacere. Quem beatus compellans Remigius: Quid, inquit, nos huc advenisti? Nonne vides dominam nostram Dei Genitricem te confortare paratam? quid dubitans tardas accedere ad illam? His dictis, tremor discessit, allevatur animus, elevansque oculos vires recepit, et ante pedes beatissimæ Dominæ frater ille corruisse se vidit. Quem manu ipsa levare dignata, fronti signum crucis imposuit, et taliter prosequitur: Ne timeas, neque desperes; confide in Domino quia percipies donum ab ipso salutis. Signumque pulsare jube ut sacra mysteria celebres, et gratias Deo referens, eum collaudans qui te post verbera sanat. His dictis, ab ejus recessit visibus, virginibus stipata comitibus. Sicque mox frater idem cellula sibi salute lætus exsurgit, et ad expletum jussa Dominæ, ita sanus et alacer effectus est, ut nunquam alacrior esse potuerit. Hæc ut eodem presbytero narrante didicimus, ita describere quoque dignum fuit visum.

CAPUT VIII.

De aliis quibusdam miraculis.

Hæc inclyta cœli regina, ut subvenire solet humili se mente petentibus, sic in præsumptores vel contemptores, ultionis nonnunquam potius exerit. Quod pie quoque fieri credimus, ut hic in præsenti delinquentibus digna ingerantur verbera, ne in futuro graviora eos excrucient tormenta. Quod autem modo dicturus sum, non ipse vidi, sed multorum relatu Patrum narrari frequenter audivi. Quidam ex clericis nostræ congregationis, Bernardus nomine, custos hujus erat ecclesiæ; qui petitus a quibusdam sedibus personis (ut ipse post scripto monstravit) quatenus ipsis quædam sanctorum daret pignora, cum quadam die cum quodam puero hic solus esset in templo, correpta quadam pixide, in qua sanctorum continebantur reliquiæ, ausu temerario præsumpsit aperire. Quo facto nimio pavore concutitur, et nebula locus totus magna repletur, talique vallatur horrore, ut non possent se invicem videre. Sicque perdita voce, tam ipse quam puer qui secum erat, ultra loqui nec ea quæ viderant fari potuerunt.

Quidam quoque custos hujus ecclesiæ, ut ipse nobis narravit, dum die aliqua post matutinales laudes in ecclesia requiescere vellet, arripiens templi tapetia, lectum sibi ex his stravit, sibique sese somno dedit. Et ecce matrona quædam sub habitu nobili eidem apparuit, quæ herbas quasdam secum videbatur deferre. Hæc primo quidem blandis eum cœpit affari sermonibus. Ubi vero suo sub eo conspicatur tapetia, taliter infit, eum vultu quoque terrens, aggressa. Et tu, domine, sanctæ Dei Genitricis ausus es violare ac vestibus sacris superbe accumbere ornamentis? nec tantum fecisti contemptum? Modo quidem parcam; nunquam tamen ultra præsumas tale. Exemplumque dedit illi de quodam, qui sic sibi lectum solebat sternere, quem novimus olim ærumnis afflictum in pauperrimo quoque stratu obiisse. Ita deterritus surgit propriamque culpam confessus, scamnis tapetia reddit, et Dominum super hac correptione sua ejusque collaudat Genitricem. Hanc autem dominam quæ se visitaverat non agnovit; a beata Maria tamen fuisse credimus missam. Novimus etiam quosdam devotos, atque promissos a parentibus in hac ecclesia fore Christo, ejusque Genitrici servituros. Quod votum dum vellent postea mutare parentes, prolis sunt coacti languore suam promissionem adimplere.

Dudum cum agricolæ urbi vicini post Pascha, solito de more, hanc petissent urbem hujus admirabilis dominæ requirendo suffragia suaque vota ferendo, quædam villæ consueta quærere neglexere præsidia. Quarum messes cum jam tempus instaret metendi, tanta tempestatis sunt attritæ grandine, ut generaliter eorum perierint sata; vineæ quoque, adustis fractisque pampinis, uvarum amiserint fructum. Eorum vero fines qui se hujus piissimæ dominatricis muniere subsidiis, neque tangere nedum intrare grando præsumpsit. Sicque deinceps tam hi, quam cæteri quique contigui, promptius libentiusque annuatim ejusdem dominæ nostræ, sancti quoque Remigii, cæterorumque sanctorum hanc Remensem adeuntes urbem, consueverunt expetere patrocinia.

CAPUT IX.

De secunda beati Remigii corporis translatione.

Præfatus denique præsul Hincmarus cryptam præclari operis ad pedes S. Remigii construxit, et corpus ejusdem beatissimi patroni de loco cryptæ prioris, una cum sepulcro ipsius in eadem, collectis Remensis diœceseos episcopis, ut jam superius dictum est (*lib.* I, *cap.* 21), transtulit: et ante ipsius sepulcrum opus egregium auro edidit, gemmisque distinxit, fenestram nihi, unde sancti sepulcrum videretur, fecit, et circa ipsam fenestellam hos versiculos indidit:

Hoc tibi, Remigi, fabricavit, magne, sepulcrum
Hincmarus præsul ductus amore tuo.
Ut requiem Domini tribuat mihi, sancte, precatu
Et dignis meritis, mi venerande, tuis.

Evangelium aureis litteris insignivit, ac parietibus aureis, gemmarumque nitore distinctis munivit, versibus etiam auro illitis prætitulavit. Sed et crucem majorem cooperuit auro, gemmisque decoravit. Libros quoque sacramentorum sub eburneis tabulis, argento præsignitis; sed et lectionarium ad missas libellum, pari decore venustatum, ibidem contulit, aliosque libros et ornamenta nonnulla eidem venerabili loco delegavit.

De corpore autem ipsius beatissimi Remigii non est ausus aliquid sumere, sicut ipse quoque testatur in epistola ad Ludovicum regem Transrhenensem, qui ad sibi ob eo petebat munera. Sed hic (f. id), ubi positus pro maxima præsumptione meriti se duxis-

se, corpus ejus, quod Dominus per tanta tempora A integrum conservaret, disrumpere.

CAPUT X.

De pallii quotidiani usus a Romanæ sedis præsule perceptione, et rebus ecclesiæ sub eo concessis.

Hic denique venerabilis præsul Hincmarus, pro suæ sanctitatis ac sapientiæ reverentia, per interventionem Lotharii imperatoris pallium ad quotidianum suscepit [*c. i*, recepit] usum a quarto Leone papa, a quo jam aliud perceperat in designatis sibi solemnitatibus debite fruendum. Quem quotidianum pallii usum nulli unquam archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse, idem papa in epistola tunc ad eum directa testatur. Scripsit autem præfatus pontifex ad eumdem papam Leonem B sexies, ut ipse in quadam ad eumdem asserit epistola, vel septies, sua dirigens ad eum scripta. In hac vero epistola de his, quos temeritas chorepiscopalis ordinare, vel quod Spiritum sanctum consignando tradere præsumebat, requisivit. Et quod terrena potestas hac materia sæpe offenderet, ut videlicet episcopo quolibet defuncto, per chorepiscopum solis pontificibus debitum ministerium perageretur, et res ac facultates ecclesiæ sæcularium usibus expenderentur, sicut et in nostra ecclesia jam secundo actum fuisset. Item de his, quos domnus Ebo post depositionem suam ordinaverat. In alia quoque epistola scribit de quodam Fulcrico, imperatoris Lotharii vassallo, de quo etiam pridem ei significaverat, pro quo ecclesiæ nonnullæ per hoc C regnum maximum patiebantur impedimentum, qui uxore sua dimissa, postquam excommunicatus ab eo proinde fuerat, aliam insuper ducere præsumpsit uxorem. Item in eadem de privilegiis hujus Remensis ecclesiæ, quæ habuit ab initio, quo privilegia sedes habere cœperunt; et quia Remorum episcopus primas inter primates semper, et unus de primis Galliæ primatibus exstitit, nec alium se potiorem, præter apostolicam præsulem, habuit; ut scilicet ea, quæ tanto tempore ab antecessoribus ipsius huic sedi sunt concessa et conservata, conservare et augmentare dignetur. Ab imperatore quoque Lothario præceptionis imperialis auctoritatem super quibusdam rebus conjacentibus in his locis, Meuravallis, Termedo. Roserolis obtinuit, quæ tempore Karoli imperatoris, occasione quadam interveniente, a Remensi sunt abstractæ ecclesia, et publicis usibus subactæ, quas hic Lotharius imperator ad partem sanctæ Mariæ ac sancti Remigii sua restituit auctoritate. Qui Lotharius imperator nonnullis hunc præsulem Hincmarum apud Leonem papam honorifice commendasse reperitur episcopis atque legatis. Sed et quando Romam petere idem pontifex disposuerat, epistolam suam idem imperator pro eo præmittens, suggessit præfato papæ, ut ipsum decenter amabiliterque susciperet, et quidquid ab eo postulasset, libenter ei, liberaliterque tribueret. Item aliam pro synodalibus diffinitionibus, de ordinatis ab Ebone post suam depositionem, a sede apostolica confirmandis, et quibusdam privilegiis eidem Hincmaro, sedique Remensi concedendis; et quia illum volentem Romam proficisci, tam ipse, quam frater suus Karolus rex Franciæ, quando [*l.*, qu..,], quoniam] valde necessarius eis erat ad sopiendas quæ tunc exortæ fuerant perturbationes, retinuerint. In qua epistola commemorat, quod in hac sede Remensi beati Sixti primi ejusdem episcopi, et apostolorum discipuli, prædecessores ipsius papæ, Stephanus (*Steph. I*) Pippino, et Leo (*Leo III*) Karolo magno, apostolica contulerint munia. Alius quoque Stephanus (*Steph. V*) Ludovicum Augustum in eadem sede imperiali diademate coronaverit. Ad hoc denique obtinendum, quod pro prædicto præsule petebat, B idem Lotharius Petrum Spoletinum episcopum, mandatis super hac re per semet instructum, executorem direxerat, et alium Petrum Aretinum episcopum litteris exinde commonuerat, aliosque quosdam tam suos, quam præmissi papæ fideles ad id peragendum destinaverat. Eidem Lothario imperatori scribit præfatus præsul Hincmarus de Fulcrico ejus vassallo, quem excommunicaverat, qualiter ad pœnitentiam venire debeat; item, aliam epistolam in qua continentur culpæ ipsius Fulcrici, et quomodo eum rationabiliter excommunicaverit, quia noluerit ad pœnitentiam venire; item aliam, in qua valde collaudat eum, congaudens ejus humilitati, quod ipsius obaudierit monitis super præfato excommunicato, absolvitque eum id humiliter deprecantem, pro par- C ticipatione quam habuerat cum ipso. Item postquam convaluerat idem imperator de infirmitate sua. In qua epistola eum satis episcopaliter, licet succincte, de salute admonet animæ. Et alia nonnulla eidem scripsit. A Karolo denique rege suo hic præsul Hincmarus cellam in honore sancti Martini, in municipio Vongo constructam, cum omnibus ad eamdem cellam juste pertinentibus, ad partem Remensis Ecclesiæ reimpetravit, ac per auctoritatis ipsius præceptum recepit. Ad ipsius suggestionem dedit idem Karolus rex ecclesiæ sancti Remigii, vel monachis ibidem servientibus, Deo res quasdam; hoc est in pago Pertinse [*i*, Portinse], in villa Baildronis curte mansa duo, et in Dodelini monte mansa duo, atque in Waldonis curte mansa duo cum mancipiis, et D omnibus ad easdem res legaliter aspicientibus. Præceptum quoque ipsius Karoli de via, quæ impediebat ad claustrum canonicorum sanctæ Remensis ecclesiæ amplificandum (quoniam et numerum eorumdem canonicorum augmentaverat) idem domnus Hincmarus obtinuit. Res præterea quasdam quæ ab hoc rege dudum fuerant episcopio subtractæ, ecclesiæ redintegrari laboravit; id est, villam Noviliacum, quam Karlomannus ad ecclesiam sancti Remigii pro animæ suæ dedit remedio, tam ipsam villam quam res et mancipia, quæ diversi homines dono regis retinebant, ad eamdem pertinentia. Item, res aliquas in Çulmiciaco et Bairaco sitas; item, res super fluvium Rotomnam, et in aliis nonnullis locis conjacen-

tes; itemque a rege Ludovico Transrhenensi præceptum restitutionis accepit super quibusdam rebus sancto Remigio quondam legatis; hoc est in pago Wormacensi, Scravenheim [?], Stelenheim cum omnibus ad se pertinentibus, Cossa et Glani in saltu Vosago. In Thuringia quoque et Austria, in loco qui dicitur Sehonerenstat, et in Helisleba, cum omnibus ibidem aspicientibus. Res quoque nonnullas ipsiusque ecclesiæ ac mancipia legibus per advocatos evindicata recepisse reperitur. Res etiam nonnullas episcopii, terras scilicet atque mancipia, cum diversis personis, ad incrementum ecclesiæ, pro partium opportunitate commutavit. Sed et præcepta regalia super pluribus earum rerum commutationibus obtinere curavit. Canonicis quoque hujus Remensis ecclesiæ hospitale constituit ad susceptionem peregrinorum, vel pauperum congruis ad id rebus deputatis, cum consensu coepiscoporum Remensis diœceseos atque subscriptionibus eorumdem, ea conditione, ut nullo unquam tempore quilibet episcopus, vel quælibet persona easdem res cuiquam in beneficium dare, vel in alios usus quocunque modo abstrahere præsumat, neque aliquem censum vel redhibitionem exinde accipiat, sed totum quidquid ex ipsis rebus juste acquiri potuerit, in usus pauperum atque canonicorum, secundum modum descriptum in privilegio, et a cæteris episcopis confirmato, expendatur. Super hoc quoque constituto regiæ auctoritatis præceptum a Karolo rege fieri atque firmari obtinuit. Res præterea et villas episcopii pene omnes ordinatis rationabiliter colonicis describi fecit.

CAPUT XI.

De synodo comprovinciali apud Suessonicam urbem habita.

Hic honorabilis præsul Hincmarus, anno sui episcopatus septimo [*an.* 853], synodum habuit comprovincialem apud Suessonicam urbem, in monasterio sancti Medardi, in ecclesia sanctæ Trinitatis honore sacrata, cum Wenilone Senonensi archiepiscopo, Amalrico Turonensi, Theoderico Cameracensi episcopo, Rothado Suessonico, Lupo Catalaunensi, Immone Noviomagensi, Erpuino Silvanectensi, Irmenfrido Belvacensi, Pardulo Laudunensi, Hilmerado Ambianensi, Huberto Meldensi, Agio Aurelianensi, Prudentio Trecassino, Hermanno Nivernensi, Jona Augustodunensi, Godelsado Cavilonensi, Dodone Andegavensi, Guntberto Ebroicensi, Hildebranno Sagiensi, Rigboldo Remorum chorepiscopo. Residentibus etiam presbyteris et abbatibus, Dodone abbate monasterii sancti Sabini, Lupo abbate monasterii quod dicitur Ferrarium, Bernardo abbate monasterii sancti Benedicti, quod dicitur Floriacum, Odone monasterii quod dicitur Corbeia, Heriaco monasterii Corbeiensis, Bavone monasterii Orbacensis, et quamplurimis aliis sacerdotibus et abbatibus, astantibus diaconibus ac reliquorum graduum clero. Residente quoque in medio glorioso rege Karolo. Ubi quædam necessaria Ecclesiæ Dei sunt pertractata negotia. Ad quam synodum accedentes quidam

A Remensis Ecclesiæ canonici ac monachi, videlicet Radoldus, Geslebus, Vulfadus [*ms.* Volfadus], Fredebertus ex canonicis ipsius matris Ecclesiæ, Sigimundus ex cœnobio sancti Theoderici; ex monachis autem monasterii sancti Remigii, Nortvinus, Heinradus, Mauringus, Antheus, Teltandus, Hairohaldus, Radulfus, Wicpertus, clamaverunt suspensos se a præfato archiepiscopo suo ab administratione ordinum ecclesiasticorum, ad quos ab Ebone quondam provecti fuerant. Super qua reclamatione elegit prænotatus pontifex Hincmarus judices sibi Wenilonem et Amalricum supra taxatos archiepiscopos, Pardulum quoque Laudunensem episcopum, qui in hoc judicio locum metropolitanæ suæ servasset auctoritatis. Ipsi clamatores eosdem judices suscipientes,

B addiderunt etiam Prudentium Trecassinæ civitatis episcopum. Hi judices constituti hoc judicarunt quod, si Ebo archiepiscopus in suo statu manens canonice hos fratres ordinaverit, deberent ministrare. Si etiam injuste dejectus, et canonice restitutus, post suam canonicam restitutionem eosdem ordinaverit, sine ulla quæstione deberent etiam ministrare. Unde interrogati sunt ordinatores Hincmari, ut edicerent quæ de Ebonis depositione, et de Hincmari comperissent ordinatione. Tunc surgens Theodericus Cameracensis episcopus porrexit in conspectu principis et synodi scriptum, continens ordinem depositionis præfati Ebonis. Tum ventilatum est qualiter exauctoratus episcopus restitui debeat, ut quia idem Ebo restitutus canonice non fuerit, insuper et ab

C apostolica sede Sergio papa confirmante dejectionem illius, damnatus exstiterit, ut in laica [*ms.*, laicali] tantummodo communione maneret. Tum recitata auctoritate, qualiter metropolitanus debeat ordinari, litteris quoque caconicis Erchamradi, episcopi Parisiorum Ecclesiæ, confirmatis sua suique archiepiscopi, et coepiscoporum suorum manibus, quas ad petitionem Remensis Ecclesiæ, cleri ac plebis Hincmaro tribuerat; decreto etiam canonico Remorum cleri nobiliumque manibus roborato, qualiter eumdem Hincmarum sibi postularunt ordinari episcopum ostensum est canonice cum præsentia, vel consensu omnium coepiscoporum Remensis diœceseos eum ordinatum archiepiscopum. Post hæc surgens idem Hincmarus, in conspectum [*ms.*, conspectu]

D principis et synodi, porrexit litteras canonicas quas ordinatum sacri canones ab ordinatoribus accipere jubent, diem præterentes et consulem. Porrexit etiam epistolam Remensis provinciæ, ac pene totius Galliæ manibus episcoporum subscriptam, ad apostolicam sedem pro confirmatione ipsius ordinationis datam. Ostendit etiam diploma sacrum ipsius venerandi principis manibus insignitum, et sigillo subtersignatum, ex approbatione suæ ordinationis ad eamdem sanctam et apostolicam Romanam Ecclesiam. Sicque judicatum atque confirmatum est Hincmarum episcopum canonice ordinatum. Deinde ventilatum est, quid decernendum foret de his, quos Ebo post suam depositionem, absque legitima resti-

tutione, præsumpserat ordinare. Tunc surgens Immo Noviomagensis episcopus, porrexit rotulum (*al.*, rotulam) auctoritatem canonicam et apostolicam continentem, quoniam qui ab ipso visi fuerant ordinari in gradus ecclesiasticos, ab eodem, quod ipse non habuit, nemo eorum accipere potuit, et cætera. Sicque decretum est, ut quidquid in ordinationibus ecclesiasticis Ebo post depositionem suam egerat, secundum traditionem apostolicæ sedis, præter sacrum baptisma (quod in nomine sanctæ Trinitatis perfectum est) irritum haberetur, et ordinati ab eo gradibus ecclesiasticis privati existerent. Tunc unus ex prædictis fratribus nomine Fredebertus libellum proclamationis legit, in quo continebatur, quod ideo se ab Ebone permisissent ordinari, quia viderant suffraganeos Remensis Ecclesiæ, Rothadum videlicet episcopum, Lupum, Simeonem, Erpuinum in metropolim Remensem ecclesiam convenisse cum litteris Lotharii imperatoris, et eumdem Ebonem restituisse. Et insuper ostenderunt iidem præfati clerici litteras quasi ex nomine Theoderici episcopi, Rothadi, Ludi, Immonis, ac cæterorum hujus diœceseos episcoporum manibus roboratas ; quæ tamen ab eisdem episcopis recitatæ [*i*, lectæ *f*, refutatæ] falsæque sunt comprobatæ ; et quia talia episcopis impingere præsumpserint, jussi sunt communione privari. His ita terminatis, decreto judicum, atque consensu principis, Hincmarus archiepiscopus primatus sui locum recepit. Tum de presbytero quodam et abbate Altivillaris cœnobii, nomine Halduino, ab Ebone diaconus visus fuerat ordinatus, et a Lupo postea Catalaunensi episcopo presbyter fuerat consecratus, mota est quæstio. Surgens itaque Lupus episcopus, porrexit volumen, in quo continebatur, quomodo jussus est regiis litteris Karoli regis ut quia metropolis Remorum ecclesia pastore carebat, in confectione chrismatis, aliisque negotiis ecclesiasticis pro sui possibilitate consulere procuraret. Quocirca cum epistola regia ut ipsum Halduinum presbyterum ordinaret, atque in Altivillari monasterio abbatem sacraret, archidiaconus Remensis Ecclesiæ, cum aliis comministris tam canonicis quam monachis, illi obtulerit ; quemque ad votum præfati principis et offerentium ordinaverit. Unde judicatum est a synodo, eumdem episcopum nihil damnationis de illius ordinatione attigisse. Sed qui saltu sine gradu diaconii ad sacerdotium prosilierit, in degradationem debitam resilire deberet. Deinde requisitum est de his qui Eboni post depositionem suam communicaverant, et recitata auctoritate qualiter sanari deberent, repertum est ex canonicis institutis, eos post satisfactionem, data illis indulgentia et communione sacra cum benedictione tributa, per eorum proprium episcopum, operante Domino nostro Jesu Christo, purificari atque sanari posse. Quod et actum est per venerabilem Hincmarum archiepiscopum. His ita peractis, benignus princeps Karolus petiit Hincmarum archiepiscopum, reliquosque pontifices, ut quia præfati fratres gradus ecclesiasticos obtinere non valebant, communionem saltem recipere possent per synodi indulgentiam. Quod et plebs synodalis libenter assensit, et misericordiæ causa fratribus veniam concessit. Et ita hæc omnia gesta inserta, et in conspectu (*al.*, conspectu) synodi recitata, et rata judicata, prædictorum manibus episcoporum, et aliorum, qui interfuere, subscriptione firmata sunt.

Quæ actio synodi sedi apostolicæ ab Hincmaro directa, et a Benedicto papa Leonis (*Leo IV*) successore corroborata est. Qui etiam Benedictus (*Bened. III*) papa privilegium auctoritate beati Petri, et apostolicæ ejus sedis suo præsuli nostro Hincmaro contulit (*epist.* 1), sanciens ne quilibet hujus diœceseos regulis subjectus, eo contempto impune auderet, seu valeret aliena expetere, aut exspectare judicia. Sed domnus Nicolaus (*Nicol. I*) ejusdem Benedicti successor, petentibus sedem apostolicam prænotatis dejectis, præmemoratæ gesta synodi retractasse atque reprehendisse reperitur (*epist*, 46), præcipue quod sola obedientia subditorum reputata fuisset in culpam, et qui prælati judicio temere non restiterunt, sed humiliter colla subdiderunt, severissime punirentur, et qui misericordiam petiverant, nec justum, ut asserit, judicium meruerint. Intimat etiam quomodo dominus Hincmarus pro his actis concilii Leoni papæ non semel supplices litteras miserit, quatenus idem concilium approbans, auctoritate apostolica roboraret. Quod ille agere sollicite renuerit, eo quod per aliquos ex his episcopis, qui synodo resederant, ut dubitatio foret radicitus evulsa, ejusdem synodi statuta destinari debuissent, præcipue cum ibidem legati sedis apostolicæ præsentes non fuerint. Et quia hi quos ille auctoritate synodi affirmabat depositos, per proprias litteras ad sedem apostolicam appellaverint, et vellent iterum se apostolicæ sedis audiri præsentia, præcepisse quoque eumdem papam, ut Hincmarus præsul ad concilium cum illis occurreret, ad quod suum ipse legatum, Petrum videlicet episcopum Spoletanum, e latere suo direxerat, ad renovandum scilicet judicium vice sua. Cui audientiæ, quoniam domnus Hincmarus suam non exhibuit præsentiam, voti effectu frustrato Leo pontifex ab hac luce subtractus est. Benedicto autem viro apostolico succedente, eidem subreptum fuisse, et in ipso consecrationis ejus principio suasum, ut illud firmaret concilium ; non tamen ei suaderi potuisse, ut a justæ definitionis tramite declinaret. Verum ita per ei concessum privilegium illius concilii roborasse institutum, ut auctoritatis summam sedi apostolicæ reservarit ; ita decernens manere inconvulsa quæ petebantur, si ita essent per omnia, quæ de illa synodo ab Hincmaro referebantur, et ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriretur. Sed quoniam non ita per omnia, ceu suggestum est, fuisse comprobatur, merito asserit in irritum deductum, quod contra dejectos non simpliciter fuerat impetra-

tum. Quocirca primum quidem domno Hincmaro mandavit (Nicol. I, epist. 47), ut commemoratos viros, Vulfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi tamen animo ad se revocare, et de restitutione ipsorum eorum fraterne tractaret, atque interveniendum communicare contenderet. Aliequin ad concilium cum his episcopis, quibus et ipse quoque papa pro hoc ipso scripserat (Nicol. I, epist. 46, 47), simul occurreret, quatenus omnes in unum convenientes, causam prædictorum clericorum examinarent, et non aliqua emergente disceptatione, Deo pie omnibus favente, diffinirent. Si vero quælibet inter partes disceptatio proveniret, ad sedem apostolicam aut suscepturi specialis judicium personæ, vires tenentes utrorumque lateris convenirent. At Dei gratia juvamine hoc peracto judicio, intimat se litteras suscepisse amplectendæ dilectionis omnium, qui interfuerant, episcoporum, manifestissime significantes, cerebro consensisse omnibus & istius concilii vere remedia dignas gratiarum summum exceptione prosecutione. Ubi nulla, sicut in litteris earumdem episcoporum reperiebatur, disceptatio provenit, nulla enim penitus fuerit, neque alia atque alia diffinitione accidit, nullus accusator, nullus condemnator repertus est, sed cunctorum una eademque sententia, atque in restitutione ipsorum diffinitio exstiterit, eodem utique a cunctorum unanimitate sancitis omnibus approbatis. Reprehendit autem et hoc quoque concilium præfatus papa Nicolaus (ep. 48), quod non solummodo omnia, juxta quod ipse diffinierat, egerint, sedi apostolicæ plena relatione actionis seriem referentes. Debuisse, aiens, quidquid de Ebonis depositione, reclamatione (Nicol., relegatione), horum clericorum promotione, et ipsius Ebonis iterum repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, vel undecumque ibi quod ventilatum est et scripto manifester, plenius se fideliter intimare. Sed et monimentis insertum ad plenarem penes se notatum et certitudinem esse voluit. Præcepit ergo, ut quæcunque super hoc re scripta, tam a sede apostolica, quam a nostratibus acta reperiuntur, et quod hinc præsul Hincmarus, et illi depositi clerici sedi apostolicæ suggesserunt atque retulerint, in volumen unum, ordine quo missa sunt, redigerentur, et apostolicæ sedi, exemplaribus sibi reservatis, summo studio dirigerentur. Et si de cætero quid tale forte contigerit evenire, propter quod conventum in regionibus his fieri necessarium perspicit, hæc inter cæteros nulli penitus oblivioni tradant, sed post omnia ad negotia majores suos studiosissime sollicitant, et cætera.

Præsumus denique concilii præsules, apostolicæ sedis obtemperantes præceptis, ordinem rerum gestarum de Ebonis depositione, vel restitutione, iteratque repulsione colligentes, eidem venerabili papæ miserunt, hujusmodi præferentes epistolam :

« Reverendissimo et sanctissimo domno Patri ac papæ Nicolao, episcopi qui præterito anno per gratiam Dei et decretum vestrum apud Suessionicam urbem cum aliis qui tunc nequiverunt adesse convenimus.

« Seriem rerum gestarum de Ebonis quondam Remorum archiepiscopi depositione, sed et de ipsius restitutione, nec non et de fratris Vulfadi ac collegarum ejus promotione, et post dicti Ebonis iterum repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, undique a nobis investigari, et vobis remandari jussistis, quia hinc nemo nostrum in ordine episcopali interfuit, nisi frater Rothaldus, etiam ex regum et episcoporum monumentis qui interfuerant, et scriptis suis posteris reliquerunt, breviter colligentes vestræ sanctissimæ paternitati et præcellentissimæ auctoritati transmittimus. Quæ ante colligere et auctoritati vestræ dirigere necessarium non putavimus, quoniam scit vobis per Egilonem venerabilem archiepiscopum scripto suggessimus in quo nullam mentionem de quacunque Ebonis depositione habuimus, nec habere tunc necessarium vidimus, nobis in eorum fratrum restitutione non quidem discrepantibus, nec alia atque alia decernentibus, sed unum idemque sentientes traditionem majorum, quam discretioni vestræ intimare curavimus, sententiibus, quos non proterita obnoxios fecit, sed obedientia inculpabiles in adeptione sacrorum graduum, juxta sincerissimum sententiæ vestræ intellectum induxit, sine contradictione in suis ordinibus restituere maturassemus, nisi privilegiis sanctæ Romanæ sedis, per reverendum confratrem nostrum Hincmarum archiepiscopum vestræ unanimitatis prolatis, quæ de ipsis viris quædam statuerunt, debita reverentia exhiberetur. Quorum summa, perfecta, et integra diffinitio, ut claruit et justum est, in apostolicæ sedis reservata erat arbitrio potestatis : quorumque privilegiorum authenticas chartas, cum salvis sigillis, et incorruptis scripturis idem confrater et consacerdos noster, non ad prædictorum fratrum nocumentum, neque ad ullam contradictionem, sed ad debitam reverentiam sedi apostolicæ, ut dignum est, exhibendam, ostendit, cum gesta episcoporum, quorum vos acta relegistis, et qualiter præsignati clerici degradati fuerint reperisse, nobis aperire dignati estis. Quibus non subscripsit, quia et eosdem fratres suo judicio non dejecit, sicut vobis et ipse, et nos scripsimus, et gesta ipsa demonstrant, et sicut jam sanctissimæ paternitati vestræ suggessimus, in ejusdem rei negotio decernentibus et quosdam deflorantibus, non tamen terminantibus solus, eo usque causam perduximus, ut solummodo magisteriali vestro culmini eorum assignaretur restitutio, attribueretur reformatio, ascriberetur redintegratio. Unde postea unanimitas nostra in quamcunque partem non declinavit, etsi quædam quorumque necessitate exinde nobis a moramsibus inveherunt. Egimus itaque prout potuimus, in succincta collectione de gestis eorum et episcoporum in causa Ebonis, et ut præcepistis vestræ auctoritati transmittimus. » Post harum vero vestram gestorum ordinem descriptum ita subjunxerant : « Hæc sicut vestra jussit auctoritas,

quæ de Ebonis quondam Remorum archiepiscopi, quæ ante triginta et tres circiter annos exstitit depositione, et post de ipsius restitutione, nec non et de fratris Vultadi ac collegarum ejus promotione, et jam dicti Ebonis iterata repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, in eorum qui jam nos ad Dominum præcesserunt scriptis, verum et quæ illorum, qui interfuerunt, veridicis relationibus comperimus. Quæ etiam ex magna parte in gestis episcoporum Belgicæ, Galliæ, Neustriæ, et Aquitaniæ provinciarum papæ Sergio dirigendis, et Leoni papæ directis cum eorum epistola, sed in epistolis Lotharii imperatoris, et Karoli regis exinde directis continentur, quas in scrinio Romano credimus conservari, vestræ auctoritati transmittimus. Scripta quoque, quæ nunc a vestra auctoritate directa, et vestræ sanctitati remissa relegimus, ordine quo missa, vel remissa fuerunt, secundum vestram jussionem, in volumine isto congessimus. Et si forte alia ex hoc negotio, aut a nobis aut ad nos missa fuerunt, nos tamen non legimus. Quæ etiam frater et consacerdos noster Hincmarus nobis vestræ auctoritati mittenda dedit, secundum quod præcepistis (Nicol., *epist.* 56), dicentes inter alia : Quæcunque super hac re scripta tam a nobis prius, quam nunc a vobis edita reperiuntur, et quid hinc coepiscopus Hincmarus et illi dejecti clerici sedi apostolicæ suggesserint, atque retulerint, in volumen unum, ordine quo missa sunt, redigantur, et apostolicæ sedi, ut competens est, vobis eorum exemplaribus servatis, summo studio dirigantur, his subjuncta dirigimus, etc. »

CAPUT XII.

De vacatione Camaracensis sedis, et conjunctione Balduini cum Judith filia regis.

De vacatione præterea sedis Camaracensis, sed et de conjunctione Balduini comitis et Judith indebita ; quæ scilicet Judith Karoli regis filia Edilnulfo regi Anglorum, qui et Edelboldus, dudum fuerat in matrimonium copulata, et reginæ decore ac benedictione insignita. Post cujus obitum, venditis quas in Anglorum obtinuerat regno possessionibus, ad patrem revertitur, quæ sub regali tutela sic manere decernitur : sed illa Balduinum comitem, ipso lenocinante, et fratre suo Ludovico consentiente, secuta est. Unde rex Karolus episcopos ac cæteros regni sui primores consulens, post mundanæ legis judicium, canonicam in jam dictum Balduinum et Judith, secundum edita beati Gregorii, ab episcopis depromi sententiam fecit. De Rothadi quoque Suessonicæ civitatis episcopi dejectione, quem ab episcopali ministerio judicio removerat episcoporum. De commemoratione etiam nominis Ebonis, atque de Gothescalci cujusdam hæretici damnatione præfatus præsul hujusmodi scripta direxisse ad sedem reperitur apostolicam.

« Domno unice singulariterque suscipiendo Patrum Patri, et summa veneratione honorando reverendissimo papæ Nicolao, Hincmarus nomine, non merito, Remorum episcopus, ac plebis Dei famulus.

« In epistola vestræ sanctitatis per Odonem episcopum episcopis in regno Lotharii pro præjudicio Cameracensis Ecclesiæ directa, relegi vestram auctoritatem increpitaturam, cujus neglectu eadem Ecclesia ultra decimum mensem pastore vacaret, unde ; ne ut negligens a vestro apostolatu succenseat, indico auctoritati vestræ (Nicol., *epist.* 63, 64, 65), post directas Lothario et episcopis regni ejus atque Hilduino, qui eamdem Ecclesiam irregulariter occupavit, ita ut antequam ipsas mitteretis epistolas, hactenus præjudicium permanere : meque Lotharium regem et legatis et litteris, prout potui sæpe, et eo usque inde commonuisse, donec rex suis litteris mihi respondit, Hilduinum ad vestram auctoritatem suum legatum misisse, et nihil aliter de præfata Ecclesia, nisi ut egerat, disponere debuisse, donec a vobis inde responsum acciperet. Balduinus quoque in proximo nunc decurso mense Octobrio, quinto Kalendas Novembris, per duos homines suos mihi litteras auctoritatis vestræ direxit, in quibus continetur, ut easdem litteras coepiscopis provinciæ nostræ legerem, et Judith paternis ac maternis obtutibus præsentandam susciperemus, si tamen intelligeremus quod confestim præfatus excellentissimus rex noster, quæ de illa vobis scriptis, et verbis per legatos vestros apostolatui vestro renuntianda spopondit, adimplere vellet. Quod si eorum animos ad id protelandum esse intentos investigare possemus, nequaquam eam reciperemus. Alioquin, id est si aliter egissemus gratia et communione vestra frui nequaquam valeremus. Quam vestræ auctoritatis epistolam, ut oportuit, reverenter suscepi, et coepiscopis nostris eam relegi, et pro præfata Judith apud patrem et matrem illius, quantum potuimus, ut mandatis, communiter intervenimus, et paternis ac maternis obtutibus eam præsentare studuimus. Post quæ voluimus, quia sic nobis secundum sacras regulas sicut eas intelligimus, visum fuerat (non enim sine dignis pœnitentiæ fructibus absolvi posse putamus, quod anathematis vinculo a sacris regulis innodatum videmus) ut juxta ecclesiasticam traditionem prius Ecclesiæ, quam læserant, satisfacerent, et sic demum quod præcipiunt jura legum mundialium, exsequi procuraret. Sed quoniam litteras vestras, quæ inde nihil præceperunt, imo etiam nullam protelationem in eorum conjunctione fiendam significaverunt, sibi sufficere voluerunt, et sine vestra auctoritate, ad quam clamaverant, cogi, nisi alio se modo submitterent, non debuerunt. Ex altera epistola vestræ sanctitatis eis retuli, quod non leges ecclesiasticas dissolvistis, sed preces pro eo misistis, qui puniri secundum leges mundanas poterat, quatenus locum pœnitendi haberet, quod contra leges divinas admiserat. Sic et Salvator noster, qui vult omnes homines salvos fieri, et neminem vult perire (*I Tim.* II), in cruce apud Patrem jure sacerdotis pro suis persecutoribus intercessit (*Luc.* XXIII) : quod in eis qui post passionem ejus crediderunt, et compuncti pœni-

tentiam egerunt, qui cum Patre omnia donat, efficaciter impetravit. Ad cujus instar, apostolorum vicarius, ad quorum limina confugerunt, et catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ summus pontifex, quod in hominem regem et in leges mundi peccatum est, perdonari petistis, ut quod in regem cœli et terræ, et in leges cœlestis regni offensum erat, haberent indulgentias per pœnitentiam abolendi. Et contra carnales, et etiam quidem eorum, qui antea conjunctioni hujusmodi contradicebant, hac defensione, ut eis visum fuerat, se protegentes, sed sicut se habet veritas, salute nudantes, ab istius novissimæ vestræ epistolæ verbis recedere noluerunt, quam sine protelatione eorum conjunctionem debere fieri demonstrare dicebant. Dicenti vero mihi, quia pro nulla potestate terrena quod de ecclesiasticis regulis intelligerem dimittere deberem : maxime cum etiam mecum, imo cum Deo, domnus rex noster, filius vester, Karolus faceret, quasi consulendo mihi quidam hoc dederunt consilium, ut quæ non meus, sed vestræ eorum dicerat, quæ mansuetudo vestra, velut exemplum et doctrix disciplinæ Dei, mitis et humilis corde ac patiens æquanimiter sustineret, dicentium : ut quia non sæcularis, sed ecclesiastica potestas de hoc mihi negotio imperaret, conspirationem resistentium aliquantulum declinarem, ne quisquam æmulus noster vestræ sanctitati suggereret, quasi in contemptum sancti apostolatus vestri, et sedis apostolicæ hoc egissem, et vestræ mansuetudinis erga me animum commoveret, et quamcunque excommunicationem, sicut pro Rothado actum fuerat, quod tamen ad me non pervenit, nisi quantum Odo episcopus, et postea Luido vas, Luido detulit, antequam ad auctoritatem vestram gestorum seriem mittere valuissemus ; vel quomodo res gesta fuerat per legatos vestros rescire tis obtineret : præsertim cum in hac epistola vestræ auctoritatis legatur : quod si aliter egissemus, quam in ea scriptum est, gratia et communione vestra frui nequaquam valeremus. Quo contra mihi dicenti hoc in epistola vestra ob id positum, ne forma alia a nobis decipiretur, et non ob hoc, ne ecclesiæ subsisteret. Responderunt, eat, aliter velles vestram epistolam intelligere, quam vobis placuit eam componere, cum de in præterito mihi transmissis ejus sensum possem manifeste cognoscere. Quapropter memor præteritarum epistolarum mihi episcopis regni filii vestri domni Karoli a vobis missarum, attendens etiam quæ in epistola nuper per Luidonem mihi benignitas vestra mandaverat (hæc enim in Antisiodoro post adventum Luidonis ventilabantur) inter metum præteritarum, et spem posterioris epistolæ mihi mitiora monstrantis, contentionem in hac causa dissimulando vitavi et condescensionem quasi in tempus aliud differendo, dissimulavi, exspectans ut in causæ hujus quæ instat depositione vestra, ex Rothado discere valeam, qualiter de reliquo in hujusmodi agere debeam. Sicque nihil nobis de ecclesiastico ministerio eis interdicentibus sed tantum quod valuimus, nostram præsentiam ab hoc negotio subducentibus, Balduinus et Judith jura legum sæcularium, quæ elegerunt, exsequi studuerunt. Domnus etiam noster rex, filius vester, huic desponsationi et conjunctioni interesse non voluit, sed missis publicæ rei ministris, sicut vobis promisit, secundum leges sæculi eos uxoria conjunctione ad invicem copulari permisit, et honores Balduino pro vestra solummodo petitione donavit. »

CAPUT XIII

De causa Rothadi Suessonici episcopi depositi.

« Denique ad epistolam vestræ auctoritatis (Nicol., *epist.* 32), ad quam me misistis obedienter audiendam, generaliter omnibus episcopis regni domni nostri Karoli regis gloriosi, pro Rothadi causa, per Odonem episcopum transmissam, sicut litteris exiguitati meæ directis sanctitas vestra præcepit, conveni, et simul eisdem venerabilibus episcopis, quantum ex me fuit, mox antequam synodus solveretur, vestram jussionem de eodem Rothado, ne aliqua mora vestræ præceptionis implendæ, aut de superventione paganorum, aut de alia qualibet causa interveniret, adimplere curavi, sicut et legati domni regis ac nostri, et litteræ pleniter vestræ notum facient sanctitati. Sed quoniam causa interveniente, quam vobis ipsi legati referent, statim ut præcepimus datis litteris, et designatis nostris vicariis, ad vestram præsentiam cum eodem Rothado ire non potuerunt, et ob id diutius quam voluerimus immorati fuerunt ; interea Luido legatus domni nostri regis a vestra rediens sanctitate, pridie Kalendas Decembris vestras apostolicas litteras domno nostro regi, filio vestro, in civitate Antisiodoro detulit, et quia filius ejus atque æquivocus Karolus, qui patris animum in quibusdam offenderat, et ob id ad ejus præsentiam, quorumdam suggestione, aliquantulum venire distulerat, partem legatis suis petiit, ut meam parvitatem cum aliis quibusdam suis fidelibus pro eo ad ipsius vestigia deducendo transmitteret, quatenus nostro interventu patrem placabiliorem invenire valeret exiguitatem humilitatis meæ domnus rex illuc in suum venire servitium jusserat. Quo mox ut veni, mihi litteras vestras legendas donavit : in quibus licet pro sua dignatione sublimitas vestra humilitatem meam sine ulla meriti prærogativa benigne tractaverit, et a mea insipientia sapientiæ vestræ scripta supra id quod scio atque intelligo, non tamen absque subinducto cauterio, laudare dignata fuerit : tamen eis videor mihi videre vobis multiloquium meum increscere. Unde dignetur sanctitas vestra dignanter suscipere, quod beatus Augustinus de suo multiloquio Domino dominorum audacter *ms.*, audacter non dubitavit dicere, cum se inde apud eum voluit excusabilem reddere, inter alia scribens : Loqui multum non est nimium, si tamen est necessarium.

« Qua de re, sanctissime domine et Pater reverendissime, æquanimiter sustinete modicum quid insipientiæ meæ, sed et supportate me (*II Cor.* XI), si adhuc quiddam de Rothadi causa vobis tam sufficienter notissima, quasi repetens scribo, cum quo

quia vobis placet (cui cuncta bona placent) mittimus vicarios nostros, non ut accusatores, ad colligendum, sed ut a Rothado, atque a vicariis nostris, qui causam pleniter ac veraciter aut nesciunt, aut dicere non volunt, accusati, quod non in contemptum sedis apostolicæ appellantem Rothadum secundum Sardicenses canones (4, 6) sedem apostolicam: sed eum qui ad electorum judicium de certis capitulis provocavit, juxta Carthaginenses et Africanos canones (*Concil. Afr.* c. 63, 88, 89, 94), ac decreta beati Gregorii regulariter judicavimus vestræ summæ auctoritati humiliter intimandum. Absit enim a nobis, ut privilegium primæ et summæ sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontificis pro sic parvo pendamus, ut controversias et jurgia tam superioris, quam etiam inferioris ordinis, quæ Niceni (*cap.* 5) et cæteri sacrorum conciliorum canones, et Innocentii (*epist.* 2, c. 5), atque aliorum sanctæ Romanæ sedis pontificum decreta in synodis provincialibus a metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducamus. At si forte de episcopis causa nata fuerit, unde certa et expressa in sacris regulis non habeamus judicia, et ob id it, provinciali, vel in comprovinciali nequeat examine diffiniri, ad divinum oraculum, id est ad apostolicam sedem nobis inde est recurrendum. Si etiam de majoribus causis a provinciali episcopo ad electorum judicium non fuerit provocatum, et in aliqua causa idem episcopus fuerit judicatus, id est a gradu suo in comprovinciali synodo dejectus, et putat se bonam causam habere, et appellaverit qui dejectus est, et confugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se audiri, si justum putaverit ut renovetur examen, scribendum est ab his, qui causam examinarunt post judicium episcopale, eidem summo pontifici, et ad illius dispositionem secundum septimum Sardicensis concilii capitulum renovabitur examen. Nam de metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab apostolica sede pallium accipit, sicut Leo (*epist.* 84, c. 1) ad Anastasium, quod et Nicænum concilium (c. 7) innuit, et cæteri Romanæ sedis pontifices in decretis suis ex sacris canonibus monstrant, sedis ipsius pontificis etiam ante judicium est sententia præstolanda. Is enim est, qui secundum Ezechielem prophetam moratur in gazophylacio quod respicit viam meridianam, et excubat in custodiis templi (*Ezech.* XL). Et nos metropolitani ad comparationem illius sumus, qui in ministerio altaris, quod est ante faciem templi, in quo carnes incenduntur, servimus, et controversias carnalium in synodis provincialibus laborantes dirimimus, et de majoribus ac majorum causis ad examen summæ sedis pontificis, post judicium referre curamus. Homines enim sub illius potestate, sub nobis commilitones habemus et dicimus huic vade, et vadit, et alii veni, et venit (*Matth.* VIII), « Quoniam, ut Leo dicit, (*cap.* 11) et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et per quos ad quam beati Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferre debet aliquem sibi esse prælatum; sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. » Quam Rothadus a suis exigere magis, quam sacris regulis voluit dependere (cum etiam sancti angeli in cœlo legantur suis potioribus obedire) et ideo ad hoc pervenit ut dejici promeruerit. Quem per plures annos et beneficiis impensis, et monitis atque obsecrationibus, per me et per coepiscopos, ac per quoscunque familiares potui, ad obediendum sacris regulis commonere curavi. Multoties etiam et per litteras metropolitanas et ex apostolicæ sedis auctoritate minas ei inculcare curavi, et ex lectione catholicorum, quam graviter offendebat, ei ostendere studui. Ad quæ respondebat, quia nihil aliud facere sciebam, nisi ei meos libellos tota die ostendere. Unde a multis et frequentissime redargutus fui, cur incorrigibilem et ministerio sacro inutilem, tandiu scienter contra Dei voluntatem et sacram auctoritatem portarem. Ego vero quamvis sæpissime et regem, et coepiscopos ac vicinos suos, atque etiam me multo sæpius, quasi ex studio ad iracundiam provocare satageret, licet non posset, sciens periculosissimum esse in sacerdote perturbatam et præcipitem iram præcipitemque proferre sententiam, et persecutionum supplere sævitiam, dissimilitudines morum contumacias inobedientium, et malignarum tela linguarum, diu illum, non sine timore de periculo animarum sibi commissarum, portavi, et cum amplius portare non debui, ad plurimorum episcoporum consilium, ut vel eos audiret, illum deduxi. Quorum non audire consilium, sed adversum me postulare judicium maluit. Ad cujus petitionem, ut ei satisfacerem, ut vel sic erubesceret, et a cœpta se stultitia revocaret, judicio me devinxi, velut jam vestræ sanctitati plenius aliis litteris intimavi et replicare me pro vestræ auctoritatis satisfactione cogit necessitas : ut cognoscatis quoniam nihil in eum egi animo inimico, sed zelo divino, quantum in conscientia mea perspicere valeo. Sed et domno regi, ac episcopis regni ejus, et quamplurimis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus viris, hæc sunt nota quæ dico. Post depositionem autem illius, obtinui ut unam abbatiam valde bonam ei domnus rex et episcopi consentirent : et omnes nos illi sicut patri, de nostris impendiis serviremus, quatenus qui in deliciis vitam semper duxerat, non frangeretur, tantum ut seditiosus et molestus Ecclesiæ, cui præfuerat esse non decertaret. Quod primum quidem acquievit, sed, ut dicunt qui hoc se scire testantur, quidam episcoporum regni Lotharii zelo amaro contra nos ducti, quia

[illegible]orum consiliis de Waldrada non acquievimus, et alium aliquid de Germania, ut quidam dicunt, ad Ludovici sui regis suasionem, quoniam sum eo non feci sicut Rothadus in fratris sui de regno expulsione, persuaserunt eidem Rothado, ut non se a seditione moverent [illegible]; et ipsi apud vos obtinerent, ut restitueretur. Nunc autem, sicut jussistis, ad vestram praesentiam et dispositionem illum perduci, apud dominum nostrum regem filium vestrum obtinuimus, credentes quia quod Domino inde placabilius erat, cordi vestro inspirare dignabitur.

« De quo, quia benignissima dignatio vestra mihi servo vestro per Liudonem dignata est scribere, ut juncto mihi integro collegio fratrum, secundum modum ibidem descriptum, vestra apostolica censura fretus, similiter illum pristino redintegrare decenter aliquo. Sicut reverendissimae et amantissimae celsitudini dilectionis vestrae pateat, hoc me agere nequivisse, pro his qui continentur in subditis; videlicet quia cum litteris ad vestram auctoritatem deferendis illum Rothadus jam commissus erat eis, qui ad vestram praesentiam illum deducerent, et mihi non erat possibile integrum fratrum collegium convocare; quoniam, ut supra scripsi, a dioecesi nostra longius eram remotus, in filii vestri regis nostri servitio. Et quoniam sine illorum judicio, qui in ejus depositione fuerunt, et quibus inde scripsistis, restitui regulariter non valebat, et episcopi aliarum provinciarum, per meam convocationem, in multis occupati, congregari non poterant. Sed et comprovinciales [illegible] provinciae, ab ipsa synodo, in qua epistolam sanctitatis vestrae audivimus, causa resistendi Nortmannis ad suas sedes festinare maturaverant. Pauci etiam numero episcopi, qui mecum in filii vestri regis nostri erant obsequio, cum eis benignitatis vestrae commendationem de Rothado relegi, responderunt non se scire talem vitam atque intelligentiam, talesque studium sacri ministerii in eo fuisse, ut in hoc se inserere auderent; praesertim cum is, qui antea aliquam reverentiam de dejectione sua habebat, et semper indebitam et mortis regulis et regiae dignitati, et metropolitano privilegio fuerat, nunc effrenatior ad multorum malum exemplum, et plurimorum benevolentiam scandalum deserere, et negligentius atque perniciosius vivere, voluntatibus suis serviens, cum libertate didicerit.

« De eo autem quod benignitas animi vestri, pensans non bellutinum, sed humanum hominis animum scripsit dicens: Fortasse cognoscet delictum suum, et sua sponte in judicium, quo judicatus est, perseverare deliget. Quod si fecerit, apud regem Karolum, dilectissimum videlicet filium vestrum, agendum est, ut in beneficio suo eidem congrua beneficia quibus sufficienter cum suis sustentari, ac honorifice degere possit, benigne mentis largiatur affectu; [illegible] sicut dignatio vestra, non illum esse hujusmodi temperantiae. Nam ab eo quod coepit nunquam potuit revocari. Quod etiam ego famulus vestrae dominationis

A meditatus sum cum corde meo, et conferens cum fidelissimo filio vestro domino meo rege glorioso, in hac causa processi, vestrae sapientissimae auctoritati scribere dignum duxi: id est, quia licet fratris vestrae auctoritatis litteris per Liudonem meae exiguitati directis, quarum mentionem fecistis in epistola quam filio vestro domino nostro regi misistis, quemque illi relegi, apud eum obtinere possem, ut missis suis, qui Rothadum ad vestram deducendum praesentiam susceperunt, mandaret, quatenus ab arripiendo Romam itinere exspectarent, donec opportunum tempus episcopos regionum nostrarum convocandi adveniret: quia non erat ratio, ut aliis notificaretur, cur Rothadi transmissio tardaretur, antequam episcopis vestrae auctoritatis epistola legeretur:

B poterat fieri, ut qui me divina clementia et sua benignitate et amoris devotione colunt, et aliquid aestimant esse, cum nihil sim, cognoscentes meo obtentu id accidisse, in me scandalum paterentur, quasi contemni aut negligi facerem vestram commendationem, qui intra constitutos a vobis dies in epistola per Odonem episcopum missa, ad obediendum vestram accelerari fecerim, quantum potui, jussionem. Et si quando in unum convenirent episcopi, qui sciunt, et me una cum eis scire norunt Rothadi negligentiam, et diuturnam in sacro ministerio inutilitatem, de ejus restitutione alloquerer, omnes me exsufflarent, et amentem penitus judicarent; sic etiamsi Rothado, ut se concrederet (quod

C non suae salutis intuitu faceret) beneficia nos impetraturos promitteremus: quoniam pene omnes in istis provinciis sciunt, quia secundum Carthaginenses et Africanos canones (63, 88, 89, 94) et decreta beati Gregorii, electorum se commisit judicio; et amplius quam quingenti interfuerunt diversi ordinis viri, videntes quando calix aureus cum gemmis a caupone et tabernaria per missum regis de illius pignore sumptus, ac delatus fuit in synodum, et scientes coronas argenteas a Judaeo, cui illas dederat, resumptas, et facultates ecclesiasticas ab eo suppressas, et latenter commendatas, indeque receptas et Ecclesiae redditas, et vascula argentea, quae non pauci ponderis a longo tempore in ecclesias pependerunt. Sed et alia quae sui

D decessores ac praedecessores, caeterique fideles, pro remedio animae suae eidem Ecclesiae obtulerunt, ab eo sine consensu metropolitani ac coepiscoporum, et sine oeconomi, ac presbyterorum et diaconorum suae ecclesiae notitia pro libitu suo donavit. Cum etiam beatus Gregorius multoties in epistolis suis ex sacris canonibus scribat: quaecunque episcopus post ordinationem episcopatus acquisierit, omnia esse Ecclesiae in qua exstitit ordinatus. Unde constat, quia nec ipse sine oeconomo et consensu clericorum illa debeat dispensare. Sed et omnes urbis incolae et populi, qui cum rege et episcopis ad synodum convenerunt, et ad eorum spectaculum currentes, eum viderunt usque ad ostium synodi venientem, et inde ut maniacum redeuntem, qui

que sciunt quantam benignitatem regis et fratrum spernens, qualiter de certis capitulis, unde sacri canones expressa decreverunt judicia, judicatus, lacrymantibus rege et episcopis, durior saxo recesserit, putarent nos, qui eum secundum sacros canones sicut eos intelleximus, judicavimus, et postea, ut ipsi præcipiunt canones, per coepiscopum nostrum, qui eidem judicio interfuit, prius judicium nostrum, de eo referre, et nunc illum ipsum cum nostris litteris atque vicariis, sicut jussistis, ad apostolicam sedem, quæ paternos canones servandus confirmat, et confirmatos ac observandos sua observatione demonstrat, dirigere procuravimus, de vestræ auctoritatis justitia et æquitatis libramine dubitare : et ideo ut se concrederet locarium ei promittere, sicque nos ut insanos merito denotarent, cum etiam si fieri posset (quod ab illa prima et sancta sede ac summo apostolatu vestro fiendum non creditur) ut talis a vobis cognitus, restitutus in ordine nominetur, nulla de cætero nobis conscientia de sibi a vobis commissis animabus esset periculum. Et cum omnes in istis regionibus sciant, quam negligens et contemptor sacrorum canonum, et quandiu, quamque patienter atque benigne fuerit toleratus, et a quam invitis, (quia se corrigere noluit, secundum sacras regulas, sicut eas intelleximus fuerat judicatus, nullam habere possemus verecundiam de restitutione illius : si foret facta a vestri summi pontificatus potestate. Quia omnes senes cum junioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, et nos episcopos in primatu beati Petri subjectos esse Romano pontifici, et ob id salva fide, quæ in illa Ecclesia semper viguit, et Domino cooperante florebit nobis est vestræ apostolicæ auctoritati obediendum. Nobis quippe cum aliis quibusque scriptum est, quia Jesus erat subditus parentibus suis (*Luc.* II). nobisque item scriptum est : Obedite præpositis vestris, et subjacete eis (*Hebr.* XIII). Et nil per contentionem, neque per inanem gloriam (*Phil.* III.) Et si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei (*I Cor.* XI). Propterea locutus cum fidelissimo filio vestro, domno meo rege glorioso, illi replicavi, quod sæpe inculcavi, quodque libentissime accepit, et adimplere cupit, quia sicut Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo, (*Psal.* XXIII) : et ipsius est regnum, et cui voluerit dabit illud (*Matth* XVI) : ita ipse supra fundamentum apostolicæ petræ suam fundavit Ecclesiam (*Joan.* XX), quam et ante passionem, et post resurrectionem suam speciali cura et singulari privilegio beato Petro, et in illo suis commisit vicariis : cujus sedem, suæque sedis pontificem qui honorat, illum honorat qui dixit: Qui accipit si quem misero, me accipit (*Joan.* XIII). Et ab ipso honorabitur dicente : Honorantes me honorificabo, et qui contemnunt me erunt ignobiles (*I Reg.* II). Idcirco quia multi sciunt, qualiter se Rothadi reclamatio habeat, et quidam inde aliter,

A dicunt, et omnes generaliter sciunt, quoniam vestra auctoritate illum cum nostris vicariis ad suum præcepit destinari judicium, dignum et justum est, ut quemcunque episcopum Romanus pontifex ad se Romam venire mandaverit, si infirmitas, vel gravior quemcunque necessitas vel impossibilitas, sicut sacri præfigunt canones, cum non detinuerit, ad illum venire studeat, multo magis etiam is, quem pro tali querela ad se quocunque modo clamantem præsentiæ suæ judicat exhibendum. Et quicunque viderit vel audierit, quod rex et episcopi apostolicæ sedis summum pontificem prompte obaudiunt, et honorant, promptius et humilius eis subjecti sui obedient. Nam ut beatus Gregorius dicit : Sicut languente capite subjecta membra in cassum vigent : ita gloria et ho-
B nore coronato, id est honorificato ac decorato capite, subjecta membra ejus honore atque decore fulgebunt. Et Rothado in nullo poterat melius satisfieri, quam si ad vestram pergeret præsentiam, et ei tantorum subscriptionibus episcoporum, qui Deo et vobis mentiri nolunt et allegationibus tot vicariorum eorumdum episcoporum fuerit , illum bonam causam nequaquam habere, ostensum.

Quamobrem sibi ipsi, et non vobis reputare debebit, quia sine bona causa se et multos alios fatigavit. Unde illum vestra discretissima pietas, quæ compassionem proximo, et rectitudinem debere vitiis novit, suis apostolicis litteris sufficienter præmonuit. Quique inter alias secordias [*l*, socordias] tantæ duritiæ dignoscitur, ut cum multoties sine ullo respectu
C timoris vel amoris divini, et absque ulla humana verecundia, per tot annos et in tantis causis, toties sacris canonibus, et decretis sanctæ sedis Romanæ pontificum, et suæ metropolis privilegio, ac synodalibus judiciis resultaverit, et per tantos annos, atque a tantis pertoleratus a sua stultitia se revocare contempserit, a rege et episcopis multipliciter obsecratus, in hoc adduci non potuit, ut sacris canonibus et decretis sanctæ sedis Romanæ pontificum, et secundum ea suæ metropolis privilegio de cætero se obediturum subscriberet (quoniam sine horum observatione nemo nostrum potest esse episcopus) et sic pace fraterna in omnibus potiretur. Postea autem sua sponte in libello suæ professionis, per quem ad
D electorum judicium provocavit, hæc se observasse impudenter, quia scientibus cunctis mendaciter, synodo misit, et sic ad judicium provocavit, quæ se servaturum ne judicaretur, subscribere detrectavit. Quod ideo, sicut postea nobis dixerunt, qui ab ipso audierunt, subscribere noluit, quod et nos percepimus, ne vinceretur : sed si in nostra rex et episcopi permaneremus sententia, Romam iret antequam vinceretur, et quando illuc veniret, his per vestram jussionem, cum a vobis foret nobis nolentibus absolutus, subscriberet. Non intelligens, imo intelligere non valens (excæcavit enim eum malitia sua) vestram auctoritatem sapientissime intelligere, quare Dominus de cœlo alloquens Paulum et dicenti : Quid me jubes, Domine, facere? (*Act.* IX). non omnia quæ agenda

erant exposuit : sed ad Ananiam, a quo agenda auditurus et accepturus erat, illum direxit. Sic et angelus Cornelium, postquam illum exauditum esse denuntiavit, ad Petri doctrinam atque obedientiam misit (*Act.* x). Quem licet ante baptismum sancto, ut ita dicamus, Spiritu baptizatum, beatus Petrus illius baptismate, quo baptizat in Spiritu sancto, et in quo credentium corda fide purificantur, baptizari præcepit (*Act.* x). Unde facta quæstione contra eum etiam a minoribus suis, tamen fidelibus, cur ad gentes introierit, idem apostolorum princeps summorum gratia donorum repletus et innumerabilium miraculorum potestate sublimis, querelæ non ex potestate, sed ex ratione respondit, causamque per ordinem ea mansuetudine exposuit, qua humilitate prælato Cornelio se adorare volenti dixit : Vide ne feceris. Nam et ego ipse homo sum, sicut et tu (*Act.* x). Si enim in querela fidelium, ut Gregorius dicit, aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ humiliter rationem reddidit, et etiam testes adhibuit, dicens : Venerunt autem mecum et sex fratres isti (*Act.* xi). Cujus humilem auctoritatem, et mansuetissimam potestatem, et rectissimam prædicationem docentis : Non dominantes in clero, sed forma facti gregi (*I Petr.* v), secutus B. Gelasius in decretis suis (*epist.* 9) ad omnes episcopos, de institutis ecclesiasticis dicit : Cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere : et cum sedes apostolica super (*al.*, superior) his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quemquam vel pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam B. Petri sedem, et sequi videat et docere : satisque conveniens sit ut corpus (*or. addit* totum) Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum (*Gal.* i). De Barnaba quoque et Saulo dicente veraciter, Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem. Qui postquam diutius fruiti sunt apostolorum consortio, non ipsis apostolis, sed juxta fidem sacræ historiæ, ministrantibus Domino prophetis et doctoribus qui erant Antiochiæ, dixit Spiritus sanctus : Separate mihi Barnabam et Saulum in opus ministerii, ad quod assumpsi eos (*Act.* xiii). Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt vocati apostoli, et in sequenti anno, id est 14 post passionem Domini, licet qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus sit et Paulo inter gentes, tamen juxta condictum Jacobi, Cephæ et Joannis, gentium magisterium una cum Barnaba Paulus accepit. Idem quoque Paulus apud Corinthios negligentibus rectoribus de incestuoso scripsit : Congregatis vobis, et meo spiritu, tradatum hujusmodi in interitum carnis Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini (*I Cor.* v). Ipsi enim Corinthiorum rectores illum tradiderant in interitum carnis Satanæ, et Paulus cognito ejus opere, sua auctoritate cum illis, et comperta ejus pœnitentia, ipsi eum restituerunt, et Paulus sua auctoritate cum illis : Cui, inquiens, aliquid donastis, et ego. Nam et ego si quid donavi propter vos in persona Christi (*II Cor.* ii). Hinc beatus Gregorius (*lib.* xxxiii *Moral.* cap. 8, al. 11) : « A bono, inquit, vestro non dissentio. Meum sit quod ipsi tenuistis. Cui velut si dicere possumus, quare ita caute discipulis te copulas ? quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus tam sollicita mente conformas ? ut non circumveniamur, inquit, a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus : id est, ne hoc quod bene mens inchoat ipse in malitiæ finem vertat. Et Innocentius (*epist.* xxvii, *ad episc. Maced.*) : Hæc ad Corinthios apostolica est declarata benignitas, ut in uno spiritu ductam ac reductam sententiam boni semper indifferenter sequantur.

« Et Leo ex Apostolo (*epist.* 84, *cap.* 11) : « Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, et unusquisque proximo suo placeat in bono ad ædificationem (*I Cor.* x). Non enim poterit unitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis astrinxerit. Quoniam sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra (*I Cor.* xii). Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi ordo est generalis, non tamen communis est dignitas omnibus. » Hæc autem, servata altiori intelligentia, circa supra dictos sunt acta, et a prædictis docta, ut cognoscatur qualiter minores potioribus debeant obedire, et potiores minoribus providere, et ordo a Deo dispositus ab omnibus, et in omnibus valeat conservari. Unde summus Ecclesiæ pastor docet : Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus (*I Petr.* iv), qui servis suis commisit negotia sua, et unicuique secundum propriam virtutem (*Matth.* xxv) ; sicut et de Spiritu sancto scriptum est, quod dona dividit singulis prout vult (*I Cor.* xii). Et hinc juxta Sardicense concilium (*cap.* 7) : summus primæ et sanctæ sedis Romanæ pontifex, pro examinis renovatione ad se reclamantis et confugientis cum sua clamatione dejecti provincialis episcopi, non statim singularitate privilegii, et auctoritatis suæ restituit ; sed remittens eum ad provinciam, ubi causa patrata fuerat, et in qua juxta Carthaginenses canones (*Conc. Carthag.* seu *Afric.* ubi supra), et jura legis Romanæ, causa potest diligenter inquiri, et quod non sit difficile testes producere, veritas inveniri ; aut finitimis episcopis dignatur scribere, aut e latere suo mittit, qui ha-

bentes ejus auctoritatem præsentes cum episcopis judicent, et diligenter causam inquisitam diffiniant: aut dignatur credere episcopos sufficere, ut negotio terminum possint imponere. Et Innocentius (*epist.* 2, *c.* 3) : « Si quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, congregatis secundum synodum Nicænam (*Syn. Nic. c.* 5) ejusdem provinciæ episcopis jurgium præcipit terminari. Et Bonifacius (*ep.* 2) de Maximo scribit, ut ad provinciam venire cogatur, et illic se constituto præsentare judicio, et quidquid de illo duxerint provinciæ episcopi decernendum, cum ad eum relatum foret, sua firmaretur auctoritate : quatenus, ut idem (*epist.* 3, *can* 6) ad Hilarium scribit, metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet, sicut scriptum est in Nicæno concilio (*can.* 5), ut sicut apud Alexandriam, quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est. Similiter et apud Antiochiam, cæterasque provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. » « Unde bene placuit (*Ibid.*, *can.* 5) annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul episcopis congregatis provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones. »

« Et hæc dico, non, quod absit, præjudicans summæ sedis apostolicæ, et sancti apostolatus vestri in aliquo potestatem, cui in omnibus sum, sicut rectum est, obedire paratus. Sed quia summæ auctoritati vestræ obsequium præstare me puto, cum ea quæ sentio, aut ad probationem, aut ad correctionem humiliter sapientiæ vestri magisterii pando ; et Rothadi mores vobis intimare procuro, ne mea negligentia, qui eos novi, vos lateant, quatenus certius quod vobis placuerit de illo vera auctoritas decernere valeat. Quem si nunc in dispositione judicium vestrum manere decreverit, scimus de benignitate et modestia ac pietate filii vestri domni nostri Karoli, quoniam quidquid de illo præfato filio vestro præceperitis et rationabiliter poterit adimplere, sine ulla retractatione obediet. Sed et coepiscopi nostri de Ecclesiarum suarum stipendiis abundantissime illi impendent. Mea etiam exiguitas, sicut nunquam ad retributionem mali propter contemptus et contumelias ab illo mihi illatas pervenire volui ; ita quidquid benignitatis potero, libentissime abundantius etiam, quam unquam fecerim, impendere procurabo. Si vero sine ulla satisfactione tam diutini contemptus sacrorum canonum, et sedis apostolicæ decretorum, ac suæ metropolis privilegii, atque synodalium judiciorum, quibus nec obedire, nec se obediturum de cætero profiteri vel subscribere voluit, et absque professione, vel suscriptione suæ correctionis et obedientiæ, coram fratribus suis, quorum multoties regularia spreverat monita, cum inde pluraliter in Leonis et Gregorii epistolis relegatur. Si etiam, ut illa prætereamus quæ ob sacerdotii verecundiam et opprobrium sæcularium, sequentes Africanum concilium, nec ad nominationem in synodum deduci permisimus, parvipensis et sine aliqua correctione dimissis eis capitulis, auctoritati vestræ sub fidei astipulatione directis, pro quibus fuerat judicatus ab episcopis, ad quorum judicium provocaverat, secundum expressa sacrorum canonum et apostolicæ sedis decreta. Cœlestino dicente (*epist.* 3) : « Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa, frangatur? » Mox vestræ potestati placuerit illum restituere, ut primæ sedis et matris ac magistræ omnium Ecclesiarum pontificis, cunctorumque episcoporum patris atque magistri regulare judicium ferre convenit, æquo animo feram. Credo tamen diligentissimam discretionem vestram provisuram contemptum ac contumaciam subjectorum erga prælatos suos, et libertatem impune delinquendi contra canones sacros, quæ hinc in nostris regionibus poterunt (ut quibusdam videtur) noxias vires accipere : præsertim cum sapientissimæ auctoritati vestræ constet esse notissimum, demonstrare Sardicense concilium in septimo suo capitulo : qualiter dejecti et ad se clamantis episcopi restitutionis, vel in depositione permansionis exsecutio, cum indemnitate simpliciter judicantium ab apostolica sede debeat celebrari. Quod et Innocentius, ac Bonifacius, verum Leo in decretis (*ubi supra*), et Gregorius evidentius in epistolis suis demonstrant, Carthaginensis concilii, imo apostolicæ Sedis, quæ in suis eidem præsedit vicariis decreta sequentes (*Conc. Carth.* III, can. 10) : « Videlicet a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravari. » Unde nobis et conscientia testimonium perhibet, et omnibus qui interfuerunt notum factum fuisse dignoscitur, quoniam illum servare quam judicare maluimus, si pro sacrorum canonum neglectu eorum judicio, per quos Spiritu sancto inspirante promulgati sunt, cum eo quem corrigere nequibamus, damnari pariter non timeremus. Et idcirco nullo inimico animo, nulla cupiditate aut gratia depravati, flentes illius incorrigibilem socordiam, et irrevocabilem pertinaciam, regularia in eum judicia exsecuti sumus, quæ ab eo suspendere diutius non præsumpsimus.

« Vestra etiam et summa auctoritas in decernendo attendet Apostolum docentem, quia quorumdam peccata præcedentia sunt ad judicium, quorumdam etiam et subsequuntur (*I Tim.* v). Quæ, sicut beatus exponit Ambrosius (*lib.* I *De apol. David*, c. 6), ac si posita in bilance, in judicio sunt examinanda, utrum bona opera amplius pensando remuneranda præcedant, et male facta minima misericorditer dimittenda demonstrent : an male facta amplius pensando præcedant, ut mereantur damnationis judicium, et bona paucula suffocent. Quia et nos pro modulo nostro non solum inutilitatem, verum et noxietatem

in Rothado cum factis suis pensavimus, et velut ficulneam infructuosam, terram rationalem diutius inutiliter occupantem, et etiam post plura tempora, pluresque admonitiones, quasi cophinos pinguedinis sibi appositos non recipientem, sed sterilem permanentem, non sine dolore cordis succidendum providimus. Et cum hæc ita se habeant, absque dubitatione confido, quia illud, quod in præfato Carthaginensis concilii (*Conc. 3 Carth.* can. 10 et *Afric.* can. 89) capitulo sine ulla interpellatione subsequitur, decretum vestri moderaminis nequaquam præteriet: Sane, inquit, si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam a pauciore numero, quam constitutum est, non liceat provocari. Qui numerus constitutus in duodecimo superiori capitulo demonstratus, et consensus partium expetitus, in damnatione Rothadi constat fuisse completus. Quorum et si judicium pro qualicumque causa forte rationabiliore, et adhuc nobis incognita, vestræ summæ auctoritati, quam multa nobis occulta non transeunt, placuerit retractari, quia tamen est mea votis obedientiæ committere, et non judicia vestra discutere, sustinebo, et contra vestram regularem restitutionem, si forte in eo agenda visa fuerit (in qua vestra disponet auctoritas, qualiter idem victor, ut solet, et voti compos quæ sunt episcopi de reliquo faciat) non recalcitrabo, ducens pro magno, si a diutinis et multis molestiis, quas ab illo et pro illo passus sum, jam tandem aliquando valeam respirare; et nunquam mihi contingat alterius contra illius inquietudines inutiliter laborare. Et quod non solum ab ecclesiasticis personis, verum et multo magis etiam a sæcularibus nostra judicia contemnuntur, et pro nihilo ducuntur, dicentibus eis, et ad medium devocantibus illa, quæ nobis vestræ auctoritati non sunt ascribenda, ut non animum dilectionis vestræ in aliquo moveam, quod summopere cavere desidero. Si qui in provincia nostra, quorum querela (illo restituto) ad vos valeat pervenire, majoribus causis de cætero quædam commiserint, sicut de quibusdam rebus frequentius in istis, quam retroactis temporibus committuntur, ne a Deo damner silentio, eos commonere studebo, et si corrigere se voluerint congaudebo. Sin autem, ad vestrum eos judicium provocabo. Qui si ire voluerint, vestra sancta sapientia quid inde melius viderit, decernere procurabit. Si autem ire noluerint, faciant quod sibi utile judicaverint. Me utinam hinc a divina damnatione sententia sancti Ambrosii liberet, qua dicit: Si, inquiens, quis potestatem non habet, quam scit reum abjicere, aut probare non valet, innocens est. Sicque ut puto, quia in multis occupatus, et itineris longitudine atque in senilitate obstrictus de omnibus, antequam insolentium querela ad vos perveniat, ad apostolicam sedem venire non valeo, infirmitate gravatus, et (gratias Deo) termino jam vicinus, potero præcavere, ne a quocunque sanctitatis vestræ animus erga me moveatur, ut aliqua mihi excommunicatio intentetur. Et licet noverim secundum Apostoli Evangelium, redditurum Dominum unicuique secundum opera ejus (*II Cor.* v), testimonium reddente illis conscientia (*Rom.* II), et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die qua judicabit occulta hominum. Et ut Leo dicit: Si quid per servitutem nostram videlicet sacerdotalem, bono ordine et gratulando impletur affectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum; et quod secus fuerit, ratum esse non poterit: modis omnibus, quantum ipse donaverit, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum (*Jac.* I), providere studebo, ne a communione sedis apostolicæ (quod absit) quolibet modo extorrem me ultimus dies, qui mihi incertus est, et subito venire potest, inveniat. Erit enim, quamvis tardius quam necesse sit, quoniam ego gravis peccator, gravi carcere corporis diu inclusus teneor, merito in multis afflictus, providentissimo Domino providente, et tempus, et persona in Remorum Ecclesia, quando, et in qua ab apostolica auctoritate privilegium integratum sibi ex antiqua consuetudine collatum et conservatum habebitur: quæ nunquam, excepto Romano pontifice, primatem habuit, nisi quandiu ejecto sine ullo crimine ab ea suo pontifice, violentia tyranni Milonis, tempore Karoli principis pastore vacans, Bonifacio apostolicæ sedis legato, aliquandiu, sicut et Ecclesia Treverensis, commissa fuit. Inter quas, Remensem scilicet et Treverensem Ecclesiam (has enim duas tantum provincias Belgica regio habet) hæc semper distinctio fuit, sicut in ecclesiasticis monumentis invenimus, et vetustissimam consuetudinem semper obtinuisse comperimus, ut isdem episcopus non loci, sed dignitate ordinis prior secundum sacras regulas haberetur, qui foret in qualibet istarum Ecclesiarum metropoli antea ordinatus. Mihi vero necesse erit, me taliter gerere, ne toties auctoritatis vestræ epistolas excommunicationes intentantes et objurgationes, quas raro et magna necessitate fiendas in apostolorum virorum litteris legimus, ferentes de reliquo accipiam, sicut istis temporibus, peccatis meis merentibus frequenter accepi. Quod si sanctitati vestræ placuerit, non vobis opus agere in postmodum erit, donec apostolica vestra jussio me inobedientem in aliquo contra regulas sacras per contemptum, quod absit, invenerit. Qui enim quare Dominus in Evangelio centurionis fidem (*sub.* laudaverit, *vel quid simile*), dicentis: Dic verbo et sanabitur puer meus (*Matth.* VIII), intelligit quam operatorium sit episcopi, imo sicut in Paulo in se loquentis Christi (*II Cor.* XIII), quando magis pontificis apostolicæ sedis verbum, et quam obedienda sit ipsius præceptio, etiam sine ulla adjurationis adjectione, cognoscat. Quod et scientibus inculcare, et nescientibus intimare, sapientibus et insipientibus debitores debemus episcopi. Quibus si de reliquo verba impiorum prævaluerint adversum nos, sicut jactitant protervientes, non erat necesse de provincialibus synodis

in quibus hactenus laboravimus, magnopere laborare : quippe quoniam erit et lex et spes sibi quisque. Quod quidem vestra humilitati nostræ scripsit sublimitas, primo vos commotos esse ad Rothadi causam inquirendam, cura, qua pro universis fratribus vestris constringimini, cum debita reverentia gratanter accepi : intelligens quia in numero fratrum nos qualescunque metropolitani computari debemus. Ea propter sicut vestræ discretioni providendum est, ne subjecti episcopi a metropolitanis irregulariter condemnentur : ita nihilominus providendum est, ut metropolitani a subjectis episcopis non irregulariter contemnantur. Deinde quod perspectissime scripsistis secundo, quoniam sedem apostolicam Rothadus noscitur appellasse, et ne videamini Ecclesiæ vestræ privilegiorum detrimenta diebus vestris æquanimiter tolerare : et hoc nihilominus a nobis, et ab omnibus est rectissime suscipiendum, et solertissime conservandum. Quod et ego pro modulo meo servandum esse volui, et volo, et favente Domino in hac devotione manebo, sciens privilegium metropolitanæ sedis Remorum, (cui me divina dignatio servire disposuit), in summo privilegio sanctæ sedis Romanæ manere, et privilegium esse sedis Romanæ, si sua auctoritate privilegium sibi subjectæ sedis fecerit vigere, et studuerit confirmare. De eo vero quod tertio loco ad medium devocastis, scribere aliud nihil præsumpsi, nisi quia causa Rothadi a causis illorum, de quibus scripsistis, est pene in cunctis dissimilis. De eo quod tandem apostolica vestra benignitas indignitati meæ scribere est dignata, ut hæc vobiscum cogitem, et quod de Rothado decernitis approbem, et non ad mei injuriam id vos egisse aliquantulum autumem, quantum valeo totis medullis cordis, cum omni supplicatione et debita ac submissa humilitate immensas gratiarum actiones sancto apostolatui vestro rependo, cum omnis inceritate animi rescribens, quia sicut mihi scribere dignati estis, ita per omnia credo. Et quia privilegium vestri summi pontificatus, ut condecet, et omnes desideramus, evindicatum habetis, quod nemo nostrum contradixerat in deductione Rothadi, sicuti præcepistis ad vestram præsentiam : ut perdonare dignati estis, videre desidero, et visurum me esse confido ; quia non aliud nisi ut supra monstravi, quod regulæ sacræ præcipiunt, et mihi petendum et vobis concedendum est, postulo : videlicet, ut sic Rothado ab auctoritate vestra compassio exhibeatur, ut vigor ecclesiasticus non dissolvatur : et sic vigor ecclesiasticus conservetur, ut debita misericordia et necessaria sufficientia ei non denegetur : quatenus nec ipsius exemplo ad excedendum alii provocentur, ne quibus in istis regionibus longius ab apostolica sede remotis censuræ ecclesiasticæ moderatio est commissa, hinc (quod absit) conspiciant, unde aut negligentia aut dissolutione tepescant, vel terminos quos statuerunt patres (*Prov* xxii), transgrediendi materiam se sumere posse dicant : quos sicut intelleximus, nos hactenus servasse putamus. Vos videbitis quid inde facto melius erit, et nobis in judicio vestro videndum est, quid Deus velit : quoniam injusta esse non poterunt divina judicia, quia a soliditate confessionis apostolicæ petræ, adversus quam inferi portæ, id est, suggestione vel operatione prava non prævalebunt (*Matth.* xvi), dictante justitia proferentur. Epistolam quam mihi auctoritas vestra, cum obtestatione præcepit Rothado dirigere, domnus noster rex, filius vester, mox ut ad eum veni, per abbatem suum Rothado direxit.

« Rodulfus quoque, ejusdem filii vestri domni nostri regis avunculus, in Idus nunc elapsi mensis Decembris ab Ludovico Germaniæ rege reveniens, cum valde vespere a corte regis nostri ad mansiones nostras super fluvium Ligerim, secus continium regni Aquitaniæ festinaremus, misit ad me hominem suum, nomine Rodulfum, mandans quia præfatus rex Ludovicus quemdam hominem Rothadi, cum epistolis vestræ sanctitatis, manui, et fidei suæ commisit : quatenus ita ad præsentiam domni nostri regis Karoli cum eisdem episcopis eum perduceret, ut nullum malum ei inferret. Est enim apud domnum nostrum regem idem homo accusatus, quod furatus sit res et thesaurum Ecclesiæ, et post perjurium inde commissum, fuga lapsus, ad Ludovicum regem perrexerit. Unde idem Rodulfus petiit, ut ego illum unde apud dominum nostrum regem adjuvarem : ut quoniam prædictum hominem in sua fide acceperat, nullum malum haberet. Cui respondi, ut teneret ipsum hominem secum, ne interim ullum malum pateretur, donec ad cortem redirem, et quantum possem inde illum adjuvare curarem. Ipsum autem hominem nec tunc, nec postea vidi, nec quo abscesserit cum epistolis, audivi. Quæ idcirco sanctitati vestræ scribere studui, ut si aliquis malivorum nostrorum (more suo) vobis quidquam sinistri ex hoc suggerere voluerit, quid inde verum sit cognoscatis, et erga me vestrum animum non moveatis.

« Rationem denique quam reddidi coram electis judicibus, de quibus per libellum provocationis ad electorum judicium fueram a Rothado impetitus, ipsi venerabiles episcopi vestræ auctoritati transmittunt. De gestis vero a Rothado post excommunicationem suam in provinciali synodo compilatis, quæ per vicinos nostros ad vos in derogationem nostram pervenisse audivimus, episcopi Remorum provinciæ per communes legatos nostros vestræ sanctitati, quæ sciunt, intimare curarunt. » Item post aliquanta de promotione ipsius domni Hincmari ad episcopatum, quæ jam superius partim prænotata non curavimus hic iteranda. » Denique præfato Ebone defuncto, Ecclesia, sed et parochia nostra, secundum consuetudinem quam ex antiquo habuit (etiam de his, quæ in episcopatu usque ad obitum in eadem Ecclesia non permanserunt) ipsius nomen inter sacrosancta mysteria in episcoporum catalogo recitare pietatis gratia cœpit, et hactenus facit. Quod ego ne scandalizarem devotos, quasi invidens saluti frater-

ne, maxime autem quiescentis in Domino animæ, qui non pro exorbitatione a catholicæ fidei sanitate anathematizatus, sed sua conscientia stimulante, primum a seipso, et postea a synodo, sed et apostolica sede damnatus exstitit, hoc prohibere sine apostolicæ sedis auctoritate nequaquam præsumpsi, dicente beato Cœlestino papa (*epist.* 1, cap. 12). Quis nefas est hoc pati religiosas animas, quarum afflictione (quia membra nostra sunt) nos quoque convenit macerari. Nunc autem in epistolis sanctitatis vestræ, quas Engelwinus diaconus nobis attulit, invenimus, ut Teutgaudum et Guntarium in catalogo episcoporum non recipiamus. Et Antiochenum concilium (*rubricæ* statuit, *aut* præcepit), ut præmisimus, et melius ipsi scitis, de eo qui post damnationem juxta præcedentem consuetudinem, episcopale præsumit ministerium (quod Ebonem fecisse non dubium est), rescribere mihi dignetur apostolica vestra auctoritas, utrum eumdem Ebonem inter episcopos in sacris diptychis in ecclesia nostra nominare permittam, an, ne de cætero in episcoporum catalogo nominetur prohibere debeam; quatenus vestra auctoritate fultus, quid in nostra Ecclesia inde sit observandum, sine ambiguitate, decernentibus vobis demonstrem (*Conc. Antioch.* I, c. 4). »

CAPUT XIV.

De quodam Gothescalco schismatico.

Cæterum Liudo mihi dixit, quod cum eo rationem de damnatione et reclusione Gothescalci habuissetis. Unde quoniam per alios jam audieram, ad sanctitatem vestram verba venisse, mihi auctoritati vestræ quædam ex verbis et catholicorum sensibus in rotula, qualiter contra ipsius pestiferi hominis sensum sentiam, per Odonem episcopum, et nihil inde responsionis accipere merui. De quo nihilominus ut redderem rationem, quidam episcopi, quorum nihil de illo intererat (quoniam nec eos, ut ipse manifestis indiciis prodiderunt, ad hoc charitas commovebat, nec auctoritas deducebat), me ad conciliabulum nuper Metis habitum, quod vocari synodum voluistis, sicut intelligo, irregulariter quarto die antequam congregaretur (*an.* 863), cum ego longius [illegible], et idem Gothescalcus plusquam centum milliaribus ab ipsa civitate disparati essemus, nihil me inde ante præmonitum per quemdam laicum hominem litteris vocaverunt. Et nunc ideo breviter de eo sanctitati vestræ suggero, quoniam antequam ad episcopatus ordinem pervenirem, sicut alii sani et monachi, inter quos fuerat conversatus, ei testimonium perhibent, in metropolis Ecclesiæ Remorum monasterio, in Suessonica parochia, quod Orbacis (*f.* Orbaces) dicitur, habitu monachus, mente ferinus, quietis impatiens, et vocum novitate delectans, ac inter suos mobilitate notus, singularis de omnibus quæ in his regionibus perversa ante temporis sensa cognoverat, quædam sibi* elegit capitula, ut novitate vocum (mutatas) valeret, atque simplicium et devotorum sensus pervertere, et magistri sibi nomen usurpando, post se discipulos trahere, illisque qui ad sua vota, auribus prurientes (*I Tim.* IV), magistros sibi coacervare decertant, quærere indebite (quoniam legitime non poterat) simulatione vitæ religiosæ et doctrina præesse. Quisque a Remorum chorepiscopo, qui tunc erat, contra regulas presbyter ordinatus, a monasterio irregulariter existens, peragratis regionibus plurimis, et exitiosa semina sator pessimus seminans, tandem in Moguntina civitate habita synodo (*an.* 848), Rabano archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ episcopis, cum litteris synodalibus ad metropolim Remorum (cui jam auctore Domino præeram) est remissus. Postea autem a Belgicæ Remorum, ac Galliarum provinciarum episcopis auditus, et inventus hæreticus, quia resipiscere a sua pravitate non voluit, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, judicio præfatarum provinciarum episcoporum, in nostra parochia (quoniam Rothadus, de cujus parochia erat, illi nesciebat resistere) et novitates amans timebatur a nobis ne disceret prava sentire, qui noluit recta discere docere; neve idem Gothescalcus cum aliis communem vitam ducens errori suo faceret esse communes, monasteriali custodiæ mancipatus est, docente Apostolo: Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita (*Tit.* III), sciens subversum esse hujusmodi, et proprio judicio condemnatum. Qui ut Leo papa (*epist.* 13) de Eutichete dicit, cum videret insipientiæ suæ sensum catholicis auribus displicere, revocare se a sua opinione debuerat, nec ita Ecclesiæ præsules commovere, ut damnationis sententiam mereretur excipere. Quam utique si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. A qua damnatione si voluisset ad sensum catholicum resipiscere, paratus semper fui et sum (quoniam sic venerabiles judicaverunt episcopi) eum in catholicæ Ecclesiæ communionem recipere, sicut et jubeo quæ sunt corpori necessaria ministrare. Si autem vestra catholica sapientia vult scire, quæ contra catholicam fidem ex veteri hæresi Prædestinatiana (quæ primum in Africa, postea in Galliis per idem tempus, quando et Nestoriana hæresis, est exorta, et tempore Cœlestini papæ ipsius auctoritate, et instantia sancti Prosperi est revicta) dicere videatur, de multis pauca vobis numero, sed non pondere, capitulatim significamus.

Dicit, quod et veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem æternam.

Dicit, quod et veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur; omnes autem salvari quoscumque ipse salvare voluerit, ac per hoc quicumque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius, ut salventur; quoniam si non omnes salvantur quos vult Deus salvos fieri, non omnia quæcumque voluit fecit, et si vult quod non potest, non omnipotens, sed infirmus est. Est autem omni-

potens qui fecit quæcunque voluit, dicente Scriptura : Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis (*Psal.* CXXXIV). Et item : In voluntate tua, Domine, cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati (*Esther* XIII) : si decreveris salvare nos, continuo liberabimur. Dicit, quod et veteres Prædestinatiani dixerunt, quod non pro totius mundi redemptione, id est pro omnium hominum salute et redemptione Dominus et Salvator noster Jesus Christus sit crucifixus et mortuus, sed tantum pro his qui salvantur. Dicit quoque modo dispari traditione, separi errore, quod et veteres Prædestinatiani dixerunt, exponens sententiam apostoli Petri : Eum qui emit eos, Dominum negantes (*II Petr.* II), Baptismi, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Quod autem baptismi perceptio redemptio nuncupatur, doctor gentium manifeste fatetur : Nolite contristare, inquit, Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis (*Ephes.* IV). At illa quæ propria et specialis est solorum omnium electorum, quam eis tantummodo crucifixus impertivit pius Redemptor ipsorum, sicut a præteritis, ita nimirum et a præsentibus natos, et nascituros, vivos et mortuos, videlicet omnes pariter electos redemit, eruit, abluitque peccatis. Ipsi prorsus, ipsi sunt mundus, pro quo passus est Dominus, ut ipse dixit : *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI, 52). Et item alibi idem Gothescalcus scribit : Absit procul a me, ut vel illud solummodo velim somniare, nedum semel susurrare, ut ullum eorum perpetualiter secum periturum antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo Patri Domini Dei nostri Filii sui, fusus est sanguis. Amen. Et item loquens ad Deum : Claret itaque satis aperte, quod nullus tibi perit, quisquis redemptus est per sanguinem crucis tuæ.

Quod Prædestinatiani veteres non dixerunt, iste ut audacius, ita et perniciosius dicit, deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse. Sunt et alia, quæ ipse et alii plures in istis partibus dicunt, quæ nobis sanæ fidei adversari videntur, quæ dum per alium quam per utilitatem meæ personæ auctoritas vestra cognoverit, forte attendet solertius, et quæ inde tenenda sunt docere studebit quantocius. Erit enim in proximo inde necessitas ; quia et si eorum corda in insania perversi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen regis nostri tempore, prava, quæ sentiunt, eloqui non præsumunt. Ita ut aperte videamus impleri quod scriptum est : *Congregans sicut in utre* [ms., *utrem*] *aquas maris* (*Psal.* XXXII). Aqua enim maris sicut in utre congregata est : quia amara hæreticorum scientia quidquid hodie in isto regno filii vestri domni Karoli pravum sentit; in pectore comprimit, et aperte dicere non præsumit. Meam quoque exiguitatem et occulte canino dente corrodunt. Facile autem, adjuvante Domino, portare valebo, quia et mihi parvum superest temporis spatium, et si inter filios Ecclesiæ, permittente Deo, in me acceperint potestatem corporaliter affligendi, divina gratia adjuvante, exercebunt patientiam. Sed etsi tantummodo male sentiendo adversabuntur, exercebunt quantulamcunque scientiam, et ut etiam inimici secundum præceptum Domini diligantur (*Matth.* V, 44), exercebunt benevolentiam. Præfatum autem Gothescalcum, si vestra auctoritas mihi scripserit, ut eum a custodia solvam, et aut ut ad vos eundi, ut per vos ejus doctrinam experiamini, aut ad quemcunque ex nomine designatum pergendi licentiam donem, quia ut melius ipsi scitis, sicut absolute quisque regulariter ordinari non valet, ita nisi ex ipsius consensu, cujus esse dignoscitur, certæ personæ commendandus, et ad certum locum monachus, vel quisque sub regula constitutus, a loco suo absolvi juxta regulas sacras non valet, vestris jussionibus nullo modo resultabo. Tantum ut auctoritatem vestram habeam, ne tantorum episcoporum judicium mea præsumptione parvipendere videar. Non enim illius delector, quam juste sustinet pertinaciter contumax, quantulacunque reclusionis molestia, sed doleo a qua revocari non potest perfidiam. Quem si cuicunque commendandum vestra auctoritas viderit, hoc in commendatione etiam providebit, ut cui commendabitur catholicus sit, et gravitatem ecclesiasticam et vigorem ac Scripturarum scientiam habeat, quia non solum Scripturas ad suum sensum violenter inflexas, sed et catholicorum dicta detruncata per totum diem sine respiratione aliqua prævalet memoriter decantare. Unde non solum idiotas in admirationem sui abducere, verum et sciolos et incautos atque zelum Dei, sed non secundum scientiam habentes (*Rom.* X, 2), in sententiam suam solitus erat traducere. Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit, sed et hoc solerter satis intendit, ut secum loquentes vel in sermone capere valeat. Et si de veritate non poterit, invincibiliter sacramentis affirmare curabit, ea secum loquentes dixisse, quæ forte non dixerant, ut ipse verax, et ei qui illi contradicunt probentur esse mendaces, et adversus suam doctrinam docentes.

CAPUT XV

De libris quos idem præsul Hincmarus composuit.

Scripsit etiam præfato papæ Nicolao fidei suæ depromendo tenorem, et suam contra prænotati Gothescalci errorem, quam fidei catholicæ dependere satagebat, defensionem. Scripsit præterea multa. Librum quoque collectum ex orthodoxorum dictis Patrum ad filios Ecclesiæ suæ, quod divinæ Trinitatis deitas trina non sit dicenda, cum sit ipsius summæ Trinitatis unitas, ad refellendas prænemorati Gothescalci blasphemias ; item ad Karolum regem super hac eadem re librum unum. Scripsit et ad eumdem Karolum regem opus quoddam egre-

gium metrice, de gratia et prædestinatione Dei; de sacramentis quoque corporis et sanguinis Christi, et de videndo Deo, atque origine animæ, simul ac de fide sanctæ Trinitatis, quod opus appellavit *Ferculum Salomonis*. Item collegit atque composuit volumen ingens plures continens libros de prædestinatione Dei et libero arbitrio contra quosdam reprehensores suos, atque Ratramnum monachum Corbeiensem, ad eumdem Karolum regem; cui talem præfert epistolam.

« Domno glorioso regi KAROLO (*Calvo*) HINCMARUS, nomine, non merito, Remorum episcopus, ac plebis Dei famulus, una cum collegis dominis et fratribus meis venerandis episcopis, oratoribus scilicet salutis atque prosperitatis vestræ devotis.

« Deo gratias agimus, qui cor vestrum ad amorem suum accendit, et ad cognitionem veritatis et orthodoxæ fidei scientiam et diligentiam ignivit, prudentiam quoque et intelligentiam vobis in litteris divinitus inspiratis donavit, et in earum meditatione atque exercitatione, quantum vobis pro reipublicæ negotiis licet, studium vestræ devotionis quotidiano augmento ad utilitatem sanctæ suæ Ecclesiæ provehit. Cæterum capitula synodalia venerabilium consacerdotum nostrorum, trium scilicet provinciarum, sicut ibidem continetur, et inferius scriptum invenietur, vobis delata, quæ nostræ humilitati juxta Scripturam præcipientem: Interroga sacerdotes legem meam (*Agg.* II, 12), quia et legem fidei esse legimus, præcedentium regum more, ob studium cognoscendæ veritatis, legenda et ventilanda dedistis, revolvimus. In quibus nos, licet nomina nostra sint tacita, designatione tamen effectus velut non catholicos reprehensos, et sine fraternitatis respectu despectos reperimus. Capitula quoque, quæ ob notam vobis, et infra innotescendam necessitatem, ex catholicorum Patrum sensibus et verbis excerpsimus, velut inutilia, imo noxia, repulsa et abominata invenimus. Quæ capitula, sicut a nobis excerpta sunt, suis scriptis inserere noluerunt, ne ab illis legerentur, in quorum manus illorum capitula devenerunt, sed quædam de his quæ in capitulis a nobis excerptis habentur, alio sensu et aliis verbis intulerunt, ut abominanda illa monstrarent; quædam autem suppresserunt, et taliter inde memoriam habuerunt, quasi nos contra sanctorum Patrum sensa in Africa et Arausica synodo senserimus. De quodam autem capitulo, id est, quod omnes homines vult Deus salvos fieri (*I Tim.* II, 4), licet non omnes salventur, funditus tacuerunt, sicut postmodum signantius demonstrabimus, cum Dominus dicat: *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes* (*Jer.* I, 10). Prius enim, si de conscientia rectæ intelligentiæ fieri constat, ponentes ea, quæ destruere nitebantur, sicut illa cum integritate sua acceperant, in quibus evellenda et dissipanda erant, legentibus demonstrare, et tunc illa auctoritatem destructis atque dispersis, sua rationabiliter, et ordinabiliter plantare debuerant, ac in sublime ædificantes extollere. De quodam etiam capitulo, quasi ædificatio aliqua in sacris mysteriis esse possit, ita scripserunt, ut legentes hoc a nobis dictum fuisse intelligere possint, de quo nihil a nobis est memoratum; et quare nihil a nobis inde sit dictum, et in cujus scriptis a nobis postea quam capitula scripsimus, sit inventum, suo loco dicemus. Inseruerunt etiam in eisdem suis scriptis de quibusdam sexdecim capitulis, quasi nobis debeant imputari, de quibus nihil audivimus, vel vidimus antequam venerabilis Ebo Gratianopolitanus episcopus vobis ea, quasi a bonæ memoriæ fratre vestro Lothario transmissa, apud Vermeriam palatium detulit. Quorum capitulorum auctorem nec adnotatum invenimus, nec cum multum quæsierimus invenire valuimus. Unde putavimus quia alicujus invidia ad cujusquam opinionem infamandam fuerint compilata, sicut sæpe legimus. Ut de multis pauca commemoremus, veluti epistola capitulorum exstitit, quam venerabilis Ibas episcopus suam esse in synodo denegavit, et sicut quidam æmuli de verbis beati Augustini adhuc in sua vita fecerunt, quæ ille argute et catholice repulit, quantum ad illius notitiam exinde pervenit. Post ejus etiam obitum, quidam invidi capitulatim de ejus ipsius scriptis, ex his etiam unde nunc agitur, colligere curaverunt, ut illius doctrinam orthodoxam, atque utillimam, ob personæ illius invidiam vilifacere prævalerent, et lectores devotos ab illius lectione ac dilectione et necessaria crudelitate averterent. Quæ videlicet æmulorum mendacia ex delegatione sanctæ sedis Romanæ per Cœlestinum papam sanctus Prosper catholico et prudenti stylo falsa esse, et imprudenter objecta ostendit, et memorati ac memorandi viri doctrinam orthodoxam esse lucidissime demonstravit. Unde et fieri potest, ut ista capitula, quæ vobis ex nomine confratrum nostrorum ab aliis quam ab illis delata, vel transmissa sunt, taliter in suggillatione nostra conscripta non fuerint, sed instigante diabolo inter cætera mala, quæ nunc in hoc mundo crebrescunt, ad immittendam inter Domini sacerdotes discordiam sint confecta, qui charitatem vehementer in nobis et timet et invidet, cum videt illam a nobis servari hominibus terrenis in terra, quam ille servare nolens angelicus spiritus amisit in cœlo. Quomodo enim fieri posset, ut sic fratres nostri nos succensore cum annihilationis despectu judicarent, qui regulam Dominicam, qualiter confratrem quisque admonere debeat (*Matth.* XVIII, 33), continue præ oculis et in usu quotidie habeant? Scriptum enim esse cognoscunt: *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, et cum interrogaveris, corripe juste* (*Eccli.* XI, 7).

« Sanctus enim Augustinus hæreticorum et reprehensorum suorum scripta, si in eis quidlibet bene dictum invenit, benignissime acceptavit, et plura ad rectos sensus interpretari elaboravit, nulli autem de recto sensu ad pravum inclinare tentavit. Et quomodo fratres nostri talia agerent, antequam nos

secundum evangelicam regulam, vel viva voce, vel scriptis suis inde interrogarent, ut vel volentes discere docerent, vel pravum sentientes, et ad tramitem veritatis et fidei redire contemnentes, fraterne et sæpius commonerent, et auctoritates divinas [*al.*, auctoritatis divinæ] et sanctorum Patrum scripta nobis proponerent, et ut in unum conveniremus nos cum mansuetudine et lenitate invitarent, scientes quia episcopus ideo ad synodum consacerdotum debet venire, ut aut discat, aut doceat ? Litteras namque quorumdam eorum quidam nostrorum benignitas, et fraternas suscepimus, nostrasque illis remisimus, et nihil tale de eorum parte perspeximus, audivimus, intelleximus, sensimus, vel percipere prævaluimus. Si autem talia scripserunt, si forte illi scripserunt, ut suam sapientiam de nostra insipientia demonstrarent, et plus de jactantia laudis appetitum quærerent quam bona nostra, et bene a nobis dicta, si forent, per charitatem sua facerent, si etiam secus a nobis dicta invenerunt, plus illa publicare quam nos fraterne corrigere maluerunt. Miramur de tantis et talibus viris, archiepiscopis, et episcoporum primoribus, maxime autem de Ebone *(Ebo Ebonis Rem. arch. nepos)*, qui religiosus est, ut audivimus, quippe sicut ab ipsis pene cunabulis sub religione et habitu regulari nutritus in Remensis Ecclesiæ monasterio, ubi requiescit sanctus Remigius. In quo loco religioso suam exegit ætatem, quousque a domno Ebone avunculo suo, tunc Remorum archiepiscopo, ibidem diaconus consecratus, et abbas monachorum ad regularem ordinem tenendum et gubernandum constitutione episcopali est ordinatus ; quemque ita humilitatis tenore nutritum, et humilitatis locum appetere, et tenere velle dicimus, ut illi et omnibus scriptum est : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (*Eccle.* x, 2). *Spiritus* enim *potestatem habentis* spiritus est superbiæ, locus autem noster humilitas est, quam a se vere locus munitus, et turris fortitudinis nos discere jubet. *Discite a me,* inquiens, *quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* xi, 29). Quamque pro loco tuto contra elationis ac jactantiæ spiritum præfatum religiosum virum obnixe tenere velle audivimus, et pro certo credimus, et idcirco discredimus ista capitula ab eo confecta, quia prætermissis aliorum consacerdotum nominibus, solius Ebonis nomen cum archiepiscopis est ibidem jactanter, ut quibusdam videtur, expressum. Et quod quam maxime in hoc ipse collaboraverit, quasi e regione sit sensum, ut etiam cum archiepiscopis major cæteris, et doctior in sententia fuerit.

« Hoc enim de sancto Augustino, qui in conciliis Africanis scientia, et labore, ac vigilantia major exstitit, nequaquam invenimus. Nam et ipse sanctus Augustinus non solum se cæteris coepiscopis, privatam gloriam quærens, non prætulit, nec præferri permisit ; verum se aliis supposuit, cum ipse plus aliis laboraverit, sicut in epistolis ad sanctum Innocentium papam scriptis, et ad alios apostolicæ sedis pontifices (August. *epist.* 90, 92, 95), qui legere voluerit, invenire valebit. Nec de ullo episcoporum in ullis conciliis aliter legimus, nisi forte apostolicæ litteræ propter evidentem causam aliquem coepiscoporum ad hoc negotium cum archiepiscopo suo ex nomine designari decreverint, sicut de Augustodunensi episcopo in epistolis beati Gregorii legimus. Quanto magis iste religiosus, et vir castus in hujusmodi se efferre noluisset, aut prælatum despectis ac prætermissis cæteris coepiscopis, permisisset ? Hoc accedit, quia fratres nostri, et consacerdotes surda aure non debuissent transire Salomonis dictum commonitoris, si ex nobis, aut auditu, aut scripto quiddam sinistri secreto accepissent, ut præpropere illud in publicum quacunque mobilitate (nostri mali unde non sumus conscii) ad contentiones et jurgia propalarent. Ait enim : *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum* (*Prov.* xxv, 8). Scimus tamen quia sunt nonnulli, qui dum plus sapere quam oportet sapere student (*Rom.* xii, 3), a proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes, stultosque contemnunt. Unde per se Veritas admonet, dicens : *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* (*Marc.* ix, 49), ut quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est, quatenus a pace concordiæ nunquam recedat. Unde terribiliter Paulus admonet, dicens : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* xii, 14). Præcipue autem nos eam servare et persequi, id est, perfecte sequi debemus, qui Deo quotidie sacrificare debemus, et Veritate contestante specialiter quasi præcipimur, ut si offeramus munus nostrum ad altare, et ibi recordati fuerimus quia frater noster habet aliquid adversum nos, relinquamus ibi munus nostrum ante altare, et eamus prius reconciliari fratri nostro, et tunc venientes offeramus munus nostrum (*Matth.* v, 23, 24). Ecce ductor et doctor noster a discordantibus non vult accipere sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hic ergo perpendendum est, quantum sit malum discordiæ, propter quod et illud non admittitur, per quod culpa laxatur. Non enim nos adversus fratres nostros habemus, si talia contra nos ante collationem scripserunt ; sed credendum est, si illa scripsissent, ad nos contra quos illa scripserant, transmisissent. Nunc autem illis quomodo rescribere possumus, cum utrum illa scripserint ignoremus ? Verumtamen ne sine responso nostro vestra dominatio maneat, vobis de cujus manu illa accepimus, corde, ore et stylo non formidantes carpentium nos, derogationem [*ms.*, derogationi] respondere curamus.

« Primo scilicet mittentes ea, quæ ab eisdem fratribus nostris in synodo conscripta fuisse leguntur, licet hinc antea, alia fuisse conscripta reperiantur.

Sed quia hæc in suggillationem nostram, et contra excerpta a nobis capitula confecta noscuntur, ea primum judicavimus ponere, quæ majoris nominis, licet non auctoritatis, quia partim non veritatis, propter synodalem tamen prætitulationem dignum duximus magnipendere. Deinde illa quæ a pluribus et per diversas manus de pluribus ex his causis accepimus, propter quam necessitatem ex catholicorum Patrum, ut diximus, sensibus et verbis capitula illa quatuor excerpere procuravimus, ea conditione, ut de singulorum scriptis ex singulis sententiis quæ a nobis in excerptis capitulis continentur, quædam, prout necesse viderimus, ponamus. Post hæc, capitula a nobis excerpta de Patrum sensibus et verbis, ut illa excerpsimus, ponere procurabimus, et si divinis et authenticis Scripturis, et catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ, sanctæque Romanæ sedis fidei, et orthodoxorum Patrum sensibus, qui eidem sanctæ matri Ecclesiæ præsederunt, et qui ab eadem apostolica sede Romana nobis in canone recipiendi dati sunt (*Dist.* xv, c. Sancta Romana), sensum nostrum in eisdem capitulis expressum concordare demonstrare potuerimus, agere curabimus, humiliter, ac devote studebimus, quia diversum ad stipulandum nostræ catholicæ intelligentiæ sensum sententias recipere, nec proferre volumus, nisi constet illum esse verum atque catholicum, quod ipsa mater omnium Ecclesiarum, et universalis Ecclesia duxerit approbandum. Et si qui fuerunt appellati doctores, ad probandam fidei sinceritatem illorum sententias non recipimus, neque proferimus, nisi quorum sententias ipsa catholica mater Ecclesia decrevit esse probabiles. Si autem et aliqui emerserunt, qui doctrinalem cathedram tenuerunt, postquam ab eadem sancta sede canon sacrarum Scripturarum, atque doctorum catholicorum, fidelibus creditis est datus, qui aliter senserunt quam ipsi intellexerunt atque docuerunt, quos ipsa mater catholica suo orthodoxo sinu recepit, amplectitur, atque fovet: qui nec debemus, nec necesse habemus, ad auctoritatem sententias illorum proferre, aut recipere volumus, quoniam in illis, et per istos satis ad salutem habemus. Et si qui aliter quam isti, maturiore et saniore documento tenendum decreverunt, dogmatizant aut dogmatizare præsumpserunt, totum ducimus fidei et saluti adversum quidquid ab eorum salubri doctrina constat esse diversum. Eorum etiam sententias, qui divina dignatione, postquam ipse canon a beato Gelasio conscriptus est, sensu et doctrina catholica, et sanctitate conversationis in Ecclesia floruerunt, et ad ipsorum orthodoxorum Patrum, qui in eodem canone annotati sunt fideli, quia catholica doctrina nihil dissonum, nihil diversum scripserunt vel docuerunt, reverentia pari amplectimur, veluti venerabilis Bedæ presbyteri a discipulis sancti papæ Gregorii catholica fide imbuti, et a sancto Theodoro archiepiscopo, utriusque linguæ, Græcæ videlicet et Latinæ perito, et a sancta Romana Ecclesia ad Angelos post discipulos beati Gregorii ad eruditionem transmisso, non mediocriter instructi, ac venerandæ memoriæ Paulini patriarchæ Aquileiensis parochiæ atque Alcuini viri religiosi et docti, quorum fidem et doctrinam apostolica sedes Romana non solum benignissime acceptavit, verum et multis laudibus extulit, sicut in scriptis ipsius sanctæ sedis invenimus, quæ Ecclesiæ nostræ ab eadem Ecclesiarum matre acceperunt, tempore divæ memoriæ Karoli imperatoris, quando synodus pro cognita infidelitate Felicis est habita, et ad Romanam Ecclesiam velut ad apicem Ecclesiarum transmissa. Sed et eorum scripta qui legit, quam sint laudanda et recipienda intelligit. Denique si talium, ut diximus, sententiis concordari capitula quæ excerpsimus demonstrare non potuerimus, parati sumus doctioribus et catholicis autem accommodare, sensum subdere, et sine contentione nos doctrinæ illorum subjicere. Et quia libellum de scripto bonæ memoriæ fratris vestri Lotharii, sine nomine auctoris suscepimus, in quo sugillatim per loca singula capitula a nobis excerpta sunt posita, et assensu illius, quicunque ille fuerit, reprehensa sunt et damnata, cum de catholicorum Patrum dictis nostra capitula, si poterimus, confirmare curabimus, ipsius etiam reprehensiones ponemus, et eas, quantum Dominus dederit, confutare studebimus. Tunc demum ponemus de capitulo confratrum nostrorum quinto, unde notam nobis quasi tacite et e latere impegerunt, quod in Gothescalci scriptis invenimus, postquam capitula quatuor sæpe memorata excerpsimus, et quid inde sentiamus Domino inspirante dicemus. Et sic tandem subjiciemus illa decem et novem capitula, pro quibus de Scotorum pultibus confratres nostri, sine culpa nostra, in hac duntaxat causa nos pascere decreverunt, et quid de eisdem capitulis sentiamus, ex catholicorum fratrum sensibus ostendemus. »

CAPUT XVI.

De his quæ Karolo regi scripsit.

Item, aliud edidit volumen insigne ad eumdem regem, contra prælatum Gothescalcum et cæteros prædestinatos, de quo hujusmodi ad ipsum scribit epistolam.

Domino Karolo regi glorioso Hincmarus, nomine, non merito, Remorum episcopus ac plebis Dei famulus, una cum collegis dominis et fratribus meis venerandis episcopis, oratoribus scilicet salutis atque prosperitatis vestræ devotis.

« Nuper elapso mense Junio, per indictionem septimam anno incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo nono, dedistis nobis quædam capitula, sicut nostræ dixistis humilitati, a Remigio reverendissimo Lugdunensium archiepiscopo vestræ porrecta sublimitati, jubentes ut tempore congruo de his vobis redderemus responsum, si unanimes uno ore, eorumdem capitulorum sensu concordaremus, an quia vobis a sana Patrum fide in quibusdam dissentire videbantur, noster sensus, quem a catholico tramite non deviare credebatis, ab eis in aliquo

dissideret, sequentes et præcepti Dominici jussionem, et Christianam prædecessorum nostrorum consuetudinem. Est enim et divinis legibus cautum, et prisco anteriorum principum more sancitum, ut quotiescunque in catholica fide, vel divina religione quiddam novi emerserit, a principali sententia episcoporum consultui referatur, et quod eorum judicio, Scripturarum sanctarum auctoritate et orthodoxorum magistrorum doctrina, atque secundum auctoritatem canonicam et decreta pontificum Romanorum Christi Dei nostri vicarii, et sanctæ ejus Ecclesiæ præsules, credendum, sequendum, et tenendum, atque prædicandum decreverint, id ab omnibus corde credatur ad justitiam, ore autem confiteatur ad salutem (*Rom.* x, 10), sequatur ad vocationem, teneatur ad coronam, prædicetur ad lucrum. Quæ siquidem capitula conventu episcoporum habito in territorio Tullensi, in villa, quæ dicitur Saponarias, ante biduum quam vobis porrecta fuerint, sunt recitata, proferente et deponente ea synodo domno Remigio Lugdunensium archiepiscopo. Quæ sicut dixit, et in epigrammate eorumdem capitulorum continetur, in hoc ipso anno in Kalendis nihilominus ibidem de rescriptis, et in suburbio Lingonicæ urbis, ad instructionem Dominici populi, ipse et sibi comprovinciales episcopi ediderunt, et in crastina alia quædam capitula, de quibus post locuturi sumus, relicta fuere. Super quibus, sicut quibusdam ex fratribus visum est, quorumdam sensus est motus. Nam ut vere et nos fateamur, nostræ conscientiæ super pridem capitulis, quæ, ut diximus, Remigius archiepiscopus synodo præsentaverat, recitatis, catholicorum ad memoriam reducentes doctorum traditiones, non modice se concusserunt. Unde nostrorum quidam, fidei Christianæ zelo succensi, aliqua synodo voluere suggerere, sed motus nostri ab eodem venerabili archiepiscopo Remigio Lugdunensium sunt modeste compositi, eo venerabiliter perorante, ut si quorumcunque nostrorum sensus ab eisdem prolatis capitulis, in aliquo dissentiendo se commueret, ad proxime futuram synodum catholicorum libros doctorum quique deferre curemus; et sicut melius secundum catholicam et apostolicam doctrinam in commune invenerimus, de cætero omnes unanimiter teneamus. In cujus devotione coepiscoporumque ipsius diœceseos, quorum etiam et ante ordinationem mentem catholicam atque doctrinam, sicut et vos non latet, cognovimus, quantum sensui pusillitatis nostræ fidem accommodare audemus, percepimus quia non ex ipsis, ut non dicamus per ipsos, synodo capitula ipsa fuere prolata. Quapropter quamvis blando sibilo eos quidam charaxare voluerint de eo quod sanctus Cœlestinus episcopos Gallicanos redarguit (Cœlest. *epist* 1, c. 1), dicens: « Quid illic, inquit, spei est ubi magistris tacentibus hi loquuntur qui, si ita est, eorum discipuli non fuerunt? timeo ne connivere sit, hoc tacere. Timeo ne magis ipsi loquantur, si permittunt illis taliter loqui. In talibus causis suspicione non caret taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori. »

Nos tamen plures, qui eorum et fidem et doctrinam et prudentiam novimus, minus in eis ista nocentibus sententiam pro dissensione baptismi de beato Cypriano a sancto Augustino collaudatam, sæpenumero in libro secundo de Baptismo positam proponimus: « Quomodo enim, inquit (Aug., l. ii *de Baptismo*, c. 4), potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc disputationibus et collationibus episcoporum pertractata constaret? Hoc autem facit sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quæruntur, et propter inveniendi difficultatem diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris (*Ibid.*, c. 5). Et ideo plerumque doctoribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens et humilis charitas, in qua fructus major est, comprobetur: vel quomodo teneant unitatem, cum in rebus obscurioribus diversa sentiunt: vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod sentiebant declaratum esse cognoscant. » Sciebant namque iidem venerabiles, catholici, et docti viri, quia in multis regionibus ac provinciis hæc pestifera erat recommota doctrina, et ideo silentium in suis provinciis imponere tam facile, sicut forte poterant, noluerunt errori, donec ad plurimorum notitiam perventa plurimorum judicio quæstio sopiretur. Quia, ut dicit sanctus Cœlestinus in epistola ad Nestorium directa (Cœlest. *ep.* 6): « Omnes debent nosse quod agitur, quoties omnium causa tractatur. » Videlicet ut cum omnium in unius propositione fuerit diffinita consultatio, cunctorum valeat ad omnes emanare solutio. Hæc eadem namque capitula, sicut facile reminisci, potestis, ante triennium nobis in villa Rothomagensis episcopii, quæ Melpsa dicitur, quando in excubiis contra Normannorum infestationem degebamus, sub titulo quasi in Valentiana synodo conscripta fuerint, anno incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo quinto, sub Lothario imperatore dedistis, ut ad illa quæ nobis viderentur catholice ex orthodoxorum magisterio responderemus, cum aliis quorumcunque scriptis, quæ hinc ad vestram notitiam pervenere. Quorum quædam scripta recepimus, sed ea publicare noluimus, *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* iv, 3), donec cum eis, qui vobis illa transmiserant, familiari colloqueremur sermone, et eo si aliquo modo valeremus, ab hac prava intentione ad catholicæ fidei unitatem cooperante Domino revocaremus. Sed quia partim occupationibus præpediti, partim autem in fraternis suasionibus minus quam necesse fuerat, obauditi, eos quos munere disposuimus a sua intentione revocare nequivimus. Unde quia sicut Apostolus: *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt* (*I Tim.* v, 24), et quæ aliter

se habent abscondi non possunt; adeo quorumdam excrevit dissensio, ut hæc dissonantia ad vestram perveniret notitiam, et synodali decreto pro zelo fidei, et unanimitatis amore antequam hæc nobis perscrutanda committeretis, quatuor capitula episcopali definitione vobis de catholicorum Patrum dictis collecta, et singulorum exigeretis manibus roborari. Postea vero et quorumdam ex his eisdem capitulis subscripserant et aliorum etiam in tantum est accumulata vecordia, ut necesse foret, et jussionis vestræ instantia, et exsecutionis nostræ obedientia, hinc eorum quos præmisimus scriptis et propositionibus litterali officio respondere. Inter quæ et his capitulis quæ nobis nuper dedistis, pro nostri ingenioli capacitate, sub dubietate tamen, respondimus, quia non credidimus; ut fratres et coepiscopi nostri contra regulas ecclesiasticas adversum nos talia debuissent conscribere, præsertim cum non ignorarent Dominicis institutionibus et legibus sancto Spiritu promulgatis præfixum esse, qualiter sibi sæpe factis capitulis fidei obloqueremur, nos compellere, et tunc synodali judicio nos, nostrasque sententias a sua debuissent communione explodere (*Matth.* XVIII, 19, 20). Nunc vero quia certi sumus, cui compositori debemus de sæpe nominatis quæstionibus respondere, servatis relationum absolutionibus contra eos, quibus a vestra dominatione, pro imposito nobis ministerio, jussi sumus reddere rationem, contra hæc tantum capitula, quantum ex nobis est cum omnibus pacem habentes (*Rom.* XII, 18), ex sanctarum Scripturarum auctoritate, et catholicorum Patrum sententiis simpliciter respondere curabimus, ut cui forte omnia illa legere non licuerit vel non libuerit, hic compendiosas pro tempore capitulorum responsiones inveniat, quos furatis horulis a diversis occupationum distensionibus, qui cogitationum ferias non habemus, sicut de sententiis sanctorum Patrum accepimus, ne torpore vel inobedientia a vestra denotaremur Christiana devotione, committere schedulis tumultuario sermone studuimus, quoniam in præfatis relationibus, provocati multiplicibus multiplicium illationibus, multipliciter multiplicibusque collationibus, non sine (sicut scimus et contemnimus) lectoris tædio, sensu, sed tamen catholico, in tribus libris loquaci sermone respondere satagimus. Sed in hoc maxime benigno lectori nos satisfacere æstimamus, quia singulorum singulasque semper potentes sententias, singulariter ad objecta et resistentia fidei respondere studuimus; et vel in hoc solo devotionem quemque lectorem nobis conciliari confidimus, quia cum ex sua mente nostrum laborem perpenderit, nos apud se excusatos habebit. Quis vero sit illorum capitulorum compositor, cui quasi a novo cogimur respondere, ipse se prodet cum necessario urgebitur ad lucem veritatis venire, quia operator tenebrosorum operum (*Gal.* v, 19) (inter quæ ab Apostolo et hæreses describuntur) odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Omnis vero qui bona agit inter quæ bona ab Apostolo et fides connumeratur, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta (*Joan.* III, 21). Sed et ille quicunque est, si ad lucem venerit, et veritati ex corde consenserit, esse filius lucis poterit. Si autem et pertinaciter contradixerit veritati, ipse in infidelitate sua et contentionis suæ vecordia hæretici sibi nomen imponet, quia non statim hæreticum, quod ignoranter a fide sentitur diversum, si non fiat pertinaci contentione hæreticum. »

CAPUT XVII.

De synodo sex provinciarum Galliæ apud Trecas habita.

Anno denique Dominicæ incarnationis octingentesimo sexagesimo septimo, synodus provinciarum Remensium, Rothomagensium, Turonensium, Senonum, Burdegalensium atque Bituricensium apud Trecas VIII Kalendas Novembris convenit. Ubi quidam episcopi, ut assolet, gratia regis Karoli Vulfado faventes quemdam contra veritatem et canonum sacram auctoritatem adversus Hincmarum moliri cœperunt. Sed iisdem Hincmarus, eorum molitionibus ratione et auctoritate obvians, plurimorum sententia prævalente, rerum gestarum ordinem, de quibus agebatur, communi consensu epistola, scriptum per Actardum venerabilem Nannetensem episcopum papæ Nicolao episcopi, qui convenerant transmiserunt. Cujus epistolæ tenor idem exstitit, qui fuit in epistola Hincmari Remorum episcopi, quam per clericos suos sub peregrinorum habitu, propter contrariorum vitandas insidias, præcedente Julio mense Romam miserat. Epistolam autem in præscripta synodo factam, et archiepiscoporum, qui convenerant sigillis signatam, Actardus perferendam suscipiens, cum quibusdam episcopis ad Karolum, sicut ipse præceperat, rediit. Karolus autem immemor fidelitatis atque laborum, quos pro ejus honore et regni obtentu sæpe fatus Hincmarus per plures annos subierat, eamdem epistolam ab Actardo sibi dari exigit, et archiepiscoporum sigilla confringens, gesta synodi relegit, et quia, sicut voluerat, in eadem synodo Hincmarus non exstitit confutatus, epistolam suo nomine ad Nicolaum papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam et bulla sui nominis sigillavit, et cum epistola synodali per ipsum Actardum Romam direxit. Prælati autem Hincmari clerici in mense Augusto Romam venientes, Nicolaum papam jam valde infirmatum, et in contentione, quam contra imperatores Græcorum Michaelem et Basilium, sed et contra Orientales episcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter usque ad mensem Octobrium ibidem sunt immorati. Nicolaus vero papa gratanter suscipiens quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit (9). Sed et alteram epistolam eidem et cæteris archiepiscopis et episcopis in regno Caroli constitutis transmisit, innotescens præfatos Græcorum imperatores, sed et Orien-

(9) Non exstat hæc Nicolai epistola ad Hincmarum.

tales episcopos calumniari sanctam Romanam Ecclesiam, imo omnem Ecclesiam, quæ Latina utitur lingua, quia jejunamus in Sabbatis, quod spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere dicimus, quia presbyteros sortiri conjuges prohibemus, quoniam eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus, dicentes ipsi Græci, quod chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus ; reprehendentes nos Latinos, quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, et septem hebdomadibus a casei et ovorum esu, more suo, non cessamus. Dicentes etiam, quod in Pascha more Judæorum super altare pariter cum Dominico corpore agnum benedicamus et offeramus ; succensentes etiam nos, quia clerici apud nos barbas suas radunt ; et dicentes, quia diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos episcopus ordinatur. De quibus omnibus per singulas provincias a metropolitanis cum eorum coepiscopis sibi rescribi præcipit, alloquens eumdem Hincmarum in epistolæ fine hoc modo : « Tua, inquit, Hincmare, charitas cum hanc epistolam legerit, mox ut etiam ad alios archiepiscopos, qui in regno filii nostri Karoli gloriosi regis consistunt, deferatur, summopere agere studeat, et ut de his singuli in diœcesibus propriis una cum suffraganeis suis in cujuscunque regno sint constituti, convenienter tractare, et nobis quæ repererint, suggerere curent, eos citare negligat, ita ut eorum omnium quæ præsentis epistolæ nostræ circumstantia continet, tu et strenuus exsecutor illic existas, et apud nos verax et prudens scriptorum tuorum serie relator inveniaris. « Quam epistolam Hincmarus suscipiens, in Corbanaco (*Corbeny*) palatio consistenti regi Karolo cum pluribus episcopis relegit, et per alios archiepiscopos, sicut in mandato acceperat, dirigere studuit. Nicolaus papa Idibus proxime præcedentis mensis Decembris obiit (*ad an.* 11, *Lud.* II), cui Adrianus papa electione clericorum, et consensu Ludovici imperatoris in pontificatu successit ; quem Actardus Romam veniens cum supra scriptis epistolis, in apostolica sede jam ordinatum invenit.

CAPUT XVIII.

Item de præfato rege Karolo.

Scripsit præmemoratus domnus Hincmarus ad eumdem regem Karolum libellum, ex sacris Scripturis et catholicorum dictis collectum, ac triformi digestione distinctum, scilicet de persona regis et regio ministerio in causa reipublicæ, et quæ debeat esse discretio in misericordia, et de ultione specialium personarum, quem conclusit in capitulis 33. Scribit etiam ad præfatum regem instructionem utilissimam (*t.* 7. *epist.* 126), de cavendis vitiis, et de exercendis virtutibus, mittens ei pariter epistolam beati Gregorii ad Recaredum Wisigothorum regem. Item scribit ad eumdem regem collectionem quamdam multarum auctoritatum de ecclesiis et capellis, contra dispositionem Prudentii Trecassini episcopi. Scribit etiam ad instructionem ipsius regis, de duodecim abusivis sanctorum, in his colligens dicta Patrum et præteritorum constitutiones regum. Sed et de promissione sua eum admonens, quam verbo, ac scripto, antequam rex consecraretur, primatibus et episcopis fecerat. Scripsit quoque multas ad ipsum regem epistolas, ut qui ejusdem archiepiscopi de multis requirebat consilium, et per ejus prudentiæ suggestionem multa industrie disponebat. Quando etiam filius suus Karlomannus clericus adversus eum consurrexit, et ipse rex ad Viennam contra Gerardum comitem, qui a se desciverat, profectus erat, huic præsuli nostro litteras suas misit, mandans ut convocaret episcopos regni, ac laicos ipsi fideles, ut episcopi secundum ministerium suum prohiberent Karlomanno ne aliquod damnum in hoc regno faceret, et laici resisterent illi ne hoc facere posset. Qua de re Engilranno, Gozlino et Adelelmo comitibus scripsit, quærens ab eis, imo consilium dans, quid super hac re foret illis agendum. Litteras quoque deprecatorias regi jam pro eodem Karlomanno direxerat, et pro pace inter ipsum et patrem ejus laborabat ; multa tamen mala et deprædationes ab ipso, ejusque complicibus patiebatur. Accedens autem cum aliis fidelibus regis ad ipsius Karlomanni colloquium, obsides ei dedit, et accepit ab ipso, ut pax fieret in regno, et homines ipsius Karlomanni pacifice in regno consisterent. Et idem Karlomannus in villis sancti Medardi cum paucis pacifice maneret, donec missi regis venirent, et Karlomannus cum fidelibus regis ad patrem suum pergeret, et placitum cum eo faceret, vel sanus ad suos rediret. Susceptis autem missis regis, misit litteras ad Karlomannum, ut veniret ejus ad colloquium, auditurus ibi quid rex mandaret : ubi etiam fideles regis convocavit, ut ibi quod rex mandaret de pace stabilire possent, agereque certarent. Quod et tunc quidem factum est. Sed rex eumdem filium suum cum suis postea excommunicari fecit ab episcopis totius regni, pro malis quæ relinquere nolebat, insuper et comprehensum oculis privari jussit. Domno vero Hincmaro rex idem non solum de rebus ecclesiasticis, sed et de populo in hostem convocando, ut ipse hoc ageret, mandare solebat : et ipse accepto regis mandato tam episcopos quam comites convocare solitus erat.

De hoc rege Karolo in visione Bernoldi redivivi de qua superius [c. 3] aliqua jam narravimus talia referuntur visa. Venit in quemdam locum tenebrosum, ad quem ex alia parte lux resplendebat de vicino loco satis lucidissimo, et pulcherrime florido ac odorifero, ibique jacere vidit hunc regem Karolum in luto ex sanie ipsius putredinis, et a vermibus edi, qui carnem ipsius omnem jam pene assumpserant, et non apparebat in corpore ipsius aliud, nisi nervi et ossa. Qui vocans hunc ex nomine dixit : Quare me non adjuvas ? Cui respondit : Domine, quomodo vos possum adjuvare ? et ille : Prende, ait, illam petram, quæ juxta te est, et

pone illam sub capite meo. Quo facto, dixit ad eumdem : Vade ad Hincmarum episcopum, et dic ei quia illius et aliorum fidelium meorum bona consilia non obaudivi, ideo ista quæ vides pro culpis meis sustineo, et dic illi quia semper in illo fiduciam habui, ut me adjuvet, quatenus de ista pœna sim liberatus, et per omnes qui mihi fuerunt fideles, ex mea parte postulet ut me adjuvent ; quia si inde curam habuerint, cito de ista pœna ero liberatus. Cumque interrogasset eum, quis locus esset unde illa lux resplendebat, audivit sanctorum esse requiem ; conatusque propius accedere, vidit tantam claritatem, sensitque suavitatem, tantumque decorem [f. dulcorem] quantum humana non potest edicere lingua. Viditque ibi multitudinem hominum diversi ordinis in albis vestibus exsultantium, et quædam sedilia lucida, in quibus nemo adhuc sedebat eorum quibus præparata erant. Et in illo itinere ingressus est ecclesiam quamdam, in qua reperisse visus sibi est Hincmarum episcopum, præparatum cum clericis revestitis ut missam celebraret ; dixitque illi hoc quod Karolus ejus mandaverat. Statim regressus ad locum ubi eumdem regem prius viderat, invenit eum in loco lucido sanum corpore, et indutum regiis vestibus, dixitque illi : Vides quomodo me adjuvit tuus missaticus ? et cætera. Quam visionem domnus Hincmarus sibi relatam describens, et per loca ubi necesse visum est exponens, ad multorum notitiam pervenire fecit, et tam per se quam per alios regis fideles sibi quoque subjectos, pro ipsius absolutione animæ, et [illegible], pie fideliterque laboravit.

Idem vero præsul de multis regi necessariis sæpissime suggerebat. Inter quæ scribit ad eum pro electione Belvacensis episcopi, post obitum Hildemanni præsulis ipsius urbis. In qua epistola regem studet a Simoniaca hæresi compescere, asserens sibi multo amabilius esse istum episcopatum secundum sæculum dimittere, quam episcopum contra canonicam institutionem non tam benedicere, quam æterna secum maledictione maledicere ; item, pro cella vel monasterio Flaviaco, quod idem rex sibi, dum in ipsius ante episcopatum moraretur servitio, donaverat, et ut in vita sua illud teneret, præcepto confirmaverat, quodque a quodam invasore destructum restruxerat, et religionem, prout valuit, in eo restauraverat, quod postea rex idem conabatur injuste a jure ipsius auferre ; item, pro quodam refuga, qui quamdam sanctimonialem sibi copulaverat, suggerens regi, ut eum comprehendi faceret, atque sua regia potestate separaret ab hoc crimine, quia ipse stuprator episcopali judicio renuerat obedire ; item, pro causa Rothadi [ms., Rothardi] episcopi, quem rex ad causas suas vocaverat, et advocatum dirigere præceperat, qui responderet contra hominem quemdam ipsius Rothadi de beneficio ipsius, unde inter eos causa versabatur, pro qua re subtiliter ac diligenter eumdem regem reprehendit, ab hac intentione, sacris auctoritatibus interpositis, revocare gestiens ; item, de missatico suo, quod exsecutus est apud Lotharium imperatorem, et Ludovicum Transrhenensem, fratres ipsius Karoli, pro pacto pacis inter eosdem tres fratres componendo ; item aliam epistolam de eadem re, in qua eumdem regem Karolum instruxit, qualiter agere erga fratres suos deberet, sive utique de receptione vel rejectione eorum, de quibus ratio ventilabatur ; item de causa Lotharii imperatoris fratris ipsius, qualiter Romæ habebatur, et quando venturus esset in istas partes. Instruens etiam item regem, qualem se tam coram Deo quam etiam coram hominibus exhibere deberet. Unde reginam quoque admonet, ut regem ad honestam et regi congruam studeat exhortari conversationem ; item, de militaris rei dispositione, pro solvenda Belvacensis urbis obsidione, in qua designare curavit, qualiter Ecclesiam sibi commissam tractaret, ecclesiasticas scilicet actiones per monasteriorum præpositos, et archipresbyteros, curam villarum ac dispositionis domus, regaliumque servitiorum et hospitum, querelasque clamantium vel interpellantium, per fidelissimos laicos ; item, de itinere ad superiorem Franciam, qualiter disponatur, et quomodo regnum istud ordinatum dimittatur ; item, de synodo quam præcipiebat rex convocari infra parochiam Remensem, ostendens quibus ex causis convocari debeat synodus, et de aliis quibusdam utilibus rebus : item de causa Hilduini abbatis defuncti ; item, de causa Gerardi comitis ; item, de causa Ludovici regis Germaniæ fratris ejusdem Karoli ; item, de causa Lotharii regis Italiæ, nepotis ipsius Karoli ; item, de opera pontis, quem rex cum ipso ac cæteris nonnullis fidelibus suis faciebat ad Pistas in Sequana ; item, de causa Hincmari nepotis sui, montis Lauduni episcopi, plures scribit epistolas, pro quo multum apud eumdem regem laboravit ; item, de infirmitate sua, et de peregrinis quibusdam monachis suscipiendis ; item, de rebus sancti Remigii sitis in provincia Viennensi, vel Aquensi ; item, de ordinationibus quorumdam episcoporum et nonnullarum ecclesiarum ; item, de itinere ipsius regis ad Italiam post mortem nepotis ejus Imperatoris Ludovici, quomodo iter illud disponat, et quomodo regnum istud ordinatum dimittat ; item, de quæstionibus cujusdam Mancionis ; item, de villa Novilliaco, et rebus ad ipsam pertinentibus ; item, pro litteris Ludovici regis fratris ipsius Karoli, quas illi pro visione qua pater suus sibi apparuit, et miserat, quarum exemplar transmisit eidem Karolo, cum exemplari epistolæ, quam pro hac re ipsi Ludovico direxerat ; item, pro causa Waltarii defuncti, viri clarissimi, et de imagine Salvatoris ; item, pro causa Laudunensium, et ordinando eis pontifice post dejectionem Hincmari ; item, de eadem re ; item, de passione sancti Dionysii a Methodio Constantinopolitano Græce dictata, et ab Anastasio, Romanæ sedis bibliothecario Latine conscripta, et de vita vel actibus beati Sanctini, et quid in his invenerit de commemoratione S. Dionysii ;

item, de villis sancti Remigii in Vosago, qualiter usque ad id temporis sint habitæ. Pro diversis quoque rebus aliis diversas ad eumdem dedit epistolas.

CAPUT XIX.

Quæ Ludovico ejusdem Karoli filio scripsit.

Item, ad Ludovicum (*Ludov. Balb.*) regem filium hujus Karoli, quem unxerat et consecraverat, de conjecto Normannis dando; item, de disponendis regni utilitatibus, et ordinatione atque consilio patris imperatoris sequendo; item, post obitum ejusdem imperatoris, de ordinandis regni sui principiis, proponens ei exempla prædecessorum suorum, et instruens eum per capitula de justo regni regimine, et honore sanctæ Dei Ecclesiæ, cæterisque sibi ac regno necessariis rebus; item, de quibusdam præsumptoribus corrigendis, et temperanda censura correctionis, et aliis commoditatibus; item, ne quippiam contra canonicas moliretur regulas, nec alicubi hoc episcoporum præciperet, ne sententiam divinam incurreret; item, qualiter commonuerit ex præcepto regis ipsius Hugonem Lotharii regis filium, super malefactis quæ agebat, et de hominibus suis ad regem cum hostili apparatu dirigendis. Ad filios quoque ipsius defuncti regis (10), Ludovicum et Karlomannum, pro electione canonica ecclesiæ Tornacensi vel Noviomensi obtinenda post obitum Ragenelini episcopi; item, pro ipsa electione jam facta, quam indigne tulerant ab ipso archiepiscopo fuisse dispositam; item pro eadem, ostendens qualiter in electione ipsorum consenserit, quando electi sunt ad regni principatum et quæ ab eis pro hac electione mandata perceperit et quale sit ministerium regale, et quale pontificale, et qualis eligendus vel ordinandus sit episcopus, et qualis vel qualiter non debeat ordinari, et ut divinas auctoritates addiscere curent; item, pro eadem re, sacris demonstrans auctoritatibus quam graviter in Deum peccarent, qui ordinationem illam tandiu differre facerent, et de objectis sibi a Gosseno super Ludovici regis patris eorum assensu. Quare Ausgardim uxorem abjectam eum recipere non coegerit, et Adelaidim ab eo retineri non prohibuerit, et de litteris Ludovici regis ad eum pro filiorum suorum provectione datis, et de mandatis istorum regum ad se indebite missis; item, ad hunc Ludovicum solum de consilio a se petito, quale sit utile regi consilium, et qualiter debeat agere judicium et justitiam, et quid hæc boni conferant observata, quidve mali neglecta irrogare soleant, etc.; item, ad regem Karlomannum adolescentem et ad episcopos admonitionem de disponendo regali ministerio per capitula; item aliam admonitionem ad eumdem regem, similiter per capitula.

CAP. XX.

De iis quæ Ludovico fratri ejusdem Karoli scripsit.

Ludovico regi Germaniæ, præfati Karoli regis nostri fratri, nonnulli quoque scripsisse reperitur, ad petitionem ipsius regis, de quibusdam quæstionibus super quibus fuerat interrogatus ab ipso pro quodam Fulcrico, reddens ei rationem dignam, cur excommunicaverit ipsum, quem sub obtentu absolvit agendæ pœnitentiæ; item, pro tuitione ac defensione rerum Remensis ecclesiæ in Thoringia conjacentium; item, de pervasione regni fraterni, dignis et utillimis ei hoc dissuadens admonitionibus, ne id ad suam aggrediatur damnationem; item, aliam de hac eadem re cum cæteris regni hujus episcopis ad eumdem regem scribit epistolam, episcopali moderatione refertam; item, semel ac secundo ad ipsum per se, de his quæ mandaverat ab eo fieri in adventu suo Remis, ut non sicut disponebat, nec tali veniret tempore quia incongruum esset, et animæ suæ inopportunum; item ad eumdem qualiter de pace inter ipsum et fratrem ejus Karolum stabilienda laborabat, referens ei gratiarum actiones pro filiis ecclesiæ Remensis, qui in ipsius bene tractabantur regno; petens ut secure liceret illis suas, quas ibi habebant, tenere proprietates; item de metallo quod ei transmisit ad faciendum signum, subjungensque de pace atque charitate servanda et voluntate Dei sequenda, ut illi mandat, admonitionem; item pro rebus ecclesiæ Remensis apud Thoringiam sitis; item de reliquiis sanctorum Remensis ecclesiæ, quas illi sicut petierat transmittebat, et de libro vitæ, virtutumque S. Remigii, item de rebus S. Remigii sitis in Thoringia; item, de passionibus sanctorum, et de rebus suorum hominum, quas in illius regno habebant, ut de his nullum præjudicium sustinerent; item scribit cum Remigio Lugdunensi, Arduico Vesontionensi, Erardo Turonensi, Adone Viennensi, Egilone Sennensi archiepiscopis eidem Ludovico Regi, pro Bertulpho Treverensi archiepiscopo, reprehensibile ac periculosum demonstrans esse, quod actum ab eo compererat, de hac [metropoli scilicet et Treverensi ecclesia, ut eam invadi, discindi ac depopulari a pervasore permitteret quodam monacho ejusdem ecclesiæ: ostendens, quia licet regulis potestas præsideat humano generi dignitate, rerum præsulibus tamen divinarum devote colla submittit, atque ab eis causas suæ salutis expetit, inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdi se debere cognoscit religionis ordine, potius quam præesse. Itaque inter hæc illorum se pendere judicio, non illorum ad suam velle redigi voluntatem « Proinde, » inquit, « sicut non leve discrimen incumbit pontificibus, siluisse pro divinitatis cultu quod congruit: ita regiæ potestati (quod absit) non mediocre peculum est, si cum debeat parere refugit, quod ei ex divina voce a sacerdotibus nuntiatur: Domino dicente in Evangelio: *Qui est ex Deo, verba Dei audit* (*Joan.* VIII). Si autem vobis aliquis minus devotus suggessit, quod in eadem metropoli, in contemptu vestro, vel contra fidelitatem vestram, metropolitanum pontificem ordinari fecimus, quin potius consensu unanimitatis

(10) Obiit Ludov. Bald. 870, die 10 Apr.

nostræ ipsi secundum sacros canones ordinavimus, quia, ut scriptum est : Sicut Deus loci angustia non continetur, ita verbum ejus non est alligatum (*II Tim.* II), collaudante Redemptore ac Salvatore nostro quod centurio in hoc sensu dixerat : *Dic verbo, et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII) ; videlicet quod hic dixeris, illic fiet. Qui in discipulis suis hodieque nobis, licet indignis, loquitur : *Spiritus patris vestri loquitur in vobis* (*Matth.* X), qui replet orbem terrarum (*Sap.* I). Nolite credere, quæsumus, prava suadenti, quia pro certo sciatis, non in contemptu vestro, neque contra fidelitatem vestram, in eadem metropoli sede pontificem ordinavimus, sed perpendentes (quod et vos melius scitis) quanta et per quanta tempora ipsa Ecclesia desolata et destituta sit, et quanta contra Dei voluntatem non solum in eadem parochia, sed et in tota provincia ad eam pertinente, incurrerint (cum nihil canonice sine primate suffraganei episcopi agere valeant, nihil quod ad proprias parochias pertinet, ibid commoditatem regularem invenientes, canonice pontificem ordinaverimus. Quod et secundum divinas leges agere possent atque deberent ipsius metropolis suffraganei, si tanti numeri forent, ut per se regulariter possent ordinare pontificem, qui non minus quibus a tribus prævalet regulariter ordinari. » Prosequitur etiam depromens auctoritates sanctorum Patrum, quibus fulti hoc egerant. Et subinde : « Et quia tot in eadem provincia suffraganei non erant episcopi, ut metropolitanum regulariter ordinare valerent, quoniam Ecclesiæ Remensis et Treverensis comprovinciales atque sorores et ex auctoritate et ex antiqua consuetudine habentur, ea conditione ut qui prior earum fuerit episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in synodo, et si mutuo consilio et auxilio faveantur, atque fulciantur : Treverensis provinciæ episcopi a primate provinciæ Remorum solatium suæ ordinationis, secundum sacras regulas quæsierunt, sicut sancti Sardicenses canones (*Conc. Sard.* c. 5, *al.* 6) dicunt, scilicet ut si contigerit in una Provincia, in qua plurimi fuerint episcopi, unum forte remanere episcopum, et populi convenerint, episcopus vicinæ provinciæ, debere illum prius convenire episcopum, qui in eadem provincia moratur, et ostendere quod populi petant sibi rectorem, et hoc justum esse, ut et ipsi veniant, et cum ipso ordinent episcopum. Quod si conventus litteris tacuerit, et dissimulaverit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicina provincia episcopi, et ordinent episcopum. Ex quibus rite colligitur, quia si provincia Treverensis non nisi unum vel nullum haberet episcopum, episcopi Remensis provinciæ, petenti clero et populo Treverensis Ecclesiæ, deberent ordinare episcopum. Cui Ecclesiæ omnes, quorum nomina prescripta in capite hujus epistolæ legit gloria vestra, unanimi voto atque consensu fratrem et consacerdotem nostrum Bertulfum, ut præmisimus, regulariter pontificem ordinavimus, sicut ex sacris regulis et ordinationis ejus gestis ostendere possumus, et si necesse fuerit, ostendemus. Quapropter ipsius ordinationem, et dispositionem rerum ac facultatum ecclesiasticarum, sicut sacri præfigunt canones, ita defendimus, et perpetuo defendemus sicut et ordinem nostrum : quia si ipse non est episcopus, nec nos debemus nominari episcopi. Et si quis voluerit contra ordinationem ejus sinistri quidpiam dicere, exeat et dicat : verumtamen memor communionis suæ, quia aut ipse non communicabit ecclesiastico et episcopali ordini, aut nos non communicabimus, ministerio episcopali. Unde verbis beati Leonis (Leo, *ep.* XXIV) Theodosium Augustum quondam alloquentis, vos, Christianissime et venerabilis nobisque charissime rex, cum consacerdotibus nostris alloquimur, implentes reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officio, cupientesque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis a nobis, et ab Ecclesiis nobis commissis supplicatur, ne ante tribunal Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos et auctor regni, et coram sanctis angelis Christi, ut in eo statu atque immunitate seu privilegio cum suo pontifice Treverensem ecclesiam esse jubeatis atque conservetis, quo vestri progenitores atque prædecessores, sed et in quo frater ac nepos vester Lotharius, pater scilicet ac filius, canonica conservarunt, quatenus et vos meritum inde apud Deum, et beatum apostolorum principem Petrum in cujus honore ecclesia ipsa est consecrata, habeatis, et nos amplius debitores in orationibus et cæteris debitis obsequiis acquiratis. Quia nisi pro vestra reverentia hoc differamus, jam in pervasorem ipsius ecclesiæ judicium in terris exertum haberemus, quod 630 episcopi in magna Chalcedonensi synodo de hujusmodi decreverunt (*Juxta can.* 7, 18), et de cœlo super eum intentant, et in judicio divino ad æternam damnationem exerent, nisi dignam pœnitentiam egerit : » et cætera de auctoritatibus sacrorum canonum. Post quæ subjungitur : « Unde vestra religiosa et nobis charissima dominatio certissime sciat, quia quandiu iste frater noster Bertulfus a nobis in Treverensi Ecclesia ordinatus episcopus in hoc mortali corpore vixerit, alter in eadem Ecclesia ordinatus episcopus non erit, nisi forte ipse, quod absit, sacris regulis obvians, per easdem sacras regulas deponatur. Et isdem præsumptor et apostata monachus Walto de monasterio Treverensis parochiæ nunquam, jam judicio Spiritus sancti super eum prolato, in Treverensi Ecclesia, quam exitiabiliter usurpavit et læsit, poterit esse episcopus. Et si, ut diximus, pro vestra reverentia hoc non differremus, non solum per sacros canones decerneremus, ut nunquam et nusquam ad gradus ecclesiasticos præsumeret accedere, verum sub anathemate eum ponentes, retrudi in ergastulo, secundum sacras regulas, decerneremus : et si in contumacia sua persisterit, sine ulla retractatione modis omnibus decernemus. A prælatis autem intentationibus sacrorum canonum vos immunem atque

exsortem a Domino, per quem reges regnant (*Prov.* VIII), et ex quo et per quem exordium sacer cepit episcopatus, fieri totis nisibus exoramus, ejus clementiam deprecantes, ut det vobis velle et perficere pro bona voluntate quæ præcepit (*Philip.* II) : quatenus mereamini percipere æterna gaudia, quæ se diligentibus repromittit. » Item respondens ad litteras, quas idem rex ei transmiserat, rogans ut tam per se quam quoscunque poterat, orationes ageret pro genitore ipsius regis, qui apparuerat ei in visione, obsecrans ut pœnis eriperet eum quibus detinebatur. Unde et satis utilem ad eum rescribit epistolam de modo et qualitate orationis, auctoritatibus plenam. Item pro rebus sancti Remigii sitis in Vosago, et alia plura. Ad filium quoque ipsius, æquivocum ejus, scribit pro villa Deduciaco, significans qualiter sanctus Clodoaldus eam S. Remigio dederit, et quomodo Karolus Pippini regis filius camdem villam apud Tilpinum archiepiscopum obtinuerit in præstariam, ea conditione, ut capellas ad ipsam pertinentes cum nonis et decimis episcopus Remorum retineret, et rex duodecim libras argenti in luminaribus ecclesiæ daret, et quod hunc censum tam ipse rex, quam successores ejus persolverint, et quod ipse quoque a patre illius eumdem censum de præfata villa receperit. Sed et de villa Noviliaca, quomodo a Karlomanno data fuerat sancto Remigio, et quid postea de ipsa fuerit actum. Item ad eumdem de consilio divinarum Scripturarum quærendo et observando, et de consiliariis inconsideratis, cæterisque rebus qualiter istud regnum habebatur, et ne illud invadere præsumeret. Item pro salvanda civitate Remensi, et parcendo sacris locis, si veniret. Item qualiter egerint episcopi erga Ludovicum filium Karoli, quando eum regem consecraverunt, quia iste aliter audierat. Item de duabus uxoribus ipsius Ludovici filii Karoli, qualiter actum fuerit, et cætera.

Scribit et Pippino regi Aquitanico, pro rebus ecclesiæ suæ in pagis Arvenico, Lemovico et Pictavico sitis, pro quibus etiam litteras Karoli regis ad eumdem Pippinum mitti obtinuit, quas res Frigidoloni viro illustri tutandas commisit. Karolo quoque Ludovici transremensis filio, collaudans fidei benignitatem, quam conservabat erga filios sobrini sui Ludovici Karlomannum (*Car. Crass.*) et Ludovicum, obsecrans eum pro Ecclesiæ Dei honore ac regni hujus statu et defensione, atque ut præfatis pueris regiis constitueret prudentes, justosque pædagogos, qui eos docerent Dei famulos honorare, et mandata Dei servare, semetipsos regere, regnique gubernacula rite tractare. Item pro causa Sigeberti fidelis sui. Item Lothario regi, filio imperatoris Lotharii, pro villa Deduciaco, quam pater ejus reddiderat ecclesiæ Remensi, ne res ad ipsam pertinentes aliquibus personis, sicut eum facere audiebat in proprietatem periculo suo traderet, vel colonos ipsius villæ absolveret, si quid autem tale a se factum fuisset, emendare curaret. Item pro ejusdem villæ male tractata dispositione, et censu, quem cum periculo animæ eum retinere fatetur, intimans quod sanctus Clodoaldus eamdem sancto Remigio dederit, admonens ne hoc inde ageret, unde condemnationem animæ acquireret. Item pro electione episcopi ecclesiæ concedenda Cameracensi. Item de utilitate animæ regnique ipsius honore, in qua commemorat, qualiter pater ipsius Lotharius Augustus ei se ipsum suamque commendaverat animam.

CAPUT XXI

De his quæ quibusdam archiepiscopis vel episcopis scripsit.

Diversis etiam tam episcopis quam archiepiscopis multimoda utillima dedit scripta. Hecti Treverorum archiepiscopo scribit ordinationis suæ primordia, offerens se socium et obsecutorem in ecclesiasticis negotiis ipsius paternitati ; item de eadem re, petens se ab eo instrui, et pro filio haberi, significans etiam de itinere suo, quo se Romam petere disponebat ; item de Gondrico, quem excommunicaverat ille, et de Fulcrico a se excommunicato, qui refugium in Treverensi habere videbatur episcopatu. Guntbaldo (*Gunt. Rothom.*) archiepiscopo scribit pro quodam presbytero, de jure ecclesiastico conservando : item pro his quæ in synodo gesta fuerant : Amolo Lugdunensi, de placito quod habuerat cum rege regnique primoribus, de Judæorum in hoc regno statu : item de synodo a tribus regibus condicta, et de Ebone præcessore ipsius, et aliis nonnullis, in qua eum charissimum et unanimem sibi patrem se habere significat; item de Lothario rege, et aliis quibusdam rebus, in qua se filium dilectionis ipsius appellat ; item de Gothescalci vita vel conversatione, prædicatione, deprehensione, atque condemnatione, rei veritatem exponens ; Hrabano Moguntiæ præsuli, super ejusdem Gothescalci (quem idem pontifex a parochia sua ob hæresum semina, quæ spargebat, repulsum, ad eumdem cum quibusdam complicibus suis [*i*, ipsius] direxerat) susceptione vel discussione ; item de hac eadem re, et quid post susceptionem ipsius de eodem egerit, qualemve invenerit ipsius vesaniam, consilium ab eo rationabilius, quid sibi adversus eum agendum sit, expetens ; item de doctrina et hæresi ejusdem, et quid in eum fecerit, postquam in synodo hæreticus comprobatus fuerat, nec corrigi potuit, et quid ipse contra doctrinam ejus sentiat damnationemque ipsius, quæve contra eumdem scripserit, huic discutienda direxit, quærens etiam qualiter de Trinitatis fide ac prædestinatione diversorum Patrum sint intelligendæ sententiæ: in qua epistola asserit hunc beatum Hrbanum solum tunc temporis de discipulatu beati Alcuini relictum ; Landramno archiepiscopo, de consilio, quod ab eo petierat pro monasterio puellarum, quod rex dari præcipiebat inconvenienti personæ, quid inde sibi foret agendum, utiliter admonens, ut ministerii sibi commissi sollicitudinem ferventius gerat ; Teutgaudio Treverensi, de primatu quem deferri ab eo debere scripserat ille sedi Trevirorum, insinuans id eidem sedi a sede Remorum nunquam fuisse delatum, etc., item secundo ac

tertio de causa Fulcrici excommunicati; item pro rebus Ecclesiæ Treverensis in Aquitania sitis, pro quibus idem domnus Hincmarus satis egerat apud Arnoldum quemdam Aquitanum, qui eas tenebat, ut ipsas Ecclesiæ Treverensi restitueret, quod et se obtinuisse significat Amalrico [*Amal. Turon.*] religioso, archiepiscopo, compatiens tribulationibus ipsius, et consolans patientiam, atque congaudens sanctitati ejus, quem chariorem inter charos se delegisse significat, mittens et quædam pretiosa ornamenta, casulam scilicet diaprasinam, quam habebat unicam, et alia munuscula cum solidis centum. Item scribit eidem pro rebus Remensis Ecclesiæ in Aquitania sitis, quas et rex restitui jubet, quasque tractandas eidem Amalrico fideraliter committit. Rotlando archiepiscopo, pro rebus sancti Remigii conjacentibus in provincia, et pro quodam presbytero in synodo excommunicato, et altero in loco ipsius ordinato. Rodulfo Bituricensi, pro rebus Remensis Ecclesiæ in pago Lemovico conjacentibus; item pro quibusdam excommunicatis; Guntario Coloniensi, ut intercedat apud Lotharium regem, et satagat pro electione canonica Cameracensis episcopi post decessum Theoderici venerandi præsulis; item secundo, vel tertio pro hac eadem re, affirmans non nisi regulariter in diebus suis illic episcopum ordinandum Luitberto [*f.* *l.*, Liutb.] Moguntino, pro rebus sancti Remigii sitis in Vosago [*Vosge*], significans qualiter quidam Gibero pro earum rerum pervasione sensum perdiderit, et per integrum mensem sine intermissione vexatus, cum dolore et periculo maximo vitam finierit; item pro tuitione rerum præscriptarum, et earum familiæ defensione, vel gubernatione sæpe scribit; item de collocutione sua quam habuit apud Trecas cum Joanne papa, et quid boni cum eo locutus fuerit de ipso, exhortans ut litteras et missum papæ benigne suscipiat, et ad eum venire studeat; item de quodam transgressore presbytero. Scribit idem venerabilis Hincmarus et ad Lotharium Italiæ regem, qui se, relicta uxore propria, cuidam feminæ copulaverat, dans ei consilium, et admonens, ut eam a præsentia sua omnibus removeret, significans se domni Adriani [*Adriani II* papæ litteras (*vid. ep.* 13)] et mandata super hac re suscepisse, et ut idem rex in hac causa ipsius papæ præcepta conservet, suggerere curat; item, aliam epistolam de hominibus pacem recipere nolentibus, quid inde fieri debeat, collaudans quod de quibusdam talibus regale jam ministerium exercuerit. Scripsit et Apologeticum contra obtrectatores suos, qui calumniabantur eum diversis detractionum appetitionibus, scilicet apud papam Joannem [*Joan. VIII*], quod nollet auctoritatem recipere decretorum pontificum sedis Romanæ, ad quæ [*rest. pro* atque] et tunc in synodo Trecassina (*syn. Trecass.* an. 878), et postea in hoc Apologetico respondit, refellens hos conviciatores suos, et se decretalia pontificum Romanorum a sanctis conciliis recepta et approbata recipere et sequi discrete, prout sunt sequenda, deponens, de Hincmari quoque Laudunensis depositione vel restitutione, qualiter actum sit manifestans. De hoc etiam unde calumniatus fuerat a quibusdam apud eumdem papam, quasi diceret non ipsum majoris dignitatis esse papam quam esset ipse; de ordinatione quoque Hedenulfi in locum Hincmari in episcopatu Laudunensi, et confirmatione papæ ipsius ordinationis; item de Karlomanno, et aliis quibusdam rebus, de quibus eum veritas excusabilem reddidit. Quibusdam quoque calumniantibus, licet respondere posset, asserit se noluisse, ne conviciis convicia videretur reddidisse [*ms.*, vitia videretur addidisse], gloriosius esse ducens eosdem tacendo fugere quam respondendo superare, ne suam gloriam quæsisse putaretur. Scripsit etiam quædam ad Adrianum papam qui Romanus pontifex nonnulla et dirigere se scripta commemorat. Cui etiam mittens epistolam suam per Actardum Namnetensem episcopum laudibus plenam, delegavit, ut ejus vice in istis partibus super Lotharii causa fungeretur, quatenus quod inde Nicolaus papa decreverat servaretur. Respondit etiam ad capitula quædam, regni Francorum episcopis a Joanne papa transmissa de privilegiis sedis per 7 capitula, quoniam idem papa nisus fuerat Ansegisum Senensem episcopum primatem constituere (*epist.* 13, *Adriani*), ut apostolica vice per Gallias et Germanias frueretur [*f.*, fungeretur]. Cui conatui venerabilis hic præsul Hincmarus efficaciter obstitit. Scripsit denique ad diversos episcopos idem domnus Hincmarus plurima; Remigio archipræsuli, pro rebus sancti Remigii in provincia Cisalpina conjacentibus, quas idem committens, petit ut easdem in sua tuitione suscipiat; item, pro ordinatione Isaac Lingonensis episcopi; item de constitutione [*ms.* consuetudine] synodica propter ecclesiasticarum rerum pervasores (*Rem. Lugdun.*), et alia; item, de causa prælati Lotharii regis, et de prædictis rebus eidem nonnulla scripta direxit; item, ad eumdem Remigium, et cæteros episcopos, domni papæ Nicolai auctoritate, in synodum apud Suessionem venire jussos, pro causa Vulfadi et collegarum ejus. Adoni Viennensi archiepiscopo scribit inter cætera, pro epistola beati Aviti ad sanctum Remigium scripta, quam quidam Rotfridus monachus ei dixerat se apud eumdem Adonem legisse. Sed et si qua præterea de sancto Remigio reperire valeret, ei super aurum et topazion (*Psal.* CXVIII, 127) pretiosa et amabilia mitteret. Herardo Turonensium antistiti, de quibusdam apostatis ad Ecclesiam redeuntibus, et aliis pœnitentibus suscipiendis. Item de aliis quibusdam rebus, ut amico charissimo, qui eadem præsuli nostro ad ipsum veniens fraterna se dilectione commiserat, petens ut ubicumque posset regiæ dominationi pro Ecclesia illius suggereret. Obitu quoque suo propinquante, litteras ad eum ipse dictavit, et ei qui domno Hincmaro de obitu illius nuntiaturus erat, easdem litteras ipsi deferendas dedit. Sed et missi

Turonensis Ecclesiæ hac fiducia fulti, post obitum hujus sui archiepiscopi, ad eumdem domnum Hincmarum venerunt. Cleri quoque ac plebis petitionem ad ipsum deferentes, ut regiam celsitudinem pro eis deprecaretur, quatenus electionem canonicam rex ipsius concederet. Quod et idem pontifex promptissime peregit. Intimans etiam regi de quodam clerico, qui se ingerebat, non recipiendo, significat quod episcopi ejusdem provinciæ, clerus quoque et plebs ipsius Ecclesiæ, invitati auctoritate apostolicæ sedis, Actardum sibi velint donari episcopum, qui in eadem ecclesia baptizatus, nutritus et ordinatus fuerat, licet aliæ civitati datus episcopus, sed paganorum infestatione depulsus, et pallio fuerat a sede apostolica honoratus, ut etiam si locus de metropoli adveniret, ibi incardinaretur (Adrian., *ep.* 11 *et* 12). Datque insuper regi consilium, quid clero, quid laicis agere sit interim præcipiendum, quid de rebus quas ex beneficio regis habebat fecerit, intimans, qui ex his, quas reliquerat regi placeat, requirens. De quibusdam quoque libris sancti Augustini, quos sibi ab eodem remitti petierat, et de objectionibus Græcorum, super quibus Nicolaus papa eidem mandaverat et alia quædam. Bertulfo Trevirensi archiepiscopo, instruens eum de ordinanda et gubernanda diœcesi vel parochia sua, etc. A quo etiam rogatus Wiliebertum Catalaunensem episcopum misit ad ordinationem Arnoldi Tullensis episcopi, quia eodem Bertulfo infirmitate detento, numerus episcoporum a sacris canonibus præfixus in ordinatione præsulis ei non aderat. In hujus etiam Bertulfi ordinatione jam pridem jussione Karoli regis Hincmarum episcopum Laudunensem, Hodonem Belvacensem, et Johannem Cameracensem transmiserat, ad petitionem Adventii et Arnulfi episcoporum ejusdem Trevirensis diœceseos, quomodo id rite deberet, eos canonica apostolicaque informans auctoritate, ut a sacris regulis, nulla aut negligentia, aut præsumptione, in aliquo discederent. Scribit etiam præfato Bertulfo pro quibusdam capellis ad villam Duodeciacam pertinentibus, quas quidam ex parochia Trevirensi usurpabat per factionem cujusdam presbyteri, petitque sibi de his justitiam fieri. Item pro litteris quas Ludovico regi Transrhenensi mittebat, ut eas regi atque reginæ relegi faciat, et quæ apud eos inde audierit litteris sibi remandet. Litteras etiam quas Arnoni episcopo transmiserat, sibi legi faciat, et regem atque reginam, sed et populum de illorum salute et pace sanctæ Dei Ecclesiæ commoneat. Joanni Rothomogensi, respondens ad interrogationem ipsius de quodam clerico, qui ad Ecclesiam quamdam promotus regendam, ordinari per ætatem rite non poterat. Rothstano Arlatensi, qui ei de suæ ecclesiæ vexatione scripserat, et de quadam femina potenti, quæ res usurpabat ecclesiasticas, quid ei super his sit agendum rescribit. Adeloldo Turonensi petenti ut sibi liceret oratorium ædificare ac consecrare in villa suæ ecclesiæ regio dono datæ, sita in Remensi parochia, quæ Turris vocatur, rescribit, petita concedens ea conditione ut antiqua villæ ipsius ecclesia, vel presbyter ejusdem nullum privilegii sui propter hoc detrimentum patiatur. Leoni episcopo, et custodi bibliothecæ Romanæ Ecclesiæ litteras mittit pro susceptione legationis suæ ut obtineat apud papam Leonem, quatenus ejus petitionem benigne suscipiat, et paterne rescribat eidem de his quæ in litteris ab eo missis continebantur. Gregorio quoque ejusdem Romanæ Ecclesiæ nomenclatori et apocrisiario petens ut inter fideles amicos suos eum tenere dignetur. Item postulans ut domno apostolico suggestionem suam acceptabilem fieri petat, benedictionis ei munuscula dirigens. Formoso sedis ejusdem religioso episcopo (11), collaudans ejus, quam audierat, sanctitatis et scientiæ formam, quærensque ipsius habere familiaritatem, et ut ipse pro se dignetur orare, vicem reprehendere spondens, et quædam ei munera mittens, ut sui memoriam in orationibus habeat. Item postquam litteras suas idem Formosus ei remiserat, in quibus de charitate erga eum significaverat, intimat quia magnam in ipso haberet fiduciam. Item Gauderico episcopo præfatæ Ecclesiæ, ut eum in suæ dilectionis suscipiat gremium, et Dominum sanctosque apostolos pro eo dignetur implorare. Joanni præfatæ sedis episcopo eadem pene scribit, et canones Martini papæ, Evangelium quoque Nazarenorum sibi ad transcribendum mitti petens, quædam etiam xenia illi transmittit. Vulfado Biturigensi archiepiscopo, de his qui inconsulte uxores suas interficiunt, sententiam Paulini, quam sibi mitti petierat, scribens. Sed et de aliis rebus. Frotario Burdegalensi, qui sibi talem dixerat versum :

Remus equum nobis, mulum Burdegala vobis.

talem post remisit :

Remus equum misit, mulum Burdegala nullum.

Et alia quædam ad eumdem scripsit ; pro monasterii quoque sanctæ Radegundis regulari electione abbatissæ, etc. ; item, de ordinatione Fulcrici ; item, Weniloni Rothomagensi, de operariis et opera, quam faciebat ad Pistas in Sequana ; item de causa Rothadi et Odonis episcoporum. Drogoni Metensium præsuli, imperatoris Ludovici fratri, pro familiaritate ipsius adipiscenda : item referens ei gratiarum actiones pro sollicitudine quam habere videbatur Remensis Ecclesiæ, petens etiam de quodam fratre hujus ecclesiæ ministro, ut ita frueretur obsequiis, quatenus ecclesia ista necessariis ipsius posset uti solatiis, et alia quædam. Rothado Suessonico, quem sæpe ad synodum venire differentem vel negligentem vocabat, scribit de quibusdam criminatis parochiæ Suessonicæ personis, vel purgandis, vel pœnitentiæ subigendis ; item, pro ordinandis quibusdam Ecclesiarum ministris ; item, pro recipiendo et adducendo ad judicium Gothescalco ; quem domnus Rabanus ad diœcesim Remensem remiserat : qui profectus fuerat ex parochia Suessonica, scilicet Orbacensi mo-

(11) Hic postea fuit Rom. pontifex.

nasterio; item, pro ordinatione monasterii sancti Medardi, et restituenda in eo regula; item, pro quibusdam monachis ex monasterio Altvillarensi fuga dilapsis; item, pro Godaldo, qui clamabat indebite se communione privari, pro quo etiam tertio litteras ad eum direxit; item, pro quibusdam presbyteris, qui clamaverant in synodo injuste se ab eo ecclesiæ rebus privatos, et quia irrationabiliter synodi mandata tractaverat, nisi se corrigeret, canonicæ ultionis delegat interminationem; item pro ordinatione Hincmari, post obitum Pardoli Laudunensis episcopi; item, pro Adeloldo presbytero juxta sententiam synodi restituendo, pro quo litteras ei miserat, quas ille penitus contemnebat; item pro mandatis regis Ludovici et firmitate ab eo quæsita, quæ sacerdotio non congruebat; item pro clerico quem mitteret ordinandum ad regendam ecclesiam in villa Turre sitam; item, pro parochia, de qua contentione agebatur inter eum et Erpuinum Sylvanectensem episcopum; item, idem cum aliis Remensis diœceseos episcopis, de Græcorum adinventionibus, quas contra canonicas statuere conabantur regulas. Pro quibus tam ad ipsum, quam ad cæteros hujus regni archiepiscopos domnus Adrianus papa litteras dederat. Insuper et alia sæpenumero pro diversis negotiis ad eum scripta direxit. Immonni Noviomagensi episcopo, pro synodo comprovinciali a rege Parisiis (*l.* Parisius) condicta, et pro ordinatione Irminfridi post decessum Hildemanni Belvacensis episcopi; item, pro ordinatione Pardoli post obitum Simeonis Laudunensis; item, pro consilio et auxilio dando Theoderico Cameracensi præsuli, super quodam rebelliente, qui Deum non timebat, et ecclesiasticum ministerium non reverebatur; item, pro quodam presbytero, cui legem canonicam concedi monet; item, pro quadam femina, quam indebite queritur excommunicasse; item pro colloquio episcopali habendo. Erpuino Silvanectensi, pro quodam homine quem irrationabiliter ab eo excommunicatum esse compererat, intima, mandans ut obviam sibi veniat, et quid inde rectius sit agendum, secum pertractet; item, pro quodam presbytero rebus ecclesiasticis indebite frustrato; item, pro quodam clerico, qui se præjudicium ab eo pati clamaverat; item, pro mandatis Adriani papæ de prænotato presbytero; item, pro mandato regis regulariter exsequendo. Lupo Catalaunensi, pro synodo celebranda; item, pro quodam, qui dolo deceptus fuerat, ut infantem proprium ad catechizandum teneret; item, quid de hac re synodus decreverit. Cui etiam testimonium bonæ vitæ perhibet in epistola, quam scripsit post obitum ipsius ad regem Karolum pro impetranda electione regulari Ecclesiæ Catalaunensi. Prudentio Trecassino scribens, queritur quare sibi præsentiam suam subtrahat, significans se ab eo consilium quærere velle de statu et compressione Gothescalci, intimans quod de ipso actum vel judicatum fuerat in synodo, quo eum reclusum tenebat judicio, et quia multis modis eum converti tentaverit, et de moribus ac superbia ipsius, et si in cœna Domini, vel in Pascha debeat illum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem, et quid sibi videatur de sententia Ezechielis prophetæ qua dicitur: *In quacunque die conversus fuerit justus, omnes justitiæ ejus in oblivione tradentur: et quacunque die peccator conversus fuerit, omnes iniquitates ejus tradentur oblivioni* (Ezech. XVIII). Sed et de consuetudine cœnæ Domini celebrandæ. Item pro ecclesiis sedis Remensis in ipsius diœcesi sitis, quas ille aliter tractabat quam episcopali conveniret æquitati, ut de his et de aliis quæ ipse audiebat simul loquerentur, exhortans ut alterutrum se instruerent, et Domino mutuo commendarent. Pro qua re librum quoque scripsisse reperitur. Pardulo Laudunensi episcopo scribit pro transitu domni Ebonis antecessoris sui, ut illi sacerdotalis benignitatis plenis charitate votis debeat exhiberi. Item de reconciliatione Luidonis inconvenienti, quod non potuerit ad eam peragendam adulationibus, vel exprobrationibus hominum insipientium deflecti: corroborans eum ad rectitudinem episcopalem divinarum testimoniis Scripturarum, ut per auctoritatis gradiatur viam, et quid ei de præfato sit agendum Luidone significans; item pro eadem re; item, de recognitione, humiliatione, et absolutione Fulcri; item, de absolutione cujusdam, requirens ipsius consilium; item de jejunio a regina mandato; item de infirmitate et humiliatione Rothadi Suessonici, et de consilio quod ei dederat, ut illud in eo corroboret, et ab obsequendum prudenter exhortetur; item pro auro, quod ei mittebat, per eum reginæ offerendo ad componendum quoddam Dei Genitricis ornamentum; item de opusculo Ferculi Salomonis a se composito, quod ei legerat, rogitans quid sibi videatur de illo (*De hoc supra, cap.* 15). Item pro Ecclesia Morini vacante pastore, ut inde cum rege loquatur, qualiter, ipsa electio rite peragatur, et pro libris S. Ambrosii de fide sibi mittendis. Irminfrido Belvacensi, pro electione pastoris Ecclesiæ Ambianensis, canonice consecrandi, post obitum Rageharii præsulis; item, pro gubernanda prudenter Ecclesiæ navi, quæ in hoc naufragoso sæculi mari inter intestina concutiebatur bella. Eboni episcopo ecclesiæ Remensis alumno, pro quodam fratre ab hac ecclesia fuga lapso, et apud ipsum commorante, ut quantocius illum diligenti cura remittere studeat; item pro ordinatione Isaac in episcopatu Lingonensi, ut exhortetur Remigium archiepiscopum ad eamdem ordinationem peragendam. Theoderico Cameracensi, pro quodam Hectone Lotharii regis vassallo, cui communi consensu pœnitentiam injunxerant, qui se absolutum a præfato Theoderico falso fatebatur, et pro quodam presbytero, quem idem Theodericus excommunicaverat, pro quo papa Romanus domno Hincmaro litteras miserat, quas ipse eidem Theoderico mittebat. Item pro præfati Hectonis (*al.* Hettonis) absolutione; item pro rebus Remensis Ecclesiæ, quas sibi per precariam Theode-

ricus episcopus delegari petebat ; item, pro ordinatione Hunfridi in episcopatu Morini ; item pro ordinatione Erchanrai post decessum Lupi Catalaunensis episcopi ; item, de adventu Ludovici Transrhenensis, quia Remis venerit, et quid egerit, quidve sibi præceperit ; item, pro Balduino, qui viduam Judith filiam regis Karoli furatus fuerat, ut sciat eum a se sub anathemate positum, et id per suam denuntiet parochiam ; item, pro quodam , qui quamdam feminam in concubinatu accipere persuasus fuerat a patre ipsius puellæ. Folcuino Morinensi, pro quodam presbytero ipsius ordinato, qui clamabat injuriam se pati ab Immone præsule, petitque simul reliquias sanctorum in Morinensi parochiâ quiescentium sibi mitti, quia in consecratione ecclesiæ Dei Genitricis altare ab ipso Folcuino consecrandum, et ex ipsius parochiæ reliquiis honorandum præparabat. Rainnero episcopo pro quodam presbytero, quem Notho archiepiscopus Arelatensis, ei litteris indicaverat abjectum canonice, et excommunicatum a synodo, altero presbytero in ejus loco constituto. Agio (*Agio Aurel.*) episcopo pro rebus Ecclesiæ Remensis in Aquitania conjacentibus. Abboni Antisiodorensi, pro Heriboldo præsule defuncto, qui cuidam fratri apparens, admonuit de eleemosyna, et orationibus, atque oblationibus pro se offerendis. Æneæ Parisiorum, pro Rothado Suessionico, de quo quædam inconvenientia apud regem ventilata fuerant, et rex eumdem Æneam cum Immone Noviomagensi ad hæc discutienda dirigebat. Almarico [*j.* Almerico] Cumensis Ecclesiæ præsuli, pro Egilberto diacono monasterii sancti Remigii monacho, quem eidem episcopo id petenti ad ordinandum, et regendum committit

CAPUT XXII.

Quæ instrumenta vitæ, vel redargutiones Hincmaro nepoti suo scripserit

Hincmaro nepoti suo Laudunensi episcopo, in ordinationis ipsius initio, instruens et edocens eum, qualiter juxta canonicam auctoritatem , commissam sibi tractare deberet Ecclesiam ; item, admonens, ut provideat ne conspirationes inter sibi subjectos adoleret : sed et si exortæ fuissent, mox rationis moderatione succiderentur, aut sibi si necesse foret hæc intimare curaret, et quando synodum debeat celebrare Pro quo valde laboravit, multaque illi scribit, reprehendens eum, et castigans de levitate morum et actuum suorum, admonensque ut ad cor suum redeat, et Deum tota intentione precari studeat, ut eum respiciat, ut intelligere sibi atque corrigere perversitatem suam donet, quia videlicet nimis sibi sapiens esse videbatur, et pertinax in contentionibus, et quia leges ecclesiasticas ad suæ voluntatis intentionem flectere nitebatur, et melius eas se putabat intelligere, quam seniores natu. Pro quo in tantum laboravit, ut etiam senioris sui regis offensionem incurrisse se dicat ; illum vero impudenti fronte, erectaque cervice, trementibus labiis, et inflammatis verbis petitionem et humilitatem suam respuentem coram multis sustinuerit. Corripitque eum, quia nunquam se recognoscere de aliqua culpa, sed semper se defendere parabat, de habitu quoque, incessu, risu, juramentis, impatienti locutione, ira præcipiti, et aliis multis ; item, quia contra sanctarum Scripturarum tramitem causa suæ injuriæ in parochiæ suæ gubernatione excesserat, ut hæc corrigere studeat, admonens eum qualem se debeat exhibere verbis Apostoli ad Timotheum : item, de quodam sacrilegio, et a se pro sceleribus excommunicato, quod illi res ecclesiasticas ad turpis lucri præmium dederit ; item, pro Hadulfo quodam ipsius clerico petens, quem idem Hincmarus excommunicaverat ; item, de epistola papæ Adriani ad quosdam episcopos per eum dirigenda ; item, pro dispositione quarumdam parochiæ suæ ecclesiasticarum rerum, ut inde vel ad provincialem expectaret synodum : item, pro excommunicatione Karlomanni, unde obedire ipsi nolebat, eum sæpe commonens, ut contumaciam suæ mentis deponeret, et ad obaudiendum sibi, ceu jam coram multis testibus professus fuerat in synodo atque subscripserat, se inclinaret ; item, pro Berthario [*j.* Berchario] diacono, quem metropolitanæ [*ms* metropolitani] atque comprovincialis synodi judicium appellantem indebite sub custodia detinebat. Unde promens ei quod ita in eum agere non debuisset, præcepit illi auctoritate sacrorum canonum et sua, ut eumdem diaconum, vel si qui fuissent alii clericorum judicium regulare proclamantes ab ipso detenti, ad suum ac cæterorum episcoporum judicium libere venire permitteret, et ipse eidem se judicio præsentaret. Item convocans eum ad synodum, ubi Adriani papæ mandata tractanda erant. Scribit ad eum præterea multa ; novissime voluminis seriem, rememorans in eo, ad mentis ejus oculos revocans qualiter illum orphanum dulci dilectione sub religione nutrierit, litteris erudierit, per singulos gradus ecclesiasticos usque ad episcopatus apicem provexerit.

« Nunc, inquit, retribuendum mihi mala pro bonis, et odio me habentem gratis (*Psal.* XXXIV), quoniam non faveo tuis infructuosis operibus, quandiu te patiar, multis a te afflictus injuriis ? (*Joan.* XV.) Etenim ab ipsa die ordinationis tuæ tam verbis quam scriptis, et in ordinatis actibus ac motibus tuis frequentibus adeo sum gravatus, lacerationibus atque contusionibus, ut tædeat me vitæ meæ, quia sic pro loci mei officio tuæ insolentiæ sum connexus, ut non solum post primam et secundam correctionem, juxta Apostolum (*Tit.* III), verum nec post plurimas privatim, et coram communibus familiaribus nostris, sed et coram rege, et episcopis ac plurimis aliis, verbis et scriptis commonitiones te valeam devitare. Et licet exoptem, ut darentur mihi pennæ sicut columbæ, et avolarem, ac requiescerem a te elongatus in aliquam solitudinem (*Psal* XLV), non possum quoquam effugere, ut aut tua pertinacia contumacis præsentiæ, aut missorum tuorum duriloquiis, aut scripturarum tuarum derogationibus et inutilibus

nomis, quia potius tragœdiis, aut libellis quæ non conveniunt episcopo, de te auditionibus non affligar, et jam tandem putavi te pigere talia exsequi, cum ecce nunc libellum Noviomensem quartæ indictionis prolixissimum rotulam, mendaciis et irrationabilitatibus ac improperiis contra veritatem et auctoritatem repletum mihi misisti. Et miror cur sic effrons factus, ut de Judæa Dominus queritur, nescis erubescere (*Jer.* III *et* VIII), et tibi non est nausea talia et tanta scribere, nisi quoniam utilitatibus non es intentus, neque in necessariis occupatus: et ut de aliis taceam, quæ si ex ordine voluero replicare, antea deficiet lux diurna, quam legendi excursu deficiat pagina, replicabo tibi aliqua, quæ non valeo nec debeo silentio præterire. Videlicet quia statim ut a paterno nido educationis factus episcopus evolasti, et me et eos qui te nutrierunt deseruisti, et sæculares amicitias atque familiaritates quæsisti, et acquisisti, et sic subinde alios et alios deserens et acquirens, non solum de comparibus, sed etiam et de tibi commissis, ad hoc convenisti, ut contra sacras Antiochenas regulas præcipientes ut præter me agere nihil debeas (*concil. Antioch.* I, *cap.* 9), secundum antiquam Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum, quæ ad tuam parochiam pertinent, possessionesque subjectas sine meo, vel coepiscoporum nostrorum conscientia administrationem in palatio domni regis obtineres, quam administrationem tibi coram eodem domno rege et aliis qui adfuerunt ex sacris regulis interdixi, et aliquandiu ab eadem administratione cessasti. Postea autem per exteras, id est sæculares potestates contra Sardicenses canones (*concil. Sard. can.* 15) eamdem administrationem cum abbatia in alia provincia ultra Remensem provinciam sine mea conscientia obtinuisti. Ad quam abbatiam sine mea scientia quoties tibi placuit, perrexisti, et quandiu tibi placuit ibidem fuisti immoratus, contra Hilarii papæ decreta dicentis (HILAR., *epist.* 8): Illud non possumus præterire quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter metropolitanorum suorum litteras aliqui episcopi ad quamlibet provinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officii clericalis per singulos debet canonice custodiri.

« Et sic antea Zosimus (ZOSIM., *epist.* 8 *et* 9), et postea sanctus Gregorius (GREGOR., *lib.* IV, *epist.* 51) decreverunt. Propterea quoque semel ac secundo litteris canonicis invitatus ad ordinationem episcopi in Ecclesia Cameracensi provinciæ nostræ pastore destituta, unde apostolica sedes me suggerente non modice laboravit, nec ipse venisti, nec pro te vicariam personam, vel litteras tui consensus, ut regulæ sacræ præcipiunt, ad me direxisti. Unde Symmachus papa ad Eonium ex sacris regulis promulgavit (SYM., *ep.* 11, *ad Æonium*), ut si quilibet episcopus metropolitano pontifici juxta canonicam definitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit subjiciendum se, quod non optamus, ecclesiasticæ disciplinæ. Sed et hinc a me conventus, nullam satisfactionem, nec etiam humile responsum mihi ac coepiscopis nostris exhibuisti. Post hæc more tuæ instabilitatis ac inconstantiæ contra domnum regem in tantum te sine ratione contumaciter erexisti, ut et administrationem palatinam, et ipsam abbatiam tibi auferret, et a te exaggeratus duriora ingerenda tibi proponeret. Unde et scriptis, et verbis pro te satagens illum tibi reconciliavi. Indeque sicut sciunt plurimi, contra illum te iterum erexisti, et mandata sua, ut ad eum venires, contemnens, adeo illum ad iracundiam provocasti, sicut omnes in istis regionibus sciunt, ut coactus te per fideles suos sicut infidelem appeteret. Tu autem ante inauditam excommunicationem in meos, et multorum archiepiscoporum et episcoporum parochianos, sed et in ipsum regem sine mea conscientia contra sacras regulas jaculasti. Unde multos scandalizasti, et maximum scandalum non solum Ecclesiæ, sed et regi ac regno intulisti, cum lex prohibebat ut per alienam messem transiens falcem non mittas, sed manu spicas conteras et manduces (*Deut.* XXIII, 25). Falcem, inquit beatus Gregorius, judicii mittere non potes in ea segete (GREG., *ad interrogat. Augustini resp.* 9), quia alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis exspolia, et in Ecclesiæ corpus monendo et persuadendo, quasi mandando, converte.

« Post quam præsumptionem, adhibitis mecum confratribus nostris, te et eum eo pacificavi et episcopis, quorum parochianos excommunicasti, ut in te synodali sententia non inveherent, persuasi; sed et eosdem a te excommunicatos, licet non sine labore, adminiculante tamen domno rege, adversum te conquiescere feci. Sed tu addens pejora prioribus, sic domnum regem, sicut mihi longum est enarrare, et multi sciunt, iterum exaggerasti, ut causa tuæ castigationis, te, sine mea voluntate, sineque meo consensu, aliquantulum detineri juberet. Tu vero causa tuæ injuriæ, me inconsulto, et sine consensu coepiscoporum Remensis provinciæ sicut petitio a clericis Laudunensis Ecclesiæ mihi porrecta demonstrat, presbyteros et comministros ecclesiæ ac parochiæ tibi commissæ excommunicasti, ut nemo in eadem parochia missarum officia celebraret, neminem parvulorum, etiam in mortis urgentis periculo constitutum, baptizaret, nullum ad pœnitentiam quisquam, nec etiam obeunti communione viatica muneris subveniret; nulli defuncto in sepeliendo humanitatis obsequium exhiberet; donec aut tu ipse ad eos venires, aut a sede apostolica interrelationem reciperent. Quod audiens, fateor, vehementer exhorrui, et proinde ad te, metropolitana sollicitudine, litteras misi, monens et hortans te, ut tam exsecrabilem excommunicationem et impossibilis colligationem in tuam et multorum perniciem intentatam, quantocius solveres. Sed et ad ministros Laudunensis Ecclesiæ, timens animarum multorum exitium, certissimas et irrefragabiles definitiones evangelicæ veritatis, et apostolicæ auctoritatis, atque

sacrorum canonum et apostolicæ sedis direxi, quatenus secundum easdem definitiones, quæ in nullo convelli possunt, ex eadem periculosa et irregulari excommunicatione agerent et ipsi satis. Sed quia meæ admonitioni obedire noluisti, misi ad te iterum exinde litteras, sed et ad clericos Laudunensis parochiæ, et nec sic te ad obediendum invitare prævalui. Post hæc, quærens adinventiones, ut te a metropolitana subjectione posses exuere, libellum de antiquorum Patrum scriptis ante sacros Nicænæ synodi, et aliorum sanctorum canones editis collegisti, in quibus sententias inter se dissonas, et contra evangelicam et apostolicam, atque canonicam et apostolicæ sedis auctoritatem immiscuisti, et eidem libello sine metropolitani et coepiscoporum Remensis provinciæ conscientia ac consensu subscripsisti, et a clericis ecclesiæ tuæ, necnon et a parochianis presbyteris subscribi fecisti, volens te a subjectione tuæ metropolis exutum ostentare, et privilegium metropolitanæ sedis annullare, quasi non possem impietatis tuæ colligationes canonica auctoritate, sine tuo consensu, ac sine synodali conventu in parochia tua dissolvere, cum de certis et manifestis causis, quæ in nullo nobis sunt dubia vel obscura, et de quibus finitivas sententias, quæ nulla possunt ratione convelli, a sanctis Patribns promulgatas habemus, synodale consultum, vel coepiscoporum nostræ provinciæ consilium, vel consensum non debeam exspectare, et a regulis præstitutis, ut sanctus Leo, dicit (Leo, *ep.* 84, c. 2), nulla aut negligentia, aut præsumptione discedere, nec etiam sedem apostolicam inde inquietare, sicut ipsius sanctæ sedis beati pontifices Innocentius, Zosimus, Cœlestinus, Leo, Hilarius, Gelasius, Gregorius, et alii plures ejusdem sanctæ sedis rectores in decretis suis ostendunt, » et reliqua.

Item datis auctoritatibus Gelasii papæ : « Post præfati denique, inquit, monstruosi libelli a te monstruose collecti tuâm tuorumque subscriptionem, litteris quarum exemplar habeo, denuo te commonui, ut ea quæ in parochia tua contra rationem et auctoritatem egeras, studeres corrigere, sed admonitioni meæ non paruisti. Deinde ex præfatis epistolis Romanæ sedis pontificum ante Nicænam synodum scriptis libellum a te collectum, et versiculis in nomine domni regis Karoli titulatum, per venerabilem quondam archiepiscopum Wanilonem in Gundufi villa coram episcopis qui adfuerunt, mihi direxisti, de quo tibi scripto respondi, cujus exemplar habeo, monens te, ut sacris canonibus et apostolicæ sedis decretis ex eisdem sacris canonibus et apostolicæ sedis promulgatis, fidem accommodares, et debitam obedientiam illis dependeres. Inde in Actinjaco Remensis parochiæ tibi coram episcopis dedi libellum in 55 capitulis auctoritates ecclesiasticas continentem (Sym., *in Atteniaco*, ann. 870), contra illa quæ in præfatis tuis duobus libellis collegeras, monens ut a talibus et hujusmodi reprehensionibus te cohiberes, et te sacris regulis subdere, pacem et sanctimoniam secundum Apostolum sequi studeres (*Hebr.* xii). Tu autem nullam inde meæ admonitioni satisfactionem exhibuisti, quin potius rotulum prolixissimum contra veritatem et auctoritatem, ac rationem contextum in eadem synodo obtulisti et præfatum tuum monstruosum libellum, a te et a tuis subscriptum in eadem synodo protulisti, quem ibidem accipiens hactenus servo. Et cum me vidi post tot admonentes nihil apud te posse proficere, schedulam porrexi in synodo episcoporum decem provinciarum (*Syn. Duziacensis*, an. 871), ab eisdem venerandis episcopis quærens consilium, quid contra tuam pertinacem contumaciam agere possem, et illis, quæ tibi ac parochiæ tuæ contra colligationes tuæ impietatis direxeram, coram illis relegi feci.

« Unde et ab eisdem episcopis prædictis sacri conventus auctoritatibus, quoniam injuste ac irregulariter tantas et tales excommunicationes agere præsumpsisti, et a domno rege impetitus, quoniam juramenta illi a te super sacra præstita non observasti ; sed et quia res suæ proprietatis contra leges divinas et humanas invasisti, et a Normanno in synodo accusatus, quoniam cum de rebus tua concessione atque consensione a domino Karolo sibi beneficiatis, sine auctoritate regia, armata militari manu, et turba vulgi collecta, cum gladiis et fustibus primum quidem uxorem suam, quæ ibi sine ullo erat, et postea illum ipsum contra leges et regulas expulisti, et omnia sua, quæ ibi habuit, abstulisti sed et a tuis hominibus accusatus, quia contra leges divinas et mundanas eis sua beneficia abstulisti, ut synodalem censuram evaderes, dedisti regi et mihi in eadem synodo professionis tuæ libellum de regulari obedientia tua, quem habeo ; et tu negare non potes, quoniam ipsius exemplar (12) de manu mea in eadem synodo accepisti, sicut in processu monstrabo. Sed ut vir duplex animo, et inconstans in omnibus viis tuis (*Jac.* i), statim in crastina misisti mihi per Harduicum venerabilem Vesontionensem episcopum, ad profitendum et subscribendum tibi breviculum ita se habentem : Et ego Hincmarus Remorum archiepiscopus tibi Hincmaro Laudunensis Ecclesiæ coepiscopo tuum debitum, sacris præcipientibus canonibus, privilegium conservabo, et in quibuscunque ecclesiasticis negotiis indigueris, secundum sacras regulas debitum tibi jure adjutorium archiepiscopali auctoritate adhibebo. Quæ causa non solum non de humili, verum nec de sano sensu processit. Injustum quippe ac irrationabile videtur, ut archiepiscopus a sacris canonibus non exorbitans, excedenti episcopo suffraganeo a se ordinato, professionis ac subscriptionis libello, sicut postulaveras, satisfaceret. Sicut enim secundum Scripturam minor a majore benedicitur (*Hebr.* vii), ita prorsus minor a majore judicatur, ligatur vel solvitur, sicut et in decretis Gelasii demonstratur (Gelas., *ep.* 4 *et* 13), Juste igitur

(12) Exstat apud Aimonium lib. v, c. 24.

et rationabiliter tibi hinc respondetur ex Jacobo : Petisti et non accepisti, eo quod male petisti (*Jac.* iv). Sed et in eo quod tibi a me subscribi proposuisti, ut tuum debitum, sacris præcipientibus canonibus, privilegium conservarem, petisti quod voluisti, sed nescisti quod dixisti, quoniam ut sanctus Hieronymus dicit : Privilegia singulorum communem legem facere non possunt (Hieron., *in cap.* i *Jonæ*). Et sacri canones provincialibus episcopis, et eorum ecclesiis vel sedibus, privilegia, scilicet privatas leges, vel jura privata generaliter non dederunt, quia quod omnes generaliter habent, jus speciale et dignitatis lex privata esse non valet. Sed metropolitanis episcopis ac metropolitanis sedibus privilegia tribuerunt (Conc. de sacris canonibus et decretis papæ Leonis subnexa). Post quæ subinfert :

« Quapropter quando talia mihi ad profitendum et subscribendum misisti, scire debueras, quod in istis regionibus nemo pene ignorat, quia municipium Laudunum, in quo es ordinatus episcopus, ab exordio sui, postquam a Macrobio prætore, ut produnt historiæ, conditum fuit, nunquam inter sedes provinciales Remorum provinciæ, in paganismo, vel in Christianismo, nomen vel locum habuit, donec sanctus Remigius quindecimus Remorum archiepiscopus, certis quibusdam accidentibus causis, primus ibidem ordinavit episcopum, et eidem municipio, de rebus Remensis metropolis satis superque ditato, ipsum comitatum, in quo consistit, partem scilicet ex Remensi parochia delegavit, sed semper fuit Remensis provinciæ municipium, sicut hodieque et alia municipia in Remensi parochia, quæ in subjectionibus loco ac nomine permanent. Non igitur privilegium, sed municipium tibi debere servari convenerat petere, quia sicut Patres nostri ac magistri Ecclesiæ tradunt, Paulus apostolus non se civem, sed municipem appellat, dicens : *Ego homo sum quidem Judæus a Tharso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps* (Act. xxi). Natus quidem apostolus in oppido Galileæ Giscali fuit, quo a Romanis capto, cum parentibus suis Tharsum Ciliciæ commigravit. A quibus ob studium legis missus Hierosolymam, a Gamaliele viro doctissimo, sicut in subsequentibus ipse memorat, eruditus est (*Act.* xxii). Et ideo non se civem, sed municipem, a municipio, id est, territorio ejusdem civitatis, in quo nutritus est, appellat. Dictum autem municipium, quod tantum munia, id est tributa debita vel munera reddat. Nam liberalia et honorabiliora causæ, et quæ ex principe proficiscuntur, ad dignitatem civitatum pertinent. Nec mirum, si se Tharsensem, et non Giscalitem dicat, cum Dominus ipse in Bethlehem natus non Bethlehemites, sed Nazarenus, a loco in quo nutritus erat, cognominatus est. Et tu ergo in diœcesi Remensi natus, et in metropoli Remorum nutritus, et in municipio Lauduni ordinatus, non te civem vel civicum, sed municipem, scilicet tributorum seu munerum, ulcunque spiritalium donorum episcopum, et exemplo quod a pluribus episcopis es ordinatus, pene vicarium episcopum, quem Græci chorepiscopum vocant, debueras recognoscere, ut per hoc non privilegium tibi ascribi, sed municipatum ; nec contra privilegium tuæ metropolis te oportuerat rebellare, quod non ageres, si minor Paulus, scilicet pusillus et humilis esses. Unde timendum est, ne et in hoc perditionis filium imiteris, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (*II Thess.* ii). Cui quantum ex te fuit, tradidisti eos quos irregulariter, ut præmisi, excommunicasti, non ut, secundum Apostolum, spiritus eorum salvi (*I Cor.* v) sed quantum furor et indignatio tua prævalere potuit, perditi essent in die Domini. Quas colligationes impietatis, ut sæpe dictum est, et semper dicendum est, quoniam regulariter contra votum tuum dissolvi, te adversum me erexisti. »

Item, post auctoritates super illicita excommunicatione : « De sacramentis autem a te regi præstitis non est mihi necesse aliquid scribere, quoniam pene omnes sciunt, quid de perjurio, si forte illud admisisti, Dominus in lege (*Deut.* v) et prophetis (*Zach.* v ; *Mal.* iii), et in Evangelio (*Matth.* v), et per apostolos (*Jac.* v) ac Ecclesiæ doctores atque magistros dicat. Et quia, ut in decretis apostolicæ sedis dicitur, nolumus exaggerare quod gestum est, ne cogamur judicare quod justum est, quoniam quod inde tibi in synodo reputatum est, judiciario ordine comprobatum non est, sed regia benignitate intermissum est, omisi hinc regulare judicium ponere, ut te ad conscientiam tuam remitterem. Pervasio autem rerum proprietatis regiæ a te perpetrata manifestissime claruit, quia nunquam res ipsæ juris Ecclesiæ Laudunensis fuisse legaliter probatæ sunt, nec sua, vel cujusquam alterius donatione, vel concessione ab eadem Ecclesia possessas fuisse monstratum est. Unde super hominem tuum Fedulinum, cui easdem pervasas beneficiasti, legaliter conquisitum est. Sed et proclamatio adversum te Nortmanni vera fuisse claruit, nec testibus indiguit, quoniam tam manifestissime hoc, quod inde contra leges et regulas egisti, adeo omnibus in istis regionibus patuit, ut nulla tergiversatione factum tegi, aut excusari valeret. Nam constat multis esse notissimum, et tu in scriptis tuis domno regi et mihi directis hoc confiteris, quoniam ad deprecationem Rodulfi et Conradi, easdem res postquam domnus rex illas a longo tempore de ecclesia Laudunensi abstractas, eidem ecclesiæ sua potestate restituit, ipsi domno regi illas sine mea ac coepiscoporum nostrorum et comministrorum tuorum conscientia atque consensu beneficiasti, quatenus eidem Nortmanno illas beneficiaret. »

Item post aliquas datas auctoritates : « Et hoc a te ita irrationabiliter factum irrationabilius dissolvisti, qui armata militari manu, et potestate vulgi multitudine cum armis et fustibus, et tumultu maximo, sicut dicunt qui factum illud viderunt et audierunt,

eumdem Nortmannum, qui ipsas res a te regi concessas, per regis beneficium retinebat, violenter et sine regis auctoritate, ac verbo, vel litteris expulisti, et expulso illo, illas invasisti, et in eas intrasti, ac possedisti, cum sint leges et regulæ, sit etiam rex portans gladium ad vindictam malefactorum (*Rom.* XIII), sint episcopi, et canones ad judicanda crimina sacrilegorum, ut si ipse Nortmannus pervasor rerum ecclesiasticarum foret, gladio, id est vindicta regia puniretur, si sacrilegus comprobatus esset, episcopali et canonico judicio judicaretur. Sunt etiam judices, et sunt leges, quorum et quarum judicio, si quid forte tibi, et Ecclesiæ tibi commissæ injuste factum erat, legaliter et regulariter emendaretur. »

Item post quædam præcipue beati Gregorii præceptionum decreta: « Denique ex eo quod tui homines se ad regem reclamaverunt, quoniam ab eis sua beneficia, qui apud antecessores tuos præservierunt, injuste et irrationabiliter abstulisses post datum regi et mihi libellum in synodo de regulari obedientia tua, secundum sacros canones, et decreta sanctæ sedis Romanæ pontificum, ex eisdem sacris canonibus promulgata, electos judices episcopos apud me expetisti, et tres, secundum Africanum concilium (*conc. Afric.* can. 63, 88, 89, 94), scilicet Actardum, Ragenelinum, atque Joannem a me tibi designatos suscepisti, et eorum, atque apostolorum Deum timentium judicio, in domni regis sicut postulasti, præsentia de quibusdam decretum fuit, ut beneficia sua, quæ irrationabiliter perdiderant, recuperare deberent. Quorumdam autem eorum causa usque ad alium tractatum, certis causis intervenientibus non diffinita, sed die alia diffinienda remansit; et tu ante diffinitionem contra sacros canones, et sine ulla necessitate vel ratione, fuga lapsus, regularem diffinitionem exspectare contempsisti. »

Item post aliqua de canonibus: « Et ab electorum, judicio, ut prædixi, incaute ac inhoneste fuga lapsus abscedens, pitacciolum irrationabiliter confectum, et manu tua subscriptum, ac præfatæ professioni tuæ usquequaque contrarium, per Ermenoldum diaconum tuum, VI Nonas Julii, indictione 3 mihi misisti, quod ita se habet (s3):

« Reverendissimo Remorum archiepiscopo HINCMARO sanctæ Laudunensis Ecclesiæ HINCMARUS, Deo miserante, episcopus, debitam in Christo devotionem. Vos scitis quia ab universali sanctæ Romanæ Ecclesiæ papa, Patre quoque nostro et magistro Adriano (*Adrian. II*) his vocatus existo, et vos ipsi in quaternionibus mihi a vobis in Attiniaco palatio, coram archiepiscopis et episcopis, qui adfuerunt, datis, quod ad eadem sedem venire totidem vocatus detrectem, me reprehendistis; si vitio scriptoris, pro detrectem, quod est dissimulem vel differam, detractem, quod valde tractem non ab re accipi potest, intercharaxatum non fuit. Unde vos nunc pro amore Dei omnipotentis, et reverentia S. Petri exposco, sicut et in eadem synodo in eodem Attiniaco a vobis convocata, quod impetrare, non valui, expostulavi, ac jam etiam per integrum efflagitavi annum, et præcipue in synodo apud Vermeriam palatium olim ab orno habita (*Syn. apud Vermer.*, an. 770), obsecrando declamavi, nunc quoque et obsecro, et item declamo, ut et hactenus egi, quo vestra archiepiscopali auctoritate apud domni nostri gloriosissimi regis Karoli (*Carol. Calvus*) clementiam obtineatis, quatenus domni et universalis papæ Adriani præceptis ac institutionibus ecclesiasticis, mihi ut omnibus expedit, velut ei qui de omni Ecclesia fas habet judicandi, liceat obedire, videlicet ut limina sanctorum apostolorum, Petri scilicet et Pauli, merear, ut devovi, et ab eodem insuper vocatus sum, penetrare. Alioquin me vobis ab hinc, ut archiepiscopo coepiscopus obtemperare debet, canonice sciatis obsequi non posse, quia ut decernit beatus papa Gelasius (GELAS., *epist.* 4), nesciunt quid loquuntur, qui decretis sanctæ Romanæ Ecclesiæ sedis præsulum quasi canones opponunt, quibus contraire contra canones est ipsos se erigere. Iste Gelasius papa venerabilis et sanctus omnes decretales epistolas venerabiliter sanxit suscipiendas, nec ea venerabiliter suscipit, licet ad tomum caput inclinet, qui eis non obedit, sed potius porro obvias manus inferens, quod sine periculo agi non potest, respuit utpote qui de se judicari non prospicit. Nam velimus nolimus, aut eis parebimus, aut eorum judicio percellemur, quorum neminem aliqui quique reprobare valemus. De archiepiscopis autem Remigio ac Harduico, quod mihi per Teutlandum diaconum mandastis, privilegio sanctæ Romanæ Ecclesiæ non præjudicat, sed quod eis eadem sancta sedes de me voluit ac disposuit committere, commisit, vos vero quod vestrum est agite. In Domino Jesu Christo bene valete. Ego Hincmarus sanctæ Laudunensis Ecclesiæ episcopus sponte subscripsi. »

« De quo pitatio tibi distuli respondere putans te retractare, et a tua contumacia resipiscere: tu autem non quievisti, sicut causa brevitatis omitto. Et post hæc per clericum tuum Bertharium domno regi tuas litteras direxisti, excusans te quoniam ad illum, sicut tibi mandaverat, venire non posses, quia febricitans, ut te sol tangeret sufferre nequibas: sed tibi Romam eundi licentiam daret, secundum votum tuum quod vovisti, quando altera vice febrem habuisti, ut ad sanctorum apostolorum limina, sicut voveras veniens, ibidem ab eadem febre liberareris. Is autem domnus rex coram episcopis et aliis fidelibus suis, qui adfuerunt, tibi per eumdem clericum tuum remandavit, mirum et non verum esse quod diceres, quoniam ad illum venire non posses, et Romam adire valeres. Venires autem ad illum, et si ipse pro causa rationabili te illuc ire velle cognoscere posset, tibi licentiam non denegaret. Tu vero ad illum venire noluisti, donec circa Kalendas Septembris tertiæ indictionis, ad Silvacum de collocu-

(13) Evstat ad finem opusculi LV Capitul.

tione fratris sui Ludovici rediit, quo obviam illi veniens, nihil cum eo, sed nec mecum, per te vel missos tuos, aut litteras tuas de licentia tua Romam eundi dixisti. Sed et quando missi domni apostolici Remis fuerunt, quotidie per septem dies, cum rege et mecum locutus fuisti, et inde nihil dixisti. Quod dicis te in synodo apud Vermeriam, indeque apud Attiniacum licentiam eundi Romam petisse, et impetrare non potuisse, omnes episcopi, qui in eisdem synodis fuerunt, liquido sciunt quoniam cum de tuis insolentiis increpabaris, timens regulare judicium, vel regis castigationem, licentiam eundi Romam petebas. Cum vero videbas, quia et rex et episcopi erant tibi placabiles, de ipsa licentia nihil dicebas, sicut nec modo facis, donec aliquam novitatem, ut soles, quam semper timendo exspecto, iterum facias, de qua compellatus solitam cautionem de tua requires. Petitio autem tua apud domnum regem talis fuit, quando ad eum venisti, quia sicut plures et pene omnes in istis provinciis scire dicuntur, et patet, addens gravibus graviora, velut ipsa sacrorum canonum demonstrant judicia, nescio quibus machinationibus exquisitis a te jussio est principalis elicita, ut de his de quibus electos judices secundum sacros canones expetisti, non solum eorum querela, quorum causa usque ad alium tractatum diffiniendo remansit : verum et quæ, ut dixi, in domni regis præsentia electorum judicum sententia diffinita fuerunt, sine metropolitani conscientia, sineque canonico et episcopali judicio, per judices sæculares, Heriugarium scilicet, mercatii palatini Teloneariam, et Flotharium ac Ursionem villarum regiarum majores retractarentur, contra canones, qui ab ecclesiasticis ad majoris auctoritatis ecclesiasticos judices, et non a majoribus ad minores, nec ab ecclesiasticis ad sæculares, neque a consensu partium electis provocari permittunt. A quibus judicibus sæcularibus a te petitis quædam ex diffinitis retractata et immutata, quædam vero ex diffiniendis sunt diffinita, adinventitia reputatione, sicut ab ipsis, qui in eodem placito fuerant, dicitur, de non necessariis et inconvenientibus juramentis reperta, et a te coram prædictis judicibus ipsis tuis accusatoribus, quos contra electos judices sicut expetieras, suscepisti, perquisita, quatenus et is de quo legaliter ac regulariter diffinitum fuerat, ut beneficium suum haberet, quod contra rationem et æquitatem perdiderat, eadem adinventione dimitteret, et illi quibus judicatum fuerat, ut quoniam tu post expetitum electorum judicium, idem judicium subterfugisti, beneficia sua usque ad legalem diffinitionem tenerent, beneficia ipsa desererent, et tu quod usurpasti evindicares ; cum sicut tibi non licet de accusatione, sive criminalis causæ, sive civilis, relicto ecclesiastico, publico purgari judicio, ita etiam non licet tibi postposito vel contempto ecclesiastico judicio, ad sæcularia judicia convolare, vel quemcumque, nec etiam laicam personam pertrahere, neque ad forum suum sequi, si ipsa persona laica consenserit ecclesiasticum subire judicium, sicut lex Valentiniani, quam probat Ecclesia, demonstrat. »

Item post ostensas auctoritates : « Et non pertranseat etiam tuam considerationem, cur domnus rex tuæ petitioni annuerit, ut unde in præsentia illius electos judices episcopos secundum sacros canones accepisti, sine conscientia metropolitani, sineque ecclesiastico judicio consenserit, ut sæculares judices ad retractanda ea quæ diffinita fuerunt, vel ad diffinienda, de quibus judices acceperas, denuo acciperes. Scio enim et certus sum hinc illum canonicum scire judicium, et miror ac doleo cur tu hoc videre non voluisti, aut Deo judice arrogantia cæcatus non potuisti. Inunge igitur, secundum consilium Apocalypsis Joannis, collyrio oculos tuos ut videas (*Apoc.* III), et albuginem arrogantiæ de oculo mentis, id est intellectu tuo, abjicere valeas, et pensa ne forte domnus rex, quem toties exacerbasti, sciens divina judicia atque eloquia, hinc in annuendo votis tuis cogitaverit contra te sententias divinas de his qui duræ cervicis et indomabiles corde sunt : *Qui nocet noceat adhuc* (*Ezech.* II), et *qui in sordibus est sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII), *ut impleant peccata sua semper* (*I Thess.* II) ; et : *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX), et : *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis ? mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum : juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora* (*Deut.* XXXII). Et cum tantarum transgressionum inveniaris obnoxius, non cessas me provocare, ut de promisso pitacio tuæ professionis atque subscriptionis, de quo tibi, ut prædixi, respondere hactenus distuli, sed et de aliis tuis professionibus atque subscriptionibus vel lacessitus rescribam, quatenus professionum et subscriptionum tuarum historias plures legentes, si forte sunt qui adhuc eas ignorent, earum diligentiam cautelam quoque et utilitatem cognoscant. Et primum quidem respondebo tibi de præfato a te subscripto pitacio, in quo scribis in adminiculo tuo te a me reprehensum, et esse me ostendis reprehensibilem. Sed ego spreta reprehensione tua, qua me quasi sub quodam excusationis velamine, de scriptoris vitio more tuo evidenter reprehendere satagis, qui aut differentiam verbi detrectem (*rest. pro* detractem), quod in meis scriptis tibi datis posui, nesciam, aut scriptoris vitium in eis corrigere non sapuerim, vel emendare neglexerim, et ex mea reprehensione tuam ostentare scientiam, Cham Noe filius (*Gen.* IX) voluisti, non solum in verbi illius differentia, sed et in alio verbo, quod ad ostentationem tui in tuis adinventionibus iteratum inveni ; et cum hinc meam insipientiam voluisti ostendere, tuam studuisti apud scholasticos stultitiam propalare. Pro me nihil curo dicere : Mihi enim pro minimo est ut a te judicer (I *Cor.* IV), aut sine dilectione a tua scientia reprehendar. Sed ne apud illos, qui rerum rumusculos captant, glorieris quasi me mutum effeceris et elinguem, qui

solus nostris temporibus thesauros sapientiæ et scientiæ penetrans introisti, hic causa compendii prætermittens, cum mihi vacaverit, ostendam quid regularum grammaticæ artis auctores, quid orthographiæ doctores, quid sanctæ Scripturæ tractatores inde sentiant atque dicant. »

Idem post nonnulla : « Sed et alia sunt hinc ex sacris canonibus et apostolicæ sedis decretis, quæ mihi hic ponere longum fuit, in opusculo 55 capitulorum, quod ad tuam commonitionem, et correctionem atque instructionem tibi dedi, potes relegere, præter epistolas præmissas quas tibi direxi ad redarguendam tuam temeritatem contra evangelicam veritatem, et apostolicam atque canonicam auctoritatem, contraque sedis apostolicæ decreta, in tuam et perniciem multorum præsumptam, sicut in synodo plurimorum episcoporum est comprobatum. Sed et præter alias epistolas, ac alia scripta, quæ tibi direxi, vel dedi ad comprimendam tuam insolentiam, et commonendam ac instruendam tuam dilectionem, ut ageres juxta Domini dictum : Quid quærit Dominus Deus tuus a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et facias voluntatem ejus, obediasque ipsius imperio (*Deut.* x)? Quæ frater sollicita cordis intentione revolve, et recogita quid sit quod dixisti : Quia ex tunc quando mihi litteras illas misisti, ut archiepiscopo coepiscopus obtemperare debet canonice, scirem obsequi mihi te non posse ; et revoca ante oculos tuos, quod coram episcopis decem provinciarum professus es, et manu propria subscripsisti : scilicet quia privilegio metropolitani provinciæ Remorum Ecclesiæ, secundum sacros canones et decreta sedis apostolicæ ex sacris canonibus promulgata pro scire et posse te obediturum profitereris et subscripsisti. Dic, frater, quando et ubi, vel in quibus a te requisivi vel extorquere volui, ut mihi contra hæc in aliquo obedires ? qui nunquam tua, sed juxta Apostolum, te quæsivi (*II Cor.* xii), et qui meas injurias, scilicet meæ personæ, facile, Deo gratias, possum dimittere, sicut et quotidie pro te omnipotentiam Domini devote exorans facio ; injurias ordinationis divinæ, quæ a tua insolentia exquiruntur, ut metropolitano privilegio canonice non subdaris, in eum redundantes, qui Spiritu sancto suo, a quo promulgati leguntur et creduntur canones, instituit, patienter ferre non possum, nec debeo, quin tantum inde non satagam quantum potero. Nam sicut sollicitudo et primatus totius Ecclesiæ catholicæ sanctæ sedis Romanæ pontifici divinitus est collata, ita et unicuique metropolitano ac primati provinciæ sollicitudo sibi delegatæ provinciæ, per sacros canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos noscitur esse commissa, » et cætera. Sequuntur denique plura de professionibus et subscriptionibus ejusdem Hincmari, et correptionibus ejus usque ad finem operis. Item aliud opus incipiens ita :

« Hincmarus Remorum episcopus Hincmaro Laudunensi episcopo.

« Vir diversis flagellis a diversis attritus dicit : *Qui me comedunt non dormiunt* (*Job* xxx), ac si diceret, non quiescunt. Et tu, frater, me tuæ linguæ flagellis atterere, et venenosis scriptis tuis ad iracundiam provocando sollicere non quiescis. Sed qui illum servum suum custodivit a murmurationibus, me peccatorem, et fragilem in se confidentem potest custodire a rancore et malitia contra tuas falsas criminationes. Post alia multa super dolorem vulnerum meorum addens (*Psal.* lxviii), dicis : Sicut in scriptis tuis perversis invenio, quia apostolicæ sedis potestati derogo. Unde nemo sanum sapiens tibi unquam credidit, vel credet, quoniam et ipsa scripta quæ ad apostolicam sedem sæpissime misi, et illa quæ tibi resultanti sæpe transmisi, te revincent, et in isto sæculo, et in futuro judicio. Non enim de me verum esse valebis unquam, vel usquam probare quod dicis : Ab his, inquiens, a quibus pro apostolicæ sedis privilegiis, quæ Christi sunt usque ad mortem fas erat decertari, prædicatur et docetur, in his quæ eadem sedes statuit, velut respuendum probari. Sed tu probaris ejus privilegio resultare, qui secundum sacros sanctorum conciliorum canones supra positos, ab ipsa prima sede atque ab omni Ecclesia catholica comprobatos, ut revera Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, et juxta decreta ipsius sanctæ sedis, ex eisdem sacris canonibus promulgata, metropolitano privilegio, semel et secundo ac tertio commonitus, obedire detrectasti, ut colligationes impietatis (*Isa.* lviii), quas contra evangelicam veritatem, et apostolicam atque propheticam auctoritatem, contraque sanctorum canonum, et decreta ipsius venerandæ sedis exitiabiliter, in tuum, et multorum periculum colligasti, dissolveres. Insuper contra sacras regulas adversus metropolitanum privilegium libello perniciose subscripsisti, et subscribi fecisti. Unde in synodo conventus ab episcopis decem provinciarum (*syn. Duziacensis*) libellum professionis de futura tua obedientia subscriptum manu propria, quem habeo, porrexisti. Contra quem iterum resubscripsisti. Nam ego decretales epistolas sedis apostolicæ diversis temporibus, pro diversorum Patrum consolatione, vel consultatione ab ejusdem sedis pontificibus datas, et venerabiliter suscipio, et venerabiliter suscipiendas dico et scribo, et sacros sanctorum conciliorum canones cum decretis apostolicæ sedis, ex eisdem sacris canonibus promulgatis, et recipiendos, et custodiendos, et servandos, sicut supra ostendi, profiteor. Et quod dicis, te audire obloqui de judicio domni papæ Nicolai, si de me dicis, mendacium dicis. Nam quod ille de Rothado sive de Vulfado judicavit, non contradixi, sed sicut ipse præcepit obedire curavi. De eo quod dicis de Rothado, quia in ejus depositionem non consensisti, subscriptiones tuæ manus propriæ te revincunt. Nihil enim inde egi, quod mecum non egeris ; nihil judicavi, quod non judicaveris ; nihil subscripsi, quod non subscripseris. Habeo enim illas ipsas manus tuæ subscriptiones. »

Et circa hujus operis finem : « De aliis vero, quæ in scripto apud Attiniacum dato mihi improperando mendaciter dicis, tibi respondere non curo. Sed scias quia non sum oblitus quod scriptum est in Isaia propheta (*Isa.* xxxvii), quoniam S. Ezechias arctatus angustia, blasphemas epistolas sibi directas in templo coram Domino expandit, et ad eum clamavit, et exauditus est. Expandam autem manus meas ad Dominum cum blasphemiis et superbissimis scriptis tuis mihi a te directis, orans ut, quando scit, et quando vult, et sicut scit et sicut vult, te convertat ad veræ pacis et dilectionis atque debitæ obedientiæ dilectionem (*fort.* directionem), et me liberet a labiis iniquis, et a lingua dolosa (*Psal.* cxix). Et dominæ meæ beatæ et gloriosæ Dei genitricis Mariæ meritis, ac precibus sancti Remigii, cujus privilegia derogas, exaudiet me adjutor in opportunitatibus in tribulatione (*Psal.* ix). Et quia beatus Hieronymus de his, quorum adversum me gratis suscepisti officium, dicit : Audiant canes mei (Rufinus. *præfat. in Job*), tu qui de filio in fratrem, indeque crevisti in coepiscopum, et post adeo profecisti, ut in canem meum excresceres, usque hanc perversi continuatione tui pitacioli exigente causa, prolixam responsionem. Cum autem mihi vacaverit, sanctius de aliis perversis, et incompositis scriptis tuis, in quibus quædam mendaciter, quædam reprehensibiliter me reprehendendo, quædam ficte humiliter, et vere superbe scripsisti, respondeam, et in illo scripto, quia lego dixisse Dominum : Jam non irascar tibi amplius (*Ezech.* xvi), quantum mihi adhuc patet de hujusmodi altercationibus tibi scribendi finem imponam. De hoc quod dicis, quia dicunt de me homines : Qualis est ille avunculus, qui talia suo nepoti scribit ? dicant et de te ipsi homines : Qualis est ille nepos ab avunculo suo talis ut tunc erat assumptus, et talis sicut nunc est in spiritali ac temporali honore effectus, qui talia sibi exigit ab ipso avunculo, ac talis ab aliis, sicut a nepote suo depingitur, æstimatus, per eum blasphemetur nomen Domini (*Rom.* ii) et vituperetur ministerium ejus (*II Cor.* vi), secutus Apostolum scribentem ad Corinthios, contra se blasphemantes, et vilipendi ab aliis laborantes ? Egit quippe doctor egregius ut, dum ipse qualis esset agnosceretur, et vita et lingua male prædicantium ejus prædicatione vilesceret, illos videlicet cunctos tacere, si se absconderet, eumque se non ostenderet, errori locum dedisset. Dicant etiam et ipsi homines de te : Qualis est ille nepos, qui talia contra suum avunculum, et nutritorem atque ordinatorem meditatur, et quantum potest mali agit, et plusquam potest agere cupit, sicut tu in die magni judicii manifeste videbis, si te antea inde non repugnaveris, et dignis pœnitentiæ fructibus non emundaveris ? Multum me fatigas, et servitio, non tibi imputetur, sed fatigationem meam consolatur, quod sicut tibi scripsi, beatus dicit Gregorius : Etsi Æthiops niger in balneum intrat, et niger de balneo exit ; tamen balneator denarium balnei sui non perdit. Timeo de te ne o Alexandro quod de suo dicebat Paulus : *Alexander ærarius, multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus* (*II Tim.* iv). »

CAPUT XXIII.

Quæ Altfrido Transrhenensi episcopo, et aliis quibusdam episcopis scripserit.

Altfrido Transrhenensi episcopo scripsit quædam pro rebus S. Remigii sitis in Thoringia, quas eidem commiserat, ut redditus ipsarum ipsi tempore opportuno dirigeret, interdicens, juxta depositionem B. Remigii, ut nemo colonos ipsarum in suo præsumeret opprimere servitio ; item, quod easdem res cuidam suo in beneficium dederit homini, rogans ut eidem homini solatium in quibuscunque indiguerit ferre studeat ; Adventio, Mettensium præsuli, super quadam fidei quæstione, de qua fuerat interrogatus ab ipso ; item, de itinere quod idem Adventius Romam petiturus debebat incipere ; item, de adventu suo ad denuntiatam a rege synodum, pro memorata quæstione tractanda ; item, pro filio neptis suæ quem eidem committebat ; item, pro his quæ idem Adventius ei mandaverat de Hincmaro Laudunensi episcopo, breviter intimans quæ bona erga ipsum gesserit, et quæ prava ille contra gerebat ; item, petenti consilium quid agere deberet, Karolo in regnum Ludovici fratris sui senioris ipsius veniente, significans quid egerit ipse, quando Ludovicus regnum Karoli pervaserat, et quid eidem tunc agendum foret ; item, pro acceleranda ordinatione Berardi Ecclesiæ Virdunensis electi, et vocati episcopi ; item, pro excommunicatione Karlomanni, quam mittebat ei, significans qualiter eamdem tractare deberet ; item, pro missis ipsius Adventii, quos Romam direxerat pro causa Bertulphi Trevirensis archiepiscopi, mirans cur sibi non significasset, qui ei renuntiavissent ; item, pro litteris Ludovici regis, quas idem Adventius ei direxerat, et ut litteras, quas ipse domnus Hincmarus Ludovico mittebat, ipse præfatus præsul ei aut mitteret, aut donaret ; item, pro litteris ipsius Adventii, quas ei miserat, intimans de adventu legatorum suorum pallium a sede apostolica Bertulpho archiepiscopo deferentium, exhortans etiam, ut de regum concordia laboraret ; unde, quia semper laboraverit et laborare decertet, innotescit, et de mulo, quem sibi mitti petierat, quia hoc animal ipse domnus Hincmarus non haberet, nec sedere soleret, et alia quædam ; item, pro excommunicationis discretione, quia excommunicatos significaverat a se quosdam malefactores Mettensis Ecclesiæ, homines scilicet Walterii comitis, et Lambertii, deposcens ut apostolicam regulam et episcopalem servet in hujusmodi negotio patientiam ; item, quo debeant ordine consecrari metropolitanus atque diœcesanus episcopi. Ercanrao Cathalaunensi episcopo, de quibusdam reprehendens quæ non libenter audiebat de illo, admonens et instruens qualiter se agere debeat, et ut monitis apostolicis diligenter attendat ; item, pro cujusdam villæ incolis, quos irrationabiliter ab omni consola-

tione divini ministerii, propter quoddam homicidium, non ab ipsis patratum, removerat, intimans quomodo nec charitatem, nec discretionis moderationem in hoc facto custodierit; item, pro absolutione cujusdam ab ipso excommunicati, pro quo Guntarius Coloniensis episcopus eidem litteras deprecatorias miserat, quas ille suscipere noluerat, ostendens qualem se erga delinquentes, et qualem erga recognoscentes episcopus exhibere debeat. Hilmerado Ambianensi, pro quodam monacho, qui presbyterum et monachum in monasterio sancti Richarii occidit, pro quo domnus papa Nicolaus litteras eidem domno Hincmaro direxerat, pœnitentiæ tenorem continentes; item, pro litteris Adriani papæ (14), quas ei pro quodam presbytero miserat, monetque ut apostolicis obediat jussionibus; item, pro quodam presbytero, qui ad eum clamaverat, quia, pro eo quod arma de cujusdam ebrii manibus, qui eum occidere volebat, extorquens, projecit et fugit, idem episcopus ab eo et Ecclesiam suam et facultates ejus tulisset. Unde redarguit eum, quod contra auctoritatem sacrorum canonum erga præfatum egerit presbyterum, mandans quid fiendum, et quid juxta canonicam sit auctoritatem de hoc observandum. Item redarguens eum quare in torpore negligentiæ requiescens, pravorum consiliis uteretur, cum et ætate et corporis infirmitate ad finem vitæ urgeri videretur, ostendens ei ex sanctarum monitis Scripturarum, quibus transgressionibus inveniretur obnoxius; item, pro quodam presbytero, mandans et interdicens auctoritate metropolitana, ut nullum præjudicium ei faciat, sed ad synodum convocatam die denominata sibi occurrere studeat; item, pro hac eadem re, intimans quia si non occurrerit ad synodum secundum præceptum papæ, quod synodus de eo judicaverit in ipsum sit exsequendum. Isaac Lingonensi, pro quodam regio milite ab ipso excommunicato, suadens ut mitius erga eum ageret, propter instantem de infestatione paganorum necessitatem, notificansque qualiter ipse agere soleret in talibus excommunicatorum causis, et quia illud anathema non duret amplius, nisi quandiu homo in peccato perseverat; item, pro nepotibus ipsius, qui apud eumdem domnum Hincmarum nutriti fuerant, et alia quædam. Hungario episcopo, pro excommunicatione Balduini qui Judith viduam regis filiam sibi furatus fuerat in uxorem, unde et ab episcopis hujus regni fuerat excommunicatus.

Hortatur autem eumdem Hungarium, ut admoneat Roricum Normannum, nuper ad fidem Christi conversum, ne recipiat eumdem Balduinum, neque præsidium ferat: sed et quod centum [*i.* si cæteri]. Nortmanni per ejus consilium, ut audierat, post conversionem ipsius istud regnum deprædati fuissent, hoc digna pœnitentia emendare studeret. Fulcrico Trecassino episcopo, Ecclesiæ Remensis alumno, gratias referens pro epistolis quibusdam Augustini ab eo sibi missis, et de libro Didymi, quem Fulcricus mitti petebat, ac de Ecclesiis monasterii Orbacensis, admonens eum, ne contra matrem suam, Ecclesiam scilicet Remensem, et patronum suum sanctum Remigium aliquid perverse agere præsumeret. Odoni Belvacensi, quem filium charissimum sæpe vocat, multa fidenter (*al.* fideliter) scripsit. Pro epistola siquidem Adriani papæ, quam sibi miserat super appellatione cujusdam presbyteri ex Ambianensi parochia, ut assumat idem Odo pro hac laborem, quatenus Hilmeradus episcopus papæ jussis obediat, et qualiter scripta, presbyter idem Roma detulerat, prudenter tractare debeat: item, pro quibusdam regis hominibus inter se discordantibus, ut commoneat eos ad pacem venire, indicetque ipsis, quod nisi hoc egerint, ab eodem domno Hincmaro excommunicandi sint; item, pro synodo, quam rex præceperat habendam non in tempore congruo, petens consilium quid inde agere debeat, rogans etiam sibi remandari quid rex responderit de illis hominibus quos se excommunicaturum significaverat, et de aliis necessariis causis. De quibusdam quoque scriptis, et Græcorum quæstionibus, et homiliis beati Petri cæterisque rebus; item de responsionibus ad objecta Græcorum, quas idem Odo colligens descripserat. et domno Hincmaro miserat. Unde Deo gratias refert, quia se ipsumque uno spiritu potatos invenit, et quid de his sibi videatur simul conferendum esse significat, sed et apud regem semper eum excusatum fieri rogat, qui tunc in ejus servitium, diversis infirmitatibus detentus, abire non potuerit, rememorans etiam de discordantibus, unde jam mandaverat, ut eos ad pacem redire moneret, laudans eum quod de his quæ in litteris suis ei significaverat, ut Deum et fratrem diligens, studiose ac episcopaliter egerit, et ut regem commoneat, et inde ministerium suum facere rogat, sibi quoque rescribi, de quibusdam, quæ inter se et regem versabantur. Quædam etiam intimans, quæ secreto Joanni episcopo notificaret de synodo tunc, ut rex jusserat, non agenda, et quare tunc convocari non deberet, addens de quibusdam quoque scriptis, quæ illi remittebat, vel quæ sibi mitti poscebat; item de ordinatione Willeberti, cui rex episcopium Cathalaunense dederat, ne in ipsius ordinatione ab ordine debito declinaret, intimans quod irrationabiliter Cathalaunenses, post obitum sui episcopi, de sua ipsa necessitate fecerint, et quod ad regem litteras suas pro electione præfati Willeberti miserint, decretum vero suum ad archiepiscopum, sicut mittere debuerant, ut inde quæ agenda essent canonice ageret, non miserint, insinuans qualiter inde rite facere debuissent; sed quia non fecerant, quid exinde cautius agendum sibi videatur, edisserit, et prudenter attendendum mandat, ut regularis electio fiat, et postremo, sicut ipsius prudentiæ melius inde videretur, hanc ita disponeret; item, de causa parochiæ ipsius Odonis quæ inter ipsum et Rothadum Suessionensem episcopum ventilabatur, simulque de presbytero, qui

(14) Hæ epistolæ Nicol. I et Adriani ad Hincmarum non exstant.

epistolam papæ Roma detulerat, ut regem admoneat modificans ejus animum, ne contra Dominum aliquid faciat in Ecclesia Dei, vel episcopali ordine non pro Hincmaro nepote suo se tantum id dicere asserens, quantum pro ipso seniore suo rege, ne ipse taliter peccaret, unde æternaliter periret; item, de correctione epistolæ suæ quam illi pridem miserat, ab imperito scriptore corruptam, et de his quæ objiciebantur Hincmaro scandalizatori suo; item, de litteris, quas pro eodem Hincmaro regi mittebat, ut ipse Odo eas illi porrigeret, et qualiter eas receperit, vel his annuerit, sed et de aliis sibi sciendis petit litteris sibi remandari; item de causa Erpuini episcopi, qui ad condictam synodum venire non valebat, ut causam ipsius Odo inter ejus personam et accusatores ejus exsequi studeret, et si ad integrum id agere non posset, eumdem Erpuinum et accusatores ejus ad synodum apud Pistas agendam abire commoneat; item, de litteris sibi ab Odone missis, in quibus compererat insurgere quosdam monachos contra sacram auctoritatem, et de privilegiis Corbeiensis monasterii; item pro itinere suo ad regem; item gratias referens Deo, pro satisfactionis et correctionis dulcedine, qua in litteris ipsius Odonis multam recognitionis ejus de his unde redarguerat eum reperit benignitatem; item pro electione Suessorum episcopi post obitum Rothadi; item, pro conventu synodali super responsione ad epistolam Adriani papæ; item, pro litteris regis, quibus præceperat episcopos regni a domno Hincmaro convocari, ut prohiberent filium ipsius regis Karlomannum a præsumptione cessare, quam criminabatur contra patrem exercere; item, pro ordinatione Ansegisi Remensis diœceseos monachi in episcopatu Senonico; item, pro libello historiæ de ortu S. Mariæ, et homilia B. Hieronymi de Assumptione ipsius Dei Genitricis, quæ quidam monachus Corbeiensis monasterii non esse recipiendam contendebat.

Ad quæ respondet idem domnus Hincmarus, præfatam historiam nos habere ad lectionem, non ad proferendam auctoritatem; homiliam vero eamdem a sancto Hieronymo asserit catholice dictatam, sicut et stylus, et cautela sensus, et intellectus, et alia certa indicia monstrant, et certæ personæ, per quas de partibus orientalibus tempore certo delata ad regiones nostras pervenit, fidem faciunt. Subjungit quoque de libello ipsius Odonis contra objectiones Græcorum, quædam se in eo commemorans adnotasse, quæ retractanda et corrigenda forent; item, pro ordinatione Hedenulfi secundum jussionem Joannis papæ ad episcopum Laudunensem diu pastore vacantem; item pro ratione lunæ paschalis, et lectione quam Adalardus abbas inde composuit; item pro eadem re, gratias agens Deo pro sollicitudine ipsius Odonis, qua studuit investigare mysticam paschalis solemnitatis observationem, et cætera; item, pro itinere suo ad concilium papæ Joannis, ut ad id ipse quoque venire festinet; item, de inquisitione ab ipso Odone et prælato Hedenulfo tractari judicii Auriniaci monasterii, pro regimine Ricoaræ abbatissæ, quæ contra leges idem usurpaverat monasterium, monetque ut suggerat regi, ne ageret inde qualiter alienis peccatis implicaretur. Idem de itinere suo non ad regem terrenorum præsentiam, sed ad regis æterni judicium, ad quod jam se festinare per continuas indicat ægrotationes; item, pro ordinatione Hetilonis, quem plebs Noviomagensis episcopum sibi elegerat ordinandum, aliaque nonnulla eidem sæpe direxisse reperitur scripta. Hildegario Meldensi episcopo, pro parochianis ipsius quibusdam, qui homicidia in Remensi perpetravere parochia scribit, exhortans ut eos salvare quocunque valeat consilio et auxilio procuret, adjuturum se spondens, ut ad pacem venire queant.

Scribit quoque ad eumdem quemdam De judicio aquæ frigidæ libellum. Joanni Cameracensi petenti commendatitias dari sibi Romam proficiscenti litteras, ex nomine domini Hincmari Adriano papæ offerendas, rescribit; quod si redditurus obsequium Cæsari, Romam velit ita pergere, ut obsequio Deo debito Cæsaris contrarium non esset obsequium, canonicas libenter ei litteras tribueret; sin autem pro causa Lotharii regis, quæ inter eum et ipsius uxorem diu ventilata fuerat, quoniam commendatitias in hac re dare litteras non valebat, reprehensibiles dare non audeat, quia nec debeat, præsertim cum nuper domnus Adrianus litteras ei suæ auctoritatis per Actardum Namnetensem episcopum miserit (ADRIAN. II *ep.* 13), in quibus significaverit se certamina, quæ sedes apostolica per antecessores suos Benedictum et Nicolaum in hac causa certaverat, sequi, monens eum, ut quod super hoc negotio gestum est, nullatenus enervari consentiat, intimansque qualiter excommunicata fuerit Waldrada. Addit etiam, quod sine consilio coepiscoporum litteras ei dimissorias, maxime pro re incerta dare nequiret; item, de obitu Lotharii regis, exhortans ut sine dilatione ad Karolum (*Carolus Calvus*) regem veniat; item pro quodam presbytero Cameracensis parochiæ, qui seipsum castraverat, frequenti monitus id agere visitatione, nesciens quid inde sacri decernerent canones, consiliumque dat, monens, ut diligenter investigetur quibus sit modis admissum, et interim per indulgentiam presbyter idem maneat in ordine suo, donec in provinciali synodo quid exinde tenendum sit inveniatur, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum reperiatur adversum; item, gratiarum referens actiones pro beneficiis sæpe sibi ab eo impensis, petens ut requirat sermonem sancti Augustini De lapsu monachi et viduæ, ac sibi ad transcribendum mittat, vel transcribi faciat, et ad proximam synodum sibi afferat. Expositionem quoque Bedæ in Proverbiis Salomonis ad eamdem synodum sibi deferri petens. Intimat etiam quod papa Romanus Karolo regi, et episcopis ipsius regni quædam mandata direxit, de-

quibus in synodo sit necesse tractari; unde et rex metropolitanis regni sui litteras miserit, præcipiens, ut coepiscopos suos ad eamdem convocarent synodum; item, pro parte decimæ, quam sibi significatum fuerat, ab antiqua regia capella tulisse, et altari, quam noviter sacraverat, addidisse; quod quia contra regulas esset, emendare, si sit actum, suadet; item, pro quodam presbytero, qui ad sedem Remensem proclamaverat, præjudicium se pati questus ab eodem præsule suo, interdicto sibi cum rebus suis officio quoque sacerdotali, nec sponte confesso, nec regulariter convicto, pro tumultu et homicidio perpetrato, ubi interfuerat, et invictus arma defendendo se sumpserat, hominemque vulneraverat, non tamen eum qui occisus fuerat. In quibus litteris ostendit ex auctoritate sacra, quid discretionis sit in hujusmodi causa tenendum, et quæ sacrorum canonum sint adhibenda capitula.

Scribit ad eumdem et alia quædam. Ragenolino Noviomagensi, pro quodam presbytero qui ei litteras ab Adriano papa detulerat (15), præcipientes ut si episcopus idem quod injuste fuerat actum circa eumdem presbyterum corrigere differret, post primam et secundam admonitionem domnus Hincmarus hunc Ragelinum canonica usque ad satisfactionem percelleret auctoritate. Unde et litteris eum monet, ut jussis obtemperet papæ, et quare vel ipsi, vel aliis quibusdam episcopis talia venire solerent ab apostolica sede mandata, declarat: quia scilicet in judicandis subditis regularem non sequantur tramitem discretionis, et quoniam ad auctoritatem metropolitanam interrogando atque obediendo recurrere negligant; item, pro visitatione Morinensis Ecclesiæ post obitum Hunfridi episcopi, juxta dispositionem regis: item, pro Rothado quodam ipsius episcopi amico, qui sua, quæ illius commiserat fidei, se fraude perdidisse querebatur; consilium dans quid inde faceret, ne ad synodalem sententiam perveniret. Villeberto [*ms.* Guiloberto] Catalaunensi rescribit ad ipsius consulta pro Gangulfo comite, ut de his quæ contra eum se fecisse vel negabat quædam, vel confitebatur aliqua, juxta præceptum apostolicum leniter ageret, quatenus in hoc legem Christi, charitatem silicet, adimpleret (*Gal.* VI), et ad satisfactionem dilectionemque sui utcunque posset, et industria eumdem comitem provocans, illi suam clarescere benignitatem permitteret. Decens enim esse, ut primordia sui sacerdotii devotione atque dilectione commendaret. Item pro quodam presbytero transgressore, ut secundum beati Gregorii monita, de ipsius absolutione faciat, juxta propheticam de confessione pœnitentis, et apostolicam de judicio et misericordia sententiam; præmissum vero comitem, quem significaverat jam de culpa sua ex integro se recognoscere, patris illius, qui filium prodigum lætus recepit (*Luc.* XV), benignitatem sequens, benigne suscipiat, et viceco-mitem pacis inter eos procuratorem tanto benignius admitteret, quanto Dei esse filium pro Evangelii veritate recognosceret; item, pro duobus vasis salutis quæ rex sancto Stephano mittebat, et aurea cruce cum sanctorum reliquiis, quam regina delegabat altari ejusdem sancti; item, pro inquirenda causa, juxta regis mandatum, quæ versabatur inter episcopos Odonem et Rothadum; item pro ordinatione Arnoldi Tullensis episcopi, ut eat obviam pro hoc Adventio et Berardo idem petentibus, ad eamdem scilicet ordinationem celebrandam in pago Metensi, secundum regis jussionem; item, cum Odone, ut loquantur simul apud regem, pro synodo provinciali convocanda, item, consulenti si de monacho, necessitate cogente, valeat archidiaconum constituere; item, pro quodam homine suo ab ipso excommunicato, quem quia irrationabiliter audierat ligatum, monet diligenter absolvi; item pro synodo Joannis papæ [*Joan.* VIII] domno Hincmaro ab imperatore Karolo missa, quam idem Villebertus transcripserat. Jubetque ut ad vicinos sibi episcopos Berardum et Arnoldum eamdem transmittat, etc.

Sed et alia quædam scribit eidem; Hildebaldo Suessonensi, pro quadam ecclesia, de qua contentio agitabatur inter ipsum et Odonem Belvacensem episcopum, quam rex destrui præcipiebat; item, pro ministris Orbacensis monasterii ordinandis, et de quibusdam fratribus, qui ab eodem monasterio irrationabiliter exierant, reversique postea recepti fuerant; item, pro quibusdam presbyteris ex monasterio sancti Crispini, de quibus domnus Joannes papa eidem domno Hincmaro scripserat, et de quibus diffinitum fuerat, ut extra claustra monasterii non pergerent, et eadem censura eis paterne temperetur; item, pro ordinatione Hadeberti episcopatum Silvanectensis Ecclesiæ; item, pro litteris Joannis papæ a quodam criminato presbytero delatis, quas a sacris canonibus et sanctorum decretis Patrum manifeste discordare commemorat, unde et qualiter agendum sit, utile dat consilium; item, ut secum simul ad præsentiam Joannis papæ pergeret, qui Trecas pro quibusdam causis diffiniendis advenerat; item, pro constitutione regum, filiorum Ludovici, unde mandaverant ei episcopi, abbates, et comites, qui cum ipsis erant, ut ad eos litteras et missum suum dirigeret, quod et fecit, mandans huic episcopo, ut ad eos proficiscens, quæ Deo inspirante invenerint, votis et orationibus prosequatur; item, cum Waltero, Gisleberto et Angelino episcopis, ut convenirent secum ad peragendam jussionem præfati papæ Joannis inter Hedenulfum et Hincmarum Laudunenses episcopos, cum sacrorum observatione canonum; item, exhortatoriam ad eumdem Hildebaldum corporea infirmitate detentum, in qua juxta petitionem litterarum confessionis illius, absolvit eum reconciliando, licet per absentiam corporalem, et alia nonnulla scribit ad ipsum. Atulfo [*i*, Octulfo, *et infra*] Trecassino, de reliquiis sanctorum, quas

(15) Hæc Adriani epistola non exstat.

A ille significaverat, ostendens mirabilibus se reperisse, qualiter easdem disponat, et de ecclesia sancti Petri, quam jestitute tractabat, qualiter ageret; ac de infirmitate vel evasione sua, et cætera; item, de villis Boletico et Fago, quæ debitas presbyteris decimas recusabant dare, quid esset agendum; item, pro mandatis papæ Joannis de Hincmaro Laudunensi ad eumdem Atulfum ab ipso papa directo, quid illi sit observandum. Waloni Metensium præsuli, ad litteras quas illi direxerat pro documentis vitæ pastoralis, et confœderatione fraternæ unanimitatis, atque de repentina ipsius provectione, ut confortabilia sibi verba remandaret expetenti; item, pro quodam presbytero, cui domnus Hincmarus quasdam res Remensis Ecclesiæ conjacentes in Vosago commiserat, qui eas male tractaverat, et nonnulla contracta fuerant ex eisdem rebus in potestatem Metensis ecclesiæ; item, pro consilio, quod ab eo petierat, de contentione quarumdam rerum, quæ versabatur inter Metensem et Treverensem Ecclesiam, et de pallio a sede Romana sibi obtento, unde archiepiscopus ipsius litteras papæ suscipere noluit; item, pro ordinatione Virdunensis episcopi, quem post obitum Berardi contra regulas provehi compererat, hanc epistolam suam sacris institutionibus instruens, et qualiter ordinandus, vel non ordinandus sit episcopus, divinis auctoritatibus ostendens, et alia præterea quædam. Hedenulfo, quem post Hincmarum Lauduni ordinaverat episcopum, pro quibusdam diaconis, quos ei dirigebat ad sacerdotium provehendos; item, pro quodam orphano, cui suam abstulerat idem episcopus hæreditatem, et alia quædam. Arnoldo episcopo, pro quibusdam, qui homicidium perpetraverant in Remensi parochia, et pacem obtinere non valebant, sed pœnitentiam facere quærebant, quam in hac parochia non poterant agere, quid de ipsis observandum foret; item, pro consilio quod petierat sibi dari super adventu Ludovici Transrhenensis, et quid ipse domnus Hincmarus eidem regi, cum ad se venire jubenti remandasset. Franconi episcopo, pro litteris commonitoriis, quas jussione regis mittebat Hugoni imperatoris Lotharii nepoti, rogans ut et idem Franco missum suum fidem cum misso ipsius mitteret, qui eum salvum ducere et reducere posset; item, pro Eurardo, quem communem suum et ipsius filium vocat, et ut pro eo apud Ludovicum regem Transrhenensem, et reginam intercedat, obsecrat, et cætera. Bernoni Cathalaunensi, pro Noviomagensis Ecclesiæ missis, qui ad se post obitum Rainelmi episcopi sui venerant, ut eos idem Berno ad præsentiam regum perducat, et eisdem regibus litteras hujus domni Hincmari relegat, et intelligere faciat, et pro hac causa tam apud reges, quam apud palatinos, secundum ministerium suum intercedere satagat; item, pro electione pastoris præmissæ Noviomagensis, vel Tornacensis Ecclesiæ, et quia formam visitationis, vel electionis Adalberno episcopo et eidem Ecclesiæ transmiserit, monens ut petat reges, et Hugonem abbatem, ut quantocius sibi litteræ a regibus super hac causa mittantur, quia ipsa Ecclesia sine detrimento diu vacare pastore non poterat; item, pro eadem re, et aliis quibusdam. Adalberno pro visitatione præfatæ Tornacensis Ecclesiæ, ut eadem suam visitationem solerter impendat, et frequenter electionis formam clero plebique relegat, et inculcet, ne per ignorantiam ab eadem forma in aliquo devient; item, pro electione pastoris ipsius Ecclesiæ, et quia multi laborarent, ut non per ostium intrarent (*Joan.* X), non timentes, neque verecundantes fures fieri et latrones, et quia mandandus sit ad præsentiam regum, quo cum perrexerit loquatur secum, ut

B qualiter hinc de cætero sibi sit agendum simul considerent, et cætera; item, pro querimonia et proclamatione cujusdam presbyteri ejus parochiæ, ostendens qualiter episcopi rusticanarum parochiarum Ecclesias disponere debeant, et gubernare; monens, ut legat sæpius homiliam beati Gregorii ex evangelio: Designavit Jesus, et alios septuaginta duos. Regula quoque pastoralis ejusdem beati Gregorii (GREGOR. *hom.* 17 *in Evang.*), cum sacris canonibus frequentius relegatur, et quæ (*l.* regulas, etc.), relegat, ut quæ ibi sequenda leguntur, viriliter exsequantur: et quæ cavenda inveniuntur, sollicite caveantur. Hetiloni [*al.* Hedit.] Noviomagensi, ut in adjutorium et fidelitatem regum, et orationibus, et auxilio quo potuerit satagat, significans in magna se tribulatione

C vallatum a barbaris esse, et quod cæteris omnibus deprædatis, tanta quærebatur pro civitate redemptio, quantam explere non valeret; item, quia Ludovicus rex Germaniæ mandaverat illi, ut iret ei obviam, quod tamen non esset acturus in cippo infirmitatis detentus, mandans hunc episcopo, ut et per se, et per sibi commissos precibus insistat, pro pace et defensione Ecclesiæ, et si aliquid utilitatis contra paganos facere potuerit, agat cum primoribus regni quantum valuerit.

De incensis quoque monasteriis, quod ille mandaverat, se dolere, et de his quæ necdum erant incensa satis formidare. Sigemundo episcopo, de reconciliatione pœnitentium, et aliis ad sacrum ministerium pertinentibus, de quibus Hildegarium

D episcopum se significat instruxisse. Item pro benigne tuendis ac tractandis subditis, commemorans eum de corporali medico spiritalem a Deo factum; item ad interrogationem ejus, quid ipse scientiæ requireret a presbyteris suæ parochiæ. Episcopis ad synodum Suessionis (16) ex jussione regis Ludovici Transrhenensis convenientibus legatum suum sacerdotem quemdam dirigens, et pro infirmitatis impossibilitate semet excusans, quidquid favente Domino secundum canonicam institutionem, et episcopale ministerium juste et rationabiliter, æquitate dictante, decreverint, eorum decretis se annuere profitens; quidquid vero sacris canonibus poterit obviare, et a recta fide ac æquitate, et justitiæ tra-

(16) Hæc synodus deest in tom. Concil.

nute valuerit deviare, se in nullo assensum præbere, nec ut idem vicarius ejus assensum præbeat vel coactus, annuere, episcopis diœceseos Ecclesiæ Senonicæ scribit pro electione Ansegisi Remensis diœceseos monachi ad episcopatum Senonicum, consensum suum in ipsius adhibens ordinatione. Episcopis quoque totius regni primoribus, commonens, et exhortans eos intemeratam fidem regi suo Karolo conservare, quando idem rex Romam perrexit ; item episcopis, abbatibus, comitibus, et cæteris Dei fidelibus ad quoddam collegium convenientibus, quo ipse corporis infirmitate præpeditus abire non valuerat, gratias agens Deo pro quibusdam primoribus regni, qui ab episcopis aliquantulum dissenserant, at tunc, gratia Dei largiente, beneplacitæ sint unanimitati conjuncti. Significans per has litteras, et missum ecclesiæ suæ comministrum, se de bonis eorum studiis ac dispositionibus congaudere, suadensque ut secundum sapientiam eis a Deo datam, divinis obedientes præceptis, remotis privatis studiis, et indebitis cupiditatibus, ac noxiis contentionibus, primum quæ ad generalitatis salutem, pacem, et utilitatem pertineant, inquirant, et exsequi procurent : adnectens sacras auctoritates de veste Christi, quæ est Ecclesia Dei, hortansque ut seipsos tota virtute armantes justitiæ zelo erigant, et jugum oneris matris eorum Ecclesiæ, ac virgam exactoris ejus (*Isai.* IX) confringant, et vincula colli filiorum ejus dissolvant (*Isai.* LII) ; si qui sint oppressi manum allevationis porrigant; si qui forte depravati cupiditate vel gratia, ad unanimitatem gregis Dominici reducere studeant ; amplectantur consilium beati Gregorii, cæterorumque sanctorum Patrum ; et ipse quoque quod illi ad pacem populi Dei et justitiam procurandam decreverint, votis et obsequiis, quantum Dominus donaverit, prosequetur. Subjungit quoque sacras auctoritates de canonice promovendo, vel eligendo episcopo.

CAPUT XXIV.

Quæ abbatibus quibusdam scripta direxerit.

Aliis quoque diversis personis, tam clericis quam laicis, honestis etiam feminis, diversa pro utilitate cujusque reperitur scripta direxisse, nemini adulando parcens, sed commoda cuique pro rei opportunitate suggerere satagens. Ludovico abbati suo litteras misit pro repetendo corpore sancti Deodati, quod quidam Giso, cupiditate rerum ipsius sancti ductus, ex diœcesi Remensi furtim transferri fecerat in Parisiacensem parochiam, inconsulto episcopo in cujus jacebat episcopio. Asserit autem in his litteris se nemini, neque sibi vel proprio suo sanguini, contra divina parcere jura. Sed et indignantem pro his abbatem iterum litteris monere non destitit, hortans et admonens, ut ecclesiasticis regulis satisfacere procuraret ; item, pro quodam nepote suo, quem commiserat ei, et pro rebus a rege per dispositionem ipsius domni Hincmari monachis sancti Dionysii traditis. Hilduino abbati pro epistola regis Karoli, et misso suo cum litteris ad imperatorem Lotharium perducendis. In quibus se quædam de salute ipsius imperatoris suggerere manifestat, ut emendet, quæ ipsi notificat emendanda, et de censu solvendo ex villa Dudeciaco. Item simul cum synodo episcoporum apud Carisiacum habita (17), scribit Hilduino Karoli regis archicapellano et pro Ecclesia Lingonica, quam Wilfadus Ecclesiæ Remensi alumnus contra canonica occupaverat decreta. Unde suggesserat eadem synodus regi, ut alterum ad regendam præfatam constitueret Ecclesiam, et rex jusserat ut episcopi quærerent talem, qui posset in episcopali ministerio eidem Ecclesiæ proficere, eorumque vota in Isaac ipsius Hilduini discipulum convenerant, obsecrantes hujus in hoc Hilduini consensum, et deprecationem ipsius pro eo apud regem ; Brunuardo abbati, pro rebus sancti Remigii vel colonis Remensis Ecclesiæ in Thoringia constitutis ; Adalardo abbati, de amicitia inter ipsos, et qualiter debet esse verus amicus ; Grunoldo abbati, pro Sigeberto fideli suo, ut res ejus quæ conjacebant in regno Ludovici, in sua dominatione et tutela commendatas susciperet, et ut regi Ludovico suadeat, ne perversorum credens consiliis, in talia se ulterius immittat, qualia contra fratrem suum Karolum tunc egerat ; unde tale dedecus ipsi acciderat, quale non accidisset, si exhortationibus hujus domni Hincmari aquiescere voluisset.

Trasulfo [*i*, Transulfo] Corbeiensi cum fratribus sibi subjectis, pro quodam fratre, qui præsumptive abscesserat a monasterio, quem a rege receptum in gratia præceperat idem pontifex ad monasterium festine reverti, pro quo rex rogaverat, ut mandaret, quatenus in monasterio pacifice susciperetur, donec conversationis ejus modus a rege, et eodem archiepiscopo tempore opportuno disponeretur ; item, ad eosdem gratiarum referens actiones pro impensa sibi ab eis benignitate, memorans se plurimum in eorum orationibus confidere, et eis devotum existere, commonitoriaque salutis eis dirigens hortamenta, ut quique in ipsis navem Dominicæ gubernationis susceperant regendam, contra insurgentium tempestatum impetus impigra sollicitudine dirigere studeant, et ut persecutione imminenti paganorum quacunque recedendum sit, a bono proposito non recedant, etc. ; item, Hilduino, ut certare procuret apud regem pro electione canonica Ecclesiæ Morinensis concedenda, quia et ipse hoc agere satageret quantum posset.

Adalgario abbati, gratias referens de orationibus ab ipso et fratribus sibi commissis Deo pro se oblatis, et de benedictione donorum ipsius abbatis, commemorans etiam de rebus Ecclesiæ Remensis in Thoringia sitis, quas cuidam Amalrico commiserat, sed ipse male abusus eis divinum proinde judicium susceperit, quasque idem abbas sub censu sibi dari petebat. Sed idem domnus Hincmarus id agere sine clericorum suorum consilio renuens, mandat ut

(17) Habita est anno 855, sub Bened. III.

easdem ad custodiendum interim susciperet, et descriptionem earumdem sibi mittere studeat, et postea quod cum ecclesiasticorum consilio ministrorum rationabilius consideraverit, ei remandaturus sit. Item pro eadem re post missam sibi descriptionem, significans insuper Ludovico regi se pro iisdem rebus litteras misisse, ad petitionem ipsius abbatis, notificando ipsas res eidem abbati se commisisse, petendo quoque, ut ei solatium ferret, quatenus ipsas ordinare quiete valeret. Sed et Popponi cuidam, compescendo eum ab harum inquietatione rerum, familiæ quoque in eisdem rebus consistenti litteras mandans, quo eidem abbati obedientes in cunctis existerent. Anastasio venerabili abbati et bibliothecario sanctæ Romanæ Ecclesiæ, gratiarum referens actiones pro benedictionibus sanctissimis ab eo sibi per Actardum episcopum directis; suas eidem quoque abbati mittens munerum benedictiones. Quærit etiam opuscula suo labore confecta quæ delegaret. Item, pro beneficiis sibi ab eo collatis, et ut suggestionem suam domno papæ acceptabilem faciat, et de memoria benedictionis, quam dirigebat ei (*De hoc supra cap.* 21.) Gregorio ejusdem Romanæ Ecclesiæ nomenclatori, et apocrisiario, asserens quod præfatus Anastasius multa bonitatis insignia sibi de ipso suis litteris intimaverit, et quod magnam fiduciam in ipsius habere posset amicitia sinceriter mandaverit; unde et petit ut isdem Gregorius se inter fideles amicos suos tenere dignetur. Guntario abbati, pro quodam irreligioso monacho, quem de monasterio irreverenter proprio libitu recedere sciverat. Unde valde reprehendit eum, ostendens ex auctoritate regulæ quod ita non debuisset eum dimittere; monetque ut cum misso regis perquiratur, et comprehendatur, atque in monasterium reducatur, et in arctissima custodia retrudatur, ejusque culpæ describantur, sibique descriptio ipsa cum proprii episcopi litteris dirigatur, ut secundum sacras regulas cum consilio coepiscoporum de ipso decernat. Gozlino, pro Bernardo nepote ipsius, qui seditionem contra regem moliri ferebatur, hortans ut ab hac intentione studeat eum revocare, et ut ipse Gozlinus pro nullo carnali affectu a recta via declinet; fratrem quoque suum Gozfridum commoneat, ut ambo memores parentum suorum a fideli sinceritate non degenerent; item, querendo cur ad se missum vel litteras non dirigeret, ut facere solitus fuerat, exhortans ut id frequenter pro mutua dilectione atque consolatione facere studeat; item, significans quomodo de dilecto filio ei Gozlinus idem factus sit inimicus, et adhuc charum filium eumdem nominat, et injurias sibi ab eo illatas non solum patienter, sed et libenter se ferre deponit, ac petit ut reminiscatur, quia Remensis ecclesia eum regeneravit in Christo, tonsumque in clericum sub religione nutriverit et docuerit, de captione paganorum redemerit, ad gradus Ecclesiasticos usque ad diaconatum provexerit, plurimorum monasteriorum per concessionem regum abbatem constituerit. Contra quæ ille potentia elevatus, seditionem quæ in hac Ecclesia, vel in illo regno male gerebatur excitaverit, quibusque similia gesserit, et quantis malis obnoxius sit, prosequendo manifestat; obsecrans ut horum resipiscatur, et vocem Domini se revocantis audiat, animæque suæ misereatur (*Eccli.* XXX), ut salutem consequi mereatur; item, pro correctione ipsius Deo gratias agens, et orans ut confirmet Deus quod operatus est in eo (*Psal.* LXVII), et det illi et velle et perficere (*Philip.* II) quæ sibi sunt placita pro bona voluntate, et cætera quædam Grunhario [*ms.* Grimhario] abbati, pro rebus sanctæ Mariæ et sancti Remigii in Avernico pago sitis, quas interdixerat Bernardo comiti, mandans huic abbati ut eas describeret, et earum descriptionem sibi deferret. Adalgario vocato episcopo, pro rebus Remensis ecclesiæ in Aquitanis partibus conjacentibus, quas Bernardus Tolosanus comes occupaverat, et quia pretio eas obtinere non potuit, deprædatione possedit, donec Deus inde suum judicium exercuit: quasque idem domnus Hincmarus Agilmaro episcopo commiserat, quando etiam de incestis, et usurpatoribus rerum ecclesiasticarum libellum, jubente rege, ipsi episcopo dederat. Mandata quoque pro eisdem rebus ad eumdem episcopum data huic dirigit: et ut cum eodem iste quoque, participato consilio, pro ipsis rebus satagat, hortatur, quosdam designans pagos, in quibus eædem res conjacerent, Avernicum videlicet, Nigrummontensem, Lemovicum, et Pictavum. In aliis quoque pagis, quorum non meminit, sed ab hoc requiri atque describi, sibique ipsam descriptionem mitti petit. Lamberto quoque, quem unice dilectum ac visceralem filium suum memorat, admonens et exhortans qualiter agere debeat erga illos, inter quos conversabatur, et qui eum electuri esse videbantur ad episcopatum Mettensem: præcipue monens pestem Simoniacæ hæreseos in omnibus præcavere. Quia proficere, inquit, in ecclesiastico gradu non poterit, qui ad hoc ut hæreticus fiat, promovetur. Suadet etiam ut regulam pastoralem sancti Gregorii lectitanter legat ac mente recondat, et secundum eamdem regulam se interius et exterius in viam, qua ad episcopatum pervenitur, dirigat, et per quam in episcopatu ad vitam æternam tenditur, corrigat, significans se amicis suis, tam episcopis quam comitibus regni Lotharii pro eo litteras dirigere, idem facere, quia de consiliis et salubribus ipsius exhortationibus non deviabit, petitque ne mendacem super hoc apud amicos eum faciat. Hugoni abbati, pro electione Noviomensis episcopi post decessum Ragenelmi, petens ut hortetur reges Ludovicum et Karlomannum (18), quatenus voluntatem Dei, et antecessorum suorum constitutiones in hac causa conservent. Notificat etiam illi obitum Hincmari nepotis sui Laudunensis episcopi, rogans ut pro ejus animæ remedio per subjectos ac familiares suos

(18) Hi erant filii Ludovici Balbi et nepotes Caroli Calvi.

Domini misericordiam deprecari satagat [*al.*, satagant]. Item, ut prælatis regibus necessarios constituat nutritios, quia nimis juvenem habebant consiliarium, et de his quæ sibi iidem reges pro custodia Tornacensis parochiæ [*j*, pro custodienda Tornacensi parochia] mandaverant, et quid ipse super his egerat, quidve illi postea remandaverint, vel quid ipse rescripserit eis nolentibus assensum præbere super electione canonica præfatæ Noviomensis Ecclesiæ ; et quia ipse nihil inde aliud egerat, nisi quod per triginta et quinque annos in hujusmodi negotio solitus erat. Et quid sibi mandatum postea ex parte regum, vel ipsius Hugonis in hac causa per Warinum clericum fuerit, quasque litteras deinde præfati reges eidem miserint. Adjungens sacrorum canonum promulgatas super electione canonica auctoritates, et ostendens, quod non episcopi de palatio præcipiantur eligi, sed de propria qualibet Ecclesia, et quod de ordinando episcopo, non regis vel palatinorum debet esse commendatio, sed cleri et plebis electio, et metropolitani in electione dijudicatio, deinde terreni principis consensio, et sic fieri episcoporum manus impositio; asserens pro certo quod ipse in neminem specialiter intenderet, nisi ut quisque sit, secundum sacram auctoritatem ad hoc accederet officium, et quod spiritale ministerium postulat, sciret ac faceret, etc. Item mittens ei exemplar epistolæ, quam regi Karolo, Ludovici Transrhenensis filio direxerat, pro regibus adhuc pueris Ludovico et Karlomanno, hortansque ut si potuerit obtineat, quatenus idem Karolus (quia filium non habebat) unum ex his regulis sibi adoptet in filium, et sub manu boni ac strenui bajuli ad hoc eum nutriri faciat, ut sibi hæredem aut in totum, aut in partem statuat ; et ut secrete Hugo apud Karolum obtineat, quo et horum puerorum, et regni hujus causam super se totam suscipiat, et quæque disponenda regio sunt in ministerio, ipse disponat. Præmittens etiam, ut scripta sua, quæ Karolo mittebat, ipse Hugo, si haberentur utilia, et rationabilia, suo sapienti consilio et prudenti prosequatur studio ; sin secus quam inibi deberet inveniretur, sapienter illud commutare, vel si foret necesse quid addere, vel obtinere satageret. Item, pro mandatis Ludovici Germaniæ regis, ac suasionibus ; primo scilicet ut episcopos Remensis diœceseos eidem regi apud Attiniacum obvios ire præcipiat ; secundo ut ei consilium remandet, qualiter istud regnum disponat, quid videlicet ad hæc missis ejusdem regis respondeat, et si Ludovicus ipse advenerit, et rogaverit ut eum in regem consecret, quid et qualiter inde sit illi agendum, etc. Præterea et alia quædam abbati scribit eidem.

CAPUT XXV

Quæ sacerdotibus, vel monasteriis quibusdam scripsit.

Gautsuino sacerdoti et cæteris fratribus Deo et sancto Dionysio servientibus scribit pro quadam domo sibi quondam ab ipsis concessa, et ex parte ab eodem coempta, quam quidam eorum sibi subripiens, usurpaverat. Unde miratur, si hoc fratres ita fieri consenserint de eo, qui in nullo, quantum meminit, inutilis eis fuit, sed sicut illis tunc visum fuerat, in multis utilis et necessarius apud eos mansit, et non modica eis obtinuit et retinuit. Non hæc ideo dicens, ut sibi pretiosa sit illa domus ad tenendum, vel corticula, sine charitate, inquit, vestra, et cætera ; item, Wilgiso cum cæteris ejusdem monasterii monachis, de eo quod audierat eos a quodam presbytero pretium quærere pro decima ; unde maximam se verecundiam dicit habere propter alios homines, qui hoc audituri erant. Quod quantum periculum sit, eis ex divina ostendit auctoritate et canonum promulgatione, ac deinde : « Absit, inquit, fratres, ut alii ecclesiastici et religiosi viri hoc audiant, quia monachi de monasterio sancti Dionysii decimam vendere quærunt, ut de ipso pretio infernum comparent. Multo magis autem absit, ut hoc laici audiant, quod nemo etiam peccatis publicis implicatus in mea parochia facere audet. Si enim aliquis de alio monasterio quam de nostro hoc tentare, quanto magis facere præsumeret, ab omni communione illum de parochia mea excommunicarem, » etc. Item, eisdem monachis, pro visitatione divinæ miserationis, qua admonitus dies suos sicut umbram declinasse dicit, et se sicut fenum arruisse (*Psal.* CI) : mittens eorum obsequiis tantulam benedictionem, ducentos scilicet solidos de meris denariis ; petensque ut apud communem patronum beatissimum Dionysium in sacris orationibus sui memoriam jugiter haberent ; poscens etiam pro Haimone fideli suo pene in extremis posito, quem dilectum filium suum nominat. Fulcramno [*i.*, Fulcranno] præposito, et fratribus monasterii Corbeiensis, scribens pro electione abbatis eis a rege concessa, proque litteris regiis super eadem re, et adventu ipsius domni Hincmari ad eos. Unde illum consuluerant, instruit ipsos, qualiter in hac electione eis sit agendum secundum doctrinam beati Patris Benedicti, ut in omnibus magistram sequantur regulam, nec temere ab ea declinetur a quoquam, utpote rationem reddituri pro omnibus ante tribunal Domini nostri Jesu Christi. Magenardo præposito (*de hoc supra, cap.* 23), et fratribus in monasterio S. Richarii degentibus, pro litteris, quas apostolicus papa regi Karolo, sibique miserat, pro quodam, qui monachum, atque presbyterum interfecerat ; in quibus litteris tenorem injunctæ pœnitentiæ exposuerat, admonens ut divinis monitis in his quæ ipsæ litteræ præcipiunt obedire procurent. Monachis cœnobii sancti Medardi pro Hainoardo monacho, qui veniam pro excessibus suis apud regem postulaverat ; de quo ex verbo regis mandat, ut eum vel ad habitandum regulariter inter ipsos recipiant, vel juxta petitionem illius litteras dimissorias illi ad certum locum faciant, et absolutum abire cum pace permittant. Sigebodo sacerdoti et præposito monasterii sanctimonialium Lugdunen-

sis Ecclesiæ, super interrogatione qua requisierat ab eo, qualiter oporteret eum agere de impositione sibi commissa in Orbaico monacharum monasterio super abbatissa et præposito ipsius monasterii unde interroganti responderat, quia non verbis de talibus, sed scriptis respondere deberet. Quocirca rescribens quoque ostendit quæ in legibus, quas catholica probat Ecclesia, et in regulis ecclesiasticis de his scripta sunt : præcipiens etiam, ut privilegium ipsius monasterii sibi afferatur, et notificentur ei per certas personas de certis rebus accusationes ipsius abbatissæ atque præpositi, ut secundum sacras regulas cum consilio coepiscoporum et visitatoris Laudunensis episcopi, quia tunc episcopus ibi non habebatur, inde Domino inspirante decernat (*l.* decernatur). Quibusdam decanis parochiæ Suessonicæ, pro quodam presbytero, qui præjudicium passus justitiæ et judicium apud episcopum suum Rothadum non valebat obtinere, unde et ipse domnus Hincmarus eumdem præsulem monuerat, ut si propter infirmitatem non valeret ipse ad synodum venire, vel missos suos, comministros videlicet Ecclesiæ sibi commissæ, mitteret, ut res canonice diffiniri valeret : admonetque per has litteras eosdem decanos, et metropolitana præcipit auctoritate, ut presbyteros decaniæ suæ ad denuntiatum placitum venire commoneant, et cum eis ipsi veniant. Quod si non fecerint, synodalem sententiam apud proxime futuram synodum se noverint accepturos. Sigeberto cuidam sacerdoti, pro Heidilone episcopo ipsius, de quo talia se audisse docebat, qualia de bono laico dici non conveniret, et quia culpabatur quod talem episcopum ordinaverit, asserens se de illo, quem ante non cognoverat, fidei, et testimonio ipsius Sigeberti credidisse, præcepitque ipsi Sigeberto ad se venire, ut ore proprio ei dicere possit, quæ de episcopo audivit, et si vera forent, simul considerarent, qualiter illa corrigeret ; si vera non essent, qualiter mendacia esse docerentur.

CAPUT XXVI.

Quæ viris quibusdam illustribus.

Viro illustrissimo Eberardo, ex principibus imperatoris Lotharii, litteras dirigens pro adipiscenda familiaritatis apud eum gratia quondam sibi ab ipso gratis oblata, congaudet bonis quæ de ipso per certas audiebat personas, maximeque (*l.* maxime quæ) per Amolum præsulem, quem sincerissimum, et charissimum vocat patrem suum, mittens ad ipsum cum litteris etiam fidelissimum quemdam missum suum. Item laudans sinceritatis ipsius devotionem erga Deum, et sacræ auctoritatis cultum, principumque unanimitatem, et ecclesiasticæ pacis studium, debitumque religionis, monens quoque pro charitatis officio, ut sicut cœpit melius ac melius proficiat, quia natura humana, testante Job, nunquam in eodem statu permanet (*Job* XIV), et quia in isto sæculo quemcunque prælibes quæ potestate contra fluminis tractum navigat : qui de se aut viriliter navigans superiora petet, aut remissis manibus fertur ad ima relabi. Studeat autem præcipue, ut Deo super omnia placeat ; deinde ut Ecclesiæ pacem provideat ; tum ut principibus bona non solum suggerat, sed etiam ingerat. Viris ecclesiasticis et locis sanctis debita privilegia acquirere insistat, populo Christiano pacem et unanimitatem procuret, bene agentibus congaudeat, male agentibus resistat, seipsum, sobrie, juste et pie vivendo (*Tit.* II), solerter custodiat, et cætera exhortationum valde necessaria. Post quæ suggerit etiam de quibusdam necessitatibus, tam ex monasteriis, quam et aliis, pro quibus, et imperatori litteras direxerat, quæ in parochia sua ab illius erant auctoritate corrigenda, et reliqua de utilitate animæ, et consilio spiritali conservando. Fulcrico cuidam (*de eodem supra*, c. 20), præmissi imperatoris magnati, qui uxorem legitimam illegitime dimiserat, alteramque insuper duxerat vocans ad synodum, excommunicationis jam in eum datæ, atque in comprovinciali synodo confirmandæ pandit modum. Item postquam pœnitentiam pro hoc admisso visus est suscepisse, iteranti vias suas, et reverso ad vomitum suum, manifestam dat excommunicationis sententiam, cunctisque id notificare satagit fidelium Christi personis quibuscunque audire contigisset, maximeque episcopis, in quorum videbatur parochis conversari, vel frequentare.

Witboco cuidam ministeriali ejusdem imperatoris Lotharii, commemorans familiaritatem, quam quondam ab eo poposcerat, et dilectionem quam ei spoponderat, rogans ut innotescat imperatori super epistola quam frater ipsius Karolus (*Carolus Calvus*) rex eidem dirigebat, quatenus eam suscipiens, familiariter distinguat, et secreto legat. Censum quoque de villa Dudeciaco anni præteriti cum censu præsentis anni sibi transmitti jubeat : unde in illius memoria aliquid ornamenti in sepulcro sancti Remigii facere posset, quod ornare, et corpus ipsius sancti in crypta disponebat a novo præparata transferre. Item pro repetitione præmissi census de villa Dudeciaco sex librarum, ne forte suggeratur imperatori, quod cupiditate illectus hunc censum repetat, quem in suos usus nunquam redegerat ; sed cupiens evadere periculum, ne silentio suo in diebus suis census ipse deperéat, et ipsa villa in alodem vertatur, et ecclesiastica mancipia in servos et ancillas dispertiantur, sicut et de multis, tam rebus, quam mancipiis hujus ecclesiæ, sed et de ipsa jam villa fiebat. Emittens etiam, ut senior suus inde periculum non incurreret, vel ipse cum ipsius periculo partem non haberet. Asserens quod si cupiditas in hoc eum vexaret, duodecim libras repeteret, quas avus et pater hujus regis inde solverunt, etc. Subinfert etiam quædam de præfato Fulcrico, qui Romam veniens portabat epistolas papæ pro absolutione sua tam regibus se, quam huic ecclesiæ præsuli deferre. De quo monet hunc Witbogum, ut suggerat regi, ne seducatur in hac causa ; sed omnem cum ratione cavens periculum,

faciat, ut veniant ipsæ epistolæ coram illo et episcopis, et quidquid melius inventum fuerit inde sequantur, et quia interim quod rationabiliter et canonice factum fuit, non debeat contemni ; Nantario amico suo fideli, pro rebus sancti Remigii disponendis in Wormacensi pago, inferens quod quidam homines eum petierint, ut præstaret illis colonos earum rerum ad diversas operas, et quidam ut venatores illorum in ipsis rebus per aliquod tempus manere concederet ; quod neutrum se concessisse, vel concessurum esse fatetur, quoniam sui antecessores hoc facere non sunt ausi, quia sanctus Remigius cum grandi maledictione vel interminatione hoc fieri vetuerit (S. Remig. *in suo testamento*), etc, ; Immoni comiti, pro rebus hujus ecclesiæ in regno Aquitanico conjacentibus, ut auxilium ferret earum provisori, cui committebantur. Gerardo comiti nobilissimo, pro Isaac Lingonicæ sedis electo, ut per ejus hortamen ordinaretur episcopus, quia Wlfadus, qui ipsam occupaverat ecclesiam, canonice non potuit ordinari ; item, pro his quæ sibi litteris idem Gerardus significaverat ; scilicet quod Karolus Franciæ rex senioris ipsius Karoli Cisalpinæ Galliæ regis regnum sibi vellet subripere, quod ipse domnus Hincmarus nequaquam fieri asserit ; de rebus quoque S. Remigii in Provincia sitis, pro quibus audierat domnum Hincmarum ad regem proclamasse, quod se penitus negat egisse, nec quotiescunque necesse fuit, pro ipsius [*i*, ipsis] rebus ad alium, quam ad ipsum Gerardum, et ad suos fideles inde suggestionem, direxisse ; de hoc etiam quod scripserat hic comes se audisse, quod rex iste Karolus monasteria vellet usurpare, quæ beato Petro apostolo idem Gerardus tradiderat : et quia si res ipsius, quæ in hoc regno conjacerent, ab eo forent ablatæ, ipse licet invitus res hujus regni, quæ in illo habebantur regno præsumeret; respondet domnus præsul, quia sua voluntate nemo res ecclesiæ in suum periculum usurparet; timere se, asserens ne coram Deo dignus habeatur, ut hoc in tempore sacerdotii sui commissa sibi patiatur ecclesia. Verumtamen si quis præsumpserit, plus illi dolere quam sibi, periculum præsumptoris ex divinis pandens auctoritatibus. Adjiciens quoque de eo quod se monuerat, ut sacri causa ministerii regem a talibus revocaret excessibus, quia prius in illius dispositione talia non perceperat, et de vanis suspicionibus suum non erat seniorem corripere, ideo nec inde monnerat. Nunc autem certam et causam habens, et personam, debita devotione ac fidelitate studebit dominationem ipsius monere.

Item pro præfatis rebus sancti Remigii, de quibus idem Gerardus huic archiepiscopo litteris significaverat se condolere, quia devastabantur a multis et plures earumdem vastatores dicerent quod per concessionem regis Karoli, et hujus domni Hincmari easdem res occuparent. Unde notificat eidem Gerardo, quia ex quo easdem res eidem commiserit, nullius alterius eas provisioni delegaverit, nisi tantum Hildoardo cuidam nutrito suo injunxerat, ut majori

A villæ in his quæ necessaria fuissent, auxilium ferret, sub defensione tamen et tutela præfati Gerardi comitis, addens de cæteris earumdem rerum usurpatoribus quod agendum sibi videretur. Ipsas autem res nulli homini suo vel alterius in beneficium dare auderet, quia sanctus Remigius hoc in suo testamento terribiliter contradixit. Ipse vero comes, qui pro amore sanctæ Dei Genitricis et sancti Remigii, res ipsas in sua tuitione susceperat, sicut bene cœpit, ita viriliter de cætero agere procuret, quoniam in Remensi ecclesia per decem monasteria tam canonicorum, quam monachorum, atque sanctimonialium, amplius quam quingenti pro ipsius præsenti et perpetua salute, in psalmis, et canticis spiritalibus atque sacris oblationibus continui oratores existant, etc.

B Item pro eisdem rebus pene similia. Item mittens ad easdem res ordinandas per ipsius comitis auxilium [*i*, consilium], atque disponendas, monachum atque presbyterum de monasterio sancti Remigii nomine Rotfridum. Rodulpho illustri comiti, pro infirmitate conjugis ipsius, et pro eo quod ferebatur idem comes inter regem et quosdam subjectos ipsius, quædam contraria seminare, asserens sibi quoque domnus Hincmarus, quia ab hujusmodi re valde se immunem putabat, hoc ipsum reputari ; et quia de his qui erant cum rege talia mandata venirent, quæ non convenissent. Unde nihil eidem comiti scribere posset, neque per alium mandare, donec simul loquerentur, et de talibus quæ vidissent melius ad utilitatem et honestatem senioris sui pertinere, mutuo conferrent,

C quantocius autem potuisset ad regem pergeret, et cum illo degens, quantumcunque valeret, certaret, ut se coram Deo corde et opere custodiret, orique suo ab ipsis etiam qui putabantur amici, custodiam imponeret (*ps.* CXL), et de convocatione fidelium regis, et directione ipsius animi, atque discissione hujus regni ; sed et interfectione Britonum Herispogii, Salomonis, et Almarchi, atque de itinere reginæ ad regem, prout ipse mandaverat, et quia multum de rege timebat. Item de eo quod in litteris ipsius comitis inter ipsum comitem et regem commotionem cognoverat esse indebitam, unde satis tristis effectus erat. Et quia de his quæ sibi litteris significaverat, apud regem, prout potuisset, satageret, et quidquid inveniret, si ad eum remitteret, ipsi reman-

D dare curaret. Adjiciens quid sibi de hominibus suis acciderit, quos secum super Ligerim habuit, monens et confortans in Domino, ne commoneatur leviter pro talibus, quibus illi qui Deum timere nesciunt, commoventur : sed suum bonum nomen, sicut bene cœpit, usque ad finem perducere studeat. Et quia regis animum jam bene cognosceret, qui licet aliqua sit perturbatione commotus, statim ut cum eo locutus fuerit et ei suam devotionem manifestaverit, sicut decet, et sicut rectum est, eum habebit, admonens, ut juxta Apostolum, omnis indignatio auferatur ab eo cum omni malitia (*Ephes.* IV). Quod si fieret, pro eo quod rex nepos ipsius esset, plus pium animum erga eum haberet, pro hoc quod

senior ipsius esset, plus familiarem haberet amicum circa ipsum, etc. Uvello eidem nobili viro, multas gratiarum referens actiones, quod tantam erga se conservasset amicitiam, ut hominem ipsius sine consensu ejusdem recipere noluisset, et quod idem homo se sine causa dimiserit, et sine licentia sua irreverenter abscesserit, quod nemo suorum adhuc alius fecerat, intimans qualiter eum susceperit, et quam benigne nutrierit, multaque illi bona fecerit, qualiterque iste inter seniorem suum et regem missus ad ipsum, inconvenienter egerit. Petit autem, ut nullatenus eum recipiat, antequam secum loquatur, et sciat si rectam contra se idem homo rationem habeat, adjiciens non id se de illo ideo replicare, ut aliquid exinde illius teneat, sed ne ille contra justitiam recipiens hunc, in Deum peccet, et ut se amicum ipsius ostendat, præsertim cum salva amicitia, per ejus licentiam illum habere poterit. Folconi comiti palatii regis, pro quodam presbytero parochiæ Suessonicæ, qui relicto ecclesiastico ad civile judicium proclamaverat super accusatore suo, qui probaturum se promiserat esse ipsum adversus eumdem presbyterum probandum. Mandat autem huic comiti, ne in hac se causa commisceat, antequam ab eo tractetur an id rationabiliter fieri debeat, quia de presbyteri et Ecclesiæ causa ad episcopos et ad synodum diffinitio pertinet, non ad malli vel civilium judicum dispositionem, etc. Maioni illustri comiti, gratiarum referens actiones pro benignitate et sollicitudine, quam domno Theoderico Camaracensi præsuli, viro sancto, et ecclesiæ ipsius exhibere curabat, petitque ut si in eorum diebus idem Dei servus ad communem Dominum transiret, pro electione canonica clero et plebi ecclesiæ ipsius apud Lotharium imperatorem satageret.

De pace quoque procuranda inter reges, unde sibi scripserat, rescribit, quia semper eam desideraverit, et ut inviolata inter eos maneret, prout potuit, commonere curaverit, et quantum Deo cooperante valuerit, inde laborare curabit. Rorico Normanno ad fidem Christi converso, ut in Dei voluntate, et mandatorum illius observatione proficiat, sicut et eum velle se facere per multos audiebat, et ut nemo ei persuadere valeat, quo contra Christianos paganis aut consilium, aut adjutorium præstet, quia nihil ei proderit baptismum Christianitatis accepisse, si contra Christianos vel per se, aut per alios quoscunque perversa, vel adversa fuerit machinatus, et cætera, quæ prosequitur, episcopaliter admonens, quatenus in tali sit conversatione perfectior. Monens etiam, ut Baldoinum a Dei Spiritu, quo canones sancti sunt conditi, per episcopalem auctoritatem propter illam regis filiam, quam in raptu furatus fuerat, anathematizatum, nullo modo recipiat, neque solatium, vel refugium aliquod apud se habere permittat, ne illius peccati et excommunicationis involvatur tam ipse, quam sui, neque damnentur: sed talem se exhibere procuret, quatenus et orationes sanctorum prodesse valeant. Lallardo illustri viro, pro his quæ de ipso audiebat et animæ illius periculum pertinentia, præcipue de quodam presbytero, quem contra leges de ecclesia ejecerat, et alterum ibi constituerat, efficaciter et episcopaliter monens, ut a talibus se præsumptionibus compescat, quia si non fecerit, ipse quod sacræ leges præcipiunt facturus sit in eum, et per omnia regna episcopos usque ad papam Romanum, eum esse mandabit excommunicatum. Presbyterum vero advenam, quem miserat in eadem ecclesia, ab omni Remensi parochia excommunicatum esse designat. Item vocans eum dilectum filium, et ideo sic eum vocare se dicens, ut talem se faciat, quatenus in ejus dilectione recte manere possit, vel, ut item possit exoptat. Sed audiens eum non talem se exhibere, qualem deberet [*l*. deceret] erga Remensem ecclesiam, de qua multa bona habebat, ut famulos ipsius ecclesiæ inquietans cum pace non sineret degere, mandat illi ex auctoritate Dei et sanctæ Mariæ, et sancti Remigii, et sua episcopali, necnon ex banno regis, cujus missus ipse pontifex erat, ut nullum impedimentum, vel ipse, vel homines sui hominibus Remensis ecclesiæ faciant, nec per aliquod ingenium vel per consensum suum: sed si quid rationabile quærere vult contra potestatem Remensis ecclesiæ per legem quærat. Quia si aliter fecerit, tam per episcopalem auctoritatem, quam per missaticum regis, quod inde rectum fuerit sustinebit. Excommunicat etiam quemdam diaconum ipsius, qui adversabatur famulis sancti Remigii, etc. Theodulfo [*l*. Theudulfo] comiti, pro præsumptione ecclesiastici ministerii, quia defuncto quodam presbytero abstulerat quæ idem presbyter in eleemosyna pro se dari præceperat, et insuper usurpaverat quæ ad ipsam ecclesiam rite relicta fuerant.

Ostendit ergo manifeste quam maximum crimen sacrilegii commissum sit ab eo, sed et quomodo contra humanas egerit leges, et quid inde fieri debeat, et qualiter ecclesiæ in potestate et ordinatione sunt episcopi secundum sacros canones, et imperialia capitula. Unde monet eum, ut juxta sacras auctoritates, et regum præcepta, quidquid de facultatibus ipsius ecclesiæ acceperat præsentialiter ecclesiæ reddat, et presbyteros, quibus res commendatæ fuerant, restituat, deinde ad se veniat, ut inde medicinam accipiat, qualiter sanus fiat, dans illi spatium septem dierum postquam litteras ipsas acceperit, ut octavo die ad se veniat, quo vel si non est ita, defensionis rationem reddat, vel si est ita, congruam satisfactionem agat: quod si non fecerit, exemplar istarum litterarum ipse regi transmittet, ut ille suum inde ministerium faciat, et postea idem præsul suum exinde perficiet. Et quoniam audierat quod ipsam cuidam idem comes denominato pretio vendere pararet, suggerit: « Propterea sciens, inquiens, quia si vel unum denarium tibi aliquis clericus pro ipsa ecclesia, vel pro alia aliqua in mea parochia, per se, aut per hominem pretium dederit, presbyter ordinatus in ea non erit. Si autem vis ibi habere presbyterum, adduc mihi talem clericum, qui aptus sit sacro mi-

nisterio, et ego illum inquiram, et illi ecclesiam dabo, et tunc illum ordinabo, si mihi talis clericus satisfactionem fecerit, quod nullum pretium inde donaverit. Et si tu ita facere non volueris, ego ordinabo, qualiter populus ibi officium habeat, usque dum ibi ordinem presbyterum. Cui si aliquod impedimentum contra divinas et humanas leges feceris, et manifestum fuerit, presbyter ibi permanebit, et tu et omnes qui tibi consenserint, ab omni Christianitate usque ad satisfactionem eritis separati. Hæc, chare fili, ideo mando tibi et taliter commoneo, quia salvum et honoratum te cupio, et inter filios ecclesiæ te in loco filii habere volo. Et si me coegeris, ut sicut Dominus dicit in Evangelio, sis velut ethnicus et publicanus (*Matth.* XVIII), non mihi, sed tibi reputare debetis. Postquam istas litteras dictavi, dictum est mihi quod matricularios a ministro meo constitutos de illa matricula ejecisti, et ibi Bovarium [*i.*, Bonarium] misisti, et pro illa matricula in pretio unum asinum accepisti. Quod si ita est, non solum criminaliter fecisti, quia contra omnes leges ecclesiasticum ministerium homo laicus usurpasti, et eleemosynam, id est misericordiam pauperum, ac per hoc Deum, qui misericordia miserorum est, sicut Judas proditor, vendidisti. Sed etiam turpiter in hoc nimis fecisti, ut de mendicitate, de qua mendici vivere debent, comes et honoratus regis consiliarius in pretio asinum accepisti, et omnes qui hæc audiunt pensare possunt qualiter de aliis causis pro amore et timore Dei, et reverentia tui ministerii juste et recte facis, qui de tali miseria sine ulla verecundia turpe lucrum requiris. »

Anselmo illustri viro, pro quodam presbytero, quem apud se accusaverat, sed ad denominatum placitum non venerat, significans purificasse hunc presbyterum canonice seipsum a crimine coram missis ipsius Anselmi, in conspectu plurimorum tam clericorum quam laicorum, non tamen misisse, quia nec debuerit, in sacramentum plures sacerdotes ipsius testes. Hortatur autem et monet, ut omnem rancorem, quem contra præfatum presbyterum habebat, a corde suo expelleret, ostendens quantum malum sit odium retinere in corde. Interdicit etiam auctoritate Dei et sanctorum ejus, ut eidem presbytero nullum præjudicium vel machinationem inferat, quia si fecerit, ipse inde suum ministerium faciet. Precatur etiam ut justitiam Deo, sibique faciat de hominibus suis, qui presbyteris quibusdam testibus præmissi presbyteri ausi sunt injurias intulisse, quia si non fecerit, et de ipsis quoque suum facturus sit ministerium. Bernardo comiti Tolosano propinquo suo, pro rebus Remensis ecclesiæ in Aquitania conjacentibus, quas ille in præstariam sibi concedi petebat, quod idem præsul se facturum negat, quia non audeat, propter testamentum sancti Remigii, quod id omnino fieri prohibuerit. Unde alteri quoque Bernardo comiti Rodomensi [*i.* Rodonensi] scribit ut loquatur cum hoc Bernardo, ne res easdem suis hominibus in beneficium donet, ut eum fecisse audierat, et de inquisitione harum rerum, si rex juberet, per ipsum agenda. Item præfato Bernardo Tolosano pro eisdem rebus, adjurat illum per Deum omnipotentem Dominum Jesum Christum, et per ejus Genitricem, sanctumque Remigium, ut nihil inde præsumat, nec ullum impedimentum mancipiis in iisdem consistentibus faciat; neque Bernardo comiti Arvernico, cui easdem commiserat ad defendendum, inde molestiam ingerat, quia si fecerit, eum a liminibus sanctæ ecclesiæ, et a communione fidelium cum plenitudine episcoporum, tam Aquitaniæ, quam aliorum regnorum segregabit; item, admonens eum pro eadem re, ut conciliet sibi amicitiam sanctæ Mariæ et sancti Remigii de præfatis rebus, ostendens ex sacris auctoritatibus, quantum periculum sit res sacras injuste retinere, caveatque ne ecclesiasticum judicium proinde mereatur in hoc sæculo, et æternam perditionem in futuro; item, quia præjudicium, et non modicum damnum Remensi faciebat ecclesiæ, ostendit eum prædamnatum a sacris canonibus sanctorum judicio, et a se cæterisque præsulibus, quorum res ecclesiasticas usurpabat; legationem pro hoc præjudicio directam, et tunc iterum cum imperatore ad papam Romanum dirigendam, quatenus ejus auctoritate congregata synodus, eum, cæterosque rerum ecclesiasticarum pervasores damnationis sententia percellat. Ideo secundum evangelicam auctoritatem prius eum episcopali auctoritate commonet (*Matth.* XVIII), atque per crucem Christi et sanguinem ipsius interdicit, ne de rebus ecclesiæ Remensis sibi præsumat, neque a quocunque, nisi ad ipsarum rerum contra pervasores defensionem, præsumi consentiat.

Engelramno, Goslino, et Adalelmo comitibus scribit (*supra*, c. 18), mittens eis cum litteris suis litterarum regis exemplar, in quibus continebatur, ut episcopos convocaret et laicos fideles regis, ad prohibendum vel resistendum Karlomanno diacono regis filio, qui insurrexerat contra patrem suum, in quibus litteris, quærens quid eis super hoc regis sit agendo præcepto, designat non esse Karlomannum suæ provinciæ, utpote qui sit ordinatus ab Hildegario Meldensi episcopo, et secundum canones non possit aliquid disponere de illo. Episcopus quoque de alia provincia convocandi potestatem non habeat, sed neque suffraganeos suæ sedis tunc tempus habeatur convocandi, cum dies instet natalis Domini; et licet episcopi conveniant, et Karlomanno suas parochias interdicant, non sibi videtur ut pro eo quod cœpit dimittat; si alia potestas illi non contradicat. Considerandum vero monet rationabiliter, quid juxta mandatum regis super hac re sit agendum, ne malum majus accrescat, significans qualiter conveniendum, et alios eis sit convocandum deinsque consilium ut idem Karlomannus adversum se non provocet Deum et patrem suum episcopos quoque regni hujus, et populum ad iracundiam contra se, ne et in animo, et in corpore, tam ipse, quam illi qui eum secuti fuerunt, pereant. Ipse vero præsul et hi comites mittant ad regem, ut eum faciant, prout

melius potuerint, illi placuissent; seu autem aliter eis videtur, sibi remandent, et cætera. Item eisdem pro hac ipsa re, designans Hlotarii sibi videri fuisse consilium, quia non commoverunt populum antequam simul loquerentur, considerantes si quid boni possent invenire cum Karlomanno, credens quia suum et ipsorum debeat obaudire consilium, etc. Item Karlomanno, Goslino, et Conrado, pro jussione regis quæ mandaverat, ut ipse Præsul cum cæteris fidelibus regis conveniret ad mandatum regis audiendum, et Karlomanni dominationem, designans ubi et qua die vel hora simul convenire debeant, et ut Karlomannus Goslinum et Conradum ad ipsos mittat, vel ipse Karlomannus, si placuerit ei, ad eosdem veniat, ut missaticum regis simul cum ipsis audiat, et ibi pariter considerarent, qualiter ei ad salvationem et honorem suum de cætero sit. Gundum Hardoino comiti, pro causis supradictis de Karlomanno, quomodo tunc res se haberet; et quia [illegible] se audierant, et cum Karlomanno locuti fuerant, eique suaserunt, ut patienter in hoc regno degeret, ac veniente patre cum ipso se devium purgaret. Sed quia regem citius quam sperabatur audierit advenire, quid idem Karlomannus tunc facturus esset se nescire fatetur. Monet tamen ut præparatus sit ipse comes ad mandata regis, si qua jusserit, exsequenda.

Item pro quibusdam malefactoribus hominibus cujusdam Wiperti, qui rapinas, incendia, et homicidia, et alia mala faciebant, commonens eumdem Hardoinum, ut cum fratre suo Hadebolda decertet, quatenus hæc mala legitime emendentur, et essent, ne ipsi, qui missi regis erant in hoc regno, pro talibus offensam illius incurrant; quod ipse quoque certaret agere, nisi corporali detineretur infirmitate. Itemque et cum Gaulfrido Grimulfo regis fideli loquatur, qui hos malefactores recipere ferebatur, et ostenderet illi quantum periculum suum in eos suscipiendo faceret, admonens ut a talibus deinceps se custodiret. Item de his quibus significaverat se accusatum apud regem, et quia non [i. omni] non expresse litteris eamdem intimaverat occasionem, mandat ut ad se missum fidelem et rationalem dirigat, per quem rei veritatem diligentius agnoscere possit, et ei sanum consilium dare, et ipsum inde in rebus pro viribus adjuvare. Maingando [i. Maingaudo] cuidam amico suo, pro rebus sancti Remigii in Vosago conjacentibus, de quibus quidam homines quoddam mansionile calumniantur auferre.

Unde jam missi regis Ludovici requisierant, et invenerant quod Remensis ecclesia juste illud teneret, et manifestum esset, quia nullus illarum rerum, quas ibi sanctus Remigius comparavit, nullo modo aliquid haberet nisi Remensis ecclesia. Unde precatur idem, ut eas res ipsas evindicare quanto poterat ad partem hujus ecclesiæ faciat; sin autem, vel differat ne [illegible] aut addiceantur alteri [illegible], donec ipse et Luitbertus archiepiscopus simul veniant, et secundum legem

A per ecclesiæ advocatum res rite diffiniatur, etc. Item pro eadem re, exhortans et petens, ut de ipsis rebus majorem curam adhibeat, etc. Erluino amico etiam suo, pro præfatis rebus et mansionili quo supra. Item gratiarum referens actiones pro auxilio quod impendebat præmissis rebus et mancipiis, precans ut quod bene cœpit perficiat, et ut monasteria servorum Dei plenam de præfatis rebus habere possint, adjutorium præbeat, et ut quædam mansa, quæ ab ipsa potestate injuste auferebantur, juste revocarentur, solatium adhibeat: mittens ei dona in auro et argento, et obsequium dignum tam spiritale quam temporale promittens. Item significans quod audierat, pro eisdem rebus petens ut regi Ludovico suggerat, quatenus pro redemptione
B animæ suæ res quæ abstractæ sunt, ecclesiæ Remensi restitui faciat, et eas ipsi Erluino commendet, ipseque missum faciat ad inquirendam et peragendam de rebus ipsis justitiam, mittens eidem Erluino quoque vasorum argenteorum munera. Item significans quod audierat quemdam Lantfridum se jactantem, quia impetraverat res præfatas apud imperatorem Karolum, ut haberet ipsas, eodem domno Hincmaro consentiente in beneficium; quod per omnia dicit esse mendacium, nec obtinere posse apud se omnes reges qui sub cœlo sunt, ut illas res unquam ab aliquo teneri consentiat, propter allegationes, quas sanctus Remigius in testamento suo disposuit.

Odalrico illustri comiti et amico suo, pro
C causa suorum hominum quorum res Ludovicus rex Transrhenensis domnus hujus Odalrici male tractabat, injuste agens contra ipsos: monetque ut inde judicium Dei regum regis timeat, et quod injuste egit emendare procuret. Et quod audierat idem rex suasisse domnum Hincmarum regi suo, ut proprietates auferret, quas fideles Ludovici in regno ipsius possidebant, et ideo abstulisse ab hujus fidelibus proprietates ipsorum, dicit non decuisse regem de catholico et fideli suo episcopo talia credere, antequam veritatem inde cognosceret, et quia contradixerit etiam consiliariis regis, qui seniorem suum id hortati sunt agere. Ostenditque qualiter Karlomannus rex frater Karoli magni, villam Noviliacum sancto Remigio tradiderat, et qualiter dein-
D ceps usque ad id temporis eadem villa tractata fuerit, et quia de honoris et animæ periculo ei res agebatur, si fraudem rerum ecclesiæ sibi commissæ consentiret, et periculum senioris sui regis illi [illegible], qui nec etiam pro toto mundo suum gradum et suam animam perdere vellet, et cætera.

Item gratias agens de his quæ pro petitione ipsius erga fideles ejusdem domini executus fuerat, et quia in ejus dilectione manebat, petens ut deinceps idem agere non desinat. Bertranno illustri comiti Tardonensis pagi propinquo suo, pro sacramento regi agendo, qualiter regi fidelitatem jurare debuerint, qui in ipsius comitatu consedebant. Item pro loco vacante suo presbytero, ubi sancta Patric[illegible]

requiescit, monens ut quantocius ministris ecclesiasticis clericum sacro ministerio aptum ostendat, qui valeat ibi ordinari, sciens pro certo, quia post ordinationem, quæ fieri debebat in proximo, ipsum locum sine presbytero non dimitteret, quia nec cum mercenario, nec sine pastore proprio ipsos homines audebat dimittere ; et si ipse non præsentaverit eum, qui dignus possit inveniri, ille ordinaturus esset qualem meliorem potuisset invenire ; item, pro Haimone fideli suo, quem idem comes ad placitum suum per bannum vocari jusserat, qui rege jubente in ipsius servitium profectus erat. Bosoni illustri comiti, de agenda electione. Silvanectensis episcopi, ostendens quod non sui ministerii quamcunque specialem designare personam, etc. ; item, Bosoni viro inclyto, gratiarum referens actiones pro rebus ecclesiæ Remensis in provincia sitis, quas ut sibi promiserat, tutabatur, monens ut se talem præparet, qualiter orationes ipsius et ecclesiæ sibi commissæ illi proficiant ; idque quod de ipsa periculosum audierat, non tacens, videlicet quod res diversarum ecclesiarum suis hominibus dedisset , unde satis timendum esse denuntiat, ne orationes fidelium Dei pro ipso impediantur a clamoribus sanctorum in cœlis cum Deo regnantium, et cætera.

Coiranno [*i*, Coirando] comiti, propter quemdam hominem ipsius, qui gravia quædam commisisse ferebatur crimina, et quia non audebat ea domnus præsul indiscussa dimittere, precatur hunc propter dilectionem, ut eum ad se venire jubeat discutiendum ab ipso, quia si non fecerit distringetur gravius ab illo tam de ministerio episcopali, quam de missatico regis : Isemberto illustri viro amico suo, precans pro Hincmaro nepote suo, quem miserum appellat, utpote qui pro excessibus suis tam gravia sustinebat petensque ut illum in suis necessitatibus adjuvet; Rainoldo comiti, pro rebus Remensis ecclesiæ, quas receptas se habere significaverat, et de manibus diripientium ereptas : Thenderico illustri comiti, mittens ei nomina suorum in expeditionem, regisque servitium properantium ; item, pro muneribus argenti, quod regi moranti ad Dei servitium in terra per paganos deserta mittebat ; item, pro sollicitudine quam tempore Ludovici regis nuper defuncti susceperat idem Theudericus de filiis ipsius regis ne moleste acciperet, si eum commoneret causa dilectionis, vigilem esse debere apud filios ejusdem regis, ostendens quia non solum grandis præsumptio. sed etiam magnum periculum est, uni soli generalem regni dispositionem tractare, sine consultu et consensu plurimorum, notificans quoque de his quæ sibi mandaverat, qualiter quondam inter reges Ludovicum, Lotharium et Karlomannum fuerit actum, et qualiter tunc sit agendum, subjungens capitula quædam quæ a tribus regibus, Ludovico, Karolo et Lothario simul convenientibus constituta et confirmata fuerunt ; item, pro quodam episcopo religioso, petens ut det ei locum loquendi secum, ut per ipsius interventionem pervenire valeat ad regis præsentiam, et ea quæ rationabiliter postulaverit obtinere, et alia quædam scribit etiam eidem Hugoni etiam filio Lotharii regis, significans se amicos et familiares habuisse patrem et avum ipsius Lotharium imperatorem, et quia salutem ipsius optabat, ideirco quod audierat de periculo ejus, causa dilectionis ei notum faciebat: multos scilicet prædones conspirasse et conspirare secum, ipsoque principe atque auctore innumeras et horrendas fieri deprædationes, aliaque multa scelera perpetrari, quæ omnia in caput ipsius redundarent, ostendens quam horrendum sit pro talibus sceleribus perpetuas pœnas mereri, demonstrans hæc eadem pervenisse ad synodum episcoporum in Neustria gestam (*Syn. in Nustria* an. 877). Insuper etiam quod regni molitur pervasionem, sibique mandatum de præfato conventu, ut ad eum mitteret atque moneret (juxta quod leges præcipiunt) a tantis malis resipiscere, ipsosque malefactores a se disjungere, et a seditione ac regni pervasione se cohibere. Si vero ipsius commonitionem et mandata synodi obaudire non vellet, tam suæ diœceseos, quam de vicinis provinciis episcoporum synodum convocaret, et synodali episcoporum sententia eum, suosque complices atque fautores [*ms.*, factores] excommunicaret. Postea vero omnes hi episcopi eamdem excommunicationem Romano pontifici, et omnibus episcopis ac principibus per circumjacentia regna notam facerent. Unde monet eum tanquam filium, ut recogitet in quanto periculo sit, proponens ei divinarum sententias auctoritatum, ut periculum suum recognoscere possit, hortansque ac monens, ut nulli adulatori credat ad pervasionem regni aggrediendam, inferens ut attendat, quid profuerit patruis ejus, ut contra legem Dei regni pervasionem incœperint, et quod pater ejus pro labore, quo contra Dei voluntatem laboraverat, et vitam perdiderit et regnum . Adjiciens quid leges de pervasoribus regni præcipiant. Subjungens etiam, quod rex eidem promiserit, et ex parte ostenderit, eum se velle honoribus ampliare, et honoratum habere si culpa ipsius non fuerit. Admonens etiam, ut non auscultet hominum pravorum hortamenta neque imitetur malignantes, qui florent ad tempus, et cito sicut fenum arescent, sed obaudiat Scripturam sanctam viridice dicentem : *Exspecta Dominum. et custodi viam ejus* (*Psal.* XXXVI), etc. Subnectens quoque, ut sibi de his certam et veram responsionem remandet. Engilgario cuidam illustri litteras direxit hujusmodi:

« HINCMARUS episcopus ENGILGARIO salutem.

« Pervenit ad nos, quia hominem tuum Rathrannum irrationabiliter et inconvenienter periculosum sacramentum jurare fecisses, qui licet tibi servitium debeat, tamen sub nostra cura et tu et ille de salute vestra esse debetis. Propterea mando tibi quia valde miror te non intellexisse gravius esse periculum, cum hominem aut suadendo, aut terrendo in perjurium mittas, quem si te solus perjurares ; quoniam in te unum perjurium, imo pro perjurio homicidium

perpetrares, cum autem alium perjurare facis, et te et illum perdis. Et ideo mandamus, ut si ita causa habetur, sicut ad nos pervenit, ab ecclesia et altario te abstineas, donec ad nos venias, et de tali incautela aut dignam excusationem facias, aut dignam pœnitentiam suscipias. »

Leudowino amico suo, pro rebus et mancipiis Remensis ecclesiæ in Provincia consistentibus, sæpe litteras direxit. Item Lothario et Hilduardo aliisque in eodem pago degentibus, tam pro ipsis rebus, quam pro animarum salute scripta direxit. Adalardo comiti, pro rapinis quas audiebat ab ejus hominibus fieri in ipsius comitatu, et pro villa Spantia, quam illi commendatam ecclesiæ Remensis auferre disponebat, significans ei, quod si aliquid inde caperet, tam ipsum quam suos excommunicaret, et alienos ab omni Christianitate faceret, atque per suum missaticum, quod in illis partibus fieri debet, qui in suo comitatu injustitiam facerent, coerceri procuraret.

Adalberto illustri comiti, pro injustitia quam audierat eum in suo perpetrasse judicio, exigendo res quasdam interfecti ab eo, qui secundum commendationem ipsius eas in illius eleemosynam distribuerat; perhorrescens quod Christianus et mortalis admittere talia non expaverat, timens Dei futurum judicium. Et ostendit per divinam auctoritatem quam grave perpetraverit flagitium, reducens ad mentis oculos, ne forte mercenarius, non pastor, haberetur; injustitiam videndo et tacendo: et quia missus imperatoris erat, et capitula ipsius pro determinandis adversis et incestuosis habebat. Unde tam eidem comiti, quam omnibus exactoribus atque judicibus, qui in hoc resederant judicio, verbo Dei omnipotentis et banno imperatoris episcopali auctoritate percipit, ut eumdem hominem nullus pro hac re condemnet, aut inquietet, vel contradictionem faciat, donec ipse præsul per seipsum, vel per missos suos hanc causam diligenter inquirat, et secundum leges ecclesiasticas et humanas hoc juste et rationabiliter diffiniat, denuntians quod quisquis hoc contra Dei præceptum præsumpserit agere, primo secundum capitula legalia hoc eum emendare faciat, deinde secundum leges ecclesiasticas illum a communione Christianorum usque ad satisfactionem repellet. Denuntiat etiam, quia quoscunque ad placitum suum venire mandaverit, ut hanc causam diligenter inquirat, et legaliter atque regulariter diffiniat; si venire neglexerint, post tertiam commonitionem, ab omni Christianorum consortio usque ad satisfactionem repellet, nisi rationabilem ostenderint excusationem. Adjiciens de flagellis quæ patiebantur multi, patiebantur multæ, et ostendens quod ideo hæc tam duriter ex Dei verbo imminerent, ut intelligant quanta sit offensa in hac parte contra Dei præceptum, et sacras præsumere Scripturas, admonens ne de peccatis alienis peccata sua accumulent. Sigeberto, pro præsumptione et præjudicio quod egerat pro quadam ecclesia cuidam presbytero, mandatque ei ut hoc præsentialiter emendet, et a talibus levitatibus vel præsumptionibus se caveat, quia si non fecerit, suum de eo ministerium facturus sit, et cæteris episcopis, ut idem faciant, notificabit.

CAPUT XXVII.

Quæ aliquibus reginis scripta miserit.

Irmengardi Augustæ scribens, congratulatur audito religionis ipsius fervore, asserens se in precibus assidua pro ea dependere munia. Item respondens ad litteras, quas ipsa sibi direxerat, significantes intimasse illi quosdam homines, quia per ejusdem episcopi jussionem multa mala fecerint erga res Avennaci (*Avenay*) monasterii, Berthæ ipsius imperatricis filiæ, asseverans quod diabolus per eorum sit ora locutus mendacium, velut est pater mendacii. Si quid vero homines ipsius injuste fecerint in rebus ipsius monasterii, non negat: tamen quia et ignoraverit, et non consenserit, nec voluerit indicat. De quodam præterea manso, quod illa significaverat injuste abstractum a prælato monasterio, asserit quod nulli homini, quantum sibi conscientia testimonium perhibebat, injuste unquam mansum abstulerit, sed apud regem pro eo petierit, et obtinuerit, ut missos suos dirigeret, qui diligentissime hoc inter ecclesiæ Remensis et Avennaci monasterii possessiones æqua lance indagantes, decernerent. Nam ipse qui sua pro Christo dimiserat, nec vellet, nec indigeret, ea tamen quæ sibi commissa erant, sine ratione et lege negligenter dimittere non audebat. Adjiciens esse multa de ipso monasterio, unde ipsius, filiæque suæ indigeret auxilio: petitque ut mittat missum suum strenuum et fidelem cum misso filiæ suæ, qui una secum quæ corrigenda sunt ibidem corrigat, et videat quam intentionem et voluntatem ipse in talibus habeat, ne ipsis et sibi periculum, quod absit, exinde maneat: petitque ut animus ipsius sit semper sollicitus, ne alienæ linguæ facile credat, maxime de sacerdotibus Christi; quoniam diabolus, si non potest in aliud, in hoc vult intentionem ipsius fuscare, ut eam faciat in opinione indebita sacerdotum errare. Denique quod adjecerat ipsa, se pro eo suggessisse animo imperatoris Lotharii, contra ipsum fecisse illi testatur, non ut magnam, et Deo devotam decet facere conjugem. « Ego, inquit, scio quia ei multa de me dicta fuerunt contraria; sed si vult poterit cognoscere non esse vera: tamen eum non audeo reprehendere, quia Dominus est, nec in ejus persona dico, sicut legitur in Scripturis: *Qui libenter audit verba mendacii, ministros quoque habebit impios* (Prov. XXIX). Videlicet qui de piis erga eum voluntarie loquuntur impia. Qui illi ea dixit ex mea parte, quæ mihi mandastis, aliter quam verum sit dixit, male autem interpretatus est bene dicta. Si voluisset cognoscere verum, et aliquis missus mihi de supra veniret, ut vera ex me cognosceret, sicut venit, et me qualemcumque Christi Domini sacerdotem suggillavit, libentissime suo animo satisfacerem. De meo autem misso, sicut dominatio be-

dignissima vestra mandavit, ut ad eum dirigam qui ei hoc affirmet, quod de ejus infidelitate nihil velim tractare, scitis quanta mendacia nunc per istud vadunt sæculum, et quanta sinceritas debeat esse in sacerdote, et quanta merito domino meo velim servare fidelitatem. Et idcirco ne mali interpretes male bonum interpretentur, hoc adhuc facere non possum. Tamen si vult credere domnus meus Lotharius, potest veraciter cognoscere quia non tantum illi, sed nulli homini in mundo sum infidelis, et si vult credere, credat : sin autem, cum ille inter principes, et ego inter episcopos ante regem regum, et episcopum episcoporum venerimus, tunc quid inde verum sit, plenissime sine alicujus indicatione cognoscet, » etc. Berthæ abbatissæ Avannaci monasterii pro impedimentis, quæ fratres ac servientes monasterii Altvidaris, aliarumque villarum Remensis ecclesiæ patiebantur ab hominibus ipsius, postquam in hoc regnum illa devenerat. Unde petit ut diligentiam studiumque adhiberi jubeat, ne tanta et sic insolita præjudicia hæc patiatur ecclesia de ipsius vicinitate, de qua solamen et gaudium pro ipsius bona vita et sobria conversatione habere debebat. Quod si egisset, Deum proinde placabilem sibi faceret, et sanctam Mariam, sanctumque Remigium sibi conciliaret, ab ipso quoque obsequium episcopale haberet. Si vero suos corrigere parvipenderet, ipse licet invitus aures regis inde pulsaret, ut si necesse foret, ut in tantum causa excresceret, ministerium ecclesiasticum, secundum regulas canonicas, in eam, suosque exerceret. Irmintrudi reginæ, pro Belvacensis Ecclesiæ dispositione in pastoris electione, petens ut suggerat regi, ne a quocunque in quamcunque partem animus illius indebite posset inflecti de hujus Ecclesiæ dispositione, donec ipse in ejus servitium veniens, quæ ipsi necessaria fuerint notificans, ipsius juribus pandat ; et sic quæ Deo sint placita, et illis utilia, Domino annuente, disponere procuret. Rotrudi Deo sacratæ, et cæteris sororibus monasterii Sanctæ Crucis, et sanctæ Radegundis, pro electione abbatissæ ipsius monasterii, pro qua rex præceperat Frotario archiepiscopo, et Erardo, atque Angenoldo, ad præfatum monasterium pergere, et electionem regularem ibi facere : et si cuncta concors congregatio, vel pars quamvis minor, tamen melior, Rotrudem elegisset, constitueretur in ordine abbatissæ. Si autem omnis congregatio concors illam abjecisset, et aliam eligeret, illa quam concorditer elegisset, in ordine abbatissæ maneret, donec regi renuntiaretur, et quæcunque ibi fuisset electa, onus abbatissæ susciperet, et Odila ad suum monasterium reverteretur. Primores autem clerici et vassalli ad reginam venirent, sub cujus defensione, post Dei et sanctorum ejus, consistere deberent. « Propterea, inquit, diligite sorores ante omnia : et in privatis collocutionibus, et in publico vestro conventu, remittite et abjicite funditus a cordibus vestris omnes injurias, et scandalorum fomites, quæ hactenus inter vos ortæ fuerunt : ut nulla de sorore sua vindictam, aut pro sermone, aut pro facto, vel pro aliquo despectu quærat, aut a Deo, aut in sæculo. Quia sicut Dominus protestatur, sine concordia quidquid ei obtuleritis non illi placebit : sive enim oraveritis, sive sacrificium obtuleritis, sive vos afflixeritis, sine hac charitatis concordia nihil Deo placabile erit. Quia sicut dicit Apostolus : *Etiamsi tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII). Et scitis, quia regula quam professæ estis (*S. Bened.* cap. 13), propter scandalorum spinas, quæ oriri in monasterio solent, orationem Dominicam in matutinis et vespertinis officiis, ita ut omnes illam audiant, a priore orari præcipit, ut timentes convenientiam, qua dicimus : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, omnem rancorem de corde nostro pellamus. Quæ dum prius egeritis, ne per vestram discordiam, quod absit, regularis electio de vestro monasterio pereat, adunate vos ad Dei voluntatem, et regalis devotionis unanimitatem, vestramque ipsam salutem, præsentem, scilicet atque æternam, cum charitatis concordia, quæ est omnium virtutum mater, et cum humilitate, quæ est custos ipsarum virtutum, atque cum vera obedientia, quæ scala est qua ad cœlum pertingitur, et in vobis salubri electione concordatæ, et vosmetipsas ad regularem normam reducite, et constringite ac conservate ; quia aliter, sicut melius ipsæ scitis, salvæ esse nequaquam valetis. Et sicut animos ab inquietis motibus, ita et linguas a provocativis iracundiæ, vobisque nocivis sermonibus custodite, contestante Apostolo : *Omnis clamor et indignatio auferatur a vobis cum omni malitia, et omnis sermo malus ex ore vestro non procedat* (*Ephes.* IV). Ne sicut solent homines prius dolore commoti, et postea aliquo gaudio, quasi victoriosi, obtinentes quæ desiderant, exhilarati, de quocunque homine, quæ non conveniunt aliqua vestrum dicat ; ne et patientiæ meritum inutilibus sermonibus coram Deo perdatis, et si aliquis fuerit, qui aliqua provocatione quamcunque vestrum ad hoc instigare voluerit, ut quæcunque indebita de quocunque proferat, qualiter illam comprehendere possit, ut rationabiliter damnare prævaleat, locum nec diabolus, nec astutus homo exinde aliquo modo habeat : sed tales vos exhibete, ut interius exteriusque decenter ornatæ dignas atque exaudibiles orationes, et pro vobis, et pro seniore ac domina vestra [*ms.*, nostra], proque non solum amicis vestris, verum etiam et pro inimicis, ad aures Dei mittere valeatis. »

Teuthergæ abbatissæ pro ordinatione Avennaci monasterii, quam ipse quondam cum Irmintrude regina disposuerat, de numero clericorum et nonnarum atque de rebus villarum ipsius monasterii, videlicet mille centum quinquaginta mansis ; significans se disposuisse 20 clericos et 40 nonnas ibidem consistere posse, victumque eis providisse, et res necessarias ac ministeriales instituisse, præter luminaria, et cætera monasterii necessaria, ostendens

quod Nivardus Remorum archiepiscopus de rebus Remensis Ecclesiæ monasterium Altivillarense construxerit, et frater ipsius de suis proprietatibus, et quæ alii boni homines ad eumdem locum dederunt. Avenniacum exstruxerit monasterium, quodque ad Ecclesiam Remensem tradiderit, unde et chartæ habebantur id aperte pandentes; sed per regium donum, sicut et aliæ res hujus Ecclesiæ, ab externis a longo retro tenebatur tempore, etc. Richildi reginæ, significans quod quando nos, quondam Laudunensis parochia episcopo vacans in sua specialiter erat providentia, maleficioque sit de eleemosyna Irmintrudis reginæ per quemdam præpositum Oriniaci monasterii, postea vero huic Richildi per Urifolum presbyterum contra sacras leges male sit alienatum, ut regularis abbatissa de ipso ejiceretur monasterio. Ostendit autem ex auctoritate sacra, quantum inde reginæ periculum habeat, et quia miserit ad eam qui moneret illam hoc evadere malum; illa vero non solum non emendaverit, sed malo pejus superaddiderat, contra divinam auctoritatem, neophytam scilicet in religione novellam provehendo ad regimen propter res terrenas acceptas ab illa. Adjiciens, qualiter Hedenulfo episcopo in Laudunensi Ecclesia ordinato, monuerit illum, ut suggereret regi Karolo tam perniciosum factum dissolvere, et se atque reginam a tanto discrimine liberare. Sed quia quod monuerat perducere ad effectum non valuit, ipse prælatum regem inde commonuerit; sed ille, ne reginam contristaret, quod male factum sciebat, non correxerit. Reducit etiam ad memoriam qualiter prælatus rex petente Irmintrude regina, de rebus tunc suis per consilium Parduli Laudunensis episcopi, privilegium ad idem Oriniacum monasterium a se dictari, et a cæteris episcopis firmari rogaverit, et ipse rex confirmaverit. Hic autem prælatæ jussioni regis obediens, non suis verbis illud privilegium composuerit; sed sicut beatus Gregorius papa de quodam monasterio a quadam regina ædificato, ipsa petente, dictaverat, et ipse quoque dictaverit vel transtulerit, repetens maledictionem, quam domnus idem Gregorius (*lib.* II, *epist.* 10) contra præsumptorem illius monasterii prolocutus sit: adjiciensque, quod illa, quandiu in hac præsumptione et malefacto permanserit, quotiescumque corpus et sanguinem Domini accipere præsumeret, judicium, id est, damnationem sibi accipiet; obsecratque monens illam, ut non sensus ipsius, aut alicujus suggestio eam decipiat, sed de remedio regis animæ, et de redemptione sua cogitet, et quod male actum est corrigere festinet. Illud etiam quod audierat illam perpetrasse, scilicet quia prælatum privilegium, et præceptum regale de ipso monasterio abstulerat, quantum malum fecerat pandit, et hoc ideo, ut se corrigat, ne damnationem incurrat. Et quia si res, ut audierat, et maxime de præmissa muliere neophyta acceperat pro committendo regimine monasterii, simoniacam hæresim incurrerit: et quod quandiu eadem hæresi quisque laverit, in corpore unitatis Ecclesiæ catholicæ coram oculis Domini esse nequibit; monens ut legat capitula regulæ sancti Benedicti (*cap.* 64) de ordinatione abbatis, vel abbatissæ, et inveniat, quam graviter pro hac ordinatione in Spiritum sanctum, quo ipsa regula est promulgata, peccaverit; ex divinis institutionibus propalans, quantum periculosum malum, tam ipsa regina, quam emptrix illa subierint: petens, ut quæ ille ex debito ministerii sui cum gemitu scribit, pro salute ipsius, et remedio animæ regis, benigne suscipiat, et quia magna ex fidelitate hæc scribere curaverit, agnoscat. Leutgardi Ludovici Transrhenensis conjugi, pro suis missis, quos ad eumdem Ludovicum regem mittebat, ut per ejus interventionem ad illius præsentiam pervenirent, et ejus intercessione ac dispositione rex idem strenuos missos ad Remensem dirigeret urbem, qui eam, et monasteria sibi subjecta salvare possent ab impetu supervenientis exercitus Transrhenensis. Irmingardi conjugi Bosonis inclyti viri, pro rebus Ecclesiarum Dei, quam audierat sufficienter litteris sacris imbutam ab Anastasio quodam didascalo. Unde petit, ut qui eam dedit scire, det bonum velle, et posse, atque perficere. Monens ut hortetur virum suum timere Deum, et ejus custodire mandata. De rebus etiam ecclesiasticis, quas sicut audierat ab ecclesiis abstractas suis hominibus diviserat, ut ostendat illi ex Scripturis sanctis quam grave judicium proinde sit a Deo prolatum, et cætera. Item Berthæ uxori Gerardi comitis pro rebus Ecclesiæ sibi commissæ in Provincia sitis, quas eidem Gerardo tuendas atque ordinandas commiserat: petens ut ipsa strenua sit interventrix apud conjugem suum pro rebus eisdem. Irminsindæ cuidam matronæ, pro quodam diacono, quem illa comprehendi jusserat et in servitium suum redigi, reddens rationem qualiter idem diaconus liber legitime factus fuerat, et quomodo ejus recipiens libertatem diaconum licenter ordinaverat: ostendens, quod si servus ipsius fuisset, neque libertatem habuisset, et tanto tempore post ordinationem suam sine illius repetitione mansisset, secundum sacras leges jam in servitium repeti non posset; quanto minus ille qui colonus ecclesiasticus, et non alicujus fuerat, et legaliter liber factus, canonice ordinatus, et Ecclesiæ, atque ordinatori suo proprius erat effectus, monetque ut talem præsumptionem ulterius de ipso non audiat, quia si hoc illa præsumeret, ipse hoc legaliter atque regulariter vindicare studeret, adjiciens illam se taliter commonere, quia charam familiaritatem ipsam habebat.

CAPUT XXVIII.

Quæ sibi subjectis monita salutis ediderit.

Sibi quoque subjectis nonnulla salutis scribens, ut pater filios, de multis solerter instruit necessariis, tam spiritualibus quam temporalibus. Richaldo chorepiscopo, et Rodoaldo archipresbytero, pro synodo comprovinciali apud Catalaunis (*supra, cap.* 21) palatium regium habenda: mandans ut notum faciant omnibus per omnem parochiam Remensem, ut qui se

læso existimant, ad ipsam synodum convenire procurent, quosdam vero cum auctoritate invitent, et venire commoneant. Sed et Milonem cum filia sua, qua Fulcricus abusus fuerat, et omnes qui consentanei fuerunt in illa indebita conjunctione presbyteri, et in quorum parochiis consistebant, ex verbo Dei, et suo, atque ex banno regis ad eamdem synodum convenire jubeant. Ansoldo Gerolo, et Hadrico, pro inquisitione cujusdam fratris Ragamfredi ministerialis sui, et ut, si necesse esset, libera, salvaque custodia detineretur, ne aufugeret, sibique adduceretur Mandans etiam eidem Ragamfredo, ex auctoritate Dei ac sua præcipiendo, ut cum ipsis in eadem permaneat inquisitione Cui etiam postquam recesserat, in alienis parochiis immoranti litteras mittit, revocans eum auctoritate canonica, ut ad metropolim suam redeat, et ejus se humilitati repræsentet; vel si de ipsius judicio quæritur, synodo regulari adesse festinet. Gisloldo canonicorum præposito, pro facultatibus sibi commissis, et indebite usurpatis, qui pro hac re irregulariter ab ipso discesserat, monetque auctoritate canonica, ut redeat, et de his, quæ illi opponebantur, satisfacere studeat. Theodacro quoque præposito, pro eodem Gissaldo, pro quo Irmintrudis regina precabatur, ut partem collaborationis suæ, quæ rationabiliter ei competebat, dari juberet; si qua vero illi debebantur in hoc episcopio, eidem redderentur: quod et idem episcopus fieri jubet, et quia dixerat se missaticum habere ex parte reginæ ad canonicos, mandat ut si venerit ad eos, sicut missus reginæ venerabiliter suscipiatur. Gerardo decano, pro quodam Radulfo excommunicato, qui ad se venerat petens pœnitentiam. Cui præcipit ut Remis eamdem accepturus, veniret cum femina sanctimoniali, quam sibi conjunxerat. Jubet autem huic presbytero, ut commendet aliis presbyteris, quatenus magnam sollicitudinem de illis accipiant, quatenus scilicet, si quilibet eorum infirmitate præventus fuerit, de qua se putet evadere non posse, si promiserit, quia de peccato suo ex corde pœniteat, et per dignos pœnitentiæ fructus illud se coram testibus emendare, ac episcopi jussioni obedire profiteatur, absolutus existat. Sigloardo archipresbytero, Ansoldo quoque, et cæteris quibusdam, quos inquisitionem facere de quodam presbytero jusserat: quibus hunc ordinem in eadem inquisitione tenere præcipit, ut quoniam, audierat eumdem presbyterum suis quibusdam facultatibus contra leges exspoliatum, suis omnibus revestiretur, antequam suis accusatoribus respondere cogeretur, ne contra legem fieret, et ipse præsul a presbytero legem tollendo, eamdem quoque sibi auferret; præcipiens etiam, ut si comes ipse presbyterorum rebus exspoliari jusserat, hoc illi emendare per vadium faciat, disponens qualiter inde fiat. Si vero ipse comes hoc fieri negavit [*i*, non rogavit], ipsi qui ab eo res suas abstulerunt, eidem presbytero legibus emendent, de pœnitentia illorum ipse præsul dispositurus secundum illorum recognitionem. Quod si comes ita facere noluerit, renuntiet illi, ut ipse hoc indicet regi. Postquam hæc acta fuerint, ita rationem hujus aggrediantur judicii, ut provideant ne per ignorantiam accusatores ipsius presbyteri vel testes aliquo impulsu præsumant, unde damnari possint, sicut provideri debet, ne presbyter injuste damnetur. Post hæc adjurent accusatores vel testes eorum in illorum baptisma, et aliis diversis adjurationibus, ne odio, vel invidia aut timore alicujus, vel hortamento de ipso presbytero mendacium proferant, nec pro gratia, vel amore, aut præmio inde veritatem reticeant. Notificetur etiam eisdem accusatoribus et testibus, quales personas ad accusationem presbyteri, vel ad testimonium super eum sacri canones recipi non permittunt, et qualiter discuti debeant et accusatores et testes. Omnia vero quæ accusatores vel testes de singulis causis testificati fuerint, describantur, et coram omnibus legantur, ut ita fuisse dicta comprobentur Describantur quoque omnes qui in hoc placito fuerint, tam de presbyteris quam de laicis, prout necessitas esse visa fuerit. Et ut accusatores suam præsentiam, testes vero juramentum jure polliceantur se daturos in proximo placito, quod canones presbytero donent ad licentiam se defendendi vel respondendi. Quod placitum eidem presbytero denuntietur ad triginta dies, ut ita præparatus veniat, quo se vel canonice purificet, vel concredat. Quod si non fecerit, canonicam se suscepturum sententiam sciat. Mittant quoque bannum, Dei et sacrorum canonum auctoritate, regisque ac præsulis interdictione, ut nemo ipsi presbytero ullas insidias præparet, aut aliquam violenciam faciat; sed nec ejus accusatoribus vel testibus, donec ista causa legalem diffinitionem accipiat, præcipiens etiam quod fieri deberet de illis hominibus, qui altera vice, quando ipse presbyter fuerit accusatus, juraverunt, et suum sacramentum judicio approbaverunt, tuuc autem se perjurasse dicebant. De terra quoque Ecclesiæ pertinenti, unde contentio ventilabatur inter comitem et presbyterum, quia fieri deberet, et ut his quæ mandabat comes, obediret: aut si nollet, proinde ad placitum coram rege et fideiibus ipsius, tam episcopis, quam laicis veniret. Quod si presbyter aliis obedientibus obedire nollet, ad synodum comprovincialem canonice provocaretur. Item Sigloardo et Ansoldo, pro eadem inquisitione, succensens eos, quod negligenter illam sint exsecuti, et cætera. Item pro quodam presbytero, qui ea, quæ de suo ministerio quondam didicerat, post ordinationem suam per incuriam fuerat oblitus, unde jusserat eum aliquandiu sub custodia reclusum servari, ut saltem per hoc amaritudo aliqua mentem illius tangeret, et a peccato purgaret, et cætera. Item pro jejunio triduano, quod rex cum episcopis et cæteris fidelibus suis disposuerat fieri pro pace sanctæ Dei Ecclesiæ, qualiter fieri dederet. Item pro quodam presbytero Avennaci monasterii, qui denotabatur super thesauro ipsius ecclesiæ dudum perdito. Item Si

gicardo et Rodoldo, pro quodam presbytero, cui consenserat, suadente Sigloardo, ut libello suæ professionis a regimine plebis sibi commissæ recederet se alienum, et alium in suo loco expeteret ordinandum; sed calliditate quod habebat factum sibi celaverat, videlicet ut alumnus ejus sine consensu senioris sui, in loco ipsius ordinaretur; et quia veniam revallare dolose fecerat, ut eumdem suum alumnum, contra episcopale interdictum, et cætera quid inde fieri deberet exsequenda. Item Sigloardo, pro presbytero ecclesiæ sancti Juliani, qui furatus fuerat lampadem sancti Remigii, unde valde redarguit istum, quia id factum comperierat, et solo tenuerat, cum idem parvol vices suas eidem Sigloardo, teste Domino, commendaverit, qui eumdem presbyterum in artissima custodia debuerat retrudere, non per fidejussores dimittere: quod quia prius non fecerat, vel nunc faciat. Carere quoque fratribus a vicedomino restituatur, et custodes, si necesse fuerit, adhibeantur. Item Rodoldo, succensens eum pro eo quod inconsulte solverit quod ipse præsul canonice alligarat, et alias presbyteros missam celebrare permiserit in quadam capella basilicæ curtis ecclesiæ subjecta, præcipitque quid inde fieri debeat. Anselmo [i, Anselmo] cuidam monacho, præcipiens ut describat omnia, quæ in monasterio, ut videtur, Altivillarensi, ante ipsius præsulis ordinationem facta, vel collata fuerunt, et quæque postea: numerum quoque fratrum ac famulorum ibi servientium, et si qua exinde suo tempore dispensata fuerint, et in quos usus, vel per quas personas, et ita veraciter omnia describantur, ut missi dominici nihil ibi falsum possint invenire. Ratramno præposito monasterii Orbacensis similiter. Item Ratramno pro quadam præstaria, quam Amalræus canonicus habuit, et ipsius obitum collaborationem ejus idem præpositus diripi jusserat. Quapropter excommunicat eum, in pane et aqua constituens, tam ipsum quam complices ejus in hoc facto, donec restituantur hæc quæ injuste abstulerant. Milhario [ms., Melano] cuidam sacerdoti vel decano, pro presbytero de Ecclesia Vindonissæ, quem Leutardus senior ipsius villæ legem et omnem auctoritatem de ipsa expulerat Ecclesia, et altero presbytero ex alio episcopatu eamdem Ecclesiam commiserat. Quem presbyterum superadictum excommunicat, ne in omni Remensi parochia missam celebrare præsumat, neque communionem ecclesiasticam accipiat, nisi forte munus viaticum, gravis ægritudinis causa, et hoc ita, ut mox si convaluerit, de parochia ista recedat. Parochianis autem Ecclesiæ præsulis auctoritate Dei præcipi jubet, ut nullius presbyteri missam in eadem ecclesia audiant, nisi illius injuste expulsi presbyteri, donec ipsius causa diffiniatur, nisi forte idem presbyter pro infirmitate eis missam celebrare non potuerit, et cætera. Altmanno monacho, atque presbytero, quem procul obedientiæ causa direxerat, pro his, quæ invenerat in quibusdam

A litteris sibi per hominem quemdam Harduici archiepiscopi datis: scilicet reputari eidem Altmanno, separare velle ad Bezeliam, et negotia secularia, quæ non convenirent ejus professioni et saluti. Unde præcepit, ut quantocius ad monasterium suum redeat, ubi lectioni et orationi, deflendo delicta suæ juventutis, vacare procuret, et cætera. Lantardo cuidam sacerdoti, qui de parochia Remensi Ebonis episcopi causa discesserat, quem petit, ut si qua, prout audierat, de vita et actionibus beati Remigii apud eumdem habebantur conscripta, præter illa quæ ex antiquo de Ecclesia Remensi legebantur, ea quantocius, aut ipse sibi afferat, aut sub sigillo transmittat, offerens se postea eidem in quibuscunque indiguerit promptum, et prodesse paratum.

B Si vero ad locum suum redire voluerit, eum libenter atque benigne recipere, et mox ut venerit, canonicam præbendam, et ordinem pristinum inter fratres concedere, et secundum quod sibi commodum, et illi opportunum fuerit solatium, ut eum apud se manere delectet, impendere: pandens rationem, unde ille metuere ferebatur, quare senecet ipse ordinatos ab Ebone post suam depositionem, a gradibus acceptis removerit, et qualiter post modum sententiam suam temperaverit. Rodoardo præposito, et cæteris fratribus canonicis Ecclesiæ Remensis, pro receptione Odalhardi et Waltarii nepotum Isaac episcopi Lingonensis, qui ab ipsa congregatione irregulariter discesserant, præcipitque quo modo recipi, et qualiter haberi vel conservari

C debeant: quibus etiam pro reversione ipsorum commonitorias direxerat litteras. Pro receptione quoque Adalgaudi [ms., Addagaudi] diaconi tam canonicis, quam monachis scribit, ostendens eum qui se recognoverat per suam negligentiam ipsius offendisse animum, se in gremio suæ dilectionis, et paternitatis recepisse, quemque benigne ac familiariter fratrem, et filium suscipi, et benignitatis ei beneficia jubet impendi. Pro quo rex etiam Ludovicus precatorias ei per eumdem direxerat. Rotfrido præposito, pro correctione [i, correptione] Odelcalci monachi, quem audierat inobedientem existere, et duris moribus, suæque voluntatis esse pertinacem, dans exempla sacræ auctoritatis, quæ illi legerentur,

D ut se corrigeret. Gontario et Odelhardo archipresbyteris, commonitorium ministerio ipsorum aptum describit in capitulis tredecim. Gontramno [i, Guntramne] præposito, pro famulis monasterii sibi commissi, qui suas terrulas, et debita sibi stipendia querebantur auferri ab eo, quod emendari secundum quod justum fuerit, jubet. Gothescalco monacho, qui erat prolapsus in hæresim, de quibusdam sententiis auctorum, quas ille non bene intelligebat, vel exponebat, maxime Prosperi, quarum sensum per sententias præcipue beati Augustini exponit, et cæteros idoneos proponit testes apostolicæ fidei doctores: quorum sequendam in omnibus admonet esse doctrinam, ostenditque testimoniis manifestis, Deum et bona præscire et mala, sed mala

tantum præscire, bona vero et præscire et prædestinare. Unde præscientia esse potest sine prædestinatione : prædestinatio autem non potest esse sine præscientia, et quia bonos præscivit et prædestinavit ad regnum ; malos autem præscivit tantum, non prædestinavit, nec ut perirent sua præscientia compulit. Ubi diffinitioni subscribere idem Gothescalcus pertinacissime recusavit. Scripsit quoque idem domnus Hincmarus ad monachos Altvillarensis cœnobii, pro eodem Gothescalco, ut si se recognosceret, antequam anima illius egrederetur de corpore, et spiritalem et corporalem humanitatem exhiberent illi ostendens auctoritatem ecclesiasticam ex verbis orthodoxorum super hujusmodi excommunicatis. Amalgiso et Ragberto fidelibus suis, pro rebus Ecclesiæ suæ in Aquitania sitis, pro quibus Regimundo litteras miserat deprecans ut eisdem missis suis adjutorium pro rebus ipsis evindicandis impenderet, præcipitque istis, ut easdem rex ex integro recipiant, et habeant in sua providentia. Petro fideli suo, pro rebus in provincia consistentibus, mittens ad eum quosdam fratres, qui cum ipsius consilio de fidelitate sua et utilitate rerum tractarent, et res ipsas ac redditus, atque facultates ipsarum disponerent. Et quia audierat,quod quædam sine consilio ipsius Petri exinde facta fuissent, quasi ex ejus auctoritate, excusat se non id jussisse, nec voluisse : mandans ei per capitula, qualiter easdem res disponi volebant, et quæ personæ ab ipsis rebus, et de quibus villis ad se venire deberent. Evrardo sororis suæ Hildegandis filio vel genero, instruit scripto qualiter erga Ludovicum regem Transrhenensem se gerere deberet, ne suum alodem, quem in Allemannia habebat, ab eo auferret, pro eo quod ipsius dominium idem Evrardus dimiserat. Pro quo etiam præfatæ sorori suæ scribit, petens ut illius domnum prudenter ordinet atque disponat. Plebeiis quoque quibusdam personis, villarum scilicet ministerialibus, pro rebus ministeriorum suorum nonnunquam scribens, prudenter atque rationabiliter disponebat, qualiter res sibi commissas tractare deberent. Generaliter etiam omnes sibi commissos tam verbis, quam litteris instruens, edocebat qualiter juste, pie et caste viverent, quam reverenter atque devote jejunia constituta tractarent : pro his qui obiissent, tam episcopis, quam aliis quibuscunque personis, qualiter Domini clementiam exorarent, et ut personæ Deo placitæ in vacantibus eligerentur episcopiis, tam jejuniis quam orationibus Dominum postularent. In diversis quoque synodis capitula nonnulla, et valde utilia edidit, suisque servanda dedit. Diversis nec non Ecclesiis suæ diœceseos, maxime si contigisset pastoribus viduari, consolatoria dirigens scripta, qualiter a Deo primum hujusmodi solamen requirerent, instruebat : qualiter etiam a terrenis principibus liberam sibi concedi quærerent electionem, et ut impetrarent tam per seipsum, quam per litteras et legatos suos elaborare studebat. Impetrata vero qualiter exercerent, et quomodo immu-

A nes ab omni perversitatis fraude sequestro in exsequendo custodirent, de forma electionis edocere curabat, ad nullam specialiter intendens personam : sed quæ concorditer ab omnibus, vel utiliter a pluribus ac melioribus eligeretur, attendens.

CAPUT XXIX.

De libro edito a se qualiter Domini vel sanctorum sint imagines venerandæ, etc.

Scripsit etiam librum flagitantibus coepiscopis fratribus suis, qualiter imagines Salvatoris nostri, vel sanctorum ipsius venerandæ sint, cum epilogo quodam metrice digesto. Respondet quoque ad interrogationes cujusdam : cur apostatæ baptizati, et impositione manus episcopalis consignati, extra ordinem diaconii, vel presbyterii ad agendam pœniten-
B tiam manus impositionem recipiunt. Scribit et cuidam archiepiscopo de præcipuis tractatis sacramentis humanæ salutis. Item cuidam episcopo, ad interrogata ipsius respondens de ordinationibus episcoporum, vel translationibus de civitate ad civitatem : et de Actardo Namnetensi episcopo, qui expulsus a quodam Britonum duce, in vacante Morinensi Ecclesia aliquandiu demoratus, petente clero ac plebe provinciæ Turonensis, et convenientibus episcopis, in eadem metropoli fuit incardinatus. Item cuidam fratri, de homine, qui cum quadam femina concubuit, et postea sororem ipsius in conjugium duxit. Scribit etiam (*supra*, *cap*. 21) apologiam pro se, cunctis eam legere volentibus contra eos qui calumniati sunt illum apud Joannem papam, qui synodum habuit Trecas (*i*, *l*.
C Trecis), a quo et benigne idem præsul suscipiebatur, quibus et in synodo tunc respondit pro tempore, postmodum vero excusare se litteris non neglexit, asserens se decretales epistolas pontificum Romanorum venerabiliter suscipere atque tenere, cum calumniarentur inimici, has eum nolle ad auctoritatem recipere. Item de Nicæna synodo, et de abjectione, vel restitutione Hincmari Laudunensis episcopi. De hoc quoque quod calumniabantur eum dicere non majoris dignitatis esse papam Romanum, quam existeret ipse. Sed et de Karlomanno, et aliis conviciis sibi per calumniam illatis, de quibus eum veritas excusabilem reddidit. Scripsit præterea plura, ad quæ nos enumeranda sufficere non putamus.

D

CAPUT XXX.

De translatione corporis sancti Remigii a monasterio ipsius, et obitu Hincmari episcopi.

Excrescentibus tandem flagitiis, contra quæ veluti murus inexpugnabilis semper obstiterat, gens Nortmannorum per omne Francorum diffunditur regnum (Aimonius, *lib*. v, *c*. 41). Et quoniam civitas hæc tunc absque muro habitabatur, accipiens ille quod sibi charius in thesauris habebat, corpus videlicet beati Remigii, silvestria loca trans fluvium Matronam expetiit, et apud villam Sparnacum idem sacrum corpus aliquandiu custodivit. Denique dum ibidem moraretur, apud eamdem villam diem clausit ultimum, cujus corpus ad monasterium sancti Remigii relatum, et post ipsius sancti tumulum in sepulcro, quod ipse

sibi præparaverat, est sepultus. Cujus epitaphium A ab eo dictatum habetur hujusmodi

Nomine non merito præsul Hincmarus ab antro
 Te, lector, tumuli, quæso, memento mei.
Quem grege pastorum proprio Dionysius olim
 Remorum populis, ut pater, dedit.
Quique humilis magnæ Remensis regmina plebis
 Rexi pro modulo, hic modo vermis edor.
Ergo animæ requiem nunc, et cum carne resumpta,
 Gaudia plena mihi hinc quoque posce simul.
Christe, tui clemens famuli miserere fidelis
 Sit pius adjutor sancta Maria tuus.
Dulcis Remigii sit mihi devotio possit
 Qua se dilexit pectore, ore, manu.
Quæve hic suppellex supplex sua membra locavit,
 Ut bene complacuit, denique se obtulit.

Anno Dominicæ incarnationis 882, Episcopatus autem sui 32, mense 7 et die quarta.

LIBER QUARTUS

CAPUT PRIMUM

De episcopatu Fulconis, et quæ scripta quibusdam Romanis pontificibus direxit.

Præmisso viro Dei ad patres suos apposito, successit in episcopatu Remensi Fulco vir valde nobilis, et palatinis assuetus officiis; qui fidei suæ tenorem Marino papæ designans, pallium ab eo, antecessorum suorum de more, suscepit. Cui etiam litteras misit pro concedendo debito Remensis Ecclesiæ privilegio, atque pro commendatione regis Karlomanni, in quibusdam se significat ab eodem papa dudum fuisse cognitum tempore Joannis papæ, quando cum Karolo imperatore idem Fulco fuerat Romæ. Item pro quodam monasterio, quod frater ipsius, nomine Rampo, ab eo construi, testamento delegaverat ex rebus suæ proprietatis, quas postea Erminfridus quidam pervaserat, qui uxorem ipsius Ramponis viduam sibi copulaverat. Pro quo idem papa (*Joan. VIII*) Evrardo Senonensi archiepiscopo, in cujus parochia idem constructum fuerat monasterium, litteras direxit. Sed et Joanni archiepiscopo Rothomagensi, in cujus idem Erminfridus diœcesi degebat, præcipiens ut eum admoneret ab hac sacrarum rerum pervasione cessare, quod si facere nollet, canonicam subiret ultionem. Adrianum quoque papam (*Adrian. III, an. 884*) ipsius Marini successorem litteris initio pontificatus ejusdem visitare studuit, congratulans ipsius honori, et se Romam velle venire significans, si Deo pacem tribuente, valuerit. Exemplaria quoque privilegiorum a Leone (*Leo IV*), Benedicto (*Bened. III*), et Nicolao (*Nicol. I*) pontificibus Romanis Remensi sedi concessorum huic petit recitanda, et ab eo sibi conservanda, et roboranda, atque augmentanda. De præfato quoque monasterio, cujus res prædictus Erminfridus invaserat, suggerit, ut promissis etiam archiepiscopis Auvardo et Joanni suæ auctoritatis præceptionem dirigat, jubens quid in eum fieri debeat, etc. Item pro commendatione præmemorati regis Karlomanni, atque pro defensione Frotharii Bituricensis archiepiscopi, qui ferebatur accusatus apud eumdem papam per quosdam suæ diœceseos nonnullum quod scilicet post suæ civitatis dejectionem a paganis factam, in alterius sedis invasionem transire nisus fuerit. Ostenditque quod ab episcopis ipsius diœceseos, omnique clero et populo ejusdem civitatis sit petitus et electus, et quod B prædecessor ipsius Marinus, ad eorum petitionem pium in hoc præbuerit assensum, insuper et pallio eum donaverit, et ipsius in Bituricensi Ecclesia promotionem scriptis roboraverit, etc. Stephano (*Steph. VI*) quoque hujus Adriani successori litteras mittens, gratiarum actiones referre curavit, quod eum, et Ecclesiam ipsius litteris apostolicis suis visitare, et inter varias mundi pressuras consolari dignatus fuerit, et quia fratris eum et amici vocabulo voluerit honorare, quod ipse tamen nollit appetere, sed magis servus et subjectus existere. Significatque se ad ipsum papam videndum properasse, nisi paganorum vallaretur obsidione: hosque denuo tantum milliario a sua civitate abesse, civitatemque quoque Parisiorum ab ipsis tunc obsideri. Hanc infestationem C hunc regno ab octo annis jam præteritis inferri, ut nemini extra castella procul liber aditus patere videretur. Addit denique audisse se de insidiis quorumdam pestilentium, quas ipsi papæ moliebantur, et satis ægre tulisse, opemque ferre, si licuisset, optare, unum quod quibat agere, precibus videlicet pro eo insistere. Pro Widone (19) quoque affine suo, quem idem papa in filium adoptaverat, memorat tam se quam cæteros consanguineos suos, quibus id notificaverat, debitam exhibituros eidem papæ reverentiam. De eo etiam quod illi scripserat, roborare se promptum fore quæcunque necessaria Dei Ecclesiæ significarentur, ejus suggestionem se multum per omnem modum effecisse ipsius fidelitati obnoxium, seque cum suffraganeis coepiscopis in cultu debito sanctæ sedis D Romanæ perseveraturum, et si quid contrarium sanæ fidei contra ipsam emerserit, omnimodis, confutare, Deo auxiliante, paratum existere. Sedem vero Remensem notum habeat ab antecessoribus suis (*deest præ*) potius Gallicanis omnibus Ecclesiis semper fuisse honoratam, utpote cum primus apostolorum beatus Petrus primum destinaverit huic urbi sanctum Sixtum episcopum, et totius Gallicanæ regionis dederit ei primatum. Hormisda quoque papa sancto Remigio vices suas in Galliarum partibus commiserit. Hoc ideo se commemorare, ne sedes Remensis suis in diebus sineretur dehonestari: annectens etiam de privilegiis sibi in cunctis quæ petiit ab hujus prædecessoribus Marino, et Adriano concessis. Itemque de jam dictis rebus Ramponis, et earum pervasore, quem præmissi pontifices jusserant ab archiepiscopis Senonico ac Rothomagensis

(19) Wido ex duce Spoletano factus imperat. an. 892.

urbis excommunicari : quibus eamdem excommunicationem differentibus, idem persecutor adhuc rapta possidebat. Unde petit ut apostolica ab ipso feratur sententia, præcipiatque hic papa præfatis archiepiscopis, ne ullam in eumdem excommunicando afferant amplius dilationem. De quibusdam præterea rebus Remensis ecclesiæ, quas quidam abstulerant invasores, poscit, ut ipse papa suggerat imperatori Karolo (*Crasso cognom.*) qui jam magnam ex his partem restituerat, ut bonum quod cœpit ejus precatu perficiat, et de his quæ egit ipse gratias ei agere dignetur, et cætera. Ad quæ ille respondens asserit oppido se fuisse lætatum, quod cum circa sedis apostolicæ reverentiam cognoverit anhelare, hortans ut in hac dilectione semper ardentius accendatur. Memoriam quoque Widonis ducis gratissime se suscepisse, quem unico loco filii se tenere fatetur. De Nortmannorum infestatione, quam regnum nostrum patiebatur, dolere uti propria ; Deumque deprecari pro hujus populi defensione per apostolorum principum interventionem, et ut incolumis hic præsul perducatur ad apostolorum limina : quatenus etiam corporeis eum valeat ulnis amplecti, et conferre de privilegiis, de quibus sibi scripserat. Ad archiepiscopos etiam, quos petierat litteras se direxisse : necnon ad imperatorem pro Remensis Ecclesiæ justitia deprecatorias, et pro collata benignitate grates illi referens (20).

Item litteras idem præsul ad eumdem papam dirigens, ac de prosperitate ipsius lætificari se inter multas tribulationum, quas a paganis patiebantur angustias, petens, præfati quoque Widonis satagit commendare favorem. De prænominata, necnon Erminfrido querimoniam repetens, qui admonitus a præmemoratis archiepiscopis inobediens exstiterat, flagitat, ut iterum commoneantur ab auctoritate papæ archiepiscopi hunc asperius increpare, et si pervasa non reddiderit, ecclesiastico feriatur judicio. Interrogat præterea, sibique remandari poscit, si rite valeat episcoporum fieri ordinatio in qualibet sanctorum festivitate, nisi tantum Dominica die, etc. Ad hæc etiam rescribens idem papa, gratias agit pro ipsius erga sedem apostolicam charitate, et sollicitudine, condolens de ipsius afflictione, ac pro ipsius preces se Domino fundere pollicetur allevatione, et confortans, monet in Domini confidere consolatione. Item scribit eidem præsul, pro quodam Dominico a filiis et cognatis propriis oppresso, vel expulso, hortans ut id diligenter inquirat, et ejus inde adjutor existat. Item pro quorumdam susceptione Anglorum. Item eidem cum Aurelino Lugdunensi, Adelgario, Geilone [*l*, Gerlone], Emmennone, et reliquis per Galliam constitutis, pro querimonia Bituricensis Ecclesiæ super invasore Fortharii Burdegalensis episcopi, qui etiam Pictavensem aliquandiu tenuerat sedem, qui postea Bituricensis fuerat ad tempus a Joanne papa propter infestationem barbaricam tali tenore concessa, ut hac remota necessitate, vel etiam removeretur, quod necessitas imperaret. Unde præcepit hic papa Stephanus præfatis archiepiscopis, ut ad propriam sedem illum remeare compellant. Quod si apostolicis monitis obedire contempserit, noverint eum sancti Spiritus judicio perpetuis anathematis vinculis innodatum. Item pro Theutboldo Lingonensi episcopo, significans ad se hujus Lingonensis Ecclesiæ querimoniam pervenisse, quod obeunte Isaac episcopo, inconsulto clero et populo, Egilonem quemdam monachum nuper de sæculo venientem in episcopum Aurelianus Lugdunensis ordinaverit, eisque illata vi, præposuerit nolentibus. Quo divina vocatione hominem excedente, ne in idipsum incurrerent, concordi voto clerus, et populus Teutboldum ipsius Ecclesiæ diaconem eligentes, ab ipso papa sibimet in episcopum consecrari petierunt. Sed ille uniuscujusque Ecclesiæ privilegium inconcussum servare volens, id agere distulerit, cumque præfato Aureliano direxerit, scribens ad eum, ut si cleri populique vota in eum concordarent, et sacri canones illi non obviarent, manus huic imponere nequaquam differret. Quod fieri si ratio prohiberet, et idipsum sibi rescriberet : interim tamen alterum inibi ordinare nullo modo, se inconsulto, præsumeret simulque et Olrannum Senogalliensem episcopum a suo latere direxit exsecutorem. Quem deludens Aurelianus ad Lingonensem præmiserit urbem, pollicitus se citissime subsecuturum. Quo cum diu exspectaretur, nec ipse advenerit, nec moræ suæ causam innotescere, vel papæ remandare prævideret [*pro* providerit]. Quocirca iterato clerus et populus cum decreto omnium roborato, præfatum electum Romam remiserunt, obnixe sibimet illum consecrari petentes. Sed nec tunc id agere acquieverit, volens Lugdunensi Ecclesiæ collatum privilegium immutilatum consistere ; ideoque jam dicto Aureliano iterato rescribens mandaverit, ut quia concordi voto clerus et populus jam dictum diaconem expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile judicaret, rescribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contumaciam adjiciens, non solum oblatum consecrare, seu quid in eo reprehensibile judicaret sibi rescribere contempserit, verum etiam contra interdicta, et sacrorum canonum statuta quemdam extraneum, et eidem Ecclesiæ ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere niti præsumpserit. At hi potius laborem subire, quam subjici ignoto eligentes, ad se redierint, implorantes ne pateretur ecclesiastica jura violari. » Nos autem, inquit, qui omnium Ecclesiarum in beato Petro apostolorum principe curam suscepimus, scientes inter episcopos non haberi eum, qui neque a clero electus, neque a populo est expetitus, sæpe dictum Teuthboldum venerabilem diaconum, ipsorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonensi Ecclesiæ episcopum consecravimus, condigna sententia prævaricatoribus illata, licet et aliis prævaricationibus fuerint impediti. Quapropter tuæ injungimus sanctimoniæ ut his

(20) Non exstant hæ Stephani epist.

nostris apostolicis litteris perceptis, postposita dilatione ad Lingonensem accedas Ecclesiam, et eumdem Teuthbaldum a nobis solemniter consecratum episcopum, exinde revestias, omnibusque archiepiscopis et episcopis commonemus, pro tanta contumeliatione ejusdem Ecclesiæ specialem sollicitudinem suscepisse, pro tanti laboris maceratione et oppressionis illatæ relevatione. Quidquid autem idem venerabilis episcopus Teuthbaldus vobis ex nostra parte retulerit credite, et effectui mancipare nullo modo ambigas, quia tuam reverentiam circa nos devotam consistere credimus. »

Ad hæc idem præsul Fulco rescribens, gratias agit pro consolatione litterarum ipsius, asserens, se paratum fuisse, et esse quæcumque sibi ab ipsius papæ celsitudine injuncta fuerint adimplere; præfatum vero præceptum de Theuthbaldo episcopo explere sine mora voluisse, sed Odonis regis sui consultu interim intermisisse, dum rex idem suos legatos ad eumdem papam dirigeret, ac per eos jussionum ipsius notitiam cognosceret. Super his autem quæ litteræ ipsius papæ prosecutæ sunt, velle scribit se omnibus Ecclesiis sua instituta et privilegia in confuso ordine intemerata servare, valde gavisos universos episcopos, in quorum præsentia hæc recitari fecerat. Consulit autem ejus auctoritatem deposcens, ut sibi rescriptis remandet, si liceat coepiscopis suffraganeis suis, qui in ejus diœcesi consistunt, ordinationem vel regis, vel alicujus alterius personæ sine sua licentia et conniventia (al., collaudatione), seu permissione agere, vel aliud aliquid, inconsulto suo metropolitano, aut contra interdicta sui præsulatus præsumere. Privilegium denique a sede Romana quæsitum idem papa sibi concessit, scriptumque transmisit præsuli super rebus ecclesiasticis tunc Remensi Ecclesiæ collatis, vel conferendis, ut nemo eas invadere, vel detinere præsumeret, et ut post ejus decessum nullo modo aliquis hunc episcopatum, vel episcopii res occupare illicite auderet, cum interminatione, nec nisi sedis apostolicæ consensu. Item scribit eidem, pro altercatione quæ versabatur inter Hermannum Coloniensem archiepiscopum, et Adalgarium Amburgensem et Bremensem episcopum, pro qua Hermannus eidem papæ suam direxerat, et postmodum per semetipsum accesserat, proclamans ab Hermanno Ecclesiæ suæ privilegia violari, ideoque in suam præsentiam commonuerat utrumque venire. Sed quoniam Adalgario veniente Hermannus defuit, tunc isti finem imponere papa distulit, ne quidpiam præpropere judicare videretur, unde rediviva contentio futuris temporibus oriretur. Quocirca injungit huic præsuli nostro, suo ipsius papæ vice synodum convocare apud Wangionum civitatem, cum suis suffraganeis, similiterque episcopis, ad quam Hermannum Agrippinæ coloniæ, et Sunderoldum Moguntinum cum suis suffraganeis, tenere, et eumdem Adalgarium occurrere jusserat, quatenus quid cuique debeatur diligens examinatio declararet. Monet etiam fraternitatem ipsius domini Fulconis, ne sibi suam specialem præsentiam, si omnimodis fieri possit, exhibere cum eis quoquomodo differat; quoniam et hæc, et alia quæ imminebant ecclesiastica negotia cum ipso tractanda, ejusque terminanda consultu providerat: de quo scilicet ejus adventu satis gratulabatur, volens ad ecclesiastica deliberanda negotia ejus habere præsentiam. Alioquin monet, ut assertione veridica per strenuum episcopalis ordinis virum una cum ipsis absentem notificet quidnam se super hoc veritas habeat. Quibus si veniendi facultas defuerit, suos cum eo dirigant legatos, qui eorum vicariatione perfuncti, disceptandi et deliberandi libertatem possideant, ut nullo ulterius tempore, percepta finitiva sententia, de hac re necessarium sit vertere quæstionem.

Super his quoque successori hujus Formoso (*Formosus papa*) dominus Fulco litteras mittens, qualiter hæc a prælato Stephano papa sibi sint injuncta, significavit, et ut sibi auctoritatis suæ in his exsequendis scripta dirigeret, expetiit. Unde et iterum scribens vehementer admirari se dicit, si litteræ suæ ad ejus præsentiam pervenerint, quid causæ fuerit cur hinc responsum hujus papæ non meruerit recipere. Grates inter hæc referens, quod sui memoriam dignatus sit habere, et per abbatissam Bertham verba sanctæ consolationis sibi mandare, eumque se videre velle, et collato sermone mutuo verba conferre. Quam rem fatetur immensum sibi peperisse gaudium, ut magis desideret ejus videre præsentiam, adjiciens sibi ab eo tempus quo ad eum veniat, remandari, locumque, et ejus satagit præceptis obtemperare. Præterea postulat, ut privilegium Ecclesiæ Remensi sui nominis auctoritate fieri jubeat, sicut etiam prædecessores suos fecisse constat: et res hujus Ecclesiæ per suam humilitatem acquisitas perpetua firmitate contra omnes adversarios muniat. Adnotat etiam, qualiter Everardus marchio sancti Calixti papæ et martyris venerabile corpus a Romana sede impetraverit, atque in ejus honore monasterium (21) in prædio suo constituerit. Quod prædium post ejus obitum ad filium ipsius Rodulfum abbatem hæreditario jure advenerit: qui res ipsas simul cum memorati martyris gleba vitæ suæ diebus absque ulla contradictione tenuerit, et de sæculo migraturus easdem res cum monasterio et corpore sacro Remensi sanctæ Dei Genitricis ecclesiæ delegaverit, eamdemque rerum suarum hæredem instituerit. Tunc vero Hucbaldus quidam sororis hujus Rodulfi maritus, res eas quidem ab ablatis calumniabatur, et ab ecclesia Dei Genitricis jure conabatur auferre. Proinde precatur, ut quid sibi sit in talibus agendum, suis eum sacris instruat litteris, et harum collationem rerum æterna stabilitate corroboret, atque contradicentes digna

(21) Cisonium monast. in Belgio inter Tornacum et Insulas.

excommunicationis ultione percellat. Scrupulum denique sibi dixit ac singultum movere, quod audierat a quibusdam, sanctam Romanam Ecclesiam turbari, paratumque se totis viribus pro ipsius honore omnimodis decertare, et eidem papæ veluti domno et magistro in cunctis obsecundare. Subnectit etiam de quibusdam episcopis Galliarum, qui sibi pallium indebite a Romana poscebant sede, metropolitanos suos tali spernentes tenore, asserens quod res eadem, nisi prudenti præcauta foret sollicitudine, confusionem non mediocrem generaret Ecclesiæ, magnumque charitati dispendium valeret inferre. Unde tam se quam omnem precari dicit Ecclesiam, ne scito alicujus irrationabili petitioni, sine generali assensu et litteris consentiat, ne per hoc ecclesiasticæ dignitatis honor vilescere incipiat, si res indebita, quæ temere affectatur, inconsulte tradatur.

CAPUT II.

Quæ Formosus papa Fulconi vel Karolo regi atque Odoni scripsit.

Cui rescribens idem papa Formosus, monet eum compati debere Romanæ Ecclesiæ, atque imminenti ejus subvenire ruinæ, nec ei suam præsentiam denegare : adjungens hæreses undique ac schismata pullulare, nec qui ad resistendum occurreret, esse. Dicitque longo retroacto tempore perniciosas hæreses Orientem confundere, et Constantinopolitanam Ecclesiam nociva schismata perturbare ; simul etiam regionis Africanæ legatos insistere, responsa petentes pro dudum exorto inter episcopos ipsarum provinciarum schismate. Diversarum quoque partium legationes diversa responsa petentes instare. Cujus rei gratia generalem synodum (*concil. Rom.*, an. 893) die Kalendarum Martiarum, indictionis undecimæ se inchoare disposuisse, ad quam eumdem, remota omni dilatione, admonet festinare, ut colloquendo largius de his valeant pertractare, et affluentius ad consulta singula respondere. Nortmannicæ gentis procellas, quibus asserebat se perturbari, plurimum dolere, et ut eos Excelsi dextera reprimat, apostolorum principum suffragiis intervenientibus, implorare. Litteras vero quas significaverat ad eum per quasdam personas primum se direxisse, ad ipsum minime pervenisse. Miserat alias etiam, pro hac eadem synodo celebranda, pridem huic quoque præsuli nostro litteras, quam decrevisse se asserit incipere mediante Maio mense, indictionis decimæ. In quibus litteris fatetur Italiam tunc semel et secundo horrida bella perpessam, et pene consumptam. Orientalium vero partium se deflere vesanam hæresim in Christum Jesum blasphemiam continentem [*l*, conjicientem]. Mittit ei præterea petitum super quibusdam præstariis privilegium, commemorans beatum Remigium genti Francorum, Romanæ sedis auctoritate, cum gratia Dei apostolum constitutum. Bernam quoque villam, quæ inique dudum subtracta fuerat, Remensi Ecclesiæ restitutam. Duodeciacum quoque, sed et ea quæ domnus idem Fulco per precarias obtinuerat, Rodemiam videlicet et Margolium, Lastemnam, et Gugleium, atque Virtudem, necnon abbatiam quæ dicitur Campellis, Atteias etiam et Maniacum, aliasque res quæ dudum ablatæ, tunc redditæ fuerant Ecclesiæ Remensi, restitutas auctoritate confirmat apostolica, ut eas, vel cæteras ejusdem Ecclesiæ, possessiones nemo præsumat auferre, vel invadere. Sanciens insuper auctoritate beati Petri ut nemo regum, nullus antistitum, nemo quilibet Christianus, decedente Remorum episcopo, ipsum episcopatum, vel res ipsius Ecclesiæ suis compendiis applicet, neque suo dominio teneat, præter ipsius civitatis episcopum. Sed et eamdem metropolim non ultra constitutionem canonicam, sine regulis ecclesiasticis convenienti pastore manere cogat : neque aliter ibidem episcopum, nisi ut sacri canones jubent, constitui faciat. Promulgans etiam ac statuens, ut ea quæ idem venerabilis præsul Fulco de villis hujus Ecclesiæ ac facultatibus earum, usibus ecclesiasticorum ornamentorum, vel luminarium, seu sub stipendiis canonicorum, ac monachorum, atque sanctimonialium, seu matriculariorum, et hospitum, vel pauperum constituerat, perpetuo inconvulsa permaneant, hanc autoritatem sui decreti sub anathematis vinculo violatoribns innodatis corroborans. Imperatorem quoque Widonem coronatum eodem anno significans, indictione decima. Item ad ipsius domni Fulconis petitionem misit aliud eidem privilegium, pro monasterio Avennaco, atque pro eo monasterio, quod Rodulfus abbas in honore sancti Calixti martyris et papæ ex hæreditario proprietatis suæ jure constructum huic Remensi concesserat Ecclesiæ, tam eadem cœnobia quam omnes possessiones liberalitate regali, vel aliorum Christicolarum munificentia Remensi collatas Ecclesiæ, sive quas idem præsul acquisierat, aut deinceps acquisiturus erat, eidem Ecclesiæ apostolica corroborans et stabiliens potestate. Hic quoque Lambertum (*Lambert. imper.*) filium Widonis anno secundo imperii patris ipsius novum imperatorem factum fuisse designat. Item pro diœcesaneis provinciæ Remensis episcopis, quod audierat, eorum quosdam hujus archiepiscopi sui audientiam contemnere, scribens eidem, ut suos conveniat coepiscopos, cæterorum quoque quos ipsum visum fuerit episcoporum collegium convenire denuntiet, ut de tanto neglectu synodali simul actione perquirant, et quidquid oportuerit canonica atque apostolica muniti auctoritate decernant, subjiciens, ut nemo a tam Deo digno se subtrahat opere, qui apostolicæ ipsius particeps voluerit communionis existere. Item pro evectione Karoli (22) ad regimen regni, quem domnus idem Fulco ad regium culmen adhuc puerum provexerat, et de criminibus Odonis regis, vel correptione ipsius, qualiter esset agenda : pro quibus rebus idem archiepiscopus huic papæ scripta sua, consilium et auxilium ab eo petendo, direxerat. Unde et ad eumdem

(22) Carolus Simplex consecratus an. 892, ætatis 12, vel 14, juxta alios.

regem Odonem litteras suas idem papa delegaverit, A ut ab illicitis recederet, nec eumdem regem Karolum, vel quæque ipsius essent, infestaret, induciasque belli differendo daret, donec idem præsul Fulco scilicet, apostolicam sedem adire studeret.

CAPUT III.

Quæ Francis quibusdam personis scripta leguntur.

Item ad archiepiscopos, et cæteros episcopos Galliarum, monens ut conveniant atque commoneant eumdem regem Odonem, ne illicite perpetrentur, et ne aliena usurpentur, sed bellum sedetur, et omnis hostilis commotio sopiatur, vel induciæ belli, donec Fulco Romam, ceu dictum est, adeat, ellciantur; ipsique studeant interim cuncta differre, et pacem ac unanimitatis concordiam recreare. Item huic B quoque regi Karolo, congruam dirigens admonitionem, ejusque congratulans eminentiæ atque devotioni, quam rex idem se significaverat erga sedem apostolicam gerere, qualiter et sit in regno agendum suggerit, lucideque demonstrat; quem petierat, et panem benedictum pro pignore mittens, et de itinere præfati præsulis nostri ad sedem apostolicam monens.

Eidem quoque domno Fulconi litteras suas dirigens, hæc supradicta ad præmissas personas se destinasse scripta commemorat, ipsius videlicet suggestione, de pace vel induciis belli inter Odonem et Karolum differendi. Item scribit ipsi pro discordia sedanda, quam audierat insurrexisse pro Mangaudi ab Alberico perpetrata interemptione. Item C petens eumdem pro cujusdam Grimlaici dilecti sibi sacerdotis ad episcopatum, ubi se locus obtulisset, promotione. Idem quoque præsul Fulco nonnulla præfato papæ præter præmissa reperitur direxisse scripta, tam pro sua vocatione, qua vocabatur ab ipso ad sedem apostolicam, quam pro contentione quæ versabatur inter reges Odonem et Karolum, necnon pro oppressione, quam Remensis patiebatur Ecclesia, petens ut papa, regibus scribendo, pacem imperaret. Arnulfo quoque Transrhenensi auctoritate apostolica præciperet, ne Karoli regnum inquietaret, quia potius ei auxilio esset, ut propinquum propinquo deceret. Odoni vero mandaret ne regnum istud invadere aut deprædari præsumeret: quod si auderet, apostolicæ sedis sententiam reformidaret. Item D quia post admonitionem ipsius papæ nec Arnulfus orbitati Karoli subvenire voluit, nec Odo a perversione regni, rapinis, ac depopulatione cessavit. Sed et Arnulfus res Ecclesiæ Remensis tam eas, quas aliquandiu injuste sublatas ipsi restituerat, quam eas etiam, quæ nunquam prius subtractæ fuerant, abstulit, ob id tantummodo, quia temerariam ejus invasionem [*Pap. r.*, *jussionem*] hic præsul recipere noluerit. Et quod Odo civitatem Remensem obsederit, innumeras etiam cædes et deprædationes exercuerit, et res Ecclesiæ Remensis suis satellitibus dederit, hujus Ecclesiæ insistens rapinis, donec Ka- A rolus cum valido exercitus apparatu adveniens eum ab obsessa civitate depelleret. Significans etiam quod Robertus homo Arnulfi ex parochia Herimanni Coloniensis episcopi, res hujus Ecclesiæ invaserit ac diripuerit, donec eum vi ac si cæteros rabidum ab earum devastatione repulerit. De quo petit, ut nisi admonitus resipuerit, auctoritatis apostolicæ sententia feriatur. His se perturbationibus regni obsessum, impossibile fore significans ad ejus apostolicam se properare præsentiam, dum semper exspectetur bellum, nec aliter posse res regni componi credantur [*f.* credatur]: sed ipse semper bellum distulerit, non quod inferiores, vel impares fuerint, aut de injusta causa dubitaverint, sed ne vires regni bellis attritæ, paganorum proderentur invasionibus. B Unde dato placito inter se dextras securitatis invicem usque ad tempus præfinitum dederint, et cætera. Item pro eodem rege Karolo et imperatore Lantberto (23), gratiarum referens actiones, quod notificaverit sibi de ipso Lantberto, patris se curam habere, filiique charissimi loco eum diligere, atque inviolabilem cum eo concordiam se velle servare, asserens, quod non illum tantum diligeret pro consanguinitatis necessitudine, qua illi devinctus habebatur; verum multo magis, quia hujus papæ venerator et amator existeret. Precatur autem, ut idem Karolus rex cum prædicto Lantberto in amicitia jungeretur, et Odoni, vel proceribus regni pro causa pacis papa rescribat, quo Karolus ad regnum hæreditario sibi jure debitum proficiat. C Et quamvis nunc [*ms. f.* tunc] totum non posset suscipere regnum, saltem partem aliquam honori suo condignam, concorditer et juste regnum dividendo, illi conservent. Subjungens etiam se quod sibi apostolicus idem pontifex præceperat super transgressoribus et sacrorum violatoribus Richardo, Manasse, atque Rampone, mox ut coepiscopos suos in unum potuerit congregare. Id tantum papa remandet, quoniam æterno illos anathematis vinculo innodaverat, si liceat eis ad pœnitentiam conversis aliquid impendi misericordiæ, vel eos ad pœnitentiam suscipi, seu quis modus ipsius esse debeat pœnitentiæ. De Rampone vero asseverat, quia in solum Teutboldum episcopum reus existeret, nihil culpæ in Walterum Se- D nonensem admiserat, ad quem comprehendendum nec præsens fuerat, nec adjutorium, vel consensum ad id agendum præbuerat. Item pro Herilando Taruanensi episcopo, cujus episcopio a Nortmannis depopulato, eum necessitate cogente ad se venientem, sicut oportebat, susceperat, quemque visitatorem cuidam viduatæ Ecclesiæ constituerat, ut visitando sustentationem interim, dum episcopus ibi ordinaretur, ex illa caperet. At quia homines præfatæ Taruanensis parochiæ barbariem videbantur esse feritatis et linguæ, supplicat ut responso papæ mereatur certificari, si hunc viduatæ debeat proponere plebi, et alterum ei liceret in præmemorata ipsius Eccle-

(23) Fulco consanguineus Lamberti imper.

sua subrogare, qui acceptior propter parentelam et linguam, in eodem loco posset existere. Idem vero papa rescribens ei, laudibus attollit eumdem congratulans ejus dilectioni atque sollicitudini, quam gerebat erga Lanthertum imperatorem, de cujus fidelitate et stabilitate monet eum semper bene sollicitum, veluti consanguinitatis propinquum, asserens se cum ipso tantam pacis et dilectionis habere concordiam, ut nequeant aliqua jam ab invicem pravitate sejungi. Notificat quoque Richardum, Manassem atque Ramponem excommunicatos a se, atque perpetuo ligatos anathemate, pro eo quod tam nefandissima perpetraverint, ut Teutbboldo [*ms.*, Theobaldo], Lingonensi episcopo, oculos eruerint, Waltarium Senonensem, propria depulsum sede, custodiæ mancipaverint, mandans ut secum de his sentiat, et convocatis omnibus suffraganeis suis episcopis, canonicum super eis quod exercuerat judicium pari modo determinet. Item scribit eidem archiepiscopo pro Berthario quodam presbytero, quem clerus et plebs Ecclesiæ Catalaunensis consensu regis Odonis ad episcopatum dicebatur elegisse, succensens quod hunc vocatum canonice noluerit consecrare, sed in transitu defuncti episcopi Ecclesiam ipsam Herilando Tarwanensi episcopo beneficiali more ferebatur contulisse. Postea quemdam Mancionem nonnullis criminibus irretitum in eadem Ecclesia, quasi episcopum ordinaverit, cumque prænominatus Bertharius apostolicam præsentiam vellet adire, comprehensus sit a quodam Conrado hujus domni Fulconis vassallo, de Ecclesia tractus, et in exsilium per unum mensem delegatus. Unde et evocans hunc nostrum præsulem, mandat expresse, sed fraterne, ut suam denominato tempore non differat ei exhibere præsentiam, habens secum præfatum Mancionem, et jam dictum Conradum, cum quibusdam denominatis coepiscopis suis, et cætera.

CAPUT IV.

Quæ Stephanus papa Fulconi, et quæ Fulco eidem papæ rescripserit.

Stephano (*Stephano VII*) quoque hujus Formosi successori scribens idem domnus Fulco, devotionem quam erga Romanam sedem gerebat conabatur ostendere, et quod limina creberrime cupiverit apostolorum adire, sed diversis obstantibus discriminum causis, hæc vota nequiverit adimplere : ubi significat Odonem et Karolum reges in pacis tandem concordia, se studente, connexos. Cui remittens hic papa litteras suas, a se suscepisse fatetur, ipsius non admittens, imo reprehendens excusationem, eo quod alii homines eamdem sedem adirent, et ipse fateretur fas sibi adeundi non fuisse concessum. Denuntiat ergo synodum se per mensem Septembrem imminentis indictionis quintæ decimæ certissime celebrare statuisse : ad quam censendo vocans hunc archiepiscopum, monet expresse, quatenus omni mora repulsa, omnique excusatione amota, eodem tempore suam specialem præsentiam eidem, synodoque omnino exhibere maturet, quod si præterminaverit, canonicam in eum ferre sententiam minime retractabat. Rescribens autem hic venerabilis præsul eidem, quam semper habuerit devotionem circa gloriosi principis apostolorum sedem ejusque sanctos præsules, pandere nititur, asserens se tunc variis oppressionibus aggravatum, ac diversis astrictum perturbationibus, præsentia corporali eamdem adire sedem non valuisse; dilectos autem filios hujus Ecclesiæ illuc destinasse, ad itineris sui enarrandas incommoditates viva voce. Quemdam quoque consacerdotem suum ad id exsequendum se direxisse. Plura se scribere non præsumpsisse, quia senserit in epistola sibi ab ipso directa dure se satis invectione multatum : et hoc sibi non modicum incussisse miraculum, quod ita tunc primæ ipsius litteræ graviter eum perculerint, cum eatenus ab ipsa sede nihil aliud nisi mellitum ac dulce, prædecessoribus suis sibi scribentibus, venire consueverit. Quod peccatis tamen suis imputans, ut de malo suo se merito contristari, sic de correptione ipsius se fatetur lætificari : revolvens fieri potuisse, ceu quodam designat ad se perlatum rumore, ut a quibusdam minus charitate repletis aliter de se audisset, quam veritas se haberet. Unde petit, ne facile hujuscemodi personis aurem accommodet, donec (ut scriptum est rem quam nescit diligentissime investiget (*Job* XXIX). Adnectens simpliciter, uti ab ipsis pene cunabulis educatus canonicis fuerit disciplinis, donec a glorioso rege Karolo imperatoris Ludovici filio, in palatinis ac domesticis ejus sit assumptus obsequiis. Sicque in aula palatii perseverans usque ad tempora Karlomani regis Ludovici junioris filii nepotis ejusdem Karoli, quando a sanctis provinciæ Remensis episcopis, necnon a clero et plebe hujus urbis electus sit, et episcopus ordinatus. Ubi qualiter hanc Ecclesiam paganorum infestatione laborantem repererit, et ut pro pace ipsius ad posse desudaverit, legati sui, vel aliorum hæc scientium petit explorari narratione. Asseverans præmissa se non arrogantia explicare, sed ut noverit, conjiciens quia qui sic enutritus, et taliter fuerit ante episcopatum conversatus, hoc sibi potius onus quam honorem, non elationis instrumentum, sed humilitatis esse servitium. Subnectit autem, quod si aliqua regno quies concessa fuerit, et ab Odone rege licentiam impetrare valuerit, ad ipsius beatitudinis vestigia tandem aliquando properare studebit, dum sibi viæ patuerint, quæ tunc ab Zendeboldo Arnulfi regis filio erant obstructæ : qui Ecclesiam quoque Remensem multis affligebat injuriis, res ejusdem suis impertiens subditis. Cujus tyrannidem apostolica petit auctoritate reprimi, dicens, quia in tam periculoso et necessitudinibus pleno tempore se suam Ecclesiam noxium esset deserere.

CAPUT V.

Quæ regibus quibusdam Fulco scripta direxerit.

Totius itaque regni curam agens idem domnus archiepiscoqus Fulco, litteras dirigit imperatori

Karolo (24), regis Ludovici Transrhenensis filio, pro tuitione et defensione regni Francorum, quod in his partibus a Nortmannis multipliciter opprimebatur : asserens illud, auxiliante Deo, hactenus fuisse protectum, quamdiu pater et avunculus ejus, et filiorum ipsius regebatur dominatione. Tunc vero illis feliciter humana excedentibus, postquam se proceres regni ejus imperiali commiserunt tuitioni, eos undique saevos multi superaggravaverunt casus. Memoratque civitatem Parisiorum, quam caput asserit et introitum regnorum Neustriae atque Burgundiae, barbarorum cingi obsidione, citoque capiendam, nisi Dei subventum fuerit clementia. Quae si capta fuerit, totius dispendium regni se perpessuros, tantaque pervenisse haec jam mala grassari, ut a praedicta urbe Remos usque nihil tutum remanserit; nulli nisi perversorum Christianorum barbarisque consentientium secura sit habitatio, quorum multi, Christianam deserentes religionem, paganorum se societati conjunxerunt, ac tuitioni subdiderunt. Scripsit et ad eumdem imperatorem pro porrigendo a sede Romana pallio, roborandisque datis olim a Romanis pontificibus Ecclesiae Remensi privilegiis.

Arnulfo regi Transrhenensi litteras mittens pro causa regis Karoli, quem parvulum adhuc unxerat in regem, reddit causas ejus provectionis, eo quod audierat motum fuisse animum ipsius Arnulfi contra se pro hac perpetratione : commemorans quod, decedente Karolo imperatore, hujus Arnulfi avunculo, in ipsius Arnulfi servitium fuerit profectus, eumque ejus suscipere dominium et gubernationem ; sed ipse rex nunc sine ullo consilio vel consolatione dimiserit. Unde cum nec in eo sibi spes ulla remansisset, coactus sit ejus hominis, videlicet Odonis, dominatum suscipere, qui ab stirpe regia existens alienus, regali tyrannice abusus fuerit potestate, cujus et invitus hactenus dominatum sustinuerit. Et quoniam hujus Arnulfi dominium desideraverit, idcirco in ipsius servitium profectus fuerit. At postquam nullam consolationem ipse habere valuit, hoc solum quod restabat egerit, elegerit illum regem habere, quem solum post ipsum de regia ipsius haberent progenie, et cujus praedecessores ac fratres antea illic extiterant reges. De hoc etiam, quod idem rex in culpa trahebat, quare non id ante fecissent, reddit rationem, quod quando Karolus imperator decessit, et idem Arnulfus regimen hujus regni suscipere noluit, hic Karolus admodum corpore simul et scientia parvulus existebat, nec regni gubernaculis idoneus erat, et instante immanissima Nortmannorum persecutione, periculosum erat tunc eum eligere. Ut vero ad eam valentiae perductum aetatem, ut quae salutis sunt consilium dantibus assensum praebere nosceret, susceperunt eum secundum Dei voluntatem, ut regno consuleret, vel cui eas instituere, quatenus hunc regem, ut sub Arnulfo profectus valeret existere. De eo quoque quod sine ipsius Arnulfi consilio praesumpserint hoc agere, morem Francorum gentis asserit secutos se fuisse, quorum mos semper fuerit, ut rege decedente alium de regia stirpe, vel successione, sine respectu vel interrogatione cujusquam majoris aut potentioris regis eligerent. Hoc autem hunc regem factum ipsius fidelitati et consilio committere voluerint, ut ipsius adjutorio et consilio gereretur in omnibus, et ejus subderetur tam rex, quam universum regnum praeceptis et ordinationibus. Praeterea quod audierat huic regi suggestum, quia contra fidelitatem ipsius, et propter pravitatem hoc egerit commodum, infert quod Aschericus ipse, qui haec jactitasse videbatur, antequam de re hujuscemodi aliquid idem archiepiscopus agere conaretur, venerit ad se, praesentibus Heriberto et Ecfrido [ms., Exfrido, Ecrado] comitibus, et consilium, sanctique auxilium quaesierit, quid agere deberet de juramentis Odonis, qui res impossibiles ei praecipiebat. Ex parte quoque filiorum Godfridi consilium petierit de malo, quod eis Odo facere conabatur, rogaveruntque ut hoc caput communi consilio statueretur, per quod securi possent esse subditi, intendentes vel in Widonem, vel in hunc regiae prosapiae Karolum, et simul considerantes qui affuerant, ad quem melius attendere deberent, visum illis est, propterea acquirendam regni utilitatem, et ipsius Arnulfi cavendam contrarietatem, propterque rectum, congruumque regiae generi principatum, ut ad hunc Karolum se converterent, credentes quod Arnulfus hoc de propinquo suo gratum haberet, ipsique et regno praesidium ferret. Quod autem jactitatum audierat, causa Widonis hoc eum fecisse, ut hac arte illum subintroduceret in regnum, et dimisso puero Karolo, se verteret ad Widonem : asserit livore invidiae, contra se scienter haec falso fuisse jactata, aut etiam quod qualis erat ipse qui talia diffamabat, talem eumdem posse fieri sentiebat ; ipse vero nec se talem fore, nec talibus ortum natalibus recognoscebat. Praedecessores quoque ipsius regis nequaquam talia ingenia in progenitoribus suis experti fuerant, quos in eorum fidelitate ac regni utilitate probatos habuerant : ideoque alios homines hoc sibi finxisse. Quapropter erubescendum eidem regi fuisset, ut hoc de se crederit, vel infamia se tali notaret. Denique quod audierat qui Arnulfo dictum fuisse, quod hic Karolus filius Ludovici non fuerit, omnino neminem se posse credere fore, qui eum viderit, et parentum ipsius effigiem cognoverit, non recognoscat illum de regia progenie : quaedam quoque patris sui Ludovici signa gestare, quibus agnoscitur filius ejus fuisse. Poscit ergo Arnulfi regiam magnitudinem, ut haec vera [?] verba dignanter accipiat, nullumque animum quisque contra hunc regem immoderatum, propinquum suum, commovere valeat. Sed utrum haec quae asserit ita se habeant, sic sua praesentia, fidelissimeque examinari faciat, et ad dilatum tutem perducat, cogitans qualiter antecessores sui regni statum gubernaverint, et quomodo regali-

(24) Carolus Crassus de quo supra.

culminis successio semper huc usque viguerit. Nunc vero ille tantum princeps, et hic parvus propinquus ejus Karolus, de tota regali stirpe remanserint; perpendatque quid contingere possit, si eum debitus cunctis casus repoposcerit, cum tot jam de aliena stirpe reges exstiterint, et adhuc sint plures, qui sibi regium nomen affectent, quis post ipsius decessum adjuvabit ejus filium, ut ad debitam sibi regni conscendat hæreditatem, si contigerit hunc sibi propinquum cadere Karolum. Adnectit etiam, quod in omnibus pene gentibus notum fuerit, gentem Francorum reges ex successione habere consuevisse, proferens super hoc testimonium beati Gregorii papæ (*hom.* 10). Subjicit etiam ex libris Teutonicis de rege quodam Hermenrico nomine, qui omnem progeniem suam morti destinaverit impiis consiliis cujusdam consiliarii sui, supplicatque ne sceleratis hic rex acquiescat consiliis (Greg., *in Evang.*), sed misereatur gentis hujus, et regio generi subveniat decidenti, satagens ut in diebus suis dignitas successionis suæ roboretur, et hi qui ex alieno genere reges exstabant, vel existere cupiebant, non prævalerent contra eos, quibus ex genere honor regius debebatur. Asseritque se misisse Aledrannum [*ms. Papir.*, Alerannum] ad eumdem Arnulfum, suggerendo ut quoscunque sibi placeret, ex his qui Karolum regem constituerant, in suum pergere servitium præciperet, qui coram sublimitate ipsius hæc ita esse rationabiliter ostenderent. Flagitans etiam orat, ut hæc præmissa benigno rex tractet animo, et hanc sciat ipsius esse devotionem, vel intentionem erga ipsius fidelitatem, ut hic Karolus ad ipsius consilium in omnibus, quæ acturus est, respiciat, et ipsius pietate tutus consistat, et ut nemo hujus regis animum ab auxilio istius regni, vel ejusdem Karoli deflectere valeat. Item ad eumdem regem, significans ei de fidelitate et devotione, quam erga ipsum habebat, et quia in ejus servitium ad ipsius jussionem properare desiderabat. Promissionem quoque, quam rex suus Karolus eidem Arnulfo, qui regnum sibi contradiderat, promisisset, manere inconvulsam, tam in ipso rege, quam in subditis sibi. Et quia proponeret idem Karolus Odonem inimicum sibi regem, et insidias sibi magnopere parantem armis aggredi. Widonem imperatorem legatione suarum visitans litterarum, admodum sede ipsius gaudere fatetur gloria et exaltatione; mirari vero atque turbari, quia multis nuntiis jam longo tempore transacto sibi aliquid de statu et prosperitate sua notificaverit. Exorat autem, ut regi suo Karolo suffragium impendat, et talis erga ipsum existat, qualem eum erga propinquum existere decet, et ut celerius illum scire faciat, qualem voluntatem circa ipsum habeat. De Arnulfo quoque rege significat, quod non velit eidem Widoni pacem servare. Karolum denique sedi apostolicæ suam epistolam dirigere, orationibus se commendando papæ, atque ipsius petens roborari benedictione, et ut idem papa hujus Widonis eum conjungat amicitiæ. Poscit etiam, ut eidem regi de amicitia sua per suum missum, aut per sua scripta Wido remandet. Sed et suis, vel Ecclesiæ sibi commissæ compatiatur injuriis, quas fidelitatis ipsius causa tolerabat. Notificat etiam abbatiam sancti Martini a rege sibi concessam [*ms.*, commissam], rogans ut res ejus, quæ in regno ipsius erant, in sua tutela Wido recipiat.

Odoni regi litteras dirigens, rogat pro concedenda Ecclesiæ Laudunensi post decessum Didonis episcopi, electione libera, ostendens non oportere violenter eos ad eum, quem nolunt, suscipiendum compelli. Precatur etiam, ut eamdem Ecclesiam absque inquietudine degere jubeat, neque res ipsius a pervasoribus deprædari sinat, ne particeps diripientium fiat, si talia fieri permittat. Karolo regi suo scribens, indignatur valde sibi perlatum quod pravis quorumdam consiliis vellet idem rex se sociare Nortmannis, ut illorum auxilio ad regni decus obtinendum juvari posset. « Quis enim, inquit, qui vobis sicut oportet fidelis est, non expavescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, et in cladem ac ruinam nominis Christiani pagana arma, et fœdera detestanda suscipere? Nihil enim distat, utrum quis se paganis societ, an abnegato Deo idola adoret. Nam si (ut ait Apostolus) mores bonos colloquia prava corrumpunt (*I Cor.* xv), quanto magis corrumpitur castitas animæ Christianæ ethnicorum consiliis et societate? Neque enim poterit non imitari quod assidue viderit, quin potius assuescet paulatim, et quasi vinculo malæ consuetudinis trahetur ad facinus. Certe progenitores vestri reges, deposito gentilitio errore, divino cultui se sublimiter subdiderunt, et a Deo semper auxilium expetiverunt propter quæ et feliciter regnaverunt, et regni hæreditatem ad suos posteros transmiserunt. Vos econtra nunc Deum relinquitis. Dicam certe, licet nolens, quia Deum relinquitis, cum vos ejus hostibus sociatis. Unde et merito prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad regem (25) Israel similia facientem directa est: *Impio præbes auxilium, et his qui oderant Deum amicitia jungeris* (*II Par.* xix). Et certe cum deberetis multis præteritis terminum ponere, et rapinis et deprædationibus pauperum renuntiare, ac pro his omnibus pœnitentiam agere, nunc ad majorem iram Dei provocandam, his qui Deum ignorant, et in sua feritate confidunt, vos conjungitis. Credite mihi, quia nunquam sic agendo ad regnum pervenietis, imo velociter disperdet vos Deus, quem irritatis. Hactenus quidem de vobis meliora sperabam: nunc video vos cum omnibus consanguineis [*ms. j, Papir.*, consentaneis] vestris periturum, si tamen hoc vere vultis agere, et talibus consiliis acquiescere. Revera qui tale vobis dant consilium, non fideles, sed per omnia infideles esse comprobantur, quos si audire volueritis, terrenum simul et cœleste regnum amittetis. Deprecor itaque vos per Deum, ut tale deseratis consilium, neque

(25) Sunt verba Jehu ad Josaphat regem Juda.

velitis vos in æternum præcipitare interitum, et mihi cæterisque, qui secundum Deum vobis fideles sunt, æterni doloris afferre dispendium. Melius enim fuerat vos non nasci, quam diaboli patrocinio velle regnare, et illos juvare, quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim, quia si hoc feceritis, et talibus consiliis acquieveritis, nunquam me fidelem habebitis, sed et quoscunque potuero a vestra fidelitate revocabo, et cum omnibus coepiscopis meis vos et omnes vestros excommunicans, æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate quam vobis servo, hæc gemebundus scribo, quoniam cupio vos secundum Deum et sæculum semper esse honoratum, et non Satanæ, sed Christi adjutorio, ad debitum vobis conscendere regni fastigium. Regnum enim quod Deus dat, firmum habet fundamentum; quod vero per injustitiam et rapinas acquiritur caducum est, et cito decidivum, nec poterit diu permanere. »

Lamberto imperatori congratulationis apices dirigens, significat quia sibi de ipso domnus papa Formosus suis litteris intimaverit: quod scilicet eumdem imperatorem multum diligeret, et in omnibus et consulere, loco charissimi filii, atque indissociabilem vellet ad eum servare concordiam. Hortatur ergo hunc principem, et admonendo flagitat, ut tantæ benignitati ejusdem papæ gratus existat, illum ut patrem piissimum diligat, omnemque illi fidelitatem, et obedientiam servet, ejusque monitis, ut verus filius, obtemperet, et sedem Romanam digna veneratione honoret. « Ita enim vestrum, inquit, perenni soliditate stabilietur imperium, et contra omnes inimicos, et hostes vestros divinum vobis auxilium suffragabitur, atque ut omnibus adversariis, divino adjutorio, semper superior et fortior sitis. Recordamini, quæso, avunculi vestri et æquivoci Lamberti illustrissimi, qualis erga sanctam Romanam sedem fuerit, qualemque exitum consecutus sit, et cavete ne in idem exemplum deveniatis, si aliquid simile agere volueritis. Dominum etiam apostolicum deprecatus sum, ut eum dignetur absolvere, et pro illo apud Deum intervenire. Pro me quoque attentius postulo, ut ejus mihi benevolentiam concilietis, quatenus tam de me, quam etiam de sede Remensi mercedem dignetur habere, et sua illi privilegia inviolabiliter custodire, sicut omnes sancti prædecessores ipsius semper fecisse noscuntur: et si aliquis unquam [f. nequaquam] aures clementiæ ipsius inquietare, et de nobis sinistri aliquid dicere præsumpserit, non prius obloquentibus credere, donec per me, aut certe per suum vel meum missum, quod verum sit, possit agnoscere. De cætero cognoscat imperialis dignitas vestra, Ramponem propinquum vestrum, et meum, ab eodem domno apostolico excommunicatum, sicut ex ejus litteris agnovimus. Pro quo obsecro misericordiam [ms., magnitudinem] vestram, ut eum deprecemini, quatenus illi locum pœnitendi, et quod admisit emendandi non deneget, nec eum perpetuo anathemate innodatum irrecuperabiliter perire sinat; sed quam illi placet, pœnitentiam et satisfactionis mensuram illi injungat. Nobis etiam et universis Italiæ, vel Galliæ episcopis, quibus de ejus damnatione scripsit, vicissim de sua misericordia quid illum agere, et qualiter esse conveniat, rescribi jubeat. »

Alfrado regi Transmarino amicabiles litteras mittens, grates refert, quia tam bonum virum et devotum ecclesiasticisque regulis congruentem destinaverit episcopum in civitate Cantelburg nomine. Audierat enim, quod perversissimam [ms., pervertissimam] sectam paganicis erroribus exortam, et in illa gente tunc usque relictam, verbi mucrone satageret amputare. Quæ secta suggerere videbatur: episcopis et presbyteris subintroductas habere mulieres; ad propinquas quoque generis sui, quisque vellet, accedere insuper et sacratas Deo feminas incestare, et uxorem habens concubinam simul habere. Quæ omnia, quam sanæ fidei sint adversa documentis manifestat evidentissimis, ex sanctorum Patrum probatis [ms. f. prolatis] auctoritatibus. Richildim reginam, vel imperatricem litteris commonens atque redarguens, dolore multo se fatetur esse correptum, pro fama non bona, quæ ad ipsum de vita, vel actibus ejusdem reginæ pervenerat: quod scilicet esset diabolus, ubi fuisset illa magis quam Deus, cum forent circa illam quæ contra salutem militant animæ, id est, iræ, rixæ, dissensiones, incendia, homicidia, luxuriæ, rapinæ quoque pauperum, pervasiones ecclesiarum. De quibus omnibus debita sollicitudine et pastorali diligentia commoneat eam, ut transferat se de tantis malis ad fructum æternæ salutis: proponens ei quadrivium, vel quadrigam virtutum, quam assumens et ascendere nitens, apprehendat ea quæ sunt sapientiæ, atque sanctimoniæ, ac felicitatis æternæ. Velamen quoque Christi, quod assumpserat viduitatis, incorruptum servare studeret, ut illud inviolatum Deo repræsentare posset, nec properare velit ad inferos, ut inveniat inæstimabile malum multarum, quas ei propalare nititur, miseriarum. Perpendat, si est amica Dei, vel soror. Quod si non est, sine intermissione det operam (*Tit.* II), ut esse possit, et si non candore virginitatis, studio tamen continentiæ salutaris, recte credendo, Deum ac proximum diligendo, pietatis opera faciendo, sobrie et juste et pie vivendo (*Hebr.* III): attendat ut vitam corrigat donec hodie cognominatur, ne incidat in laqueum confusionis æternæ, dum non recogitat quam velociter præsens hodie transeat. Parcat animæ suæ, et attendat ut Deo proxima fiat, et habeatur columba per simplicitatem [ms., habeat columbæ simplicitatem] et innocentiam, ut audire mereatur a Christo cum exierit e corpore: Hiems transiit, et recessit, columba mea veni, mecumque requiesce (*Cant.* II), sedens in dextera Patris mei. Multaque, se ideo loqui asserit, quod de ipsius salute plurimum sollicitus sit, optans

ut vere fiat regina, ornando virtutibus viduitatem suam, præ oculis habens diem mortis, vel resurrectionis suæ, audiatque Apostolum dicentem : *Evigilate justi, et nolite peccare* (*I Cor.* xv). Det tandem Deo suo gloriam, et operetur salutem propriam, divertat a malo, et faciat bonum (*Psal.* xxxvi). Oratque exoptans ut correptio sua et emendatio necessaria salubrisque compunctio tangat cor ejus, ut tandem aliquando resipiscat diaboli laqueis : gratia quoque Dei resuscitet eam de sepulcris vitiorum (*II Tim.* ii), et cætera. Febricitantem quoque in malo, faciat eam firmam et stabilem Deus, fixamque in bonis, ut hic et in æterna vita possit gaudere cum sanctis. *Quod si consilium nostrum*, inquit, *audieritis, tales vobis erimus, quales esse debemus, in omni fidelitate et reverentia atque debito servitio, et quod his omnibus majus est, erit vobis Deus propitius, sicut optamus, et oramus. Alioquin volumus, ut sciatis revera quod pro vobis nolumus incurrere offensionem Dei, sed secundum ministerium nostrum, faciemus de vobis, quod canonica nobis jubet auctoritas. Quod quam invitus faciemus, Deus testis est, non enim possumus discedere ab Apostolo, qui dicit : Quandiu Apostolus sum gentium, ministerium meum honorificabo* (*Rom.* xi); et : *Dei adjutores sumus* (*I Cor.* iii); *Deus est, qui operatur in nobis* (*Philip.* ii); *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* (*II Cor.* xiii.) *Unde precor Deum in conscientia mea, ut adhæreant cordi vestro verba mea, et ipse qui per me loquitur, hæc in auribus vestris per seipsum loquatur in corde vestro. Deus omnipotens ad vota nostra manum suam de alto, ut liberet vos de cænulento hujus sæculi profundo.*

CAPUT VI.

Quæ diversis scripserit episcopis.

Diversis etiam præsulibus diversa reperitur direxisse scripta, pio sale respersa, et divinis auctoritatibus referta. Flothero archiepiscopo pro rebus Remensis Ecclesiæ in sua conjacentibus diœcesi, quæ ab invasoribus non modicum patiebantur dispendium ; monens et rogans, ut memor ministerii sibi a Deo collati, et apostolicorum præceptorum, quorum plura subjungit exempla, his pervasoribus auctoritate canonica interdicat, ne de rebus hujus Ecclesiæ amplius præsumere audeant, sicut [*potius si*] offensam domini sanctorumque ipsius incurrere nolint. Rostagno Arelatensium præsuli, grates referens, quod eum de rebus Ecclesiæ Remensis sollicitum esse compercrat, quas sub ipsius providentia et tutela constituerat, sed audiebat eas a quibusdam pravis invasoribus infestari, vel usurpari. Unde hortatur, ut eosdem pervasores, nisi resipiscant, districta percellat excommunicatione, si non judicet rem hujusmodi ad apostolicam sedem deferri. Herimanno Agrippinensium archiepiscopo significans se desiderare cum ipso cæterisque diœceseos ipsius episcopis loqui, et de necessariis Ecclesiarum causis, ut ab eodem sibi suggestum fuerat, pertractare : sed tamen insurgentibus Nortmannicæ persecutionis turbinibus impeditur. Ut autem opportunitas se temporis aperuerit, maturata facilitate adimplere conabitur. Intimat præterea res quasdam Remensis Ecclesiæ in ipsius parochia pervaso jure a quibusdam pervasoribus possideri. Qua de causa expetierat Arnulfum regem apud Warmaciam, et ipse Willeberto præsuli hujus prædecessori præceperat, quatenus ipse super hoc negotio, secundum edicta canonum ageret. A quo etiam rege, idem etiam Herimannus super hoc ipso legatus, ad præmissum episcopum fuerat destinatus. Sed quia idem Willebertus præceptum regis in hoc adimplere non potuit, hunc monens rogat, ut eosdem pervasores, vel qui res ipsas inquietare conantur, animadversione canonica feriat, nisi a cœpta præsumptione resipiscant. Decretum quoque Symmachi papæ eidem Herimanno dirigit, ubi quid de talibus sit agendum manifestissima possit assertione cognoscere. Item eidem, pro quibusdam rebus hujus Ecclesiæ super Rhenum sitis, in loco qui dicitur Bothert [*f.*, Bobert], quas Maingaudo [*f.* Magnigaudo] commendaverat : quo defuncto, petit ut idem præsul Herimannus eas tutandas suscipiat. Quemdam etiam Wibertum, qui res alias Remensis Ecclesiæ tenere videbatur, admoneat, ut eas cum amicitia sibi restituat. De rebus quoque cujusdam abbatiæ sibi a rege concessæ, quæ in partibus ipsius Herimanni conjacebant, rogat ut eas ab extraneorum pervasione defendat, et cætera. Waltero Senonensis Ecclesiæ archiepiscopo, pro causa Hildegardis abbatissæ, de qua placita quædam constituerat, sed ad nullum idem Walterus, partim occupatione, partim infirmitate pressus, attenderat. Unde præscribit eidem, quæ res ipsa finem legitimum sit habitura ; precansque monet ut nullatenus omittat, quin ad id placitum veniat. Si vero non venerit, ipsa tamen, salva charitate, quod agendum est, auctore Deo, inde perficere conabitur : et quod hactenus id distulerat, non quasi auctoritatem, aut privilegium hoc agendi non haberet, egerat ; sed potius causa dilectionis ipsius, quam per omnia inviolatam servare cupiebat. Petit etiam ut præfatam abbatissam idem Walterus, utpote diæcesaneam suam, præmoneri faciat, quo ne velut ignaram, se a conventu ipsius subtrahere, sed potius die prænominata præsentem studeat exhibere. Item consolatorias eidem dirigens super ipsius ægrotatione litteras, et de absolutione quam sibi petierat idem Walterus, tam ab eo, quam a fratribus ipsius fieri simulque de ipsorum providendo ab eodem domno Fulcone, quando fieri posset, colloquio. Pleonico archiepiscopo Transmarino, congratulans bonis ejus studiis, quibus eum laborare compererat, pro abscindendis et exstirpandis incestuosis luxuriæ fomentis, supra in his litteris, quæ Albrado regi scripserat, commemoratis (*cap.* 5), quæ in ea gente videbantur inolevisse; sacris eum instruens et armans auctoritatibus censuræ canonicæ [*for.*, Scripturæ], particeps nimirum piis ipsius laboribus cupiens

existere. Joanni cuidam Romano præsuli, commemorans affectionem dilectionis, quam habebat erga eum, ita ut diceret, nullum se invenisse recordari, cum quo se tam cordialiter mutuo conjungeretur charitatis affectu : commemorans magna se quondam benevolentia susceptum ab eo fuisse, liberalissimaque humanitate tractatum, multisque beneficiorum impendiis accumulatum. Asseritque se quantocius, pace reddita, dignis servitiis ostensurum, tam erga eum, quam erga dominum papam Stephanum gratam animi devotionem, precaturque ut eum suo favore tueatur apud ipsius excellentiam papæ, et in quibuscunque necessarium viderit, ei sicut optime in ipso confidit, assistat. Dodiloni Cameracensium præsuli, pro pignoribus sibi ab eo datis, ad quæ minime attenderat : monens et rogans, ut satagat venire ad proximum placitum ubicunque rex Odo fuerit cum episcopis, quoniam tunc de qua lite agebatur de Hildegarde et Hirmingarde terminare deberent. Accusatores quoque ipsius Hirmingardis, eosque qui presbyterum luminibus privari ac suspendi jussserunt, cum omnibus qui eidem nefandæ jussioni paruerunt, vel fautores hujus sceleris exstiterunt, commoneri faciat, et canonice convocari, ut huic conventui se studeant præsentare. Item pro eadem causa, gratias referens quia devote ipsius commonitionem susceperit, et ad constitutam diem paratissimus occurrerit. Illud vero succensere videtur, cur cum de negotiis ecclesiasticis ageretur, causa, non per clericum, sed per laicalis ordinis hominem sibi mandare voluisset. Ipse vero dominus Fulco, partim senioris servitio detentus, partim corporeæ incommoditatis molestia præpeditus, juxta condictum venire nequiverat. Admonet etiam, eum meminisse debere, qualis ipse erga eum quondam exstiterit, qualiter sine lege, sine ullo ipsius parti consentiente votis æmulorum instaterit, ut ad hunc episcopalem perveniret honorem, cum alias sibi perfecte notus non esset. Ita tamen pro eo egerit, veluti pro fratre charissimo, quia crediderat et credebat in eo simplicem prudentiam, fidem non fictam, et bonam ut inde sanctitatem stabilitatem ; speraverat etiam se omnibus sibi compassorem et adjutorem fore. Per illam ergo sinceram dilectionem, quam in ipso credebat, eum se dicit monere : mandans ut postposita omni dilatione, vel occupatione, ad condictum conventum episcoporum præsens adesse studeat, nulla excusatione, nisi tantum infirmitate corporea. Personas etiam præmissas, quas per alteram significaverat epistolam, commoneri canonice faciat, et præparatis absolutionem eorum episcoporum pie prolixe et satagant præsentare. Item tam ceteris coepiscopis, Didone scilicet Laudunensi, Hetiloni Noviomensi, Riculfo Suessonum, Hetinando ..., ..., et Herilando Morinensi, scribens : huic præsuli Dodiloni significat, his præmissis in urbem Remensem convenisse præsules, ad tractandum de pervasione Balduini *Bald Calvus. Flaud.* ..., de qua scripserat eidem Dodilo (*Dodiloni*), admonere illum, ut resipisceret a tanto commissi sui facto. Sed quoniam idem præsul rescripserat, se irreverentisdem præsulibus se nequivisse, quia eorum iter Nortmannorum præcipuit gladius, eorumde communi compatitur exitio. Ceterum quod petierat de Balduino, in hoc acquiescit ei, ut admonendo, exhortando, et increpando, sedulo eum corripiat, ut a sua corrigatur pravitate, divinas et proponens sanctorum sententias Patrum : litteras etiam eidem Balduino ad ipsorum episcoporum parte dirigi significat. De quibus hortatur, ut si fuerit præsens, ei recitentur ; si absens fuerit, per suum archidiaconum ipsi transmittat, qui etiam illas eum intelligere faciat. Quod si et eum ille nequiverit adire, litteras ipsas publice coram se legi faciat in loco ubi Balduinus religionem pervasit, et deinceps, nisi resipuerit non ei vel monachus, vel quilibet rite Christianus adjungatur, si non anathematis vinculo implicari voluerit. Si Hetilo quoque ad civitatem Atrabatensem venerit, Dodilo illi occurrat, ut de hac re quod agendum est, canonice peragere possint, et quidquid inde fecerint, litteris sibi significent. Hetiloni præsuli litteris mandat, ut proficiscatur cum fidelibus regis ad Attrabatem, agens pro posse quod in alio scripto agendum sibi repererit significatum. Item pro his quæ a Dodilone Cameracensi patiebatur episcopo, asserens quomodo pro benefactis, ab eo sibi contumeliosa retribuantur : adsciscensque hunc sibi testem, qualiter eumdem Dodilonem paterno, simplicique benignitatis affectu ad potiora provexerit. Sed et quomodo Rodulfus vir devotus abbatiam quamdam in hujus Hetilonis parochia sitam Remensi delegaverit Ecclesiæ committens simul eidem corpus beati Calixti papæ et martyris, quod impetratum a Romana detulerat urbe. Intimat ergo qualiter precatus sit amicabiliter prælatum Dodilonem, ad Atrabatense castellum venire, et inde pignora prælati martyris honorifice levare, atque usque ad cœnobium sancti Quintini deducere. Hunc etiam Hetilonem expetierat, ut ad ipsum cœnobium occurreret, et tandiu cum sacro comitaretur corpore, donec ipse domnus Fulco veniret, et illud decenter excipere, et usque ad hanc Remensem valeret urbem deducere : ubi tandiu servaretur, quousque, pace reddita, loco proprio ipsius Hetilonis parochia sito restitui posset. At Dodilo cum debuisset agere quod petebatur, e contra, filiationis ac fraternitatis postlabata reverentia, in medio occurrens viæ, et de manibus gestantium sanctum pignus abripiens, apud se reposuit, dicens : Non illud unquam se redditurum, nisi eidem Hetiloni, in cujus dignoscebatur fuisse parochia depositum : et hoc ipsum novo fraudis argumento gessisse, quo valeret prælatum corpus sacrum cuidam Balduino (*al.* Bauldio) comiti tradere. Quocirca petit hunc Hetilonem, ut missum suum ad eum dirigat, et paterno ac fraterno amore ipsum redarguens, corripiat, et in memoriam ei revocet, quomodo religionis fidem et fidei, quam in eo tunc credebat, intuitu, illum absque regis aut præ-

cipis alicujus exspectatione in sede pontificali locaverit, moneatque ut e cœpta temeritate pedem revocet, ne aliquid hunc eumdem archiepiscopum contra se, quod idem nolit, agere compellat. Hunc quoque precatur Hetilonem obnixe, ne illi assensum in re tali præbeat, sed justæ parti in omnibus faveat, et thesaurum cœlestem, Remensi ecclesiæ a præmemorato viro traditum, urbi ac basilicæ ipsius restitui non solum consentiat, sed etiam totis viribus adjuvet. Didoni Laudunensi episcopo, pro reconciliatione animæ cujusdam Valcheri, qui reus majestatis inventus, supplicium mortis incurrit. De quo audierat, quod in articulo mortis pœnitentiam per confessionem et sacræ communionis viaticum ab ipso expetierat, nec impetrare valuerat. Insuper et sepulturæ beneficium fuerat ei denegatum, et orari pro eo prohibitum. Succenset ergo eumdem præsulem, horrens cur sic voluerit agere, cum sciret optime quod auctoritas sacra de non neganda in ultimis statuerit pœnitentia; adhibetque nonnulla sanctorum Patrum super hac re testimonia, monens ut considerato communi periculo, imitetur communis Domini pietatem, et huic peccatori remedium pœnitentiæ in ultimis deprecato impendat misericordiam, ut et orari pro eo faciat, et per seipsum reconciliationem, animæque commendationem more Christiano persolvat; eumque de loco pervio in quo non sepultus sed projectus erat, ad cœmeterium fidelium transferat. Item pro hac eadem causa, postulans et adhibens exemplum beati Gregorii (l. IV *Dial.*, c. 55) de quodam monacho, quem jusserat nec sepulturæ communi tradi, nec orationibus adjuvari, post legitimum [*ms.* c., longum] spatium reconciliationem eidem præcepit impendi; adsciscans etiam illud evangelicum : quia Filius hominis venit quærere, et salvum facere quod perierat (*Luc.* XIX). Sed et Nicæni concilii (*cap*, 13, *al.* 12) testimonium, quo generaliter cuilibet in exitu posito, et poscenti gratiam communionis tribui præcipitur.

Petro cuidam Romano scribit episcopo, pro his de quibus Formosum papam consuluerat super Herinando Morinensi episcopo, quem Catalaunicæ præficere decernebat viduatæ Ecclesiæ, petitque ut suggerat papæ pro hoc suo consultu, quatenus optatum super eo citius adipisci mereatur responsum : commemorans quod gestum reminiscatur super Actardo Namneticæ urbis episcopo, quod eum Nicolaus papa Morinensi Ecclesiæ postea censuerit præficiendum, ac demum in archiepiscopatu sedis Turonicæ decreverit incardinandum. Precatur etiam ut idoneam super hoc exquirat auctoritatem, repertamque sibi destinet exsequendam. Honorato Belvacensium præsuli scribit, asserit se mirari vehementissime, quomodo id potuerit contingere, ut animus ipsius tam contractus et adversus sibi existeret, cum sciret qualis erga eum fuerit, et qualiter eum loco fratris ac filii semper habuerit, qualique affectu, ut ad eumdem honorem perveniret, decertaverit. Nec tamen ideo desperare debeat, sed quantocius ad pacem et concordiam secum tenendam redeat. Monet igitur eum tanquam filium charissimum, redire ad semetipsum, et cogitare cujus sit ordinis, cujusque professionis, perpendatque quod in nullo ab ipso læsus existat, et si possibile sit, ad se veniat, quatenus de his collato sermone melius conferant. Si vero id fieri nequit, quemdam familiarem sibi dirigat, per quem quæ fert animus eidem remandare valeat. Notificat etiam se audisse quædam de ipso, quæ non facile credere potuerit, scilicet quod rapinis insisteret, alienas possessiones invaderet, et pecunias diriperet : nominatimque designat Rotbertum quemdam apud se fuisse conquestum, quod universa mobilia sua ea abstulerit. « Ego autem, inquit, non hoc de vobis credere possum, sed puto esse aliquem, qui vestra gratia et auctoritate fretus, hæc agere præsumpserit, et idcirco vobis ascribitur quod ab alio gestum est. Si ergo a quocunque vestro id factum est, obsecro ut auctorem hujus mali digne coerceatis, et damnum omne emendare jubeatis. Si autem verum est, quod vos ipsi hoc egeritis, precor ut a tali intentione desinatis et ei qui damnum passus est, sua ex integro restitui faciatis. » Item redarguens eum de nonnullis, quæ ad se non simplici professione scripsisse videbatur, quasi domnus Fulco pacem et concordiam perturbasset. Significaverat etiam a pravis quibusdam suam vexari Ecclesiam, et super hac re nullum ad hoc archiepiscopo petentem se suscepisse responsum. Unde revocat ad memoriam, quia precatu, quam præceptio apud ipsum maluerit obtinere illis hominibus inducias interim dari, quousque simul quivissent ipsi præsules loqui. De quodam quoque Aledramno, quem tunc excommunicare minabatur, et archiepiscopo suam exsequi censuram præcipere videbatur : asseritque se nunquam destinasse communibus et collatis coepiscoporum præceptionibus ac suggestionibus non parere; Belvacensi tamen Ecclesiæ singulariter Ecclesia Remensis parere nesciret. Et quia in hac excommunicatione non ecclesiastica vigere censura, sed præceps prævalere cernebatur animositas. Cujus rei erat initium desertio regis Odonis, et institutio Caroli. Annectitque post aliquanta, de viduatione Ecclesiarum. Silvanectensis videlicet atque Catalaunensis, quarum Silvanectensis tunc elegerat Otfredum, quemque ad Remensem præsulem perduxerant, sibique petierant ordinandum pontificem. Ad quam petit hanc ordinationem venire, remota, ut canonica jubet auctoritas, omni excusatione. Subjungit quoque monens ne intendat ejus animus hæc ita dicta, tanquam eumdem non liceat episcopum ultra in ipsius sperare amicitiam, quam sibi mutuo conjunxerant, quamque inconvulsam omni tempore archiepiscopus tenere cupiebat, et ad honorem suæ sedis, sedem ipsius honorare ac sublimare desiderabat. Sed quia se mordaci reprehensione viderat ejus latenter corrodi litteris, a tanta subreptione se voluerit excusabilem reddere, ne videretur in hoc ei silendo assentire. Item pro ordinatione Mancionis Catalaunensis episcopi,

ad quam eumdem Honoratum venire mandaverat ; sed ille non veniens, etiam ipsam ordinationem reprehensionis elogio notarat : quam tamen reprehensionem archiepiscopus charitatis studio patienter ferebat, mandans et poscens, ut ad ordinationem præmissi Otfridi occurrere studeat, etc. Item pro litteris ab eo sibi directis, in quibus hortatus fuerat, ut statui, et religioni sanctæ Ecclesiæ labentis succurrere deberet. Unde gratiarum vota Deo se persolvere archipræsul asserit, qui ad hoc suadendum ejus excitaverit animum, cum priores ipsius episcopi epistolæ tumidum viderentur præferre rancorem : hæc vero tota fraternum testaretur amorem. Si vero quod verba resonabant, Honoratus corde teneret, paratum se dicit ejus charitati respondere, eamque inviolabiliter conservare. Sed quia tunc opportunum tempus, quo simul convenire valerent, non videbatur, cum Domino juvante, tempus arrisisset, id competenter tam ipsi, quam cæteris suffraganeis prænuntiare curaret. Item pro jussione Stephani papæ, qui mandaverat domno Fulconi, data eidem licentia interim, ut petierat, remorandi quatenus hunc Honoratum episcopum, atque Rodulfum Laudunensem Ravennam mitteret ad synodum ibidem celebrandam. Unde monet, ut sicut papa jubet, ejus præceptioni obtemperet. Teuthbaldo Lingonensi episcopo amicabiles et charitatis utrinque conjunctrices (*ms.*, continetrices) dirigit litteras significans de privatis inter se rebus, quas ei Teuthbaldus per suum significaverat missum, et de communi colloquio secum, de regis quoque et ipsius Teuthbaldi consanguinitate, atque amicitia ipsius episcopi regi Karolo grata. Rogat etiam sibi remandari de Richardo Burgundionum principe, et de Aquitanis, quod eum contigerit scire, etc. Rodulfo jam dicti Dedonis episcopi successori, gratulando de honore ipsius, et profectu in Domino. Item pro quodam ipsius Rodulfi subjecto, sed ab eodem abjecto, monens cavendum ne tradatur in hoc episcopalis opinio, dum quod agitur zelo rectitudinis, feratur fieri zelo exercendæ ultionis : inferens Ecclesiam Remensem hoc ex antiquo privilegium habuisse, ut quicunque diœcesanorum proprios episcopos quolibet offendisse se modo sensissent, ad hanc cæterarum matrem confugerent Ecclesiarum, auxilium sibi veniæ flagitantes ab ipsa. « Ast ego, inquit, nulla in hoc negotio uti volui auctoritate : sed sicut amicus ab amico, imo sicut a specialiter dilecto filio postulare ; eo quod me apud vos, non dicam aliquid, sed bene posse, confidebam. » Subjungens quoque post aliqua, quia miseratio non est prævaricatio : cum Deus quotidie, post minas districtæ ultionis, ad se conversis paternæ consueverit impendere viscera pietatis : et quia nemo sic unquam cadit, ut ei resurgendi copia debeat denegari, etc.

CAPUT VII.

Quæ abbatibus, vel illustribus viris quibusdam.

Stephano cuidam abbati ac nobilissimo viro, qui ad episcopatum electus videbatur, tunc autem forte rejectus vel reprobatus, consolatorias dirigit litteras, amicitiam, quam ei promiserat, asserens se perpetuo servaturum. Dolens vero et ingemiscens, quod eum, quem prælectum regimini gaudebat Ecclesiæ hoc videbat tunc effectu frustratum ; hortatur tamen, ut licet elisus sit fortiter validius resurgat, cupiens eidem omnes propinquos et amicos suos, vel quoscunque alios posset ad pacem et concordiam revocare, etc. Balduino comiti Flandrensi, pro admissis ipsius, de quibus cum coepiscopis diœceseos suæ, quæ forent agenda tractaverat. Qui Balduinus inter alia quælibet prava, etiam presbyterum flagellaverat. Quod factum quanti sit sceleris, ex divinis ostendit auctoritatibus. Basilicas etiam quasdam abstulerat a presbyteris inibi ordinatis, et aliis dederat, inconsulto ipsorum episcopo. Possessionem quoque quamdam, quam rex Ecclesiæ Noviomensi tradiderat, idem Balduinus invadens, per violentiam retinebat. Adnecti ergo canonica et legalia super hujusmodi facinoribus capitula. Redarguit etiam eumdem pro eo quod monasterium monachorum sibi usurpaverat, et insurrexerat contra regem cum infidelitate et perjurio. Super quibus rebus jam dudum data sibi dilatione, et adhibita episcopali admonitione, hanc de loco ad locum sese convertendo videbatur subterfugere. Unde et his eum litteris paterna vocans admonitione, hortatur emendationem profiteri. Quod si non faceret, extorrem se sciret esse a (*ms.*, *deest* a) Christiana communione, etc. Item ad eumdem cum coepiscopis suis scribens ex synodo Remis habita Dominicæ Incarnationis anno 892, arguit eum quod ecclesiastica simul et legalia jura contemneret, res ecclesiasticas, et honores sibi non concessus invaderet, Dei timorem a se projiciens, et fidem quam in baptismate Deo promiserat, operibus abdicans, locum sacri monastici ordinis pervadens, et abbatis sibi nomen usurpans. Unde communi decreto episcoporum judicatum fuerat, eum auctoritatis canonicæ anathemate feriendum. Sed quoniam et Ecclesiæ, et publicis regni utilitatibus videbatur accommodus, censura suspenditur adhuc animadversionis ecclesiasticæ, recogitandique sibi et emendandi spatium reservatur, et obsecratur per misericordiam Dei, ut ab hac præsumptione animum revocet, nec amplius iram Dei contra se provocet, nec (*ms.*, ne) illi quodammodo gladium præbeat, etc. Divinarumque sequuntur auctoritatum testimonia ad correptionem ipsius quoque prolata. Quibus se acquiescere nollet, ab omni se nosset Ecclesiæ consortio sequestrandum, perpetuoque anathemate feriendum. Ipsius quoque propalat excommunicationis sententiam in eumdem, si se corrigere noluit, quantocius jaculandam. Clero et plebi Silvanectensis Ecclesiæ, pro pastoris sibi præferendi scribit electione, succensens, cur ad se venire distulerint, vel apicibus alloqui se, quam viva voce maluerint : mandans ut electa se collegio suo personas, tam ætate quam sapientia maturas et idoneas, ad se mittere maturent, quæ nec gratia, nec odio, aut ullius avaritiæ obtentu, a tramite recto exorbitare ul-

latenus appareant [l., appetant]. Ministris quoque Laudunensis Ecclesiae, pro eo quod audierat inter eos contentiones esse, et conventicula secreta facere. Quapropter monet eos ut filios, quod si haec ita fuerint omnimodis amputentur: conventus autem ipsorum fiat moderatus atque jocundus, in quo secundum ætatem, vel datam sibi a Deo probitatem, omni deposito supercilio, quisque loquatur, etc. De concordia et charitate vera constituenda atque servanda, mittens eis exemplar epistolæ ad Odonem regem pro obtinenda ipsis canonica electione a se missæ, et exhortans, ut unanimes cum sancti Spiritus adjutorio congregati, magnopere satagant, et Dei clementiam attentissime implorent, ut eorum pastorali dignetur adesse electioni. Fratres Corbeiacensis cœnobii litteris suæ visitans admonitionis, redarguit et vehementer increpat super abjectione sui abbatis, quem gravi correptum infirmitate, crudeli abdicaverant temeritate, nec eum ad ipsos venientem, saltem ut peregrinum susceperant, aut ei ullam humanitatem impenderant: sed eum de communi habitatione perturbantes, in vilissimo extra claustra monasterii loco retruserant, et communi statuto firmaverant ut ad eumdem visitandum vel consolandum venire nullus auderet: sed neque moriens communi sepultura dignus haberetur. Unde admirans talem sensibus eorum obrepere potuisse improbitatem, et apostolicas atque regulares, super obedientia præpositis exhibenda, præponens præceptiones, ostendit non eis licuisse abbatem regulariter electum, et archiepiscopi ordinatione rationabiliter institutum, ita contra fas omne dehonorare, et divina humanaque in eo jura vel instituta convellere atque confundere : cum non sit in eorum arbitrio vel potestate, cum voluerint, abbatem deponere, et alium ad libidinem suæ voluntatis instituere. Proponit etiam maledictionem Cham, qui pudenda patris irrisit, et ejusdem complices eos ostendit esse maledictionis (*Gen.* IX) : ac proinde interposito ordinis ipsorum periculo, monet, auctoritate et ministerio sibi a Deo injuncto præcipiens, ut ab hac pertinacia resipiscant, eumdemque sui loci patrem, sicut abbatem honorent ac diligant, donec si convaluerit, et ipse tale onus ferre non potuerit, ipse ad regem excusaturus accedat, ut ejus præceptione, et archiepiscopali auctoritate ipsius in loco alius substituatur abbas.

CAPUT VIII.

De rebus quibus episcopium auxit, et cæteris bonis, quæ in episcopatu egit.

Multa denique bona in hac sede Remensi præsul hic operatus est. Nam et episcopium rebus impetratis pluribus, tam monasterio Avennaco, quam nonnullis aliis, a regibus, ac diversis personis obtentis possessionibus, amplificavit, atque diversis muneribus et ornamentis hanc Remensem ecclesiam decoravit. Urbem quoque (cujus murum, ob ædificationem basilicæ Dei Genitricis Ebo destruxerat) iste novo circumdedit muro. Quædam etiam castella a novo instituit. Altimontem scilicet, et aliud apud oppidum Sparnacum, quod Odo rex, quia deservierat ab eo propter exceptionem Karoli, subvertit. Venerabile quoque beatissimi Remigii corpus ab Orbacensi (*Orbais*) monasterio Remensem revocavit ad urbem. In qua relatione (*l.* I, *cap.* 21) multa et magna sunt ostensa miracula, superius a nobis partim declarata. Eo tempore Nortmannis Francorum terras infestantibus, et diversa loca depopulantibus, hic pontifex plures, tam sacerdotes, quam cæteros clericos et monachos, ad se undecumque confluentes benigne suscepit, et paterne fovit. Inter quos etiam monachos S. Dionysii cum ipsius martyris pretioso corpore, aliorumque sanctorum pignoribus recepit, et aluit. Corpus etiam beati Calixti, concessa sibi vel Ecclesiæ Remensi abbatia ejusdem sancti, Remos deduci fecit, et post altare sanctæ Mariæ venerabiliter collocavit, juxtaque illud pignora beati Nicasii, et sanctæ sororis ejus Eutropiæ, ab Ecclesia tituli sancti Agricolæ honorifice delata, constituit.

CAPUT IX.

De sancto Gibriano et fratribus ejus.

Delata sunt etiam tunc temporis ad Ecclesiam beati Remigii membra S. Gibriani a pago Catalaunensi, ubi peregrinatus fuisse noscitur et humatus. Advenerant siquidem in hanc provinciam septem fratres ab Hibernia, peregrinationis ob amorem Christi gratia : hi scilicet, Gibrianus, Helanus, Tresanus, Germanus, Veranus, Abranus, Petranus, cum tribus sororibus suis Francia, Promptia, Possenna sibi eligentes super fluvium nomine Maternam, opportuna degendi loca. Quorum hinc Gibrianus sanctus sacerdos quemdam vicum elegit ad habitandum Cossa vocatum, ubi plurimis annorum curriculis sobrie, juste, et pie vivens, usque ad exitum vitæ bonum studuit certamen certare. Cujus corpus primo juxta publicum fertur aggerem sepultum fuisse, ubi postea supra tumbam ipsius est oratorii ædicula constructa, ob insignia scilicet quædam miraculorum ibidem manifestata. Ad quam confluere populi solita fuerat frequentia, maxime cum depositionis ejusdem celebrarentur festa. Multa namque inibi sanitatum tribuebantur remedia, ex quibus quædam habentur descripta, sed plurima celantur ignota. Tres tamen mulieres nominibus ascriptis ibidem notantur illuminatæ. Cuidam præterea Grimoaræ [*i*, nomine Grimoart] manus cum integra est sanitate restituta. Tempore denique regis Odonis, grassante Nortmannorum crudelitate, terrasque Francorum vastante, hujus sancti ecclesiola igne cremata est cum aliis multis ejusdem pagi. Post cujus combustionem sæpius auditæ feruntur voces inibi psallentium personarum non apparentium : luminaria tamen quædam noctibus inibi videbantur ardentia. Cumque fama hujuscemodi virtutum circumquaque percrebuisset, superno ductus amore, sanctique veneratione Hadericus [*ms*, Haidericus] religiosus comes, accessit ad Rodoardum episcopum [Ecclesiæ

Catalaunicæ obnixe flagitans, ut, quia locus ille, ubi hoc sacrum corpus sub dio jacebat, funditus erat destructus, daret ei licentiam illud transferendi, ubi devotius et venerabilius servari valuisset. Qui dum diu persistens in precibus tandem suæ petitionis obtinuisset effectum, vocato nauta fertur et nautam dedisse, eo tenore, ut nocte ante galli cantum ad oram fluminis ejus præstolaretur adventum. Cumque statuto noctis tempore viri tres cum quodam sacerdote adessent fluvii ripæ, missi ab hoc comite, nauta defuit, nave ulterioris defixa fluminis oræ. His quoque viris adventum navigeri diu præstolantibus, et vicissim clamantibus, cum nemo eis responderet, dolore perculsi corruunt in terram proni, devote precantes ut si Deo placitum foret corpus illius sancti de loco eodem transferri, aliquibus id eis dignaretur ostendere signis. Moxque navis soluta divina virtute, nexu quo tenebatur affixa, ripæ qua exspectabatur mirabiliter accedit appulsa. Quod admirando perspicientes, et maximas Deo gratias referentes, ascendunt navem, de voluntate Dei securiores effecti. Venientesque ad locum sepulcri, et aperto saxeo in quo sacra membra jacebant sarcophago, reverenter elevant, transponentes hæc in præparato ad id opus congruo sermolo; sicque cum ingenti gaudio remeantes ad navem, transeunt celeriter flumen, hoc pignus cum laudibus deferentes ad vicum Balbiacum (*Belly*), ubi per triennium constat venerabiliter conservatum. Post hæc ad ecclesiam beati Remigii honorifice est delatum, et custodi ecclesiæ devote commissum, juxtaque sepulcrum hujus sanctissimi patris honorifice collocatum. Post biennium post hæc comes cum uxore sua Herisinde dominum Fulconem præsulem humiliter expetiit, postulans ut ei locum sepulturæ concederet in dextera hujus ecclesiæ parte, juxta ostium cryptæ. Quo impetrato, et altari statuto, atque argenteo decore cooperto, illic decenter hæc venerabilia deponuntur membra. Denique postquam a præfato sepulturæ suæ sublata sunt loco, quædam mulier cæca, Erentrudis nomine, illo candelam deferens accessit, impetrandæ causa medelæ. At comperto sacrum corpus inde sublatum penitus esse, nimio languore affecta cœpit flendo conqueri cur sanctus hic Domini abinde se permisisset auferri? cur deseruisset vicinos, quibus beneficia solitus erat præbere divina? Subveniri ergo sibi gemitibus exposcens, visum sibi est proficisci deinde ad vicum Mataugum (*Marauq*), ubi frater ejus sanctus quiescebat Vetanus. Ad cujus sepulcrum candelam ponens, seseque in oratione prosternens, cœpit flendo utrumque invocare fratrem. Denique sancti nomen crebro repetit Gibriani, cœpit caligo albuginis ab oculis ejus abrumpi; sicque divina propitiante pietate protinus redonatur lumine. Præfatus denique præsul venerabilis Fulco, sollicitus circa Dei cultum et ordinem ecclesiasticum, studio quoque sapientiæ fervens, duas scholas Remis, canonicorum scilicet loci, atque ruralium clericorum, jam pene dilapsas restituit, et evocato Remigio Antissiodorensi magistro, liberalium artium studiis adolescentes clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ operam dedit. Sed et Hucbaldum sancti Amandi monachum, virum quoque disciplinis sophiæ nobiliter eruditum accersivit, et Ecclesiam Remensem præclaris illustravit doctrinis.

CAPUT X.

De interemptione Fulconis archiepiscopi.

Accidit autem ut abbatiam sancti Vedasti, quam Balduinus comes tenebat cum Atrabatensi castro, rex Karolus pro infidelitate Balduini ab eo auferret, atque huic præsuli eam concederet, Altmaro quodam comite abbatiam sancti Medardi tenente: quam sibi visum est, opportunitatis gratia, cum eodem comite commutare debere, quod et egit. Accepit itaque ab eodem Altmaro abbatiam sancti Medardi, et dedit illi abbatiam sancti Vedasti, recepto per vim obsidionis a Balduino Atrabatensi castro. Cujus anxietatis dolore succensus tam Balduinus, quam omnis ejus comitatus, dum quærunt qualiter ulcisci se possint, amicitiam cum eodem præsule se fingunt resarcire, quærentes ultionis locum, explorantesque quomodo a metatu suo ad regis colloquium stipatoribus vallatus proficisci soleret: quadam die, dum paucis admodum comitatus, regis peteret alloquium, eum in via, duce quodam Winemaro aggredientes interimunt. Et quidem primum quasi de amicitia et recuperatione Balduini affantur; demum vero improvisum lanceis impetunt, prosternunt ac perimunt. Quidam vero suorum sese ob nimium ejus amorem super ipsum prosternentes, pariter cum eo transfixi et interempti sunt. Cæteri qui superfuere, his qui ad hospitalia remanserant, hæc maximi sui doloris nuntia portant. Qui rei novitate perculsi, armisque muniti, percussores episcopi conantur ultione adoriri. Quibus minime repertis, corpus exanime, immensis ejulantes plangoribus, levant, et cum ingenti suorum omnium luctu Remensem ad urbem deferunt. Ibi tandem lotum, et dignis exsequiis honoratum, decenti est sepulturæ mandatum. Cujus antistitis hoc habetur epitaphium:

Hoc tumulo magni Fulconis membra teguntur,
Remorum sedis præsulis egregii.
Germine nobilium quem Francia protulit ortum,
Aulaque de schola sumpsit, et extulit.
Hunc Deus assumptum statuit virtute probatum,
Ecclesiæ speculum, pontificemque pium.
Septenos denosque simul cui præbuit annos,
Tres menses, denos insuper atque dies.
Auxit episcopium superaddens plurima rerum,
Urbis et ipsius mœnia restituit.
Ordinis honor, patriæ tutor, pietatis amator
Pro studio pacis conficitur gladiis.
Septenum decimumque diem jam mensis agebat
Junius, ut dira morte peremptus abit (Apud Baron. edit.)
Cui Matris Domini, pariter quoque præsulis almi
Remigii pietas obtineat requiem. Amen.

Denique Winemarus ejus interemptor ab episcopis regni Francorum cum suis complicibus excommunicatus et anathematizatus, insuper insanabili a Deo percussus est vulnere (*Baron.*, ulcere), ita ut computrescentibus carnibus, et exundante sanie, vivus devoraretur a vermibus; et dum pro-

pter immanitatem fetoris nullus ad eum accedere posset, miserrimam vitam miserabili decessu finivit.

CAPUT XI.

De præsulatu domni Herivei.

Sequitur in pontificatu Remensi domnus Heriveus, ex aula quoque regis ad episcopatum assumptus, vir genere nobilis, nepos videlicet ex sorore Hucbaldi comitis, qui juvenis quidem ad hunc provectus est honorem, exsequentibus et rite celebrantibus ejus ordinationem Riculfo Suessorum episcopo, Dodilone Cameracensi, Otgario Ambianensi, Mancione Catalaunensi, Rodulfo Laudunensi, Otfrido Silvanectensi, cæterisque diœcesaneis consensum præbentibus, et decretum hujus ordinationis corroborantibus. Qui mox huic adeo gradui sese exhibere studuit habilem, bonis omnibus præbens amabilem, ipsis etiam senibus imitabilem : benignus amator existens pauperum, largus solator religiosorum, multumque misericors recreator lugentium miserorum : ecclesiasticis apprime cantilenis eruditus, ac psalmodia præcipuus, et hujus exercitatione limitatus, animo vultuque jocundus, suavis atque mitissimus, omnique bonitate conspicuus, pater cleri, atque totius populi pius patronus : tardus ad irascendum, et velox ad miserandum amator Ecclesiarum Dei, et fortissimus ovilis sibi commissi cum Dei virtute defensor. Recepit denique res diversas et villas Ecclesiæ, quas antecessor suus per precarias sive præstarias diversis contulerat personis. Cui sedula intentione sectanti spiritalia, affluenter exuberabant temporalia, quæ ipse honesta dispensabat prudentia, disponens competentibus episcopium ministerialibus, ipse orationibus incessanter intentus. Replentur igitur Ecclesiæ diversa bonis uberrimis tam horrea, quam promptuaria ; disponuntur cuncta tum rationabiliter, tum misericorditer prædia, sed et quædam reparantur ab eo, vel etiam instituuntur municipia.

CAPUT XII.

De relatione beati Remigii ad monasterium suum.

Hic præsul corpus beati Remigii, quod eatenus in civitate servabatur locatum post altare Dei Genitricis majoris ecclesiæ, ad basilicam sepulturæ ipsius sancti referre disposuit (*an.* 901, IV *Kal Januarii*). Erat autem hiemale tempus, et ad celebrandam Dominici natalis solemnitatem, tam rex Karolus, quam nonnulli proceres ejus in hanc convenerant urbem. Cumque his diebus, multis imminentibus imbribus, nimium per totam, et circumquaque haberetur lutum, conqueri multi cœpere qualiter illud sanctum corpus tunc ad locum destinatum valerent efferre. Factum est autem, ut nocte post sanctorum Innocentium natale, cujus insequente die id operis disponebatur expleri, Borea ex improviso media nocte insurgente, totius subito cæni gelaretur immanitas, ita ut humi limique humore desiccato, per glaciei repente datæ superficiem, sicco liberoque vestigio, membra sacra [*ms. j,* sacri] valerent deferri pontificis. At ubi extra civitatem ventum est ad locum, unde monasterium ipsius directo jam peteretur iti-

A nere, claudus quidem, de quo jam supra retulimus, virtute divina erectus, et incolumitati est restitutus. Ubi cum multus haberetur populus, turbis undique confluentibus, principi Burgundiæ Richardo vaginæ auro exornatæ, gemmisque decenter excultæ, agminis densitate stipato, abscinduntur a balteo. Quas quidam negotiator emptas per diversa detulit fora, nec alicubi venundare potuit, donec post annum ad eumdem principem in Burgundiam [*ms.*, in Burgundia] retulit, quas ille cum gratiarum actione, et sancti Remigii benedictione recepit.

CAPUT XIII.

De reparatione castri Mosomi, aliarumque munitionum quarumdam, vel ecclesiarum.

B Hic pontifex castrum Mosomum (*Mouson*) reparatis muniit muris, et ecclesiam inibi dirutam a novo restauravit, atque in honore sanctæ Dei Genitricis, ut olim fuerat, dedicavit, collocatis [*j,* collatis] ibi sancti Victoris ossibus, quæ haud procul ab eo fuerant castello reperta. Munitionem quoque apud Bodiciacum (*Coucy*) tuto loco constituit, atque firmavit. Aliam nihilominus munitionem apud Sparnacum super fluvium Maternam construxit. Ecclesias etiam nonnullas, quæ sub persecutione Nortmannorum dirutæ fuerant, restaurari fecit atque consecravit. Sed et in Vosago infra possessionem beati Remigii ecclesiam construxit, ac per assensum Magontiacensis episcopi, depositis inibi pignoribus
C ejusdem sancti, dedicavit. Remis quoque ecclesiam in honore sancti Dionysii extra murum civitatis a canonicis urbis constructam consecravit, ubi et membra sanctorum beati Rigoberti episcopi, et sancti Theodulfi abbatis servanda deposuit. Cryptam quoque sub ipsa sede majoris ecclesiæ, quæ diu tellure manserat oppleta, ubi beatus Remigius secreto preces Deo fundere fertur assuevisse, mundatam et excultam in honore ipsius sancti præsulis consecravit. Multis quoque donariis Remensem Ecclesiam perornavit, coronis argenteis atque lampadibus, tam aureis, quam argenteis, illuminavit. Aliis etiam vasis utriusque hujus pretiosi metalli, sed et gemmeis [*j,* gemmis] locupletavit. Insuper et altare in medio chori sub honore sanctæ Trinitatis
D edidit atque dicavit, et tabulis argento coopertis circumdedit. Crucem quoque majorem auro cooperuit, et gemmis cum sacrosanctis pignoribus decenter insignivit. Ornamentis etiam holosericis quam plurimis almam decoravit aulam. Mihi quoque et cæteris tam clericis canonicis, quam monachis, et sanctimonialibus, omnibusque pro diversis eum petentibus necessitudinibus multa largitus est bona.

CAPUT XIV.

De synodalibus consiliis habitis, et Nortmannorum conversione, vel expeditione contra Hungaros.

Conventus denique synodales sæpe cum coepiscopis suæ diœceseos habuit : in quibus de pace et religione sanctæ Dei Ecclesiæ, statuque regni Fran-

corum salubriter competenterque tractavit. De Nortmannorum quoque mitigatione, atque conversione valde laboravit, donec tandem post bellum, quod Robertus comes contra eos Carnotenus gessit, fidem Christi suscipere ceperunt, concessis sibi maritimis quibusdam pagis, cum Rothomagensi, quam pene deleverant urbe, et aliis eidem subjectis. Ad petitionem quoque Witonis tunc Rothomagensis episcopi, collecta ex diversis auctoritatibus sanctorum Patrum viginti tres capitula qualiter ipsi Nortmanni tractari deberent, eidem archiepiscopo delegavit. Insuper etiam Romanum pontificem super hujuscemodi negotio consulere studuit. Ad cujus consulta quæ circa gentis hujus conversionem exsequenda forent, insinuare non destitit. Hungaris quoque regnum Lothariense deprædantibus, dum Karolus proceres Francorum in auxilium sibi contra gentem ipsam convocaret, solus hic præsul ex omnibus regni hujus primatibus, cum suis tantum in defensionem Ecclesiæ Dei regi occurrit, habens armatos secum (ceu fertur) mille quingentos.

CAPUT XV.

De Karoli regis a suis derelicti sustentatione.

Sequenti vero anno (920), cum pene cuncti Francorum optimates apud urbem Suessonicam a rege suo Karolo desciscentes, propter Haganonem consiliarium suum, quem de mediocribus electum super omnes principes audiebat et honorabat, eum penitus reliquissent, hic pontifex fidelis et pius atque robustus in periculis semper existens, regem intrepidus ab eodem loco suscipiens, ad metatum suum deduxit; indeque secum ad urbem Remensem perduxit, per septem fere menses eum prosecutus atque comitatus est, donec illi comites suos, eumdemque regno restituit.

CAPUT XVI.

De Erlebaldi comitis excommunicatione, et absolutione.

Excommunicavit hic præsul Erlebaldum comitem Castricensis pagi, propter Remensis episcopii terram quam pervaserat, ibique munitionem quamdam super Mosam construxerat, indeque frequentia ecclesiasticæ familiæ mala ingerebat. Insuper et castrum Altimontem fortiter irruperat. Sed cum nec ita cessaret a malis quæ cœperat, pergit archiepiscopus cum suis ad capiendam munitionem, quam ille construxerat Maceriasque (*Mézières sur la Meuse*) nominabat. Quam per quatuor pene hebdomadas obsidens, deserente tandem illam Erlebaldo, cepit, et dispositis inibi custodiis Remis rediit. At Erlebaldus profectus ad regem, qui tunc morabatur in pago Warmacensi contra Henricum principem Transrhenensem, ibidem ab hostibus regis sibi supervenientibus interemptus est. Quem tamen postmodum in synodo quam apud Troslegium idem dominus archiepiscopus cum diœcesaneis suis habuit, intercedente rege et obnixe flagitante, a vinculo excommunicationis absolvit.

CAPUT XVII.

De obitu Herivei præsulis.

Excrescente denique discordia inter regem Karolum et Rotbertum, cum pene cuncti regni proceres ad constituendum regem Robertum apud S. Remigium congregati essent, idem archiepiscopus, languore depressus, vita decessit, tertia die scilicet postquam Robertus rex factus fuerat, quarto vero die antequam vicesimum secundum sui episcopatus expleret annum. Contigit autem ut ipsa die sui decessus plures qui advenerant episcopi, Remensem ingrederentur urbem, quique funus ipsius dignis exsequiis celebrantes, cum maximo suorum, sed et exterorum luctu, decenti tradidere sepulturæ.

CAPUT XVIII.

De successione Seulfi episcopi.

Successit huic præsuli Seulfus, qui tunc urbis hujus ministerio fungebatur archidiaconatus: vir tam ecclesiasticis, quam sæcularibus disciplinis sufficienter instructus, quique apud Remigium Antissiodorensem magistrum in liberalibus studium dederat artibus. Quo per consensum et jussionem Roberti regis ab Abbone Suessonico, cæterisque Remensis provinciæ præsulibus ordinato episcopo, delati sunt Odo frater quondam Herivei archiepiscopi, et Heriveus nepos ipsius apud eumdem præsulem, quod fidelitatem, quam ei promiserant, minime servarent. Qua de re, quia noluerunt ad reddendam venire rationem coram eodem pontifice, vel singulari certamine cum accusatoribus decernere, sublatis sibi Ecclesiæ possessionibus, quas plures ex hoc retinebant episcopio, per Heribertum comitem deducti sunt ad Robertum Regem, et sub custodia usque ad mortem regis Rotberti, Odo quidem penes eumdem Heribertum, Heriveus vero Parisius detenti sunt. Fertur autem tunc ab hoc archiepiscopo, et a consiliariis suis, Heriberto comiti depactum, de electione filii sui in hac sede pro prædictorum virorum expulsione. Hic denique præsul legatos hujus Ecclesiæ Romam dirigens, pro consensu papæ Joannis (*Joan. X*) in ordinatione sua pallium ab eodem sibi missionem litteris privilegii hujus sedis suscepit.

CAPUT XIX.

De synodo quam habuit, et cæteris actibus, vel fine ipsius.

Hic etiam synodum habuit (924), in villa Trosleio cum episcopis Remensis diœceseos, ubi adfuere nonnulli quoque comites: in qua et Isaac comes ad satisfactionem venit pro his, quæ prave perpetraverat adversus Ecclesiam Camarensem, quoddam castellum Stephani præsulis ejusdem urbis, dolosa comprehensum pervasione, succendens. Pro quo facinore vadatus in hac synodo, centum libris argenti pacatur cum præfato Stephano episcopo, satagente Heriberto, et aliis qui aderant Franciæ comitibus. Hic præsul monasterium sancti Remigii, cum adjacentibus ecclesiis, vel domibus muro cingens, castellum ibidem instituit, domum episcopalem cameris reparans, picturis excoluit. Fecit et calicem aureum majorem cum gemmis, in honore Dei Genitricis, pondo decem librarum, sed et alia quædam ecclesiæ præparavit ornamenta. Ciborium quoque super altare sanctæ Mariæ argento aggressus est operire,

quod opus morte præventus explere nequivit. Fertur autem veneno potatus a domesticis, vel familiaribus Heriberti comitis vitam finisse.

CAPUT XX.

De electione Hugonis filii Heriberti.

Nec mora, post obitum ipsius (925) Heribertus comes Remis venit, advocans Abbonem episcopum Suessonicum, et Bovonem Catalaunicum. Quibus sibi junctis tractans super electione rectoris hujus Remensis Ecclesiæ, tam clericos, quam laicos ad voluntatem suam intendere fecit. Sequentes igitur ejus consilium ne forte per extraneas personas episcopatus divideretur, eligunt filium ipsius, nomine Hugonem, admodum parvulum, qui nec adhuc quinquennii tempus explesset. Qua re patrata ad regem properant, ejus auctoritatis impetrandæ gratia. Rodulfus igitur rex, hac electione comperta, præfatorum episcoporum consilio Remensem episcopatum committit Heriberto, æquitatis censura disponendum atque regendum ab ipso. Qui etiam legatos Ecclesiæ cum Abbone præsule Romam mittere satagit, hujus electionis decretum secum ferentes, et assensum papæ super ea petentes. Joannes itaque papa, interveniente Abbone præsule, petitioni eorum consensum præbens, episcopium Remense Abboni episcopo delegat, quæ sunt episcopalis ministerii ab ipso in eodem episcopio tractanda ac finienda decernens. Heribertus itaque comes potestate potitus Remensis episcopii, injuste privavit tam me, qui non interfueram præmissæ electioni suæ, quam nonnullos alios, et clericos, et laicos beneficiis possessionum ecclesiasticarum, quibus a præcedentibus episcopis munerati videbamur obsecundationis gratia. Quæ pro libitu suæ voluntatis, quibus, sibi placuit, impertivit. Nec longum postea, tumultu infra claustrum canonicorum inter clericos exorto, supervenientibus quibusdam militibus cum armis, duo interempti sunt ibidem clerici, quorum alter diaconus, alter habebatur subdiaconus.

CAPUT XXI.

De infestatione Hungarorum, et discordia inter Rodulfum regem, et Heribertum comitem.

(926) Hungaris Rhenum transgressis, et usque in pagum Vonzinsem depopulationibus incendiisque bacchantibus, corpus sancti Remigii, aliorumque quorumdam sanctorum pignora Remis hoc metu a suis sunt locis delata. Sequenti denique anno simultas inter Rodulfum regem, et Heribertum comitem exoritur pro Laudunensi comitatu, quem Heribertus Odoni filio suo dari petebat, concedente illum rege Rotgario Rotgarii comitis filio. Acies igneæ Remis in cœlo visæ quadam Dominica die, in Martio mense. Cui signo pestis e vestigio successit, quasi febris et tussis : quæ prosequente quoque mortalitate, per cunctas Germaniæ Galliæque gentes desæviit. Heribertus comes legatos suos trans Rhenum dirigit ad Henricum, per quos ad ipsius evocatus colloquium, properat cum Hugone Rotberti filio, pactoque inter se fœdere, muneribus Henricum honorant, et honorantur ab ipso. Synodus (*Trosleiana, an.* 927) sex episcoporum Remensis diœceseos apud Trosleium, Heriberti comitis jussione convocata, rege tamen Rodulfo contradicente, patrata est. Postquam synodum Heribertus Karolum de custodia, in qua eum detinebat, ejecit, et ad sanctum Quintinum deduxit, indeque cum eodem Karolo Nortmannorum colloquium expetiit : ubi se Willelmus, filius Rollonis principis Nortmannorum, Karolo commendavit, et amicitiam cum Heriberto confirmavit. Deinde Remis veniens cum Karolo Heribertus comes, litteras Romam Joanni papæ dirigit, significans ei de restitutione et honore Karoli, ut ille sibi, etiam sub excommunicationis interminatione, mandaverat se pro viribus decertare. Reversus autem missus, qui easdem pertulerat litteras, nuntiat Joannem papam retrusum in custodia detineri a Widone regis Hugonis fratre. Heribertus comes Lauduno potitus, exinde ad placitum Nortmannis obviam proficiscitur amicitiamque cum eis componit, filius tamen ipsius Odo, quem Rollo habebat obsidem, non illi redditur, donec se committit Karolo pater, cum aliis quibusdam Franciæ comitibus et episcopis.

CAPUT XXII.

De introductione Odalrici Aquensis episcopi Remis, et redactione sub custodia Karoli regis.

Per idem fere tempus Odalricus Aquensis episcopus, qui ob persecutionem Saracenorum a sede sua recesserat, in Ecclesia Remensi recipitur ab Heriberto comite, ad celebrandum episcopale duntaxat ministerium, vice Hugonis, ipsius comitis filii, tunc adhuc parvuli, concessa eidem præsuli abbatia sancti Timothei, cum unius tantum præbenda clerici. Hugo et Heribertus comites ad colloquium proficiscuntur Henrici. Unde reversi pergunt obviam Rodulfo regi, rursusque Heribertus committit se illi, redacto iterum sub custodia Karolo. At Rodulfus rex Remis veniens ubi Karolus custodiebatur, pacem fecit cum illo, humilians se ante ipsius præsentiam, et reddens illi Attiniacum fiscum, muneribus quoque quibusdam regiis eumdem honorat. Heribertus comes Victoriacum (*Vitry*) (929) castellum Bosonis fratris Rodulfi regis cepit. Deinde cum Hugone Monasteriolum (*Montreuil*) munitionem Erluini comitis juxta mare sitam obsidet, obsidibusque tandem acceptis, ab obsidione discedit.

CAPUT XXIII.

De simultate inter Hugonem et Heribertum comites, ac Rodulfum regem exorta.

Nec longum, simultas inter eosdem comites, Hugonem scilicet ac Heribertum, exoritur, recepto Erluino ab Hugone cum terra sua, et Hilduino, necnon et Arnaldo, qui erant Hugonis, ab Heriberto : indeque diversi motus agitantur bellorum per Franciam inter Hugonem et Heribertum. Cujus rei gratia Rodulfus rex de Burgundia veniens, pacem inter eos atque Bosonem, multo labore per diversa placita componit, et Heribertus Bosoni Victoriacum reddit.

Paucis autem diebus pace servata, Heribertus Ansellum Bosonis subditum, qui prædictum custodiebat castrum, cum ipso castello recipit, et Codiciacum S. Remigii municipium illi cum alia terra concedit. Nec longum, Bosonis fideles oppidanorum proditione Victoriacum recipiunt, et Mosomum fraude pervadunt. At Heribertus a quibusdam Mosomensibus evocatus, supervenit ingenitus, transmissaque Mosa civibus inopinatis, et intrans oppidum, porta latenter a civibus aperta, milites Bosonis, qui ad custodiam loci residebant, ibidem omnes capit. Eodem tempore ante Natalem Domini, Remis infra et circa ecclesiam sanctæ Mariæ lumen magnum ab Apsidonari et orientali parte paulo ante initium diei apparens, ad Australem partem pertransisse visum est. Anno post hunc Heribertus comes a rege Rodulfo desciscit, et milites ipsius ab urbe Remensi profecti, quoddam Hugonis castrum super Vidulam situm, nomine Braianam (*Braine sur Vesle*), quod idem Hugo tenerat ab episcopo Rothomagensi, capiunt ac diruunt.

CAPUT XXIV.

De ordinatione domni Artoldi episcopi.

Rodulfus rex litteras Remis mittit ad clerum et populum, pro electione præsulis celebranda: ad quas illi respondent, id agere se non posse, salvo suo electo, et electione, quam fecerant, permanente. Interea Heribertus comes ad Henricum profectus, ei sese committit, et exercitus regis atque Hugonis Remensem et Laudunensem depopulantur pagum: obsessaque civitate Remorum, tertia tandem rex potitur obsidionis hebdomada, apertis illius sibi militibus ecclesiæ. Conjunctis igitur sibi nonnullis episcopis ex Francia vel Burgundia, facit ordinari hac in sede præsulem Artoldum quemdam ex cœnobio sancti Remigii monachum. Exinde rex pergens Laudunum, obsidet inibi Heribertum, qui aliquandiu resistens, petit demum egrediendi locum. Quo accepto, recedit a Lauduno, dimissa uxore sua in arce quam construxerat ipse infra idem castrum, et ad quam postea capiendam majoris laboris et moræ opus regi fuit (931). Artoldus episcopus post annum ordinationis suæ pallium suscipit missum sibi per legatos Ecclesiæ Remensis a Joanne papa (*Joan. XI*) filio Mariæ, quæ et Marocia dicebatur, vel ab Alberico patre fratre ipsius papæ, qui eumdem Joannem fratrem suum in sua detinebat potestate, et prædictam matrem ipsorum in custodia clausam tenebat: Hugonem quoque regem Roma depulerat. Rodulfo rege præsidium Heriberti, quod dicitur castellum Theoderici, obsidente, congregatis ad hanc obsidionem nonnullis Franciæ vel Burgundiæ præsulibus; ibidem celebrata est synodus (*Theoderici apud Cast.*) præsidente eodem Teutilone Turonensi antistite. Artoldus Remensis quoque tunc Hildegarium Belvacensi urbi ordinavit episcopum. Eodem quoque anno Fulbertum Cameracensis urbis præsulem consecravit.

CAPUT XXV.

De signis Remis visis, et morbis inde secutis.

Sequenti anno (934) ignes Remis in cœlo discurA rere visæ sunt acies, et jacula quædam. Sed et serpentes igneas per aerium celeri deferri meatu, moxque subsecuta pestis diversis afficit humana corpora morbis. Anno post istum secuto (935) synodus septem episcoporum apud sanctam Macram, Artoldo episcopo vocante convenit: in qua prædones et ecclesiasticarum rerum pervasores ad satisfactionem venire vocantur.

CAPUT XXVI.

De receptione Ludovici post mortem Rodulfi regis.

Anno denique subsequente (936) defuncto rege Rodulfo, Hugo comes trans mare mittit pro accersendo Ludovico Karoli filio (*Lud. Caroli Simpl. filius*) quem rex Alstannus avunculus ipsius nutriebat, quique accepto jurejurando a Francorum legatis, cum in Franciam dirigit. Cui Hugo, cæterique B Francorum proceres ad eum suscipiendum, profecti, mox navem egresso in ipsis littoreis arenis apud Bononiam sese committunt; ut erat utrinque depactum. Inde Laudunum deductus, ab ipsis regali benedictione ditatur, ungitur, atque coronatur ab Artoldo archiepiscopo præsentibus regni principibus, et episcopis amplius viginti. Episcopatus etiam Laudunensis datur Rodulfo ejusdem loci presbytero concorditer a civibus suis electo, quem præfatus quoque ordinavit archiepiscopus. Sed et per alias Remensis diœceseos sedes, excepta Catalaunensi et Ambianensi, diversos ordinavit episcopos, Heriberto denuo cum Hugone pacato (936), homines ejusdem Heriberti comitis quoddam castrum Remensis ecclesiæ, C quod vocabatur Causostis, super Maternam fluvium, ab Artoldo præsule constructum, prodente quodam Wiperto capiunt, et Ragembertum Artoldi præsulis consobrinum, qui eidem præerat munitioni, comprehenduut, circumpositasque villas ecclesiæ crebris deprædantur infestationibus. Interea rex Ludovicus, accersitus ab Artoldo episcopo, Laudunum venit, et arcem novam inibi nuper ab Heriberto editam vallat obsidione, multisque tentato machinis muro, tandemque suffossione diruto magno capit irruptum labore. Corbanacum (*Corbeny*) quoque castrum, quod pater ejus sancto Remigio tradiderat, quodque sibi monachi ipsius monasterii commiserant, ab Heriberti subjectis bellando recepit, et homines Heriberti, D qui erant in eo comprehensos, rogante Artoldo præsule, salvos ad suos abire permisit.

CAPUT XXVII.

De excommunicatione Heriberti comitis.

(939) Artoldus denique episcopus cum quibusdam aliis episcopis collocutus, Heribertum, qui oppida quædam villasque Remensis ecclesiæ pervaserat ac detinebat, in præsentia quoque regis excommunicat (940). Post hæc rex Ludovicus dedit Artoldo episcopo, ac per eum ecclesiæ Remensi, per præceptionis regiæ paginam, Remensis urbis monetam, jure perpetuo possidendam. Sed et omnem comitatum Remensem eidem contulit ecclesiæ. Artoldus episcopus Causostem munitionem obsidet, quam quinto tandem die Ludovico rege illuc veniente, hii qui erant intus reddentes: dese-

runt. Nec longum, subversa funditus ab his qui receperé dissipatur. Missi Hugonis ad regem veniunt, et de pace cum eis rex inter Artoldum præsulem et Heribertum laborare studet. Deinde ad castrum quoddam, quod Heriveus nepos Herivei, quondam archiepiscopi, super fluvium Maternam tenebat, unde et villas episcopii Remensis circumquaque positas deprædabatur, proficiscitur cum Artoldo episcopo. Nec mora; obsidibus acceptis ab ipso Heriveo revertitur Remis; pergensque in crastinum ad sanctum Remigium, sese ipsius sancti committit intercessionibus, promittens vadibus libram argenti se daturum annis singulis. Monachis quoque ejusdem loci præceptum de eodem castello dedit immunitatis.

CAPUT XXVIII.

De expulsione domni Artoldi ab urbe Remensi.

Hugo (*dictus Magnus*) princeps, filius Rotberti, junctis sibi quibusdam episcopis tam Franciæ quam Burgundiæ, cum Heriberto comite et Willelmo Nordmannorum principe Remensem obsidet urbem, sextaque obsidionis die, deserente omni pene militari manu Artoldum episcopum, et ad Heribertum transeunte, idem comes Heribertus urbem ingreditur. Artoldus præsul ad sanctum Remigium, evocatione procerum episcoporum profectus, persuasus est, vel conterritus a principibus episcopii se procuratione vel potestate abdicare, concessaque sibi abbatia sancti Basoli, et Avennaco monasterio, ad sanctum Basolum commoraturus abscessit, post annos octo et menses septem [*ms.*, sex] in episcopatu exactos. Hugo et Heribertus locuti cum quibusdam Lothariensibus, ad obsidionem Lauduni cum Willelmo proficiscuntur, relicto Remis Hugone diacono, Heriberti filio, jampridem ad episcopatum ipsius urbis evocato, quique tertio postquam regressus est mense, presbyter a Widone Suessonico præsule ordinatus est, expletis postquam fuerat electus annis quindecim, quos Antissiodori commorans egerat, litterarum studiis occupatus, apud Widonem ipsius urbis antistitem, a quo et diaconus ordinatus fuerat. Nam cæteros inferiores gradus ab Abbone Suessonico præsule Remis acceperat. Ludovico rege post hæc a Burgundia regresso, Artoldus episcopus deserens cœnobium sancti Basoli, ad eumdem regem proficiscitur cum quibusdam propinquis suis, a quibus ecclesiæ beneficia, quæ tenebant, Heribertus comes abstulerat. Mihi quoque ecclesiam Colmisiaci (*Cormicy*) vici abstulit cum terra beneficii, quam tunc temporis tenebam. Ego denique disponens, orationis gratia, sepulcrum visere sancti Martini, retentus sum ab ipso, clam me quibusdam personis insimulantibus apud eum, quod sui causa nocumenti, vel filii sui vellem proficisci; et quia renutabam me huic electo nostro committere, nesciens utrum Deo placeret eum præsulem nostrum fore. Sicque plenis quinque mensibus apud fratres nostros, ipso comite jubente, sub custodia partim libera sum detentus.

Contigit autem mihi, devotione mea beata Dei Genitrice intercedente, ut ipsa die Quadragesimæ (2 *Martii*), et passionis (27 *Martii*) Domini nostri Jesu Christi absolverer a custodia, et die tertio, scilicet VI Kal. Aprilis, qua Dominus e mortuis resurrexit, egressus ipse cum prælato electo nostro ad urbem Suessonicam profectus sum. Ubi convenientes episcopi hujus diœcesis cum principibus Hugone ac Heriberto (*Syn. Suess.*, an. 941), tractabant quid eis esset agendum super episcopali hujus Hugonis ordinatione; sicque decreverunt, præsentibus quibusdam filiis ecclesiæ Remensis, tam clericis quam laicis, eum ordinandum, asserentibus fautoribus ipsius, quod Artoldus nequaquam electus, sed per violentiam fuerit intromissus, seseque episcopali abdicaverit ditione. Ea ergo Hugo princeps tunc me per manum (*l.* manus) accipiens, huic Hugoni nepoti suo ad beneficiendum commisit; quippe mihi ecclesiam sanctæ Mariæ dedit in Colrido sitam, terram quoque quam pater suus mihi abstulerat, reddidit, et aliam in prædicta villa superadjecit.

CAPUT XXIX.

De malis quæ deinceps consecuta sunt.

Nec mora, civitatem Remensem a prælato conventu adeuntes episcopi, prætaxatum electum nostrum in ecclesia sancti Remigii dignitate sublimant archiepiscopali. Sub his enim fere diebus monasterium sancti Theoderici nonnullis illustratur miraculis de quibus jam quædam supra retulimus (*lib.* I, *c. ult.*), ubi commemorationem ejusdem beati viri fecimus. Ab ecclesia vero sanctæ Mariæ Remis crux major, quam domnus Heriveus archiepiscopus auro cooperuerat, et gemmis ornaverat, a furibus noctu, tenebrarum scilicet amatoribus, aufertur. Quæ diu quæsita, tandem post annum pars auri gemmarumque ipsius multatis reperitur latronibus. Ex quo postmodum auro hic præsul, adjecta quadam sui quoque muneris quantitate, calicem sub honore Dei Genitricis fabricari fecit. Hugone ac Heriberto Laudunum pariter obsidentibus, rex Ludovicus, sumptis secum quos undecunque colligere potuit in pagum Portensem venit. Quo audito Hugo, et Heribertus scilicet quod rex eis appropinquaret, obsidione relicta, properant contra, et insperatum regis invadentes exercitum, nonnullos sternunt, reliquos in fugam vertunt. Rex ipse cum paucis eductus a suis, et eximere se bello coactus, vix evasit, Artoldo episcopo et Rotgario comite comitantibus secum. Artoldus episcopus, perditis rebus quas ibi habuerat, ad Hugonem et Heribertum accessit adductus ab amicis, redditisque sibi abbatiis sancti Basoli et Avennaco cum villa Vindenissa [*Vendeuvre*], et pacta pace cum Hugone præsule, ad sanctum Basolum, illic habitaturus devenit. Sequenti anno (942) proditores quidam Remis reperti, et interfecti sunt; quidam rebus ecclesiæ privati ab urbe depelluntur. Legati Remensis ecclesiæ Roma regressi pallium deferunt Hugoni archiepiscopo, ab Stephano

papae (*Steph. VIII*) transmissum. Cum quibus pariter et legatio venit principibus regni, ut Ludovicum regem recipiant, et sic legatos suos Romam dirigant.

CAPUT XXX.

De occupatione Altimontis castri, vel Mosomi, et morte Heriberti.

Anno quoque post istum (943) Artoldus episcopus, relicto coenobio sancti Basoli, ad regem profectus est. At ille promittit ei se redditurum Remensem episcopatum. Qui assumptis secum fratribus suis, et aliis quibusdam, qui abjecti fuerant ab episcopatu Remensi, Altimontem castrum occupat. Cum quibus rex Ludovicus etiam Mosomum aggressus, repellitur a fidelibus Hugonis episcopi, quibusdam suorum interemptis; suburbanas tamen domos quasdam ipsius castri succendit. Interea defuncto Heriberto comite, de recipiendis filiis ipsius a rege crebra inter ipsum regem et Hugonem principem versabatur intentio. Quorum rex primum tunc Hugonem archiepiscopum, mediatoribus Othone duce Lothariensium, et Adalberone praesule, Hugone quoque duce principe insistente, recepit eo tenore, ut abbatiae, quas dimiserat Artoldus ad regem profectus, Artoldo episcopo restituerentur, aliud etiam episcopium ei provideretur. Fratribus quoque et propinquis ejus honores, quos ex episcopatu Remensi habuerant, redderentur. Postea ceteri quoque filii Heriberti comitis recipiuntur a rege. Hugo denique praesul Ambliacum (Amblý), castrum cepit atque combussit, quod Robertus et Rodulfus fratres, qui Remis expulsi, detinebant, unde depraedationes per episcopium Remensem faciebant. Item praefatus archiepiscopus Altimontem munitionem obsidet, quam tenebat Dodo frater Artoldi episcopi; tandemque accepto parvulo ipsius filio obside, discedit, rege quoque mandante. Anno sequente (944) regii milites episcopatum Remensem depopulantur, et filii Heriberti abbatiam sancti Crispini, Hugo quoque abbatiam sancti Medardi, neque alterutris debacchantur rapinis atque depraedationibus.

CAPUT XXXI.

De obsidione urbis Remensis ab exercitu Ludovici regis.

Anno post hunc (945), qui est hujus praesulis quintus in episcopatu, rex Ludovicus, collecto secum Nordmannorum exercitu, Veromandensem pagum depopulatur. Assumptisque cum ipsis Erluino cum parte militum Arnulfi, sed et Artoldo episcopo cum his qui dudum Remis ejecti fuerant, comite quoque Bernardo ac Theoderico nepote ipsius, Remorum vallat urbem; vastantur circumquaque segetes, villaeque depopulantur, et penitus exuruntur, necnon ecclesiae plures effringuntur. Quadam pugnatum est portae, ad circa murum, vulnerati ex utraque parte non pauci, quidam etiam interempti sunt. Hugo denique dux praelians cum Nordmannis, qui fines suos ingressi fuerant, eos non modica caede fudit, et a terminis suis ejecit. Post haec Remos ad regem mittit, quosdam obsides, ut Ragenoldus ex parte regis ad colloquium sibi occurrat. Quo abeunte, tractat cum eo, uti rex obsides ab Hugone archiepiscopo acciperet et ab obsidione Remensi discedat, quatenus idem praesul, denominato placito, ad reddendam rationem de omnibus, quae rex ab eo quaesierit, accedat. Quibus hoc sibi tenore datis rex ab obsidione recedit post quintam decimam qua civitas obsessa fuerat diem. Nec multo post idem rex a Nordmannis comprehensus est, et Rotomi detentus. Hugo praesul Altimontem castrum obsidens, post septem ferme obsidionis hebdomadas recipit, reddente illud sibi Dodone domni Artoldi fratre, tali sub conditione, ut filium ipsius et filium fratris sui suscipiens, idem praesul concederet eis terram patrum suorum.

CAPUT XXXII.

De restitutione regulae in monasterio sancti Remigii, et constitutione abbatis Hincmari.

Advocans denique hic pontifex Ercamboldum monasterii sancti Benedicti abbatem, regulam monasticam in monasterio sancti Remigii restituere decertat, constituens ibi abbatem Hincmarum ejusdem loci monachum. Regina Gerberga nuper ad Othonem regem fratrem suum legationem direxerat, auxilium deposcens ab eo contra Hugonem principem, cui Laudunum reddiderat, ut reciperet Ludovicum regem, quem Hugo, sub custodia receptum a Nordmannis, retinuerat (946). Qui Otho maximum colligens ex omnibus regnis suis exercitum, venit in Franciam, Conradum quoque secum habens Cisalpinae Galliae regem. Quibus rex Ludowicus obviam profectus, satis amicabiliter et honorifice suscipitur ab eis. Sicque pariter Laudunum venientes, considerataque castri firmitate, deverterunt ab eo, Remensem aggredientes urbem, quam cingentes obsidione, ingenti vallarunt exercitu.

CAPUT XXXII.

De repulsione Hugonis episcopi.

Videns autem Hugo praesul obsidionem se tolerare non posse, neque tantae resistere multitudini, locutus est cum quibusdam principibus qui videbantur esse sibi amici, videlicet cum Arnulfo, qui ejus sororem, et Widone [*f.* Uddone, *et infra* Uddonis] quia amitam ipsius habebat uxorem, sed et cum Hermanno (*ms.*, Hermanno Widonis fratre) quaesivit ab eis quid sibi foret agendum. Qui tale consilium dederunt ei, ut egrederetur cum suis et relinqueret urbem, quia id dispositum a regibus erat ut omnimodis expellerentur, neque intervenire possent apud reges pro ipso, quia ei eruerentur oculi, si urbem vi capi contigisset. Quo consilio percepto ac suis intimato, post tertiam obsidionis diem cum pene cunctis qui secum tunc aderant militibus, egressus est. Sicque reges cum episcopis et principibus ingredientes urbem, domnum Artoldum praesulem, qui dudum fuerat ejectus, iterum inthronizari fecerunt. Quem Rotbertus, Treverensis archiepiscopus, et Fredericus Moguntiacensis, accipientes utraque manu eidem sedi restituerunt. Deinde relinquentes Gerber-

gam reginam Remis, ipsi reges cum exercitibus suis terram Hugonis ingrediuntur, et gravibus atterunt deprædationibus. Terram quoque Nordmannorum peragrantes, loca quæque devastant, et inde remeantes ad sua quique regrediuntur. Anno sequenti (949) rex Ludovicus Mosomum castrum, quod Hugo Remis ejectus retinebat, obsedit ; sed nihil pro votis efficiens, recedentibus tandem post mensem Lothariensibus qui secum erant, ipse Remos revertitur.

Quo ad Othonem regem ad celebrandum Pascha profecto, Hugo princeps a quibusdam præsumptuose pervasus, Remensem cum Hugone præsule, quasi mox capturus, aggreditur urbem ; frustratoque negotio, resistentibus regis et Artaldi episcopi militibus, octavo postquam advenerant die, illusi recedunt. Defuncto Deraldo Ambianensium præsule, Tetbaldus quidam, Ecclesiæ Suessonicæ archidiaconus ordinatur ab Hugone Ambianensis episcopus. Conventu placiti regum Ludovici et Othonis super Charam (*Cher*) fluvium congregato, res litis inter Aldum et Hugonem, Remensis Ecclesiæ præsules, ab episcopis auditur ; et quia synodus tunc congregata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Novembris habenda denuntiatur. Interim vero sedes Remensis Artoldo conceditur, Hugo Mosomi remorari permittitur. Heriveus, nepos Herivei archiepiscopi, habens munitionem quam ædificaverat citra Matronam fluvium, villas Remensis episcopi circumquaque sitas deprædabatur, excommunicatus ab Artoldo præsule, pro rebus quas invaserat ecclesiæ. Contra cujus prædones egressi quadam die Ragenoldus comes, et fratres Artaldi præsulis cum quibusdam militibus ecclesiæ, ipsos grassatores in fugam vertunt. Quo audito, Heriveus, armatis quos secum habebat militibus, egressus a sua munitione, contra nostros ad pugnam venit, et congressus cum eis interemptus est cum suorum quibusdam, reliqui omnes in fugam sunt acti, vulneratis utrinque nonnullis. Corpus ejusdem Remos a victoribus perlatum est. Hugo præsul assumens secum Theobaldum de Monte acuto, sororis suæ maritum, cum aliis quibusdam a grassatoribus, in villas Remis contiguas vindemiæ tempore venit. Qui omne pene vinum abinde colligentes, in diversos pagos abducunt.

CAPUT XXXIV.

De synodo Virduni habita.

Synodus postea (947) Virduni habetur, præsidente Rotberto Trevirensi præsule, cum Artoldo Remensi, Odalrico Aquensi, Adalberone Metensi, Gozlino Tullensi, Hildeboldo [*ms.*, Hildebaldo] Tranrshenensi, Israele Britone, præsente quoque Brunone abbate regis Othonis fratre, Agenoldo etiam et Odilone abbatibus, cum aliis nonnullis. Ad quam Hugo evocatus, missis quoque duobus ad eum deducendum episcopis venire noluit. Universa vero synodus Artoldo Remensi regendum decernit episcopium. Indicitur itaque synodus, quæ et convenit in ecclesiam sancti Petri in prospectu Mosomi ex diœcesi Treverensi abjacens Remensi. Veniens autem illuc Hugo præsul, et locutus cum Rotberto archiepiscopo, synodum noluit ingredi. Litteras vero quasdam ex nomine Agapiti (*Agapit. II*) papæ misit ad episcopos per quemdam suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remense redderetur episcopium.

Quibus lectis responderunt episcopi, non esse dignum vel congruum, ut apostolicæ legationis mandatum, quod dudum Rotbertus archiepiscopus, deferente Frederico Magontiacensi præsule, coram regibus et episcopis susceperat, intermitterent propter has litteras, quas insidiator et æmulus Artaldi præsulis exhibebat : imo quod regulariter cœperant canonice pertractaretur. Sicque præcipitur recitari capitulum 19 Carthaginensis concilii de accusato et accusatore. Quo recitato, dijudicatum est, juxta diffinitionem hujus capituli, ut Artoldo communionem et parochiam Remensem retinente, Hugo qui ad duas jam synodos evocatus venire contempserat, a communione et regimine Remensis episcopii abstineret, donec ad universalem synodum se purgaturus occurreret. Ipsumque capitulum mox in charta describi fecerunt episcopi coram se, subnectentes hanc etiam definitionem suam, et eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eamdem chartam Rotberto pontifici remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum judicio nequaquam obediturus esset. Interea litteræ proclamationis Artoldi præsulis ad Romanam diriguntur sedem. Domnus igitur Agapitus papa vicarium suum Marinum episcopum misit ad Othonem regem propter evocandam et aggregandam generalem synodum. Litteræ quoque ipsius papæ mittuntur ab urbe quibusdam speciatim episcopis, vocantes eos ad eamdem synodum. Congregata denique synodo in palatio Engulenheim (948, 7 *Junii*), recitata sunt hæc quæ sequuntur coram regibus et episcopis :

CAPUT XXXV.

De synodo apud Engulenheim congregata, et excommunicatione Hugonis episcopi. Series litis inter Artaldum et Hugonem episcopos agitatæ.

Sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis vicario domno Marino, universæque sanctæ synodo apud Engulenheim congregatæ, Artoldus, divina propitiante clementia, Remorum episcopus.

Domnus Agapitus papa litteras nobis et cæteris ut episcopis nostræ diœceseos direxit, in quibus præcepit, ut ad hoc vestræ sanctitatis concilium convenire studeremus, ita instructi de omnibus, ut rei veritas miseriarum nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum ducimus, qualiter res exordium cœperit litis hujus, quæ adhuc inter me et Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriveo archiepiscopo, Sculfum, qui archidiaco-

natus urbis nostræ tunc officio fungebatur, ad præsulatum ejusdem sedis eligimus. Qui pontifex ordinatus (*Vide supra*, c. 18), assumens secum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet a loco depellere non valeret, consilio inito cum quibusdam laicis scilicet consiliariis suis, amicitiam quæsivit Heriberti comitis, quo dato jurejurando per eosdem consiliarios obtinuit eo tenore, ut post obitum ipsius ad electionem pontificis milites ecclesiæ nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti; idem vero comes fratrem Herivei præsulis, et nepotes ipsius a participatione rerum Remensis episcopii separavit.

Quibus patratis, mancipati sunt iidem propinqui Herivei præsulis a consobrinis Seulfi episcopi ob infidelitatem ipsius senioris sui, necnon et Heriberto comite cum pluribus suis jubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos a quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, seductis deinceps rebus quas ex episcopio possidebant, comprehensi sunt atque traditi per Heribertum comitem ad Rotbertum regem, a quo etiam sub custodia sunt detenti usque ad mortem ipsius Rotberti. Tertio demum sui episcopatus anno, Seulfus episcopus (ut plures asseruit) ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque comes Heribertus urbem Remensem adiit, et ecclesiæ milites, clericorum quoque quosdam de eorum electione ad suum consilium, sicut juratum fuerat, intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo ut sibi committeretur idem episcopium, eo tenore, ut tam clericis quam laicis debitum honorem custodiret ac conservaret, nec injustitiam alicui faceret, sed ipsum episcopium æquo jure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præsentaret, qui ad episcopale ministerium exsequendum rite ordinari valeret. Qui comes ad eamdem urbem regressus, res episcopii (prout sibi placuit) laicis et suis divisit, clericis abstulit, et absque ullo judicio vel lege quos voluit rebus exspoliavit, vel ab urbe propulit. Odalricum denique Aquensem episcopum in eadem urbe suscipiens, episcopale inibi ministerium celebrare præcepit. Sicque per annos sex, et eo amplius, idem episcopium suo dominio vindicavit, pro libitu proprio illud tractans et in sede pontificali residens, tam ipse quam conjux sua. Demum septimo tandem anno, ortis inter ipsum et regem Rodulfum atque Hugonem comitem quibusdam simultatibus, Rodulfus rex cum Hugone et Bosone fratre suo, cum aliisque pluribus tam episcopis, quam comitibus Remorum obsidet urbem, consentientibus illis episcopis, et comprovincialibus adversus eum quod tam diuturno tempore, contra divinæ legis auctoritatem, hanc urbem permiserit vacare pastore.

Quumque potestative potitus esset rex, admonet clericos et populum de pastoris electione, dans eis id agendi licentiam ad Dei honorem et sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis tam clericis quam laicis qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum qui clausi tenebantur in idipsum faventibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere quam honore subeundo. Aperientibus tandem tam militibus quam civibus portas urbis regi Rodulfo, et episcopalem benedictionem mihi tradentibus episcopis qui aderant decem et octo, et suscipientibus nostram humilitatem tam clero universo quam reliquis civibus, mihi intronizatus ab episcopis nostræ diœceseos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme novem tractavi, ordinans per diœcesim episcopos octo, et in episcopio multos, prout competens videbatur, clericos, quousque nono postmodum anno, postquam Ludovicum regem, favente Hugone cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram et sacro perfuderam chrismate, instigatus Hugo comes iracundia quod ei consentire vel conjungi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto comite, et Willelmo Nordmannorum principe, Remensem obsidet urbem. Nec longius, sexta scilicet obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laicalis militiæ. Sicque derelictus ab his, ad Hugonem et Heribertum compellor exire, a quibus coarctatus et conterritus, cogor memet episcopali procuratione abdicare (*supra*, c. 27), et ita me propellentes, in cœnobio sancti Basoli habitare constituerunt; Hugonem vero filium Heriberti, qui Antissiodori diaconus ordinatus fuerat, in urbem introducunt, et civitate potiuntur. Ludovicus autem rex a Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit, et assumens secum, simul cum propinquis meis quorum res Heribertus comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum tunc obsidebant Heribertus et Hugo: solutaque obsidione oppidum ingrediuntur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim clerici nostri loci sed et laici quidam pessime ab Heriberto tractantur, et quidam clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam urbem licite perpetrantur.

Interea convocantur episcopi nostræ diœceseos ab Hugone et Heriberto, satagentibus et quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti. Qui Suessionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium episcopum cum aliis quibusdam legatis, mandantes ut ad eos venirem, ad consentiendum scilicet hujus ordinationi perversitati. Quibus remandavi, quod non esset mihi competens ad eos illo proficisci, ubi adversarii et inimici mei cum ipsis erant aggregati. Quod si loqui mecum vellent, ad talem locum devenirent, ubi sine periculo ad eos accedere possem. Quibus advenientibus in locum ab eisdem delectum, profectus sum ad eos, adveniensque prosternor coram ipsis, obsecrans ut propter amorem et honorem Dei, tam mihi, quam sibi competens consilium dare studerent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt, et hoc

omnimodis suadere, ut eis in hac ordinatione consensum præberem, promittentes res nonnullas episcopii mihi se impetraturos. At ego postquam responsum diu distuleram, videns eos cunctos in proposito quod cœperant perseverantes, surgens interdixi palam cunctis audientibus, excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti, ut nullus eorum ad eamdem ordinationem accederet, nec alicui in episcopali honore, me vivente, manus imponeret ; sed nec ullus eamdem benedictionem suscipere præsumeret. Quod si forte fieret, ad sedem apostolicam eos provocarem. Illis inde furentibus, ut possem exire de medio eorum, et Laudunum reverti, temperavi responsum dicens ut mitterent mecum, qui eis renuntiaret, quid consilii reperire valerent super hac re in domina mea regina, et fidelibus ejus, quia rex non aderat. Ad hoc illi mittunt Deroldum episcopum, putantes me esse mutaturum consilium. Quo veniente, et coram domina regina et fidelibus ejus inde me interpellante, iterum exsurgens præfatæ modum excommunicationis in eosdem episcopos jaculatus sum ; vocationem quoque ad sedem apostolicam iterare curavi, excommunicans ipsum hunc Deroldum, id ut eis omnino non taceret, sed cunctis manifeste proferret.

His ita gestis, parvipendentes illi nostram excommunicationem, Remis accedunt, et quidam eorum ordinationi huic manus applicarunt, quidam vero se subduxisse sciuntur. Ego vero cum rege manens, quas illi scitur angustias pertulisse secum pertuli ; et quando eum bello aggressi sunt Hugo et Heribertus, cum ipso eram, et vix mortis evasi periculum. Prolapsus itaque auxilio et protectione Dei de medio inimicorum, profugus et vagabundus loca invia quæque silvasque perlustro, non ausus certo consistere loco. Comites autem Hugo et Heribertus affati quosdam nostros amicos sibi subditos, suadent ut me requirentes, ad ipsos deducant, pollicentes se mihi benefacturos, et rebus quas ipsi petissent ditaturos. Requirentes ergo me amici, reperiunt per diversa vagantem, et ita perducor a fratribus meis et amicis ad præfatos comites. Qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quærere cœperunt ut eis pallium a sede Romana mihi collatum traderem, et sacerdotali me ministerio penitus abjurarem quod nullatenus me facturum neque pro amore hujus vitæ præsentis attestor. Districtus igitur et coangustiatus ab eis, episcopii tandem rebus abrenuntiare compellor : sicque rursus ad S. Basolum quasi vacans, habitaturus deducor. Mansi denique paucis diebus in ipso cœnobio, quoadusque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti comitis nuntios, quod ab eo male de mea tractabatur perditione, iterum iterumque nuntiis hujusmodi pavefactus et impulsus, locum deserui, et abdita lustra silvarum vagabundus repetii, horisque silentibus, et itinere devio Laudunum revertor, ibique susceptus a rege, secum manere constituor. Mansi vero ibidem cum ipso vel fidelibus ejus, exspectans et deprecans misericordiam Dei, donec ipse dignatus est in cor domni regis Othonis mittere, ut ad subventionem senioris mei regis, et nostram, properaret in Franciam (*Vide supra*, c. 32).

Denique postquam domina nostra regina Laudunum, propter absolutionem domni regis, reliquerat, egressus inde ad domnum regem Othonem cum seniore meo domno rege, simulque Remos accessimus (*supra*, c. 33). Cingitur itaque urbs exercitibus et episcopi qui aderant, me sedi nostræ restitui censent. Mandatur ergo Hugoni a domno rege Othone, ut egrediatur, et possessam deserat urbem. At ille nutans aliquandiu et pro posse, ubi vidit ad resistendum penitus sufficere se nequaquam valere, nec amicorum sibi præsidia subvenire, decrevit exeundum, quærens ut liber cum suis dimittatur abscedere. Permittitur itaque sanus exire, cum omnibus qui secum voluere comitari, et quæcunque secum voluit ferre, nullo contradicente, asportavit. Sicque cum regibus introgressus urbem, præcipior loco nostro, et honori restitui. Susceptus igitur a domnis archiepiscopis Rotberto Trevirensi, et Frederico Magontiacensi comitantibus cæteris et congratulantibus, tam clericis Ecclesiæ nostræ, quam reliquis civibus, ab ipsis restituor cathedræ episcopali. Hugo vero Remis egressus Mosomum castrum cum suis occupat, et muniens contra fideles regis senioris nostri detinet. Habito denique colloquii placito inter reges, seniorem meum videlicet ac domnum Othonem, super Charam [*m.*, Karam] fluvium, convenimus ad illud tam ego quam ipse Hugo cum ordinatoribus suis. Ibique res litis hujus ab episcopis auditur : protulitque litteras ad sedem Romanam, quasi ex nostra persona datas, excusationis meæ, ac si vacationem petentes administrationis episcopii nostri : quas me nunquam dictasse, neque vel subscribendo aliquatenus corroborasse protestatus sum atque protestor. Et quia tunc synodus convocata non fuerat (id opponentibus fautoribus ipsius Hugonis) altercatio nostra determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Novembris habenda Virduni utriusque partis episcopis annuentibus denuntiatur. Interim vero sedes Remensis mihi regenda decernitur ; id est vero Hugo Mosomi commorari permittitur. Nec longum, instante scilicet vindemiæ tempore, hic noster æmulus Hugo, assumens secum Theobaldum regis inimicum et regni nostri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Remensis episcopii contiguas urbi devenit, et omne pene vinum ex his colligens in diversos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, et ecclesiæ nostræ homines captivi abducti, et ad redemptionem variis sunt adacti tormentis (*supra*, c. 34). Synodus autem circa medium mensis denuntiata, Virduni celebratur, præsidente Rotberto presule Trevirensi, præcepto domni papæ Romani, præsente quoque domno Brunone, cum episcopis et abbatibus nonnullis.

Ad quam præfatus Hugo evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum episcopis, Adalberone

et Galliæ, venire contempsit. Universa vero synodus illi Remense regendum decrevit episcopium. Indictaque iterum synodus habenda Idibus mensis Januarii, quæ et aggregatur, ut denuntiatum fuerat, in ecclesia sancti Petri sub prospectu castri Mosomi, a domno Rotberto convenientibus cæteris quoque Trevirensis diœceseos episcopis, et aliquibus Remensium. Veniens autem illuc memoratus iste Hugo, et locutus cum domno Rotberto synodum noluit ingredi; litteras vero quasi ex nomine domni papæ direxit ad episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulisse ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remense redderetur episcopium. Quibus recitatis, iniuncti episcopi consilium cum abbatibus et cæteris qui aderant sapientibus, responderunt non esse dignum vel congruum, ut mandatum legationis apostolicæ, quam dudum Rotbertus archiepiscopus, deferente Frederico præsule Moguntiacensi, coram regibus et episcopis tam Galliæ quam Germaniæ susceperat, et publice jam præceptionis ipsius exsequebantur, propter illas litteras intermitterent, quas insidiator exhibebat: imo quod regulariter cœptum fuerat, ut canonice pertractaretur, unanimiter censent; præcipiuntque recitari capitulum Carthaginensis concilii numero decimum, de accusato et accusatore. Quo recitato, judicatum est juxta definitionem ipsius capituli, ut communionem et parochiam Remensem sibi retinente Artoldo, Hugo, qui jam, quia ad duas jam synodos vocatus interesse contempserat, a communione et regimine Remensis episcopii abstineret, donec ad universalem synodum, quæ indicebatur, sese purgaturus, vel rationem redditurus præsentaret. Ipsumque capitulum mox in charta episcopi coram se describi fecerunt, subscribentes hanc etiam definitionem suam, et eidem Hugoni miserunt. Qui post alterum diem chartam eamdem Rotberto præsuli remisit, hoc verbis remandans: quod ipsorum judicio nequaquam obtemperaturus esset. Sicque absoluto concilio, ipse Mosomum contra mandata regum et episcoporum retinuit, et ego Remis regressus reclamationes meas querelas ad sedem Romanam per legatum domni regis Othonis destinavi, præstolans mandata ipsius sanctæ sedis, ejus decretis et universalis hujus sancti concilii vestri judiciis parere paratus.

Post quarum litterarum recitationem, et earum propter reges jussa Theodiscam (al., Teutonicam; f. Theodiscam) linguam interpretationem, ingressus quidam Sigebaldus, presbyter Hugonis clericus, attulit litteras quas Roma detulerat, quasque jam in alia synodo Mosomi propalaverat. Asserens easdem litteras sibi Romæ ab ipso qui aderat Marino vicario datas, qui domnus Marinus proferens litteras quas idem Sigebaldus Romam detulerat, præcepit eas coram synodo recitari; in quarum recitatione repertum est, prout ipsæ litteræ falsabantur, quod Wido episcopus Suessonicus, Hildegarius quoque Belvacensis, Rodulfus Laudunensis, cæterique etiam Remensis diœceseos episcopi, easdem litteras ad sedem delegaverint apostolicam, pro restauratione Hugonis in sede Remensi, et expulsione Artoldi. Post quarum lectionem, exsurgentes Artoldus præsul, et prælatus Rodulfus qui in eisdem litteris nominabatur, Fulbertus quoque Camaracensis antistes eas litteras refutarunt, adserentes quod eas antea nunquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione consensum præbuerint. Quibus dum idem clericus contra ire non posset, licet in eos calumniis obstrepens, præcepit domnus Marinus, suggerens universæ synodo, ut sibi consilium et rectum judicium proferrent super hujusmodi calumniatore, et calumniarum in episcopos delatore.

At illi, postquam delator publice confutatus est falsa detulisse, lectis capitulis de hujuscemodi calumniatoribus, judicant et unanimiter censent eum, quo tractabatur honore privari debere, ac secundum capitulorum tenorem in exsilium retrudi. Diaconatus igitur quo fungebatur ministerio mulctatus, a conspectu synodi reprobatus discessit. Artoldo vero præsuli, qui omnibus se synodis præsentem exhibuerat, non refugiens synodale judicium, episcopium Remense juxta canonum instituta sanctorum Patrum decreta, omnino retinendum atque disponendum decernunt, laudant, atque corroborant. Secunda consessionis die, post recitatas divinæ auctoritatis lectiones et Marini vicarii allocutionem, suggessit domnus Rotbertus, Trevirensis archiepiscopus, ut quoniam juxta sacræ legis instituta, restitutum atque restauratum fuerat Remensi Artoldo præsuli episcopium, in ejusdem sedis invasorem synodale perageretur judicium. Præcepit itaque Marinus vicarius, ut canonicam super hac præsumptione synodus proferret sententiam. Jubentur ergo sanctæ legis catholica recitari capitula. Quibus recitatis, secundum sacrorum instituta canonum, et sanctorum decreta Patrum, Sixti, Alexandri, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cœlestini, Leonis, Symmachi, cæterorumque sanctorum Ecclesiæ Dei doctorum, excommunicaverunt, et ab Ecclesiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Remensis Ecclesiæ pervasorem, donec ad pœnitentiam et dignam satisfactionem venire procuraret.

Cæteris quoque diebus synodi tractata sunt quædam necessaria de incestis conjugiis, et ecclesiis, quæ presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, imo vendebantur indebite, et auferebantur illicite, prohibitumque, ac statutum ne id omnino præsumeretur ab aliquo: sed et de aliis Ecclesiæ Dei utilitatibus tractata sunt, et definita nonnulla. Interea rex Ludovicus deprecatur regem Othonem, ut subsidium sibi ferat contra Hugonem et cæteros inimicos suos. Qui petita concedens, jubet ut Conradus dux cum exercitu Lothariensium in ejus pergat auxilium. Interim vero dum congregaretur exercitus, rex Ludovicus cum ipso duce mansit, et episcopi, scilicet, Artoldus et Rodulfus, qui erant cum rege, ne quid in via paterentur adversi, degerent cum Lothariensibus episcopis. Manentes itaque cum Rotberto Trevirensi,

Rodulfus Laudunensis, cum Adalberone Mettensi, hebdomadas fere quatuor. Exercitu denique collecto, Lotharienses episcopi Mosomum petunt, ipsumque obsidentes castrum atque oppugnantes, milites qui erant ibi cum Hugone ad deditionem compellunt, et acceptis ab eis obsidibus pergunt obviam Ludovico regi et Conrado duci in partes Laudunensis pagi. Obsident igitur ibi dux et exercitus quamdam munitionem quam ædificaverat et tenebat Theobaldus in loco qui dicitur Mons acutus, qui et Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam oppidum expugnantes, tandem non sine mora capiunt, indeque Laudunum adeunt, et in ecclesia S. Vincentii congregati, episcopi prædictum Thetbaldum excommunicant; Hugonem verum principem vocant litteris ex parte Marini legati sedis apostolicæ et sua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem et episcopos egerat. Wido denique Suessonicæ urbis episcopus ad regem Ludovicum veniens, eidem sese committit, pacaturque cum Artaldo archiepiscopo, satisfaciens illi pro ordinatione Hugonis. Conradus quoque dux filiam Ludovici regis sacro de fonte suscepit. Sicque recepto Mosomo castro et everso, Lotharienses revertuntur in sua.

CAPUT XXXVI.

De obsessione vel incensione urbis Suessonicæ ab Hugone comite.

Igitur Hngo, nullam moram faciens, collecta suorum multa Nordmannorumque manu, Suessonicam aggreditur urbem, et obsidens oppugnat, ceditque nonnullos. Injectis etiam ignibus domum matris ecclesiæ succendit simulque claustra canonicorum et partem civitatis; nec tamen ipsam capere valens urbem reliquit, et ad quamdam munitionem, quam Ragenoldus comes Ludovici super Axonam fluvium in loco qui dicitur Ranciacus (*Roucy*), ædificabat, devenit, ipsamque adhuc imperfectam castris vallavit. Sed nec ipsam cepit; villas tamen Remensis ecclesiæ castris suis contiguas devastavit. Plures quoque colonorum prædones ipsius interemerunt, violantes ecclesias, et in tantum debacchantes ut in Culmiciaco vico tam infra quam circa ecclesiam fere quadringentos homines interfecerint, ipsumque templum rebus penitus exspoliarint. Multis ergo flagitiis tunc perpetratis, Hugo tandem cum suis regreditur grassatoribus. Itaque milites qui hactenus cum Hugone fuerant excommunicati, ad Artoldum præsulem revertuntur. Qui nonnullos eorum, redditis eis rebus quas habuerant, recipit, quosdam vero rejicit. Post hæc Treviros proficiscitur ad synodum cum episcopis Widone Suessonico, Rodulfo Laudunensi, et Winefredo Morinensi. Quo pervenientes Marinum sese præstolantem reperiunt cum Rotberto archiepiscopo; cæterorum vero Lothariensium vel Germanorum præsulum illic invenere neminem. Considentibus igitur illis, suscitari cœpit Marinus vicarius quid egisset post præmissam syuodum Hugo princeps erga ipsos vel regem Ludovicum. At illi referunt supra memorata quæ ipsis, et ecclesiis eorum (*ms.*) Ecclesiæ Suessonicæ intulerat mala. Requirit ergo de vocatione ipsius principis Marinus, si eum perlatæ ei fuissent litteræ vocationis, quas ei perferendas destinaverat. Cui respondetur ab Artoldo archiepiscopo, quod quasdam earum perlatæ sint, quasdam vero perferri nequiverint, earum gerulo ab ipsius grassatoribus intercepto; vocatus tamen fuerit tam litteris quam quibusdam internuntiis. Requiritur itaque si adsit aliquis ex parte ipsius legatus. Ubi cum nemo fuisset inventus, decernitur exspectandum si forte adventurus esset in crastinum. Quod cum minime contigisset, et omnes qui aderant, tam clerici quam illustres laici, eum excommunicandum esse acclamarent, definitur ab episcopis hanc excommunicationem adhuc differendam usque ad diem synodi tertium. Tractatur autem de episcopis qui vocati fuerant, et venire distulerant, vel his qui ordinationi Hugonis participes exstiterant. Et Wido quidem episcopus Suessonicus se culpabilem, prostratus coram Marino vicario et Artoldo archiepiscopo, confitetur. Intercedentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto et Artoldo archiepiscopis, absolvi ab hac noxa meretur. Wicfredus Morinensis immunis ab eadem ordinatione reperitur. Adest Transmari Noviomensis (*Transmarus Noviom. 42 episc. in tab. Dmoch.*) episcopi legatus quidam presbyter, astruens eumdem præsulem ita gravi languore detentum, ut ad eamdem synodum venire non valuerit. Id quoque nostrates qui aderant, attestantur episcopi.

CAPUT XXXVII.

De excommunicatione Hugonis comitis.

Tertia tandem die, insistente præcipue Luitdulfo legato et capellano regis Othonis, quoniam idem rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo comes, inimicus Ludovici regis, pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis, eo tamen modo donec resipiscat, ad satisfactionem coram Marino vicario, vel episcopis, quibus injuriam fecit, deveniat. Quod si facere contempserit, Romam pro sui absolutione proficiscatur. Excommunicantur et duo pseudoepiscopi ab Hugone damnato ordinati, Tetbaldus [*ms.*, Theobaldus] et Ivo: prior post expulsionem ipsius in Ambianensi urbe; alter post damnationem ejusdem Hugonis, in Silvanectensi ab ipso constituti. Excommunicatur etiam quidam clericus Laudunensis, nomine Adelonus, quem accusavit Rodulfus episcopus suus, eo quod Tetbaldum excommunicatum in ecclesiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Belvacensis episcopus litteris præfati Marini, ut veniat coram ipso, vel eat Romam rationem redditurus coram domno papa, pro illicita ordinatione prædictorum pseudoepiscoporum, cui interfuerat. Vocatur et Heribertus Heriberti comitis filius, ad satisfactionem venire pro malis, quæ contra episcopos agebat. His ita gestis, episcopi revertuntur in sua. Luitdulfus autem capellanus Othonis Marinum vicarium deducit ad regem suum in Saxoniam, ubi consecraturus erat ecclesiam Vuldensis monasterii. Post cujus conse-

cationum [illegible] Marinus, exacta hieme Romam revertitur. Nascitur regi Ludovico filius, quem præsul Artoldus de sacro fonte suscepit, patris ei nomen imponens.

CAPUT XXXVIII.

De quibusdam olim vel nunc monasteriis urbis Remensis.

Plures denique apud nos quondam sanctorum fuere basilicæ, sed et monasteria infra vel circa Remensem hanc urbem, quæ modo non haberi probantur. Duo tamen adhuc supersunt infra urbem puellarum monasteria : quorum unum (quod superius a situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova, ejusdem cœnobii postmodum abbatissa, in honore sanctæ Mariæ, vel sancti Petri construxisse traditur. Qui regali genere exortii fuisse referuntur, patre scilicet Sigeberto rege, habentes neptem, nomine Dodam, castissimam puellam, quæ desponsata fuisse fertur cuidam magnati ejusdem regis Sigeberti ; quam quoque præfata ipsius amita Bova instituens ad serviendum Deo, servandamque perpetuo virginitatem, ab amore terreni avertit sponsi. Qui cum sibi adversaretur, sponsam auferens eamdem corripere, ascenso equo, dum id conatur quoquo modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis cervicibus, traditur interiisse. Beata denique Doda in castitatis proposito permanens, amitæ suæ in ejusdem monasterii successit regimine. Quæ præceptum quoque immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, a principe Pippino eidem postmodum obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in ecclesia extra muros urbis, ubi primum puellarum fuerat monasterium, tumulata diu quieverunt, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam perlata, ibidemque venerabiliter collocata, continua honorificantur inibi Deo famulantium reverentia puellarum.

CAPUT XXXIX.

De sancto Balderico abbate.

Sanctus autem Baldericus (S. *Baudry*) post hujus monasterii constructionem, locum quærens ubi suam quoque constitueret habitationem, in quo cellulis suum viris religiose conversanti. Denique devote ac quiete servire valeret, tandem repperit sibi placitum quem dicunt Montem Falconis locum (*Montfaucon*). Qui locus tunc temporis inhabitabilis, densis operiebatur silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem avem, quam nuncupamus falconem, præviam et quasi præductorem itineris, dum locum illum expeteret, habuisse, quæ loco eidem insederit, ac per triduum ibi residens in loco, ubi nunc habetur altare in honore sancti Petri dicatum, sine permutatione resederit. Unde et cœnobium ab hoc eventu sic vocitatum plurimi asserunt. Ubi cum Deo devotius servire cœpisset, nonnulli Deum timentes res suas eidem contulere ; sicque collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione, atque idem sub honore beati Germani ædificavit monasterium. Quibus patratis, ad sororem suam revertens Remis, ultimum sui cursus ibidem clausit diem, ubi et sepultus tempore non modico requievit.

CAPUT XL.

De translatione post obitum ipsius corporis.

Processu denique temporis aliquanta clericorum pravitate ipsius beati viri monasterium insolentium, quosdam illuc furtim corpus delatum, delusis fraude custodibus, Remis abduxerunt. Quos dum insequerentur quidam cives Remenses eo usque sunt prosecuti donec eos visu quidem deprehenderent. Dumque turbarentur horum adventu sacri latores pignoris, inter utrosque densa dirimens nebula divinitus creditur illata, qua sequentes obtenebrati, et errore in devia rapti, vestigia præcedentium servare nequiverunt. Excitatores autem sacri corporis in nocte splendor superne missus irradiavit. Inter ad proximam cœnobio possessionem, quæ dicitur villa Sponsolii (al. Spaniolii), intelligibiles pervenerunt. Ubi quia sancta deposuere membra, in honore ipsius postea constructa est ecclesia. Quibus abinde cum sacro promoventibus pignore, ubi monasterio propinquare cœperunt, ecclesiæ signa cœnobii sponte, absque humano scilicet impulsu, sonuisse feruntur. Quod audientes fratres obviam sunt egressi : sicque diu desiderata suscipientes munera, dum in ecclesiam sancti Germani ea conantur inferre, tanto persistunt ante ipsius introitum basilicæ defixa pondere, ut nequaquam potuerint a terris commovere : cum per triduum id enitentes omni gestierint conamine perpetrare. Sic demum tecto super defixa condito membra confessoris, per triennium illic ita mansisse traduntur. Quo temporis peracto spatio, ad ecclesiam sancti Laurentii, ubi vivens ipse sibi sepulcrum paraverat, celebrato per triduum jejunio, venerabile corpus ejus perlatum, et in suo reverenter est depositum sarcophago. Ibique constat venerabili cultu servatum, usque ad tempora Karoli regis, et Hincmari archiepiscopi, quando Nordmanni hoc cœperunt regnum depopulari. Quorum terrore compulsi canonici ejusdem loci, corpus hujus patroni sui de sepulcro levatum super altare sancti Laurentii posuerunt. Quod dum fieret, tres guttæ sanguinis de capite ipsius defluxerunt, ita recentes et calidæ, ac si de vivente profluerent corpore. Sicque delatum est Virdunum. Unde relatum in ecclesia est sancti Germani locatum.

Interim dum suo abesset monasterio, Nordmanni ad id pervenerunt : sed Domino illud protegente, nec ecclesias incenderunt, nec homines, nisi unam duntaxat mulierem, occiderunt. Ut autem recesserunt, altaria muneribus suis cumulata dimiserunt. Altera vice dum Nordmanni ad eumdem locum rursus accederent, quidam canonicus loci, nomine Ottradus, corpus sancti accipiens, ceteris fuga dilapsis, ipse cum sacro corpore in quamdam conscendit arborem. Quem insecuti pagani, usque ad ipsam pervenerunt arborem, et respicientes sursum, neminem potuerunt ramorum condensitate deprehendere. Idem vero frater per mensem illic latibulo permanens, nihil pe-

victus, præter unam solummodo sumens glandem, neque tamen corpore illum passus fuisse incommode. Iterumque [illegible] idem venerabilis hujus beati viri a cædibus et incendio paganorum liberatus est. Postea contigit, ut quidam prædones, regiæ majestatis infideles, ad eumdem devenirent locum, et non invenientes ibi manum repugnantem sibi, devastare prædari aggressi sunt locum. Quod dum peragerent, signa ecclesiæ sancti Laurentii, nemine pulsante, sonare cœperunt, et duo cerei super [illegible] sunt igne divinitus accensi. Prædonibus vero timore perculsis et aufugientibus, unus eorum prolapsus ad ipsam monasterii portam corruit, tamque ipso quam superbo ejus equo ruina contrito, utres quoque, in quibus vinum deferebat ablatum, disrupti sunt. Ceteri hoc videntes, donis ecclesiam muneraverunt, metuque affecti recesserunt.

CAPUT XLI.
De villa Wasliciа.

Hujus venerabilis loci canonici famis quondam necessitate compulsi, sumptis a corpore venerandi patroni sui reliquiis, ad suam quamdam villam, supra ripam Rheni sitam, cognomento Wasliciam, quam quidam eorum abbas, nomine Adelardus eidem contulerat cœnobio, profecti sunt. Ubi dum pagenses, alma venerantes pignora, sua dona deferre cœpissent, abbas quidam monasterii, quod vocatur Bunna, pergens ad Willebertum Coloniensem præsulem, cœpit hanc infamare devotionem, nec revera sancti alicujus pignora illuc astruens esse delata. Timentes autem canonici qui advenerant, ne forte constringerentur et discuterentur ab episcopo, quoniam totum ipsius sancti corpus secum haberi ferebant, mox ut hæc audissent, sub duobus diebus ad suum per leucas fere centum redire monasterium: assumentesque cum integritate beati viri membra, sub totidem diebus ad prænotatam remeant villam. Cui dum propinquare cœpissent, eis adhuc ab ipsa villa spatio leucæ fere distantibus, ecclesiæ signa, nullo impellente, resonare cœpere. At hi qui remanserant in eodem loco clerici hoc audientes, et patronum suum advenire intelligentes, obviam cum crucibus pergunt, et honore digno tutorem suum suscipiunt. Quibus missarum solemnia celebrantibus, tria inibi repente mira, contigerunt. Contractus unus erectus, cæcus quidam illuminatus, et loquelam mutus adeptus est. Iterum præfatus abbas blasphemare Dei non cessabat miracula, quos poterat a visitatione sancti avertens.

Quæ dum gereret, febre correptus ita graviter est vexatus, ut nec manducare, nec bibere, vel incedere posset. Ardoribus autem languoris hujusce coactus [*al.*, excoctus], tandem peccatum suum recognovit, et sella se gestatoria, usque ad Rhenum, indeque navigio usque ad prædictam villam, sicque ante corporis almi præsentiam perferri fecit; ibique culpam suam confessus, absolvi se petiit, et quantitatem ceræ sui corporis ponderi coæquans dedit; factisque votis annuatim solvendis, per sex remoratus dies, sanitatem integerrimam recipere meruit, et sic pedibus suis ad sua reversus. Demorantibus hic [illegible] per anni spatium [illegible] patrocinio corporis, nulla ut ferunt dies præteriit, quo non ibidem Dei miracula patrarentur. In ipsa autem vigilia sancti Joannis Baptistæ, confluentibus de Saxonia pluribus, et a longinquis etiam regionibus, decem et octo [illegible] ; itaque aliquis [illegible], qui non [illegible] receperit. Ubi tanta rerum [illegible] est copia, ut et ipsi clerici [illegible] viverent, et ceteros qui remanserant in monasterio sustentarent, [illegible] ipsius villæ [illegible]. Postea contigit ut propter aquæ indigentiam, fures extra monasterium suum, idem sanctum corpus efferretur, et [illegible] pluvialibus [illegible]. Cujus dum fuisset in occursum perlatum, mox ut simul venerunt, obnubilato cœlo cum magna [illegible], copiosa pluvia [illegible] effusa est; et dum humectarentur imbre omnium vestimenta, pallia duntaxat, quæ supra sanctorum præfatorum ferebantur corpora, penitus intacta manserunt a pluvia. Ibi quidam luscus lumen amissi recipit oculi. Qui statim fugiens, nec Deum glorificans, ut erat joculator, ingratus recessit; at ubi domum pervenit, lumen quod receperat iterum perdidit. Dum vero perventum est ad monasterium cum utriusque sancti corpore, ita sancti Balderici pignus est aggravatum, ut nullatenus moveri posset, donec sancti Jovini usque ad cænobium præcedere membra fecissent.

Cum autem domnus Dado Virdunensis episcopus hunc a rege [*Arnulfo Transrhenensi*] impetrasset abbatiam, et hæc mira cœpisset audire, constituit ut omnibus annis trium monasteriorum sacra pignora simul in quemdam medium deferrentur locum nomine Gaudiacum. De sede scilicet urbis Virdunensis sanctus Vitonus, et sanctus Agericus, sanctus vero Baldericus de monasterio suo, et sanctus Rodvicus de Wasloio. In quo conventu innumera postmodum sunt patrata miracula, ut vix præterierit hujusmodi coitio, in qua non aliquis infirmorum fuerit sospitate redintegratus: maxime tamen illi, qui patrocinia beati Balderici sunt expetere visi. Quodam tali conventu quidam locutus est mutus, quem Virdunensis arripientes secum ducere cœperunt, asserentes quod sanctorum virtus, quos detulerant, hoc miraculum perpetrasset. Sicque dum separati quique referrentur ad sua, tanto sancti Balderici pondere aggravata sunt ossa, ut penitus manere viderentur immobilia. Ad quem miraculi stuporem recurrentibus multis, dum quæruntur sui, cur inibi vellet immorari, et quid ibidem disponeret operari, accidit ut requireretur ille qui locutus fuerat mutus. Tandemque revocatus, ubi ad locum defixi perductus est pignoris, mox absque difficultate sublatum, et ad suum sacrum corpus gratanter est cœnobium reportatum.

Præfatus præsul Dado, postquam hanc sancti Balderici obtinuit abbatiam res quasdam trans Rhe-

num situs ab Adelardo abbate ad idem dudum monasterium datus, pro villa Gerlani monte, super Mosellam consistente, commutavit. Ad quam villam, dum sanctissimi viri corpus, professi fratres hujus congregationis percepissent, illi assumentes sacrum patroni sui, domni videlicet Balderici, membra, profecti sunt exsequi jussa. Qui dum ad villam, quæ Deva (f. Deus) dicitur, pervenissent, tanto pondere sancta defixa sunt pignora, ut progredi nequaquam valerent ulterius ea ferentes. Initoque consilio, ut ad ecclesiam deferrentur ipsius villæ, sub honore sancti Martini dicatam, proferendi ceperunt possibilitatem. Quo perlatis pignoribus, ut post orationem in ecclesia est perlatum, iterum sancti aggravatur corpusculum; mirantibusque cunctis, et quod aliqua ibi Deus pro sancti sui glorificatione signa vellet ostendere quibuslibet infirmitatibus, si qui adessent forte debiles, est requisitum. Advenientibus autem locis aliquibus, atque delatis quibusdam, vir quidam claudus erigitur, et femina quædam brachium ab anno retro antea contracta resolvitur, duæque feminæ cæcæ sunt illuminatæ, et infans annorum septem mutus loqui cœpit. In quo loco crux ab ipsius villæ hominibus posita est, ubi postea duæ feminæ lumen oculorum receperunt, et claudi divinitus erectæ, multique diversis sunt ab infirmitatibus liberati.

CAPUT XLII.

De ecclesia sancti Romani, et miraculis in Gallani (f. Gerlani) monte.

Ecclesiam sancti Romani, in præfata villa Gallani monte constructam, dudum Milo præpositus canonicorum hujus loci ab eis auferebat: quam dum Bosone comite sibi eam subtrahente recepissent, et sancti Balderici membra illuc retulissent, audientes multi ad ipsius cœperunt confluere patrocinia. Inter quas duæ cæcæ mulieres feminæ deductæ sunt, et quædam debilitata puerpera omnibus fere membris contracta. Nocte vero vigiliarum sancti Romani, dum de more pervigiles in ecclesia celebrarentur excubiæ, subito tantum coruscus est lumen effusum ut omnia quæ fuerant accensa viderentur luminaria superare. Altare tantum, supra quod sancti erant ossa deposita, densa tegi videbatur nebula, ipsumque sacri pignoris quasi nubes circumdatum gestatorium. Conspexere duæ cæcarum feminarum, statimque aliquid sese videre proclamant. Tunc media puerpera contracta, sed cœpit clamare, auxiliumque Dei, et sancti Balderici deprecari, paulatim resolvitur, primum brachio, et inde pedibus, donec erecta stetit in pedibus. Quæ postmodum sana effecta, alterius stipe loci usque sustentatur. Igitur dum præfatus versatur in loco clericus cum pignore sacro, contigit quadam vespera cum simul residerent, ut quidam Milonis amici homo, clericis atque famulis succensus, cœpisset ad eos dicere, quid ibi facerent, et quare in villam Milonis ingressi fuissent? Quibus respondentibus quod sancti Balderici non Milonis eadem res essent; illoque contradicente quod non Balderici sed Milonis haberentur, comminantibus eum clericis recessit, et in crastinum villæ contiguum campum conscendens, se in præceps dedit, atque attritus jacuit, ut mortuus vel morti videretur proximus. Indeque sublatus ante sancti corporis conspectum est deportatus, ibique tandem se culpabilem reddens, incolumis sanatus, et integræ in brevi restitutus est sospitati.

Item dum nuper ad præmemoratam villam Waslicum hujus sancti membra relata fuissent, quoniam Gozfridus princeps Heurici comes palatii eamdem pervaserat villam, quidam clericorum sancti Balderici ad eumdem Godefridum pro hac causa perrexerunt; et cum nullam dignam potuissent apud eum percipere responsionem, nec magis se pro eis inde quam pro suo esse facturum respondisset, clericus quidam ex hominibus subjecit, quod aliquando sanctum soleret, nec tamen salvaturus eum foret. Ille indignatus ad hoc eos a suo præcipit loco compesci. Quibus recedentibus ipse mox divina plectitur ultione, validaque correptus febre cœpit gravissime vexari, nimiumque intrinsecus interioribus atque ferventissimis affligi ardoribus. Mittens igitur ad episcopum Coloniensem Wicfridum, hunc ad se venire petiit, eique rem retulit atque id ab eo consilii percepit, ut ad præfatos clericos mitteret, eosque ad se venire faciens, et errata corrigens, ab eis de sua infirmitate consilium et precibus auxilium quæreret. Quod ille obaudiens, et ad eos mittens, ad se venire mandavit. At missus ejus typho ut videbatur inflatus superbiæ, cœpit, ut ad suum dominum mox clerici pergerent, imperitando præcipere. Quibus renuentibus, sed eum charitatem secum facere rogantibus, ille contempsit, eoque recedente, in ipso egressu equus ejus exagitatus ab ipso prosiliens ruit, et collo fracto interiit. Sic ille humiliatus ad fratres rediit, charitatem quam spreverat egit, et ita correctus recessit. Illuc iterum, tertioque venit atque petiit. Hujus tandem viri comperitis incommodis, ad eum tres demum venerunt, patientis compatientes incommodis, et confitentem peccatum suum, emendationemque promittentem precibus suis absolvere student. At ille statim se melius habere professus, ubi recessere fratres, convaluit, resque quas invaserat reddidit, ac deinceps ab earum se læsione continuit. Verum tanta domus ejus diversa clade fuisse perhibetur, ut vix aliqui remanserint qui eadem rebus usi fuerant; qui etiam equi et canes interierunt, et ipse pervasor, perditis etiam cum capillis, et ungulis, vix evasit.

CAPUT XLIII.

De miraculo in Rheni flumine patrato.

Tunc ob infestationem Hungarorum, quæ procellis eo tempore in hoc emerserat regnum, consilio inito canonici sancti Balderici Rhenum cum corpore suo transmeant. Inde quadam vespera remeantes in fluminis medio navem undis defigunt anchoris. Residentesque paucis in navi cum sacro pignore custodibus, ipsi ad prædictam suæ properant possessionis villam (al. Waslicam). Fratres vero quidam

latrones, comperto quod pauci residerent in navi custodes, atque thesauros, vel ornamenta sancti remansisse ibi, conscensa festinant illo cymba. Sed, antequam pertingerent ad ipsam quam petebant navem, cæcati divinitus, perditoque sensu remigare non valentes, impetu fluminis ferri cœperunt. Sicque navicula eorum navi, quæ sancti corpus servabat, impacta contritaque, mediis eos in fluctibus dereliquit. Quorum duobus fluvio mox absorptis, tertius, qui etiam famulus erat sancti Balderici, jacta manu navem sancti arripuit, et taliter evadens mortem, clericorumque perductus in præsentiam, nihil eorum quæ passus fuerat edicere valuit, donec in crastinum refocillatus, sensuque recepto tandem quæ gesta fuerant enarravit. Postquam vero a præfato loco hujus beati viri ad suum monasterium sunt ossa relata, multa inibi feruntur ostensa miracula, quæ præ multitudine non habentur scripta. Illuc nuper quidam pauper candelam deferens in circulo devolutam, paulo ante horam vespertinam supra loculum sacrorum hanc posuit ossium. Qui dum data oratione recederet, subito candela, supero accensa igne, cœpit ardere. Quæ donec custos ecclesiæ ad vespertinalia pulsanda venit signa, pallio, cui superjecta jacebat, illæso, deflagravit, nec ullam pallio læsionem, cui adhærebat, aggessit. Multa præterea sanitatum, clarificationumque ibidem creberrime ad declaranda sancti sui merita Dominus ostendere dignatur miracula, ad honorem scilicet ac laudem nominis sui, quod est benedictum in sæcula.

CAPUT XLIV.

De miraculis in monasterio sanctorum Bovæ ac Dodæ factis.

In præmemorato denique puellarum monasterio (*supra, oap.* 28),in quo præfatarum sanctarum Bovæ, ac Dodæ translata præfati sumus corpora, nonnulla postmodum patrata probantur miracula. Ubi frigoritici atque diversis ægritudinibus occupati venientes, optata merentur sospitate donari maxime in die solemnitatis earumdem (*id est* 24 *Aprilis*). In qua quædam nuper puella, auditu frustrata, vi invalitudinis sensus hujus obturatis meatibus, interventu earumdem sanctarum Christi sponsarum, perdita dudum munia recipere meruit aurium.

CAPUT XLV.

De visione cujusdam puellæ.

Habetur in hoc monasterio quædam sanctimonialis virgo, neptis quondam Guntmari religiosi presbyteri, nomine Ricuidis, cui apparuerunt olim per visum beatus Petrus apostolus et beatus Remigius, significantes ei, quod iter Romæ eidem, dum reverterentur ad ipsam, præcepturi essent; asserueruntque se medio mense Septembri, scilicet Exaltationis sanctæ Crucis die, reversuros. Qua exspectatione suspensa nihil inde alicui, prohibita scilicet ab eis, ausa est intimare. Die vero qua prædixerant redituros, iterum apparuerunt ei, jubentes ut accersiret fratrem suum Fredericum presbyterum, et exhortaretur eum sequi, prout magis potuisset, vestigia præmissi sacerdotis Guntmari, et ea ipsa ratione prædictum iter injungeret illi eorum exemplo, tali videlicet tenore, ut ab carnibus nec illi, nec ipsa, carnem comederent, aut vinum biberent, donec iter ipsum arriperent, nec tantum vini, quantum esse potuisset ex pretio, quod super altare quondam ab ipsis ei designatum repertura esset, ipsa duntaxat perciperet. Et ergo unde magis crederetur quasdam sorores, tres videlicet sanctimoniales hujus monasterii, ad id requirendum sibi testes adesse, nominaliter et personis, quas advocare deberet. Sanctus autem Remigius hoc insuper addidit, ut diceret illa fratri suo qualiter esset notum, quod sibi quondam apparuerat, et ei locutus fuerat. Addens etiam pro signo recognitionis, quod cum in pueritia a collo ejus fuerat percussum. At illa mox ad præfatum fratrem suum mittens, mandavit ei ut ad se festinanter veniret. Qui veniens sororem suam hora jam vespertina jejunam adhuc, et de visione valde attonitam invenit. Quæ advocans denominatas sibi sanctimoniales, pariter ante denotatum altare septem psalmos pœnitentiales decantaverunt, additis insuper litaniarum precibus, accesserunt ad altare, et evolventes operimentis, repererunt in cornu ejusdem altaris obolum parvum, quem assumentes cum gratiarum actione dederunt pro vino, quod tantummodo hoc sanctimonialis bibit, non deinceps amplius vinum sumptura, donec iter injunctum tam ipsa, quam prædictus frater suus, inirent. Quod fideliter et fiducialiter arripientes, prospere, Deo juvante, et S. Petro et sancto Remigio suffragantibus,ut ipsis promiserant, peregerunt. Ac deinceps a carnibus illa (præter Dominicam) abstinet, ac tribus diebus in hebdomada, usque dum signum sonet ad secundam, nihil operis agit, orationibus et psalmodiæ vacans ; quod sibi usqne ad septem annos commemorat adimplere præceptum. Fratri vero suo præmemorato hoc a supradictis sanctis per ipsam mandatum est, ut quatuor diebus in hebdomada a carnibus, omni vero sexta feria a vino semper dum advixerit, debeat abstinere. Quæ et observare visi sunt.

CAPUT XLVI.

De altero Remis puellarum monasterio.

Alterum denique puellare monasterium Remis habetur situm ad portam, quæ olim Collaticia, scilicet a conferendis mercibus, nunc Basilicaris [*forte* Baseillo] vocatur, eo quod circa se basilicis dudum, præ cæteris portis, abundasse feratur ; seu quod euntibus ad basilicam, in vico sancti Remigii consistentes, pervia fuerit. Supra quam domno Rigoberto habitaculum fuisse commemoravimus [*l.* II, *c.* 12]. Quod monasterium domnus Gunthertus vir illustris in honore sancti Petri construxisse traditur, quod regale, vel fiscale vocatur, eo quod in regali potestate usque ad moderna tempora fuerit habitum. Quod monasterium Ludovicus imperator Alpheidi [*al.*, Alpaidi *et infra*] filiæ suæ, uxori Begonis comitis, dono dedit, eidemque sacro loco immunitatis præceptum delegavit, ut et pater ipsius Karolus imperator

operat olim, quod cœnobium postea per præceptum ipsius Alpaidis, vel filiorum ejus Lotharii et Ebroini, ad partem et possessionem Remensis devenit ecclesiæ. Hic habetur sepultus domnus Andreas episcopus: cujus sanctitatis multi, qui eum oculari præsentia [illegible], frequentem experimentum habent. Vidimus hic, in confessione sanctorum hujus cœnobii, corpus ipsius [illegible] quoque [illegible], quam [illegible] quidam cives Romanæ, qui ad visitanda nuper Apostolorum limina profecti fuerant. Vidimus in hoc quoque monasterio puellam quamdam [illegible] sanguineum, quæ tunc hebdomadis plena jacuit immota, quasi mortua, et visiones ei sunt ostensæ nonnullæ.

CAPUT XLVII.

De domno Guntherio, et ipsius uxore Berta.

Promissus itaque domnus Guntherius hujus constructor cœnobii, relicta conjuge, martirium petens loci, ibi etiam monasterium quoddam condidisse fertur. Ubi et a barbaris decollatus fuisse traditur. Cœnobium vero ipsum domna Berta construxit præsidens apud Avennacum, Domino sibi locum per angelum demonstrante, construxit. Et dum ibi aquam non haberet, impetravit a possessoribus proximæ silvæ, argenti libra data, fontem quemdam, duobus fere millibus a suo monasterio distantem. Ex quo fonte mox rivus egressus secutus est eam ad cœnobium remeantem. Qui adhuc largiter affluens, pro eo quod tantumdem fuerit emptus, Libra vocitatur. Privigni denique ipsius domnæ Bertæ, insurgentes contra eam, interemerunt illam. Qui statim traditi Satanæ in interitum carnis, ab humano genere in bestiarum feritatem versi, [illegible], feruntur. Nepti vero domni Guntherii, nomine Mathildæ, quæ sanctimonialis hujus cœnobii fuerat, nocte vigilanti domna Berta fertur apparuisse, eique præcepisse, ut corpus domni Guntherii ad hunc locum referre satageret, ac juxta suum funus collocare; neque illi prosperum eventurum [illegible] indulgeret. Quæ signum petens, quo sibi dictorum id esse [illegible], audivit quod mox [illegible] complexam, [illegible] vel [illegible] sanguinem. Quod et impletum est, dum corpus domni Guntherii juxta corpus Bertæ reconditur. Hujus domnæ Bertæ corpus post centum [illegible] annos inventum est integrum, et plaga ipsius ita tunc recenti [illegible], ac si eadem hora [illegible] fuisset [illegible]. Ad hoc [illegible] demonstrandum, multa postmodum Dominus dignatus est operari miracula, quæ nostra negligentia non habentur descripta. De ipsius [illegible] congregatio Domini [illegible], per [illegible] sibi consolationem percipere [illegible]. Quædam [illegible] mulier ab altari hujus monasterii [illegible] super [illegible], [illegible] sed [illegible] potuit, [illegible], [illegible] tollens. Hoc monasterium, vel abbatiam domnus Fulco præsul ab Odone rege [illegible] ecclesiæ Remensi per præceptum præceptionis ipsius regis obtinuit, et pro confirmatione hujus rei hanc ecclesiæ, a Formoso papa privilegium apostolicæ sedis impetravit.

CAPUT XLVIII.

De duabus ecclesiis sancti Hilarii Remis.

Sunt hic Remis ecclesiæ duæ in honore sancti Hilarii: una infra civitatem, in qua nuper quædam puella contracta, et paralytica divina est erecta virtute; altera, quæ est antiquior ecclesia, ante portam Martis sita, quam sanctus Rigobertus pontifex antecessoribus nostris clericis ad sepulturam ipsorum dedit. Quæ dudum, scilicet ante discessionem, vel expulsionem domni Artaldi episcopi, crebris illustrabatur miraculis. Unde et tunc ab eo, civibus quoque suffragia ferentibus, tectis ac novis est reparata laquearibus. Nam quidam cæcus, nomine Fa[illegible]les, admonitus in somnis, ut ad eamdem pergeret ecclesiam, lumen ibi recepturus, advenit, et recuperato lumine, nec mora, videns abscessit. Quidam ex episcopi famulis cum ad ipsam pergeret ecclesiam piscatorem cum piscibus ante fores ecclesiæ obvium habuit; quos apprehendens velut empturus abstulit. At pauper ille piscator, ut inde sibi cum sancto Hilario conveniret, devotionum clamores lugubri mente in eum ingessit. At ille despiciens hujusmodi voces, ecclesiam, quasi missam auditurus, intravit. Ubi dum staret, subito corruit, graviterque vexatus ejicitur. De qua vexatione non parvo tempore laboravit. In hujus ecclesiæ cœmeterio quidam Sedigonis, Dei servus, olim sepultus. Sed cum jam a notitia et nomen, et memoria ipsius sepulturæ videretur abolita, apertis sese cœpit manifestare visionibus. Nam dum quidam civium non de inferioribus, sed pauper rebus, olim nostris diebus obisset, amici ejus ad Hildegarium hujus ecclesiæ presbyterum accedentes, petunt ab eo ut locum sibi sepulturæ impertiret, ubi sarcophagum reperirent in quo corpus ipsius recondere possent, quia de rebus ipsius unde emerent non haberent. Qui dum eis petita concessisset, sepulturam servi Dei aperuerunt; sed ipsum ejus sarcophagum aperire nequiverunt. Quo audito, presbyter accessit, et cooperitorium sarcophagi levare tentans, aliquantulum aperuit sepulcrum. De quo mox fragrantia tantæ suavitatis emanavit, ut [illegible] testatus sit hausisse odorem. Introspiciensque videt corpus integrum sacerdotalibus infulis redimitum, recompositumque sepulcri pallio, non ausus est hanc amplius violare sepulturam; permisit tamen ut idem corpus, depositis quibusdam, superponeretur tabulis. Ipsa nocte visus est ei avunculus suus presbyter in somnis, qui jam dudum decesserat, asserens quod valde offendisset Deum præterita die, maxime si sepulcrum sancti viri [illegible] præsumpsisset. Idem quoque beatus vir quidam sibi ipsa die apparuit, et quia valde gravaretur pro pondere et indignitate superjecti sibi cadaveris intimavit. Et ut indicaret presbytero jussit quia nisi sibi corpus [illegible] jam [illegible] a sepulcro suo repelleret, divina quamdam ultione plecten-

dus esset. His presbyter admonitionibus pavefactus, cadaver quod sepulturæ sancti superpositum fuerat, ejici fecit cum lamentatione, et aperta alibi sepultura recondidit. Visus est idem sanctus Domini postea cuidam rustico, præcipiens ei ut iret ad episcopum Artoldum, et indicaret ei ex verbis ejus, ut corpus ipsius quod extra jacebat, intra ecclesiam transferret. Quod idem rusticus intimare timens, neglexit mandatum. Nec longe post iterum apparens evigilanti, duriter increpavit illum, quare præceptum neglexit, et corripiens alapa ejus percussit maxillam. Qui mox auditum amisit ipsius auris in qua percussus est parte, capitisque dolore per dimidium fere vexatus est annum. Deinde cuidam presbytero in eadem ecclesia, sub præmisso sacerdote servienti, apparens in visione quadam Dominica nocte, admonuit eum, ut episcopo indicaret, quatenus corpus ipsius in prædictam ecclesiam transferret; locum quoque ubi ponendum foret ostendere non omisit, intimans ei obitum, et causam obitus, vel adventus sui, significans se Scotigenam fuisse, Romamque orationis gratia cum sociis petendi itinere occupatum, a latronibus super Axonam fluvium fuisse peremptum, indeque corpus suum a sociis huc delatum, ibique sepultum; propalans etiam nomen suum, quod vocaretur Moroliianus [*scil.* Merolianus], jubens ut id nomen, ne forte memoria delaberetur, ascribere curaret, inclinansque se partemque cretæ, quæ fortuitu jacebat, apprehendens dedit ei, præcipiens ut illud continuo adnotaret in arca quæ lecto ipsius adhærebat. Quam ille cretam visus est accepisse, nomenque descripsisse. In quo dum pro *L* littera, *R* scriberet, corrigere hoc eum monuit, et ita in crastinum hoc nomen ascriptum inventum est, ut testaretur idem presbyter, quod vigilando per diem tam bene scribere nequivisset. Quibus revelationibus monitus episcopus, ecclesiam quidem restaurari fecit, sed corpus sanctum non transtulit. Nec diu postea sic ei contigit, ut in eadem ecclesia coram Hugone principe se abdicaret episcopii gubernatione.

CAPUT XLIX.

De ecclesiis in honore sancti Martini circumquaque per totum circiter episcopium constructis.

In honore quoque beati Martini multæ circumquaque per totum circiter episcopium habentur ecclesiæ, divinis miraculis illustratæ, ad quæ neminem credimus enarranda sufficere. In vico denique sancti Remigii constat ecclesia hujus beati confessoris, quæ clericorum olim fertur habuisse congregationem, de qua tale apud nos refertur miraculum. Quidam vir illustris, cum duxisset uxorem, non longe post in expeditionem præcepto regis profectus, diuque moratus, postquam domum rediisset, significatum est illi quod uxor ejus adulterio fuisset corrupta. Quam vir uxorem diligens, tali examinatione probare voluit audita, ut supra sacra ecclesiarum quæ in hac vico habentur uxor sibi juraret altaria quod hoc crimine esset innoxia, sicque immunis sibi postmodum foret a noxa. Quod illa non abnuens, prompta suscepit, factaque fidem dictis, cum marito ad vicum pervenit, et dum ad quarumdam ecclesiarum altaria pejerandum, tandem pervenit ad hujus ecclesiæ domum, accedens ad altare, dum falsa mente dejerat improba, repente utero disrupto ejus labuntur humo intranea, procidensque mortua ostendit quam vera essent quæ de se marito fuerant intimata. Ille metu Dei compunctus ad miraculum, vovisse traditur se ulterius mulierem non habiturum; familiamque uxori delegatam eidem addicens ecclesiæ, hanc eis dedit legem, ut capitis censum ibidem dependerent, nullique præter id obnoxii servitio forent. Quæ familia hac sibi lege servata, ad duo millia, vel amplius excrevisse reperitur capita, ut olim, scilicet antequam vastaretur a barbaris, duodecim libras argenti partibus præstaret ecclesiæ.

CAPUT L.

De miraculis sancti Martini Remis ostensis.

Aliis etiam nonnullis beati Patris hujus urbis nostra fertur insignita miraculis. Ex quibus ea quæ sanctus Gregorius Turonensis (GREG. *lib.* IV *Mirac. S. Martini*, c. 26) in suis miraculorum libris enarrat hic indere placuit, ut si qui hæc legentes, ea forte non legerint, hic reperire possint. Refert enim quod transeunte se quondam per pagum Remensem, retulerit ei quidam Remensis, carcerem in quo famulus ipsius hominis inter reliquos vinctus tenebatur, beati Martini virtute patefactum, vinctosque ab ergastulo absolutos, liberos abscessisse. Erat enim hujusmodi carcer, ut super struem lignorum axes validi superpositi pulpitarentur: ac desuper qui eumdem [*orig.* eosdem] opprimerent, insignes fuerant lapides collocati. Nihilominus et ostium carceris sera ferro munita, obducto, clave pessulo, obserabatur. Sed virtus antistitis, ut ipse relator asseruit, lapides pulpitaque disjecit, catenas confregit, trabem quæ vinctorum coarctabat pedes aperuit, ac nec reserato ostio, homines per aera sublevatos foras, tecto patente, produxit, dicens: « Ego sum Martinus, miles Christi, absolutor vester, abscedite cum pace, et abite securi. Sed cum nos, inquit Gregorius, ad regem accedentes hujus virtutis miraculum diffamaremus, affirmavit rex quosdam ex his qui absoluti fuerant ad se venisse, atque compositionem fisco debitam, quam illi fredum vocant, et se fuisse reis indultam. » Refert etiam idem Gregorius (*ubi supra, lib.* II, *cap.* 17) se quondam hanc urbem petisse, et in sacrario hujus Remensis ecclesiæ Sigonis aurem surdam referendarii Sigeberti regis, virtute beati Martini, cujus habebantur apud se pignora, dum colloqueretur secum, subito patefactam atque sanatam fuisse.

CAPUT LI.

De sancta Macra virgine.

Passa est in hoc Remensi pago beata Macra virgo sub Rictiovaro præfecto, quæ post insuperabilem Christi confessionem gravissima tormenta perpessa, post mammillarum abscissionem, et repentinam curationem per angelicam in carcere visitationem, dum super prun et testulas accensas nuda volutaretur

cum precibus et gratiarum actionibus, commendatum Deo reddens spiritum, ac triumphans adversarium, laeta tota petiit coelum. Corpus ejus haud procul a loco ubi passa est, tunc exstitit tumulatum. Multis vero post annorum curriculis quidam bubulcus perveniens ad locum, quo beatissima virgo occisa fuerat, juxta quamdam in honore beati Martini constructam ecclesiam, revelatus est. In quo visu admonetur, ut corpus beatissimae virginis intra praefatam ecclesiam reconderetur honorificentius, quod eidem loci prius ..., manifestavit. Quod et mox a viro Deo amabili ... perductum est. In qua domo venerabile corpus ejus requievit, insignia per ipsius intercessionem sunt patrata miracula. Hic enim visum, claudi gressum, surdi auditum, Domino ejus obtentu largiente, promeruerunt. Procedenti vero tempore vir quidam strenuus ... nomine Daugulfus (al. Dangulfus), qui ubi nunc venerabile, fundavit templum, in quo illius sacratissima transtulit membra, regnante tunc Imperatore Carolo; ubi nunc ..., Domino praestante, saepe miracula peraguntur (26). Quam nuper ecclesiam, tempore scilicet persecutionis Hungrorum, iidem barbari succendere cupientes, ... quosdam ... magnos, qui parieti ejusdem adhaeserant, incenderunt, ... sagittis, flamma licet ecclesiae tecta lambente, eamdem tamen accendere nequiverunt.

CAPUT LII.

De sanctis Rufino et Valerio martyribus.

Eodem tempore quo haec sacra virgo passa est, tyrannus ejus Rictiovarus per urbem Remorum transiens, et quosdam Christianos ad cultorum daemonum compellens, ... praecepit. Et egressus inde reperit duos quosdam viros Rufinum et Valerium, fide Christi robustos, ... tamen horreorum ... Quos comprehensos, ubi ... Christi fidem et confessionem ..., plagis affectos ... carceris ..., ubi angelica visitatione ac consolatione relevati et confortati sunt. Sic ... tandem ..., capitum ... sententiam. Cumque non post longa temporis intervalla ad urbem Remorum sacratissima deferrentur eorum membra ... imposita, in loco illo, ubi nunc ... ipsorum requiescunt ossa, ... ut nequaquam loco moveri valerent. Et sic Deo jubente factum esse probatur, ut ubi pauperibus eleemosynae ... largitatem, ibidem sanctorum corporum gratiam perciperent requietionem. Sed dum semper gens barbara Nordmannorum ... ob timorem ... persecutionis ..., corpora pignora ad urbem Remensem delata, ... et per dies plurimos ... honore servata. At cum jam demum, barbaris ..., in ... tempestas ..., ... sed), endissque tandem, Deo jubente tranquillitas, presbyter, qui ... deserviebat, ... martyrum glebas tollere, et ad ... locum referre. Postque celebrata missarum solemnia levantur a sacerdotibus sacrata ... corpora, atque cum magna populorum ... comitante caterva. Contigit autem dum illam, quae Basilica dicitur, ..., ita ut omnes candelae, quae ad obsequium sanctorum ferebantur, ... extinguerentur. Cumque ... flaminis fuissent ingressi, cereus qui ante sanctorum pignora ferebatur exstinctus, repente coelitus accensus, omnibus mirum exhibuit spectaculum. Sicque inter commotos procellae nimbos, et ventorum flatus ad quatuor fere millia duravit ex miraculo flamma. Deposuit denique postea presbyter ... ipsum in meliorem formam ... Cumque id a sacerdotibus sibi ... efflueretur, mirum dictu ... manus eorum mollis cera ..., et in magnam grandescere quantitatem.

CAPUT LIII.

De miraculis eorumdem sanctorum.

Cumque illi stupentes, admirantesque perstreperent, ingressus presbyter, et videns ... ceram ..., quod non praeceperat, objecit. Sed cognito tandem a sacerdotibus, quod acciderat miraculo, Deo gratias egit, et ceram ... ad memoriam tantae rei reposuit. De qua cera Riculfus Suessionum venerabilis episcopus reliquias sibi deferri jussit. Sed et vicinarum ecclesiarum religiosi presbyteri exinde ob devotionem expetitas portiones in ecclesiis venerabiliter condiderunt. Alia autem vice, cum de Suessonica civitate, in qua ob ... persecutionem delati fuerant, ad locum proprium referrentur, claudus quidam cum caeteris qui sanctorum corpora devote comitabantur obsequiis, ... incedebat. Non quidem hunc natura claudum produxerat, sed ex tempore ... debilitas. Cumque ad villam, quae ... dicitur, venissent, mox ... resiliens, projectis adminiculis suis coepit vadere plantis, et Deum in sanctis suis mirabilem ... gratanti. Praeterea in eos qui sacrum locum violare et res sanctis martyribus delegatas pervadere nituntur, quam cito divina ultio ..., ... demonstrare. Tempore quo inter reges Odonem et Karolum graves agebantur Francorum in regno discordiae, per hanc ... bello rapinae et depraedationes fiebant, ... aut ..., sed ..., ... ad villam, quae Basilica dicitur, ... pauperum ... Cum quaedam muliercula ... ad ... sanctorum martyrum, ... Quam qui-

(26) Loco nomen est *Fimes*.

dam ex his qui ad prædandum venerant, ita ut sedebat equo velocissime insequi cœpit, volens eam capere, et serta sua illi auferre. Sed cum quidam de astantibus diceret : Noli miser, noli illam in atrium sanctorum insequi martyrum, ne tibi mali aliquid contingat. Ille nihil veritus, admisso equo rapidissime fugientem insequebatur mulierculam. At ubi primis atrio pedibus equus institit, subito cernuatus cecidit. Sessor autem ejus tam gravi allisione vexatus est, ut a summo genu usquead pedem, dirupta tibia, caro velut ferro incisa dehisceret, osque ipsum carnis tegimine (*ms. i*, tegumine) nudatum, pateret ; et qui superbus eques venerat, jam humiliatus, nec suis pedibus incedere valens, manibus alienis de atrio ecclesiæ projectus est. Tunc equo et quæ habere potuit sanctis martyribus pro eo datis, morti quidem subtractus est ; sed quod supervixit temporis inutilis et nulli operi aptus fuit, testimonium divinæ virtutis in sua debilitate circumferens, et aliis quibusque salubrem timorem, exemplo patratæ in se ultionis, incutiens, ne talia agentes similia patiantur. Illud quoque notissimum, et omnibus habetur pervulgatum , ad sanctorum martyrum sepulcra oleum aliquando crevisse. Siquidem presbyter vas quoddam fictile juxta altare posuerat, ad servandum oleum, quod ibidem ad fontem luminis, ardere debebat. In quo vase parum quidem olei remanserat, majore ejus parte in lychnorum lumine consumpta, cum repente cœpit crescere, et nullo inspiciente in majus augeri, donec os vasis crescens oleum exæquaret. Quod, cum per dies aliquot fieret, nec jam se intra vasis angustias liquor divinitus auctus caperet, ac guttatim in terram flueret, clericus ecclesiæ ipsius custos hoc solus animadvertit, et subjecto vase altero, intra paucos dies ad unum sextarium collegit, furtimque abscondit; putans infelix divinum miraculum cupiditatis suæ fore compendium, et unde providebatur omnibus patrocinium, inde clandestinum se posse credidit perficere furtum. Sed Christus, qui sanctos suos mirificare apud omnes decreverat, non diu permisit latere, vel illius pudendum facinus, vel quod ad suorum martyrum gloriam contulerat munus. Nam quadam die domum, quæ basilicæ adhæret, in qua etiam Suessonicus episcopus, cum illuc accedit manere consuevit, presbyter nescio quid causæ fuerit, ingressus, vidit vas illud oleo superfluere, et miratur unde illa esset olei copia, cum illic perraro hujusmodi inveniri posset liquor, cœpit percunctari clericum tanti criminis conscium, cujus esset oleum, aut quis illud ibi deposuisset. Sed cum ille diceret, nescire se unde esset, pueri, qui ad discendos psalmos ibidem residebant et rem omnem noverant, indicaverunt presbytero et factum miraculum et custodis furtum. Ille hoc audito cito ad vas quod juxta altare stabat recurrit, et pavimentum adhuc olei exundatione madens invenit. Cumque immensum in sanctis suis glorificaret Deum, alius quidam de custodibus advenit et confessus est se magnam partem olei ipsius, nullo teste, tulisse, et ubi voluit, et sicut voluit expendisse.

AUCTARIUM FLODOARDI

Ex codice Igniacensi, qui continet Breviarium Flodoardi libris duobus comprehensum cum appendice.

(Apud Labbe, Biblioth. mss , tom. II, p. 363.)

(*Post epitaphium Fulconis episcopi*, lib. IV, cap 8): Denique Winmarus ejus interemptor , etc., *usque* finivit. At vero præfatus Fulco utpote vir sapiens, Deumque timens testamentum suum jam dudum ordinaverat, et de jure patrimonii sui , quibusdam ecclesiis distribuerat, inter quas Ecclesiæ Remensi pro animæ suæ remedio villam Nemincum quæ sita est in episcopatu Noviomensi contulit, cujus redditas pro illius memoria annuatim recolenda canonicis Remensibus dividuntur. De cujus etiam villæ censu canonici Noviomenses habent singulis annis solidos LX illius monetæ. Cujus autem conventionis causa nummi isti ecclesiæ Noviomensi ab Ecclesia Remensi persolvantur, hic apponere non incongruum æstimamus : ut ergo facilius hoc ostendamus, memoriale scriptum illius pacti huic operi adnectamus.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, præsentibus et futuris sanctæ matris Ecclesiæ filiis sit nota conventio habita inter canonicos sanctæ Mariæ Remensis ac sanctæ Mariæ Noviomensis de tertia parte villæ quæ dicitur Bidricus. Harduinus Noviomensis ecclesiæ archidiaconus, postea autem Lingonensis factus episcopus, ipsam tertiam partem villæ supradictæ, quæ sibi a parentibus jure hæreditatis cesserat, fratribus ecclesiæ Noviomensis pro remedio animæ suæ contulerat, quam dum longe remoti tenerent, prædones regionis per invasiones crebras atque prædationes vehementer vastabant. Qua necessitate compulsi, sed et a fratribus Remensis ecclesiæ commoniti, ad Trecensum eam dederunt pro libris III nummorum Vermandensium, quos singulis annis acciperent de censu apud Nemincum in festo S. Dionysii. Quod si de censu solvendo injustitia facta fuerit, emendetur lege fori. Si vero villa ipsa vastata fuerit, Remenses fratres ab hac conventione ideo non resiliant ; et si emendata fuerit, Novio-

mensses fratres in ista conventione ideo nihilominus permaneant. Hujus vero conventionis ratio facta est consilio atque consensu Widonis archiepiscopi, Odalrici præpositi, Richardi decani, Odonis cantoris, necnon totius congregationis. At ex altera parte similiter concessa est ista conventio Balduini Noviomensis episcopi voluntate, atque consilio Haymonis præpositi, Rotberti decani, totiusque congregationis communi suffragio. Insuper etiam utraque pars volentes pactum hoc fore perpetuum, scriptum fieri delegerunt, quod esset in sempiternum prædictæ conventionis testimonium. Actum anno incarnationis Dominicæ MLII, indictione III, regnante Henrico rege, anno XXIII, archiepiscopatus domni Widonis anno XVIII, Balduini episcopi Noviomensis anno VIII. »

Post lib. IV, *cap.* 19, *post finem capitis*: De isto Seulpho solebant dicere nostri antecessores quod ipse ampliaverat templum hoc quantum continet longitudo arcuum trium. Dicebant quoque quod ipse veterem turrim construxerat, quam domnus Samson archiepiscopus dirui fecit, quando etiam ipse ecclesiam duorum arcuum longitudine ampliavit, et in unoquoque latere turrim unam ædificare inchoavit anno incarnati Verbi 1152. Sed quoniam de prædicta opinione nulla in libro Flodoardi mentio invenitur, incertum esse videtur, quod neque scripto, neque teste aliquo comprobatur. Porro iste Flodoardus, qui hujus operis est auctor, fuit contemporaneus Herivei archipræsulis, Seulphi quoque atque Artoldi, ut ex ipsius verbis perpenditur, et qui in scripta horum opera enarravit, rem istam magnam, si verum esse sciret, forsitan non omisisset. Sane prælatus Seulfus, ut scriptum habemus, immunitatem claustri nobis largitus est, videlicet domos vendendi, emendi, seu invicem commutandi, pro qua largitione annuatim defunctionis ejus diem recolimus, cui etiam obsequio Tilpini atque Widonis memoriam, qui pridie quam iste decesserunt, et multa Ecclesiæ bona contulerunt, non immerito adjungimus. Nunc itaque paululum digressi, ad narrationis seriem articulum reducamus.

IN LIBROS HISTORIÆ REMENSIS ECCLESIÆ

SCHOLIA SEU NOTÆ

Quibus obscura quæque illustrantur, dubia et involuta explicantur, mutila ac depravata supplentur et emendantur.

AUCTORE GEORGIO COLVENERIO,

SS. Theologiæ doctore et regio ac ordinario in Academia Duacensi professore collegiatæ ecclesiæ S. Petri præposito et Academiæ cancellario.

(*Ex Bibliotheca Patrum*, tom. XVII.)

SCHOLIA IN LIBRUM PRIMUM.

PROLOGUS.

Frodoardo presbytero R. Flodoardus. Sic cum R. P. Jacobo Sirmondo emendavimus, cum ms. sit R F L, ubi, ut idem Sirmondus ait, per litteram R nonnulli putant Rodulphum episcopum Laudunensem intelligi, quem scribit in Chronico suo hic auctor noster obiisse anno 948; neque hæc historia ulterius progreditur.

CAPUT PRIMUM.

Fratres militibus . . . interfectum. Sic omnia exemplaria, atque ita frequenter loquitur, subaudita præpositione, pro a fratris militibus, quam adjeci. Sic infra cap. 6, *turbas remotas populatur.*

Cujus etiam fornicem prodeuntibus dexterum. Hoc est eum qui a dexteris est iis qui civitatem ingrediuntur.

Nautæ quidem cygnum bonam prognosin prodere ferunt, ut ait Æmilius. Hæc verba cum disticho sequente sumpta sunt ex Isidoro lib. XII Originum sive Etymologiarum, cap. 7, ex quo adjeci voculam *ait*. Isidorus vero desumpsit ex Servio in I Æneid., ad versum:

Aspice lætantes bis senos agmine cygnos.

Habet autem distichon hoc Æmilius Macer in Ornithogonia, quem librum citat Servius; item Nonius Marcellus, verbo *præsagia*. Ubi tamen pro *Æmilius*

male legitur *Lucinus*, ut docti adnotarunt. Servius A ubi supra ad versum : *Ignavum fucos*, nominat Marcum Æmilium. Quod vero de anseribus hic subjungitur, sumptum est ex eodem Isidori loco, ubi de Capitolio per anseres servato citat Livium, Plutarchum et Florum. Quibus addi potest Plinius lib. x Hist. Nat. cap. 22, et lib. xxix, c. 4, et ipse Virgilius lib. viii Æneidos sub finem.

Urbis autem nostræ nomen Durocortorum quondam dictum. Ita hoc loco et infra semper legunt exemplaria C. M et J, pro quo S. ubique substituit *Durocortum* ; quod legitur quidem vulgariter in textu Julii Cæsaris loco hic allegato. Verum Fulvius Ursinus in suis emendationibus testatur in libro suo a sexcentis pene annis conscripto, et alio codice Vaticano legi B *Durocortorum*, quomodo et Ptolomæus legit Δουροκόρτορον. Eadem lectio probatur ex Æthico, et commentario Hieronymi Suritæ ad Itinerarium Antonini, et ex Hincmaro epist. 6, inter eas quæ a R.P. Busæo editæ sunt, c. 18. Petrus Divæus, et Abrahamus Ortelius in suo Thesauro Geographico *Durocottorum* scribunt, mutata littera *r* in *t*.

Vastatis regionibus, exercitum Cæsar. Sic Orig et C, pro quo MS J male legunt *factis legionibus*, ut declarant ea quæ in Cæsare præcedunt.

Æthicus etiam in Cosmographia sic memorat. Verba quæ citat leguntur in Itinerario provinciarum, quod Antonino Augusto, alias Antonino imp. ascribitur, et in editione Basileensi 1575 Æthici Cosmographiæ subjungitur, estque verisimile Æthicum utrius- C que auctorem esse. Videatur præfatio dictæ editionis. Cosmographiæ Æthici philosophi meminit S. Everardus Cisoniensis id suo testamento.

M. P. M. Ita ubique exemplar nostrum M. Quod lege, *milia plus minus*, vel potius *millia passuum*, ut vult Hieronymus Surita initio sui Commentarii in jam dictum Itinerarium, refutans aliam interpretationem : Quod liquido, inquit, confirmare possimus vias eas certis et constantibus lapidum dimensionibus fuisse demetatas. Pro quo et illud facit, quod in ipso Itinerario non legantur nisi duæ litteræ M.P.—J distinctis punctis posuit M. P. M., omissa virgula superjacente.

Item a Durocortoro Divodorum, et paulo post, *Divodorum.* Frequentius in dicto Itinerario scribitur D Divodorum, quomodo verisimile est secundo quoque loco legendum esse, uti legit J. Hæc hodie civitas Metensis, aut Theonis villa esse creditur.

Item a Bagaco Nervicorum Restitui pro *ab Agracco* ex dicto Itinerario, in quo tamen quædam exemplaria legunt *Bajacum*. Videtur autem intelligi oppidum Hannoniæ, quod tunc Bavacum dicitur.

CAPUT II.

Castra in altitudinem peda xii *fossamque pedum* xviii *munire jubet.* Clarius Orig. : « Castra in altitudinem pedum xii vallo fossaque duodeviginti pedum munire jubet. »

Cum finem oppugnandi nox fecisset. Sic restitui ex Orig. pro, *non ferunt.* Et paulo post : *Lodo de media nocte*, pro eo *de medio noctis*.

[illegible] Belgæ carent. Ita in S. correctum ex Orig. quod mendose J legit, cum M legat *[illegible] Belgum [illegible].* In Corpore Poetarum, edito [illegible] anno 1595, legitur quoque *[illegible]* et in primo versu *Ataxi* pro *Salyes*, cum vere legatur, ut in Thesauro suo notat Ortelius, *ad Atyrem*. Est autem Atyras Tarbellorum in Gallia Aquitanica fluvius erumpens in Oceanum. Porro covinus est plaustri seu vehiculi falcati genus, quo Britanni et Galli in prœliis utebantur.

CAPUT III.

S. Sixtum celebrat Suessonicæ sedis primum, nostrum postea pontificem. Et infra *Suessonicum* et *Suessonis*. Hæc est quasi perpetua lectio antiquioris exemplaris M, quam S ubique mutavit addita littera i, scripsitque *Suessionicæ* et *Suessionis*, etc. Sed antiquam retinere placuit, eo quod probationem suam habeat ex Ptolomæo, Æthico et aliis, atque etiam ex Gallica voce *Soissons*, tametsi posterioribus seculis alia sit usitatior, quæ in Julio Cæsare interdum reperitur. Nec refert utrum hoc an illo modo efferatur. Cæterum veritas historiæ hic narratæ ex eo confirmatur quod S. Sixtus et S. Sinicius de quibus Martyrologia Kalendis Septembris, ponantur primi in catalogo episcoporum Suessonensium, sicut et Remensium, ut videre est in tabulis Antonii Democharis, ubi referuntur martyrium passi sub Nerone, sicut et Amansius horum successor. Atque ob eam causam, teste eodem Democharé, episcopus Suessionensis primum locum obtinet inter suffraganeos episcopos provinciæ Remensis, et inter eos decanus appellatur, primamque vocem obtinet in deliberationibus, etc. : quia videlicet iidem fuerunt primi episcopi Suessonenses et Remenses. Nomina vero episcoporum qui olim subesse solent archiepiscopo Remensi hæc sunt : Suessionensis, Catalaunensis, Laudunensis Bellovacensis, Ambianensis, Noviodunensis, Silvanectensis, Camaracensis, Atrebatensis, Tornacensis et Morinensis. Deletis autem Morinis a Carolo V imp. 1553, sedes episcopalis ex parte translata est Bononiam, manetque Bononiensis episcopus eidem Remensi metropolitano subjectus. Sed anno 1559, in erectione novorum in Belgio episcopatuum per bullam Pauli IV, subtractæ sunt a metropoli Remensi Cameracensis, Atrebatensis et Tornacensis, et sedes Cameracensis erecta est in metropolitanam, cui subjectæ sunt Atrebacensis et Tornacensis, et aliæ duæ recenter erectæ, videlicet Audomarensis et Namurcensis.

Ac beatum Memmium Catalaunicæ urbis rectorem. Hic primus ponitur in catalogo Catalaunensium pontificum. De eo Romanum Martyrologium, Usuardus et alii 5 Augusti.

Nepote suo, ut ferunt, sancto Divitiano Suessoni a se pontifice ordinato. In C deest *sancto*, neque titulus sanctitatis apponitur in tabulis Democharis, in quibus tertium locum obtinet. Et cum omnia exem-

pluria nostra legunt Suessoni in dativo, habet Suessones.

Fundat pignora. Sic fere ubique omnia exemplaria, etsi MS. J hoc loco *pignera*, etc., fere ubique. Illud tamen antiquitati consonat. Hoc Aldus Manutius in epitome orthographiae suae. « *Pignus, pignoris* dicebant veteres, *pigneris* posteriores. »

Clericorum pariter cultui ministeriis deservita. Qui nunc canonici, olim simpliciter clerici nominabantur, ut constat ex antiquiorum scriptis et ex Joanne Molano lib. I de Canonicis, c. 2.

CAPUT IV.

Quae narrantur hoc cap. de primis martyribus urbis Remensis, Timotheo, Appollinari et aliis, desumpta sunt ex actis, quae manuscripta se habere testatur Baron. in notis ad Rom. Martyrolog., die 23 Augusti, quorum hoc est exordium : « Sub Nerone imperatore, Lampadio praeside, » etc. Eo enim die conformiter Flodoardo, dies natalitius eorum assignatur, et die praecedenti S. Mauri et sociorum martyrum. Tempus etiam addit Petrus de Natalibus lib. VII, c. 95, videlicet circa annum Domini 57. De iisdem, et praecipue beato Mauro, late agit Joannes Molanus in Natalibus SS. Belgii, die 22 August. Nam corpus ejusdem beati Mauri quod hoc capite scribit Flodoardus reservari in ecclesia B. Celsini, post aetatem ipsius Flodoardi, sub Arnulpho Remensi archiepiscopo, reservato capite, circa annum Domini 1012 translatum est in Belgium, ad locum dictum Florinas, dioecesis Leodiensis, ut patet ex litteris ipsius Arnulphi ad Baldricum Leodiensem episcopum, quas videre est in Molano.

Ubi dominus Gundibertus, vir clarissimus, cum uxore sua Bertha. De his late infra lib. IV, c. 46 et 47.

CAPUT V.

Sub quo Betausius reperitur, qui cum Primogenito diacono suo, primus ex hac Belgica provincia legitur Arelatensi primae interfuisse synodo, relatus per Marinum episcopum beatissimo papae Sylvestro, Volusiano et Anniano consulibus. Betausius legit M et J in catalogo archiep. Remens., quomodo etiam legitur ad marginem tom. I Conciliorum, in subscriptione. In epistola vero a synodo scripta ad Silvestrum *Ambitausus*, et in margin. *Bethausus*, ut Baronius anno 314 corrigit. G, S et J. hoc loco Betausius, ex tabulis, ut apparet, Democharis scripserunt, qui testatur eum in concilio Arelatensi secundo *Bethausium* dici, quod notat habitum esse anno 316. Verum ex Baronio et dictis consulibus ostenditur celebratum fuisse anno 314, qui est Silvestri pontificis primus et Constantini imp. nonus. Porro ex praesenti Flodoardi loco confirmatur sententia Caesaris Baronii, qui ait episcopos illos qui in tomis Conciliorum subscripti sunt secundae synodo Arelatensi, subscribendos esse primae, quod secutus est in novissimorum Conciliorum editione Coloniensi anno 1606 vir doctissimus Severinus Binius. Poterit et hinc textus subscriptionis emendari. Cum enim ibi legatur : « Ex provincia Galliarum, civitate Remorum, Ibethausius episcopus, Primgenius diacon., » et in margine *Betausius, Primogenius*, recte reponatur in textu, *Betausius* et *Primogenitus*. Sequitur.

Post quem Aper, inde Maternianus. De hoc addito Molani ad Martyrologium Usuardi, 30 Aprilis : « Eodem die natalis sancti Materniani Remensis archiepiscopi, qui sextus rexit eamdem Ecclesiam. » Inter Aprum et Maternianum Demochares adjicit Discolium, quem sextum facit hujus sedis episcopum, qui subscriptus legitur in concilio Agrippinensi, sub Julio papa primo contra Euphratem celebrato, circa annum Domini 346. Sed forte fuerit tantum chorepiscopus, vel titulotenus Remorum episcopus, ut de Abel quidam respondent. Nam Discholium illum non esse addendum probatur in primis ex testamento B. Remigii infra cap. 18 : « Ecclesiae inquit S. Sixti, ubi cum tribus successoribus suis requiescit. » Et supra : « Ecclesiae Jovinianae, etc., ubi etiam quinque confessores, proximi antecessores domni Nicasii, etc., conditi sunt. » Non sunt igitur plures quam novem, qui praecedunt S. Nicasium. Secundo ex epistola Ebonis ad Balduinum Ferreum Flandriae marchionem, quae exstat apud Molanum in Natal. SS. Belgii 14 Octobris, in qua diserte scribit B. Donatianum septimum fuisse sedis Remensis episcopum. Tertio ex Hincmari epistola, quae infra exstat lib. III cap. 22, ubi S. Remigium vocat decimum quintum Remorum archiepiscopum. Cur autem de his episcopis et aliis hujus provinciae sanctis pauca scribantur, causam affert Ebo in citata epistola : « Ejus, inquit Donatiani, sanctique Remigii, ac innumerabilium sanctorum vitae scripta, Wandalorum vastatione scias esse deleta. »

Hoc Donatianus exstitit episcopus, cujus etiam pignora meritimus in partes episcopi Noviomagensis vel Tornacensis prolata. Sic et infra loquitur auctor, nominatim lib. III, cap 23, quia Ecclesia Noviomagensis et Tornacensis sexcentis annis unitae fuerunt, videlicet a tempore S. Medardi, qui obiit anno Domini 556, usque ad aetatem S. Bernardi Claraevallensis abbatis. Noviomagensis, alio nomine Noviomensis et Noviodunensis, Gal., *Noyon*, dicitur. Translatus est autem hic beatus pontifex ad insignem Flandriae maritimae civitatem, Brugas dictam, quae ante subjecta fuit Ecclesiae Tornacensi, sed nuper, videlicet anno 1559, ipsa S. Donatiani Ecclesia erecta est in cathedram. Fuit eo translatus tempore dicti Ebonis archiepiscopi Remensis, et Caroli Calvi, anno, ut Jacobus Meyerus scribit in suis Annalibus Flandriae, 863. Illud tamen non potest cum veritate subsistere, quod non asserit quidem, sed se invenisse scribit idem Meyerus, videlicet eum ab Dionysio urbis Romae episcopo sacris ablutum fontibus, creatumque ab eodem Remorum pontificem circiter salutis annum 270. Nam, ut ex praedictis constat, Betausius fuit Remensis episcopus anno 314. Successerunt ei Aper et Maternianus, deinde Donatianus. Et vero nihil omittimus, in tabulis Democharis vocatur L. Donatianus Romanus, Cornelii et Luciae

filius. Quæ de Vita ipsius existant, adnotat Molanus ad Usuardum 15 Octobris, et de ipsius translatione ad eumdem diem Laurentius Surius.

Quem beatus Vincentius. Hujus meminit Molanus in additione ad Usuardum die 7 Septembris.

CAPUT VI.

Antiquitus in ecclesia quæ ad Apostolos dicitur, exstitisse fertur. Ita M. etc. Sed in M recentiori manu superscriptum est S. *Symphoriani*. Quod S retulit in textum, sicut et alia quædam ad explicationem pertinentia, hoc modo : « Quæ ad Apostolos, olim, nunc S. Symphoriani dicitur, » quomodo etiam legit J. Eamdem adnotationem habet in Gallico suo exemplari Nicolaus Chesneau, decanus et canonicus ejusdem ecclesiæ S. Symphoriani. Sed non probo quod adnotationes marginales in textum referentur. Idem tamen in textu habent omnia exemplaria lib. II, c. 6

Quæ autem hoc capite de martyrio S. Nicasii Eutropiæ, et sociorum narrat auctor, ea desumpsit pro majore parte ex gestis ipsorum martyrum, quæ ex manuscripto codice accepta, habentur apud Surium tom. VII, apud Vicentium in Speculo hist., l. XXI, cap. 37 et 38 ; Petrum de Natalibus l. I, cap. 69, et S. Antoninum part. II Hist., tit. 11, cap. 8. Sed plenius et perfectius inter Vitas Sanctorum Coloniæ excusas in folio, in ipsas adhuc quasi typographiæ infantia ann. 1483. Item in breviariis propriis cathedralium ecclesiarum, Remensis, Ambianensis, Atrebatensis et Brugensis. Ubi ante omnia constituendum est de tempore quo hæc acciderunt. Qua in re magnam nobis præferunt lucem ea quæ in fine hujus cap. citantur ex epist. B Hieronymi ad Ageruchiam sive ad Gerontiam, quam scriptam docet Baronius in Annal. an. 407. Quare eodem anno verisimile est ea contigisse. Nam Wandali et Alani pridie Kal. Januarii anno 406, transito Rheno, Gallias sunt ingressi, ut habet B. Prosper in Chronico, videlicet Arcadio sextum et Anicio Probo coss., quos ad annum hunc refert Christianus Massæus, et Baronius, etsi Prosper ad an. 408. Alia enim Chronica chronologiam Baronii duobus annis superant. Hoc idem referent iisdem coss. Cassiodorus in Chronico et Zosimus, l. VI. Eodem pertinere quæ de hac calamitosa irruptione scribit Hieron. epistola jam dicta, circa eumdem annum asserit Arnaldus Pontacus in suis notis ad Chron. Prosperi. Atque inprimis hæc sententia probatur Baronio, dum an. 407, post citata eadem Hieronymi verba, ita subjungit : « Quod autem inter alias Galliarum urbium clades Rhemos a Wandalis referat devastatos, in eam sententiam me magis trahit, ut existimem S. Nicasium ejus civitatis episcopum, una cum sorore Eutropia et sociis esse martyrio coronatos, licet aliqui ad Hunnorum id referant tempora, quorum acta passionis æque sub Wandalis ipsos esse passos habent, sed plane corrigenda in eo dum Wandalos paganos fuisse tradunt, quos liquet fuisse Christianos. » Sic ille. Verum quod ad posterius attinet verisimile est non omnes Wandalos fuisse Christianos, sed multos paganos Wandalis Arianis fuisse permixtos. Quod vero pro illo tempore contigerit hoc martyrium non autem, ut Sigebertus notat in Chronico, ex vulgaribus, ut verisimile est Francorum Annalibus, sub Hunnis an. 453, aut, ut Demochares, 454, ex Flodoardo nostro probatur, quia inter S. Nicasium, et S. Remigium intercedunt quatuor alii episcopi, qui infra recensentur cap. 9. Porro S. Remigius obiit an. Dom. 544, episcopatus sui 74, ætatis 95, ut patet ex ipsius epitaphio infra hoc eodem lib., c. 21. Ex quo sequitur eum factum esse episcopum an. 470. Atque ita pro quatuor illis episcopis intermediis non relinquerentur nisi anni 16 aut 17. Adde quod S. Hieronymus obiit an. 421 aut 422. Quare omnino ante hoc saltem tempus contigisse oportet. Denique pro hac sententia facit quod inter coætaneos B. Nicasii nominetur B. Servatius, qui nequaquam vixisse potest usque ad an. 453. Fuisset enim plusquam centum annis episcopus. Interfuit enim conciliis Sardicensi et Agrippinensi, celebratis respective anno 343 et 346. Quod autem legitur trecentis annis vixisse neutiquam probabile est. Quod tamen ad dictam B. Hieronymi epistolam attinet, salva auctoritate Baronii, magis credo eam scriptam esse anno 408. Nam cum excidium urbis Remorum contigerit in fine ann. 407, videlicet 14 Decemb., non potuit eodem anno ejus rei notitia ad B. Hieronymum in Bethlehem commorantem pervenisse. Altera difficultas hic est : An a Wandalis, an vero ab Hunnis passi sint, sed quæ jam manifesta relinquitur ex solutione prioris. Nam Hunnorum persecutio, et Galliarum per eos vastatio sub rege Attila posterior est, videlicet circa annum 450. Quo sane tempore vixit B. Anianus Aurelianensis episcopus, et B. Lupus Trecensis, qui præpropere ab auctore hic nominantur, quique suas civitates precibus suis et meritis liberaverunt a vastatione Attilæ Hunnorum regis. Sed de S. Lupo facilis videri posset conciliatio, quia annis 52 fuit episcopus. At obstat quod demum anno 427 ad episcopale solium evectus sit, juxta calculum Baronii, qui eum defunctum recenset an. 479. Sed excusandus Flodoardus, qui in hac re sequitur Hincmarum, epist 5, c. 17, inter eas quas R.P. Joan. Busæus edidit. Quot annis sederit S. Anianus non invenio in historiis, sed obiisse scribitur an. 453. Verum et hunc diu in episcopatu vixisse, et utramque persecutionem videre potuisse ex eo potest colligi, quia Vincentius Bellovacensis de ipso agit, ubi de morte B. Hieronymi et Wandalorum persecutione, tanquam ab eo tempore fuisset episcopus, nempe lib. XX, c. 11, 12 et 13, secutus, ut ipse ait, Hugonem Floriacensem. Certe omnia eorum gesta, tam in Breviariis quam seorsim edita, meminerunt Wandalicæ persecutionis, non autem Hunnorum, quos de suo, motus forte auctoritate Sigeberti, Franciscus Haræus Wandalis conjungit in compendio de Vitis sanctorum, cum integra acta non habeant. Postremo Wandalorum, non Hunnornm, meminerunt Hieronymus et Ebo locis ante citatis. Item

Martyrol. Usuardi a Joanne Molano auctum, et Martyrologium proprium Ecclesiæ Cameracensis. Sigebertum secutus est Otho Frisingensis in Chron. l. iv, c. 28, Joannes Tilius in Chronico Francorum, et Vitæ SS. utique a Parisiensibus doctoribus editæ. Post hæc omnia a me digesta, invenio Marianum, non negligentem historicum, lib. ii Chronicorum mundi, ann. 406, narrare idem sensisse. [illegible] rationibus, dum ait : « Eodem [illegible] Arcadii sextum et Anicii Probi, teste Prospero, post Kal. Januarii, trajecto Rheno, Wandali, Alani et aliæ barbaræ nationes in Gallias irruerant, et infinitas cædes perpetraverunt : inter quas S. Nicasius Remis occubuit. Testatur ipsum propria ipsius historia, nullam Hunnorum, sed Wandalorum tantum faciens mentionem. Hoc et S. Hieronymus ad Gerontiam [illegible] contestatur, qui diu ante adventum Hunnorum in Gallias defunctus est. Quare merito [illegible] negligentiam qui plusquam 60 annis posterius S. Nicasium passum scribunt, ut nullam [illegible] inter ipsum et Remigium tempus fuerit ? » Hactenus ille. Idem advertit Nicolaus Camuzæus in fine sui Promptuarii sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, docens non recte Attilæ tribui cædem S. Nicasii a Sigeberto. « Flodoardum, inquit, auctorem paulo antiquiorem forte secuto, qui [illegible] prædicta Servatium Tungrensem, Nicasium et Lupum æquævos et contemporaneos facit, cum tamen perspicue palam sit D. Lupum non nisi 20 annis post obitum [illegible] substitutum ad episcopatum [illegible] evectum. » Sic ille. Quod vero [illegible], quia legitur hic Eutropia [illegible] non propter pulchritudinem, idcirco potius ab Hunnis id factum quam a Wandalis, quod gens Hunnorum præ cæteris in Venerem fuerit prona et impudica, ut testis est Salvianus lib. iv De Dei judicio et providentia, id nimis leve argumentum est. Nam in quavis hostili irruptione talia metui timeri debent.

Atque maxime christianos [illegible]. Ut Nicasio [illegible] S. Exuperius Tolosanus episcopus, cujus meminit ubi supra Hieronymus, et S. Germanus Autissiodorensis æqualis Lupo Trecensi, sed S. Nicasio posterior.

Unde et juxta B. Augustini sententiam majorem charitatis cepisse fructum, etc. Loquitur epistola 180, ex cujus fere verbis [illegible] narrationis filum contexuit auctor ab eo loco : *B. itaque Nicasius* [illegible] *pro fratribus*, usque ad illud : *Non ut* [illegible]. Hæc vero sententia Augustini integre sic habet : « Non qui [illegible] cum possit effugere, ne deesset ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri vel vivere Christiani, majorem charitatis invenit fructum quam, qui non propter fratres, sed propter seipsum fugiens, atque comprehensus non negat Christum, suscipitque martyrium. »

Vidensem Agrippinensium. Ita M. [illegible] J *Agrippinensium*, C. *Germanorum*, similiter S. Gerontiam, quam

A lectionem in operibus Hieronymi prætulit Erasmus, Marianus Scotus *Augustam*. Vide notas nostras ad Chronicon Cameracense lib. i, c. 5.

Nemetis, Argentoratus translatæ in Germaniam. In Hieronymo nunc legitur : *Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam*, quomodo mutavit S. Verum recte legitur *translata*, ut ad urbes referatur.

Isthuc enim intentus hic degebat affectus. M *Isto*. Vera lectio *isthuc* vel *isthic*, quomodo legitur in Vita B. Remigii per Hincmarum, ubi paulo latius declaratur quod hic dicitur de incendio urbis Remorum, et vestigiis pedum ejus lapidibus impressis, sicut et infra ab auctore c. 12.

CAPUT VII.

B Quæcunque hoc capit. referuntur (excepta translatione per Fulconem facta) iisdem pene verbis habentur in actis horum martyrum Coloniæ excusis 1483, de quibus supra.

Quem ut apud Tornacum castrum (ubi nunc quoque servari perhibentur. Fuerunt olim Tornaci in ecclesia B. Mariæ notabiles reliquiæ S. Nicasii, sed centum annos post tempora Flodoardi Remos sunt relatæ, tempore Gervasii archiepiscopi, qui antea Cenomanensis fuerat episcopus. Unde et Remensis Ecclesia festum translationis S. Nicasii celebrat die 23 Julii. Quo die in Breviario ejusdem Ecclesiæ sic legitur : « Quidam e clericis Tornacensibus audiens Gervasium præfatum sacrarium (S. Nicasii Remis) instaurare cœpisse, ut partem corporis B. Nicasii,

C quæ in Tornacensi ecclesia servabatur, suæ restituat ecclesiæ omnibus modis elaborat, tempusque et locum perficiendo desiderio quærit. Cumque id per se præstare non posset, quadam nocte Tornacensis ardet ecclesia : quod incendium universæ civitati minatur ruinam. Prædictus vero clericus, opportunam nactus occasionem, intrepide ardentem ecclesiam ingreditur, gloriosumque thesaurum deferens, Remos pervenit, Gervasioque ut res se habebat, ordine exponit. Qui exceptam hanc beati corporis partem, alteri (quæ in arca recondita erat) apponens, æqualia omnia invenit. Postmodum vero integrum corpus in ædem divæ Virgini sacram ubi nunc religiose colitur translatum est. » Hæc ibi.

CAPUT VIII.

D De S. Oriculo et sociis agit Molanus in additione ad Martyrologium Usuardi 18 Novembris his verbis : « Ipso die, beati Orioli martyris sociorumque ejus, qui sub Wandalica persecutione passi sunt. » Et Romanum Martyrologium : « Eodem die sanctorum Oriculi et sociorum, qui in persecutione Wandalica pro fide catholica passi sunt. » In notis ibidem Baronius hoc tantum adnotavit : « De eo, videlicet Oriculo, cætera manuscripta, ex quibus Molanus apud Usuardum. Eosdem lego in additione Coloniensi quæ facta est ad Usuardum anno 1521. »

Quod adhuc manifeste parere dicitur. Ita M. C recenti manu syllaba *ap*. adjecta est. Unde C. et J legunt *apparere*, cum *parere* pro *apparere* usitatis-

simum sit, ut *Matth.* XXIV : *Tunc parebit signum Filii hominis.*

Presbyter ejusdem loci nomine Bello MS, *Beco* ; C, *Belo*. Per presbyterum autem hujus aut illius loci passim in hac historia et antiquorum scriptis intelligitur is qui nunc pastor, parochus, aut Gallica voce curatus dicitur. Sic in Vita sancti Bavonis Domlinus presbyter ex Thurolto venisse dicitur, qui ejusdem loci pastor erat.

CAPUT IX.

Tum Bennadius, cujus tamen Bennagius nomen in testamento suo In tabulis Democharis, et in Annalibus Baronii male legitur *Gennadius*, ubi et obiisse scribitur anno 471, cum potius uno anno ante obierit. Nam ut constat ex adnotatis ad cap. 6, et infra ad cap. 13, Remigius episcopatum suscepit anno 470

CAPUT X.

Quæ de nativitate et vita S. Remigii hoc cap. et sequentibus disserit, ea fere delibata sunt ex Vita ipsius per Fortunatum et Hincmarum descripta. Illa exstat apud Surium die 1 Octobris, hæc 13 Januarii, quas accurate cum his quæ Flodoardus habet contuli. Et in Hincmaro quidem omnia uberius, interdum etiam clarius, recensentur. Nonnulla tamen addidit Flodoardus aliunde accepta. Natus est autem S. Remigius teste Sigeberto, Christiano Massæo et aliis, anno 449. Vide infra notas ad cap. 13.

Principium, Suessorum civitatis postea sanctum episcopum, et patrem beati Lupi, ejusdem Principii successoris. Hic S. Principius in catalogo Suessionensium episcoporum apud Democharem est duodecimus beatus, vero Lupus tertius decimus. De Principio Romanum Martyrol. 25 Septembris, et eodem die additio Molani ad Usuardum. De utriusque vero, id est Principii et Lupi, elevatione Kalendis Junii. Cæterum etsi hæc verba accipi possent ut significent beatam Cliniam, matrem S. Remigii, non duos habuisse filios in juventute, sed ipsum Principium fuisse patrem B. Lupi, ut expresse in Gallica translatione dicitur : in Vita tamen S. Remigii per Hincmarum diserte significatur duos habuisse. Sic enim ibi legitur : « Quæ in flore juventutis pepererat de unico viro suo Æmilio Principium, Suessionum civitatis postea sanctum episcopum, et fratrem ejus, patrem beati Lupi episcopi, ejusdem Principii successoris, » Idem dicere voluisse Flodoardum, qui Hincmarum abbreviat, non est dubium. Quare non recte Baronius in Annalibus, anno 463 et 507, dicit S. Lupum Suessionensem, fuisse filium S. Principii episcopi Suessionensis. Sed illud verum est, fuisse successorem Principii et nepotem S. Remigii, ut patet ex actis et ex testamento ejusdem. Sane Joannes Savaro in notis ad epistolam Sidonii 14, lib. VIII, et 8 libri IV, dicit Principium fuisse patruum Lupi Suessonis episcopi suique successoris, non patrem. De hac difficultate consultus a me dominus Guillelmus le Begue, S. Theol. doctor et archimagister collegii Remensis, respondit confirmiter his quæ habent Hincmarus et Savaro: addens testimonium anonymi cujusdam scriptoris monasterii S. Remigii, quem vixisse scribit circa annum Domini 1400, quod sic habet : « Cilinia in flore juventutis peperit de unico viro suo Æmilio duos filios, videlicet Principium, et alium cujus nomen nobis est incognitum, qui duxerat uxorem, ex qua filium procreavit, nomine Lupum, qui quidem post S. Principium avunculum suum (vult dicere patruum) episcopum Suessionensem suscipit. »

In cujus lactatione. Sic omnia exemplaria, sed ex Hincmaro videtur legendum *ablactatione*.

Jam tamen enim. Ita CJ In M legitur *dum tamen*, quod S, in unam dictionem conjungens, exponit, ut sit quod *verumtamen*.

Et æquorum maxime votis adhuc insignis habetur. Æquorum, id est bonorum et piorum virorum, ut opponatur iniquis.

In cujus et ipsa beata genitrix ejusdem requiescit Ecclesia. Loquitur de beata Balsamia, vel, ut C, *Balsemia*, nutrice S. Remigii, quæ requievit in ecclesia S. Celsini filii sui, quæ hodie vocatur ecclesia sanctæ Nutricis. Celsini autem meminit Molanus in additione ad Usuardum die 25 Octobris his verbis : « Remis sancti Celsini confessoris et presbyteri, discipuli B. Remigii. »

CAPUT XI.

Quod ecclesiastica regula hanc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem. Juxta antiquos canones, ut patet ex decretis Fabiani papæ, et concilio Neocæsariensi, can. 11, prohibetur ne quis presbyter ordinetur ante annum ætatis trigesimum, etiamsi valde dignus sit, qui canones habentur quoque apud Grat., dist. 78. Quare multo minus poterat episcopus ordinari

Paulus videretur in spiritu. Sic omnia exemplaria præter C, quod legit *inspectu*. Sed legendum *in spiritu* patet, tum ex Hincmaro, tum ex initio Vitæ S. Rigoberti apud Surium 4 Januarii, ubi eadem sententia reperitur.

CAPUT XII,

In vicum Calmiciacum nomine, ipsius accessit studii devotione. Ita MS J, et infra c. 21, et lib. II, c. 7 et 11, omnia exemplaria. Similiter in Fortunato, ex quo hoc miraculum est desumptum : « In vicum, cui vocabulum est Calmaciacus, ipsius devotionis studio accessit. » Hoc loco C. legit *Calmiciacum*. Infra interdum *Calmisciacum*, ut capite decimo octavo in testamento sancti Remigii, aliquando Colmisciacum, Culmisciacum, et Culmissiacum, ut cap. 20 in fine. Ejus loci pastor fuit ipse Flodoardus, ut patet ex libro quarto, cap. 28. In Gallico vertitur *Cormicy*, et in margine ponit, *alias Chaumusy*, quomodo vertit capite vicesimo hujus libri, et libro secundo, capite septimo *Chaumuci*. Capite autem 12 iterum *Cormicy*, et ita consequenter.

Pro salvando scilicet eodem. Subaud. *vase* hoc est, ne vas corrumperetur, si plane esset vacuum,

Per portam Patentem. Hincmarus rationem nominis affert, adjecta hac parenthesi : « Sed enim tunc

temporis vocabatur, quæ portis aliis clausis ob civitatis custodiam, pro exeuntium et intrantium commoditate, in die patebat. » Locus autem Remis est, ubi nunc est ecclesia Templi, quæ, ut puto, a Templariis nomen habet.

Itemque litteris ad beatum Remigium datis, ut traditur, fertur. Litteræ sancti Benedicti ad beatum Remigium adhuc hodie exstant in hoc Chronico Casinensi, et in Breviario Benedictinorum Kalendis Octobris, et aliis aliquibus, teste Arnoldo Wion libro 1 Ligni vitæ, c. 1. Exstat eadem tom. VI Annalium Baronii anno 507, ubi eas vocat in suspicionem imposturæ, tum ex inscriptione, quæ videtur ei insolentior, tum ex eo quod in testamento S. Remigii ille cujus filiam curavit a dæmone, et a morte suscitavit, Benedictus vocetur, et errore factum existimat ab Hincmaro, ex quo excerpsit Flodoardus, ut pro Benedicto isto, patre puellæ, homine privato in Provincia, positus sit S. Benedictus hoc tempore monasticam vitam in Italia excolens. Verum hæc epistola et narratio Hincmari de S. Benedicto nequaquam repugnat cum testamento S. Remigii. Nam, ut habet historia Vitæ S. Remigii, iste Benedictus filiam suam primo ad limina apostolorum et ad S. Benedictum deduxit, deinde S. Benedictus cum hac epistola ipsos parentes in Gallias remisit. Quam epistolam non esse illius Benedicti, cujus vult esse Baronius, ex eo deducitur, quod ipse in persona, non per litteras ad S. Remigium venerit. Adde nec titulum, nec verba epistolæ illa uspiam quadrare posse in Benedictum hujus puellæ patrem. Neque vero quemquam moveat quod Flodoardus ait, *ut traditur*, quomodo loqui solemus, dum res non est plane comperta, quia id non est in Hincmaro, sed a Flodoardo adjectum, tum hoc loco, tum alias sæpe, ubi nulla subest dubitatio, ut notandum infra cap. 17. Hincmarus autem plane assertive id refert, de litteris tam quam viri Dei Benedicti sic enim eum vocat] quam Alarici regis Gothorum. Utrarumque pariter meminit longe ante Hincmarum Fortunatus presbyter in Vita S. Remigii, et ab antiquitate non est leviter recedendum. Sed nec insolentem prorsus videri debet. Considerata præsertim priscorum monachorum vere candida et Christiana simplicitate, quod inferior ætate et dignitate scribens ad majorem, se fratrem et conservum in Christo Jesu nominet, et æternæ benedictionis munus, non illud auctoritative superiori imperitate, sed humiliter exoptet : quomodo possint [illegible], valere, vitam æternam, vel aliud bonum [illegible]. Ut autem de hoc quisque suum ferat judicium, litteras illas, quæ breves sunt, ex dicto Chronico hoc loco inserendas censui, et quidem aliquanto correctius, quam Gallicæ suæ versioni inseruit Nicolaus Chesneau ex manuscriptis chartis conservatorum religiosorum monasterii S. Remigii Remensis. Sic igitur se habent : « Domino sacerdoti Remigio, fratri et conservo in Christo Jesu, æternabilis vitæ humilis auctor Benedictus, æternæ benedictionis munus. Sanctissimo tuo congratulans profectui, sacerdos Regis summi, quia summi capitis membra sumus, quod mihi nescio deesse in me, totum, laus Deo, possidere me credo in te. Ecce, quod mea peccata fieri prohibuerunt, tuæ auctoritatis sacerdotalia habent merita : ut discurrant exsulo circa me rumores hominum, cum apud te constet omnium esse perfectionem virtutum. Hanc captivam et ab antiquo hoste obsessam tuæ dirigo celsitudini, quatenus pro ejus liberatione sacram hostiam offerre Deo debeas, et meam parvitatem victoria ipsa non minimum lætifices. Vale, sacerdotum Christi limpidissime calcane. »

Cum devincta scholæ pervenerunt. Devincta, id est ligata, vinculis constricta. Nam in Hincmaro est : « illam secum vinctam adducentes. »

Sidonius domino papæ Remigio salutem. Nomen papæ tribui solere omnibus episcopis patet innumeris exemplis in Cypriano, Hieronymo, Augustino, Sidonio, Fortunato, Eulogio Cordubensi, et aliorum Patrum scriptis. Floruit autem hic Eulogius anno 850, ad quod usque tempus hoc nomen commune fuit omnibus episcopis, licet paulatim frequentius ac peculiarius tribui consuevisset Romano pontifici, ut facile observari potest ex scriptis Cassiodori. Cum igitur futuris temporibus obtinuisset communis usus, ut papæ nomen tantummodo Romano tribueretur pontifici, et schismatici quidam episcopi illud sibi in odium ejusdem Romani præsulis fastu superbo vindicarent aliaque non concessa præsumerent, tandem sub Gregorio septimo, anno Domini 1073, habita Romæ synodo, inter alia statutum est adversus prædictos schismaticos, ut papæ nomen unicum esset in universo orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum vel alium eo nomine appellare. Exstat ea synodus in registro epistolarum Gregorii VII, in bibliotheca Vaticana. Hæc ex notis Baronii ad Romanum Martyrol. 10 Januarii. Utinam vero in lucem aliquando proferantur, si ab eodentibus absumpta non sint ea B. Remigii scripta, quorum meminit Sidonius in hac epistola. Nam B. Remigium multa scripsisse testatur quoque Romanum Breviarium Kalendis Octobris, dicens eum multos interpretatum esse divinæ Scripturæ libros. Hincmarus eum vocat undecunque doctissimum et in Scripturis sanctis eruditissimum. Gregorius Turonensis lib. II Historiarum Francorum, cap. 31, recitat principium epistolæ consolatoriæ B. Remigii ad Clodoveum regem super morte sororis suæ Albofledis. Aimonius lib. I de Gestis Francorum, capite ultimo, recitat epitaphium ejusdem regis Clodovei, ab eodem, ut creditur, S. Remigio compositum. Gulielmus Eysengrein in Catalogo testium veritatis, dicit eum, editis libris, adulterinas de Christi fide Arianorum opiniones prodidisse, et alia plurima litterarum monumenta reliquisse. Prodierunt nuper Moguntiæ excusæ in folio anno 1614 quæ in Epistolas Pauli explanationes opera R. P. Joannis Baptistæ Villalpandi societatis Jesu theologi, qui in præfatione ad lectorem probabiliter

ostendit esse hujus Remigii, non autem Remigii Antissiodorensis, dissolvens quæ contra objiciuntur. Certe non solum Bellarminus, sed ante eum Cuthbertus Tonstallus Dunelmensis episcopus lib. I De veritate corporis et sanguinis Domini in eucharistia, et post eum Joannes Garetius de eodem argumento centenario sexto, citant ex Remigio Remensi archiepiscopo præclarum locum, qui exstat in his explanationibus. Addit Cuthebertus : « Hujus Remigii librum unum atque alterum vetusta scriptos manu, atque illius inscriptos nomine nos aliquando vidimus. Villalpandus autem in dicta præfatione testatur in variis libris monasterii Cassinensis varias asservari homilias, quæ Remigii episcopi nomen atque inscriptionem retinent. Res tamen hæc mihi necdum certa est. Est opus in filio Hanoviæ excusum anno 1613, cui titulus : *Corpus Franciæ Historiæ veteris et sinceræ*. In eo est tractatus multas continens regum et episcoporum epistolas, et inter cæteras quatuor sunt Remigii, duæ videlicet ad Clodoveum, quarum prima est consolataria, de qua supra, tertia Heraclio, Leoni et Theodosio episcopis, quarta Fulconi episcopo dirigitur.

Quæcunque detulerat, quanquam mercari paratis, quod civis, nec erat injustum, pro munere ingessit. Ex Operibus Sidonii castigatis studio Joannis Savaronis, restitui voculam *paratis* pro *paratus*, et *civis* pro *cujus*, et infra tria alia verba ; vicissim ex nostro auctore, in eadem Sidonii epistola, poterunt novem aut decem loca restitui. Sic autem ibidem legitur hæc sententia : « Quidquid detulerat, quanquam mercari paratis, quod tamen ut civis, nec erat injustum, pro munere ingessit. Eodem modo legit editio cum notis Joannis de Wouweren, et Petri Colvii, nisi quod in medio ita legat et distinguat, facta parenthesi (*quod tamen cujus nec erat, injustum*) sicut et alias in eadem epistola mendas habet, ut editio Savaronis merito sit præferenda, si ex ungue leonem judicare fas est.

CAPUT XIII.

Siagrium, Romanum quemdam principem. Is erat Ægidii filius, dux Romanorum, qui Suessione residebat. Gregor. Turonensis lib. II Hist. Francorum, c. 27 ; Sigeb. in Chronico anno 489, quo eum occubuisse scribit.

Quo quondam secus urbem Remorum transitum faciente. Scilicet per viam quæ usque hodie, inquit Hincmarus, propter barbarorum per eam iter, Barbarica nuncupatur, Gallice, *rue de Barbatre*, et in ea vicus *Barbastre*, ut in manuscripto suo exemplari adnotavit Nicolaus Chesneau. De his autem quæ describuntur hoc cap. agit ubi supra Gregor. Turon cap. 27-31.

Quo vitæ fontem perennis ingresso. Nota olim babtizandos ingredi solere, saltem pubetenus, fontem baptismalem, non autem, ut nunc fit, caput tantum aqua perfundi. Probant id antiquæ picturæ et historiæ. Unde de Rabbodo Frisonum duce legitur in Vita S. Vulfrani episcopi, scripta per Jonam Fontinellensem monachum, apud Surium tom. II die 20 Martii, quod postquam ad fontem processerat, a fonte pedem retraxerit, dicens : « Non se carere posse consortio prædecessorum suorum Frisonum principum, et cum parvo pauperum numero residere in regno cœlesti. » Interrogaverat enim episcopum, ut esset major pars principum seu nobilium gentis Frisonicæ, in illa videlicet cœlesti, an in ea quam dicebat episcopus Tartarea regione. Idem refert Sigebertus in Chron. anno 718, his verbis : « Rabbodus dux Frisonum, prædicatione Vulframni episcopi ad hoc inductus ut baptizari deberet, cum unum pedem in lavacro intinxisset, alterum pedem retrahens, interrogavit ubinam plures suorum majorum essent, in inferno an in paradiso ? et cætera.

Mitis depone colla, Sicamber. Ex hoc videri potest Clodoweus ortu aut origine Gelderus fuisse. Nam Geldros Belgiæ nostræ populos olim dictos Sicambros, multi constanter asserunt, et inter eos Hermanus a Nuenare in narratione De origine et sedibus priscorum Francorum, et in commentariolo de Gallia Belgica. De hac re videatur Molanus in Natal. SS. Belgii, die 15 Januarii.

Porro in quem Dominicæ annum inciderit baptismus Clodovei non omnes consentiunt. Post finem exemplaris M. eadem manu qua scriptum est illud exemplar, hæc sunt adjecta, et quidem integris dictionibus, non notis numerorum, in quibus facilis est lapsus : « Ab incarnatione Domini ad transitum sancti Martini anni quadringinti quadraginta tres. Ab incarnatione Domini ad baptismum Francorum anni quingenti quadraginta duo Ab incarnatione Domini usque ad transitum Clodovei anni quingenti quinquaginta sex. Ab incarnatione Domini usque ad transitum S. Remigii anni quingenti septuaginta quinque computantur. » Sic ibi. Sed hæc multis modis a vero deficiunt. Nicolaus Chesneau in translatione sua Gallica hoc loco margini adjecit, Clodoveum esse baptizatum in vigilia Paschæ, anno 497, regni sui 25, quamvis idem in præfatione ad clerum et populum Remensem, baptizatum dixerit anno 542, ut est in fine dicti exemplaris. Margatinus de la Bigne in indice chronologico Bibliothecæ Patrum secundæ et tertiæ editionis, sæculo quinto, in Claudiano Mamerto dicit Clodoveum baptizatum anno 452, hoc est centum fere annis citius. At juxta Sigeberti, Sebastiani Munsteri, Joannis Tielii, et Baronii chronologicam baptizatus est anno 499. Ab his non longe recedit Aimonius in fine libri primi De gestis Francorum, scribens Clodoveum regnasse annis 30 et obiisse anno Dominicæ incarnationis 514. Consentiunt enim plerique eum esse baptizatum anno regni sui 15, ut Joannes Trithemius, Franciscus Belforestus in Annalibus Francorum, et alii. Ab iisdem quoque parum aut nihil dissentiunt, qui docent eum fonte baptismatis lotum fuisse anno 500, ut Massæus, Belforestus, Genebrardus et alii recentiores. Cum enim constet eum baptizatum fuisse in vigilia Paschæ, et stylo Gallicano, ad nostra usque

tempora etiam in Belgio usitato, annus Domini incipi solet a festo Paschæ; secundum illos baptizatus fuit ultimo die anni 499, secundum nos primo die anni 500. Quibus ex aliquibus accedit Hincmarus in epitaphio B. Remigii, quod referetur infra cap. 21, in quo exactissime tempus ætatis, ordinationis sedis ipsius et baptismi Francorum exprimitur. Nam constat ex illo epitaphio beatum Remigium creatum fuisse Remorum episcopum anno ætatis suæ 22, præfuisse annis 74, obiisse anno Domini 545, ætatis suæ 96, et gentem Francorum baptizatam anno 500. Quare oportuit eum creatum fuisse episcopum anno 470. Nec ab his quasi in totum dissentit Sigebertus, qui eum ponit natum fuisse anno 449, creatum episcopum 471, et obiisse 545, sicut et Jacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ. Nam cum obierit 13 Januarii, unus idemque annus incipiendo a Januario est 545, a Paschate (ut Galli hactenus usque ad tempora Caroli IX computaverunt) est 544. His tamen non consentit, quod Flavius, qui post Romanum B. Remigio successit, legatur subscripsisse concilio Arvernensi, celebrato anno 541, juxta Baronium (cui tamen sentit præfatus Guillelmus le Bigot), quod ponat illud concilium Arvernense dicto anno celebratum, cum potius 15 vel 16 annis postea habitum sit.

Cum quodam Ragnario principe trans Summam fluvium. Id est Damerot, ut exponit hæc verba Baldericus, autor Chronici Cameracensis lib. I, cap. 4, ubi plura de isto Ragnerio, sive ut ipse scribit, Ragenhario. MS *Sommam* et codex monasterii S. Remigii, ut notat Nicolaus Chesneau, qui tamen in textu habet *Somonam*, et Gallice vertit *Somme*. Similiter *Somonam* habet J. et Sigebertus anno 445.

Præfato rege Ludowico. Ita M. C. cum M infra fere semper scribere soleat *Ludowico*, quomodo, ut notavit idem Nicolaus Chesneau, hic etiam legit dictus codex sancti Remigii. Quod nomen multis etiam aliis modis scriptum reperitur, ut notavi ad Chronicon Cameracense, libro primo, capite trigesimo septimo. Observant autem quidam Clodoveum post baptismum vocari Ludovicum, quod ei nomen in baptismo inditum sit, ut notavit Laurentius Surius die decimo tertio Januarii. Quare, obnitentibus præsertim omnibus exemplaribus, non est hic mutandum nomen Ludovici in Clodovei, ut in S factum est et J. etsi idem nomen esse non sit negandum.

CAPUT XIV.

Non modicam, necnon curtem juxta fluvium, ecclesiæ sanctæ Mariæ Lauduni Clavati, Remensis parochiæ castri, ubi nutritus fuerat, tradidit. Scilicet sanctus Remigius. Cum enim castrum Lauduni Clavati, et comitatus Laudunensis pertinerent ad parochiam seu diœcesim Remensem, ipse B. Remigius novum episcopatum Lugduni erexit, ut tum ex hoc capite, tum ex Sigeberto patet in Chronico. Sic enim ait ad annum Domini 500: « Collatis a Cludoveo rege multis prædiis ecclesiæ Remensi, Remigius, multa eorum parte data Ecclesiæ Laudunensi, sedem episcopatus ibi esse constituit, et eumdem in fornicationem cum sua quondam uxore prolapsum, sed septennali pœnitentia purgatum, et de reclusione divino jussu eductum sedi suæ restituit. » Hæc Sigebertus sequitur in Flodoardo.

Ubi Genebaudum, virum nobilem virum. Nicolaus Chesneau in margine Gallicæ suæ translationis vocat eum comitem. Porro nostra exemplaria perpetuo legunt Genebaudum. In Hincmaro apud Surium vocatur Ganebaldus, uti et in tabulis Demochares, qui addit a quibusdam Geraldum, ab aliis Genebaudum dici, quomodo etiam legit Hincmarus manuscriptus in Monte S. Eligii. Diversitas ex eo nata videtur, quia ex voce Gallica *Genebauld*, alii *u* adjiciunt, alii *l*.

Tectusque tam viri quam mulieris ardor in cordibus. Ms. pro *tectusque* male legit *totiusque*. In Hincmaro integra sententia ita habet: « Sæpe tectus est ut, tecta hominibus culpa, et in cordibus, tam episcopi quam feminæ, tectus luxuriæ ardor, quantum, ut notum est, quo magis legitur, tectus magis fervet ignis; contra culpam compunctus episcopus, » etc. *Tacitum* ergo dixit *tectum* et secretum. Patet autem ex hac S. Genebaudi historia quam sit a veritate aliena sectariorum nostri temporis doctrina, qui illud Apostoli: *Unius uxoris virum*, intelligi volunt de uxore quam habebat, cum tanta pœnitudine elui oportuerit congressum cum uxore quam a se thoro separaverat; et verissimum esse quod ait Hieronymus libro primo adversus Jovinianum: « Certe confiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat. Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. »

S. Remigium petit ut Laudunum. Hoc est ut iret, seu veniret. Clarius Hincmarus: « Ad sanctum, inquit, Remigium misit, petens ut Laudunum veniret. »

Obiit igitur Genebaudus in pace, sanctis Dei connumeratus. Agunt de eo additio Coloniensis ad Usuardum et Molanus quinto Septembris, de quo, inquit additio Coloniensis, in gestis S. Remigii legitur. Omnia quæ enim hic de eo sunt commemorata fusius explicat Hincmarus in vita S. Remigii. Petrus vero Equilinus de eodem, et filio ejus S. Latrone agit lib. I, c. 14.

Quorum unum sunt Jolianus et Colocianus. Ita constanter omnia nostra legunt exemplaria, tum hoc loco, tum multis infra, et Hincmarus manuscriptus. Quapropter quod apud Surium in Hincmaro typis excuso legitur, *Judaicus et Ordaicus*, ex hoc auctore nostro corrigendum est.

CAPUT XV.

Gundebaudum et Godegiselum. Ita codex Remigii, conformiter Gregorio Turonensi, lib. II Hist. Francorum, c. 32 et sequentibus, et Aimoino lib. I De gestis Francorum, c. 19: quibus locis eadem historia describitur, et legitur *Godegisilus*, quomodo hic legit J. Cui accedit quod in Hincmaro apud Surium legitur *Godegisilum*. Alia nostra exemplaria *Godege-*

selum legebant. Erat autem Gondebaudus iste, vel, ut in Hincmaro et Aimoino, Gundobaldus, in Gregorio Gundobaldus, rex Burgundionum, qui teste eodem Gregorio hæresi Ariana infectus erat. Massæus, initio lib. XII Chron. scribit *Gundebaldum et Gundegisilum.*

Venerunt super Oscarum fluvium, secus Divionem castrum, etc., et in Avinione castro se Gundebaudus concludens. In Hincmaro *Oscharum*, quomodo scribit S. Omnia autem exemplaria, præter J. *Avionem* habebant, sed Avinionem scripsimus ex Hincmaro et Gregorio, qui eum Aveninem urbem ingressum esse dicit. Similiter et Massæus *Avinionem* nominat. Nicolaus Chesneau vertit *Avignon.*

Et synodo, per sancti patroni sui Remigii consilium, in urbe Aurelianensi habita. Hæc est prima synodus Aurelianensis : exstat tom. II Concil. Eam vult Baron. habitam anno 507 ; Sigebertus, Massæus, Onuphrius et alii, anno 512. Inter cæteros subscripti leguntur S. Gildaldus Rothomagensis episcopus, et S. Lupus Suessionensis.

Tunicaque blattea. Sic M J et Hincmarus manusc. excusus apud Surium, qui in margine quoque adnotavit : « Blattam pro purpura ponit Sidonius. » Sic et Sigebertus, ex mss. codicibus a viro doctiss. Auberto Miræo editus, etsi Gallica exemplaria legant *blacteam*, Germanica *Bracteam*, C. *baltea*, S. *blattea*. Verum a prima lectione non est recedendum. Nam et blatteum pro purpureo usurpant Eutropius, Cassiodorus et alii. Adde quod *tunicam blatteam* legit Gregor. Turonensis, lib. II. Hist. Francorum, cap. 38. Quod autem hic dicitur iisdem pene verbis habet Sigebertus ad annum 510, ita scribens: « Clodoveus rex ab Anastasio imperatore, codicillos de consnlatu, et coronam aurean cum gemmis, et tunicam blatteam accepit, et ex ea die consul et Augustus est appellatus. Ipse vero rex misit Romam S. Petro coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari solet. » Pertinet ad ejusdem rei clariorem intelligentiam quod ait Papirius Massonus libro primo Annal. Francorum, his verbis : « Anastasius Cæsar Clodovei nomen resque gestas miratus, legatos ad eum in Celticam misit ex Græcia, honoraturos regem Francorum patricii dignitate a consulatu longe diversa, illa enim perpetua, hæc annualis » Sic ille.

Litteris suis ad illum directis. Litteræ Hormisdæ papæ, quibus vices suas B. Remigio in regno Ludovici commisit, exstant tomo secundo Concil,, et apud Surium, tomo primo, in Vita ipsius B. Remigii per Hincmarum conscripta.

CAPUT XVI.

Nomen synodi in qua S. Remigius convertit hæreticum, nusquam invenio. Baron. tom. VI. anno 514, ait fuisse synodum Remis coactam ab ipso S. Remigio post acceptas litteras ab Hormisda papa, quibus ei suas vices commisit, quem ut in cæteris omnibus, sequitur Severinus Binius tom. II, Concil., ponens illud celebratum anno jam dicto, sub Hormisda, in causa ecclesiasticæ disciplinæ in Gallia reformandæ. Verum his adversatur quod initio hujus capitis dicitur: Præsules Galliæ petiisse, ut B. Remigius ad illud concilium veniret. Quod etiam habet Hincmarus, et utrumque dicit in eadem urbe celebratum esse, non tantum ab episcopis Galliæ, sed et Belgicæ provinciarum, ut diserte asserit Hincmarus. Neque hanc synodum, ut ad me scripsit vir eruditus Gulielmus le Bègue, Remensem agnoscunt. Quare existimat id factum in prædicta synodo Aurelianensi. Verum id manifeste adversatur Hincmaro et Flodoardo, qui duas synodos et hanc a priore diversam recensent.

CAPUT XVII.

Semper, inquiens, est bona fides, et non super potest. Ita omnia exemplaria et Hincmarus. Sensus esse videtur : Si nihil amplius habere potest. Quo facit quod in Hincmaro præcedit, B. Remigium hæc tranquillo corde et ore dixisse. In Gallico vertitur : Si non excedit, et non moins potens est.

Viri ponderosi fiunt, et feminæ gutturis calamitate plectantur. Hic ponderositas vitium est genitalium, quod quale sit explicat S. Greg., III part. Curæ pastoralis, cap. ult.

Quoniam vicedominum Ecclesiæ Remensis in eadem villa necarunt. Quodnam fuerit olim hoc officium, videantur canones apud Grat. dist. 89, cap. *Volumus* et sequentibus. Ex quo loco, et infra ex Flodoardo, libro secundo, cap. 13, constat eadem fere, vicedominum et œconomum ecclesiæ. Eodem modo exponit Onuphrius in interpretatione vocum ecclesiasticarum. Gallice vertitur *vidame de Reims*. Nam Gallice *dame* olim usurpabatur genere masculino pro domino, ut probat Sebastianus Roulliard in sua Parthemia Carnotensi, cap 17. ubi late agit de vicedominis Ecclesiæ Carnotensis, declarans quodnam et quale fuerit eorum officium.

Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini. Ita Psalterium Romanum legit. Nostrum vulgatæ editionis, quod consensit cum Gallicano, paulo aliter.

Et nullius propulati corpus servabatur in ea sancti, circumjacentibus tamen atriis, ecclesiæ cœmeterium ferebatur ex antiquo Remensis. SJ, *Remense* , et tota sententia clarior est in Hincmaro, ad hunc modum : « Sed nullum corpus nominati sancti in ea jacebat, et in qua eique circumjacentibus atriis, ex antiquo erat cœmeterium Remensis ecclesiæ. » Ut enim ad marginem adnotavit in Gallica versione Nicolaus Chesneau, antiquum cœmeterium Remense extra urbem fuit.

Adeloldi quoque tui miserere famuli. Hic videtur vel auctor monimenti ibi positi, vel potius horum rythmorum, quos per modum versuum excudi curavimus, quia facti sunt instar prosarum sive sequentiarum, quæ olim frequenter recitabantur ad sacrum missæ officium.

CAPUT XVIII.

Beati Remigii testamentum Barnabas Brissonius, lib. VII de formulis et solemnibus populi Romani verbis integre transcripsit ex hoc nostro auctore, et

diunde, de quo sic præfatur : « Exstat D. Remigii Remensis archiepiscopi, qui beatum sanctum prædicans episcopum Sidonium Appollinarem æqualem contemporaneum, 7 lib. IX, habet elegans testamentum, a me productum ex Hincmari et Flodoardi scriptis, et quibus Remensis Ecclesiæ archiis descriptum, versione et nuper a Nicolao Quercuo in Gallica Clodoveli, editum, » etc. Habet eodem loco Brissonius testamentum Badoindi Cenomanensis episcopi. Hujus meminit Flodoardus libro secundo, capite quinto, ejusdem fere sæculi et styli, quod sic incipit : « In nomine Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti, VIII Id. Februarii in anno V regnante gloriosissimo Clodoveo rege. Ego Badoindus, licet indignus tamen presbyter, episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Cenomannis civitatis, sanus, Deo propitio, mente et corpore, sanoque consilio, metuens casum humanæ fragilitatis, testamentum condidi, idque Cathulfo diacono scribendum dedi. Quod testamentum meum, si quo casu jure civili, aut prætorio, vel alicujus novæ legis interventu valere nequiverit, ac si ab intestato, ad vicem codicillorum valere id volo, et vocat. Itaque si quando ego Badoindus suprascriptus episcopus e rebus humanis excessero, et debitum venturi temporis complevero, tunc tu SS. Ecclesia venerabilis hæres mea esto, hæredemque meam te esse constituo : ita ut quidquid aliquid per hoc testamentum meum dedero, legavero dareve jussero, id ut detur, fiat, præstetur, fidei tuæ hæres mea committo, » etc. Quæ ideirco hic attuli, quia faciunt ad majorem testamenti B. Remigii intelligentiam, quod quidem, etsi fidelissime a Brissonio sit editum, est tamen ubi majorem admittere possit diligentiam et emendationem.

Sive jure aliquid videbitur defuisse. Restitui si ei profuerit. MS male *offuisse* pro *defuisse*, nisi forte scriptum fuerit *abfuisse*.

Dedero, legavero dareve jussero. Ita MS J et Brisson. C, *donando legavero.* Paulo post idem Brisson. *Portensi* pro *Portensi* quod forte typographi mendum est, sicut et mulla post, *solamus* pro *solamus*, et post tres dictiones omittit illa verba, *cum omnibus quos intestatos reliquero*, quæ desunt etiam in C, et alia nonnulla quæ ex aliis exemplaribus supplevi.

Tres denarios vendendos. Sic etiam hoc loco quam bis in medio testamenti habent omnia exemplaria, et Brisson., cum legendum videretur *vendendos.* Sed etiam hodie docti sic scribendum judicant, et ita olim scriptum fuisset docet Aldus Manutius in sua Orthographia. Unde *vendor*, non *vendor*, et *vendor*. Certe *vindicare* inter cætera significat *asserere*. Videatur Ludovicus Rhodiginus, lib. XIII Antiquarum Lectionum, c. 29.

In pitaciis, xenodochiis, martyriis, diaconiis. Pitacium, Græce πιττάκιον, domum mendicorum significat. Martyria dicebantur ecclesiæ vel oratoria in quibus martyres colebantur. Diaconiæ a diaconis dictæ sunt. Erant hæ publicæ pauperum hospitales domus, quæ oratoria et cellas adjuncta habebant, in quibus a patre diaconiæ vivendisque egenis necessaria administrabantur. Vide Onuphrium ubi supra. Meminit harum Zacharias papa epist. 7.

Vicus ex proprio in Portensi, etc. Villam quoque, etc. MS hoc loco et mox infra *Porensi.* Item alibi eas legunt, et in M vacat spatium, ut significetur deesse aliqua dictio, uti et infra ; quod a Brissonio et aliis non est animadversum, ideoque omnia continenter scribunt. Similis est varietas lib. II, c. 11, ubi initio capitis MS J iterum *Porensi* legunt, sed C vertit *Portéz*, et in v littera *t* superponitur. In fine vero M et C *Portensi*, lib. III, c. 7, omnia legunt *Porensi*, et ibidem vertit, *Porcz*, sed in margine ponit *ou de Portean.* Item lib. IV, c. 29, pagum Portensem, CJ Porcensem, et Gallice vertit *la terre de Porcean.*

Dudoldus vero servit a Clodovaldo etc. M. *Ludowaldo*, et similiter infra *Ludowaldus.* Brisson., Hlodowaldo, et similiter infra lib. III, cap. 20. In omnibus exemplaribus bis legitur *sanctus Clodoaldus.* Beatus Remigius paulo infra vocat eum puerum sanctissimum ; idque unanimem Agnaldus Usuardus, Romanum Martyrol., Martyrol. monasticum Arnoldi Wion., et alia die 7 Septembris. Quiescit juxta Parisios, Gallice *Saint-Cloud.* Agit de eo Gregor. Turonens. lib. III Histor. Francorum, cap. 6 et 8, ubi scribitur *Chlodovaldus* ; et Sigebertus anno 531. Filius fuit Chlodomiris regis, nepos Clodovei primi.

In Austria, sive Teringa. Sic omnia exemplaria, sed S *Thoringa*, Brisson. et J, *Toringa.*

Futuro episcopo successori meo amphibalum album paschalem relinquo. Sic cætera omnia præter tertium exemplar, quo usus est Nicolaus Chesneau, quod legit *pastoralem* pro *paschalem.* Amphibalus autem indumentum aliquod designat, a Græco ἀμφιβάλλω, *circumpono*, *operio*, *induo.*

Inter te, hæres mea, et diœcesim tuam Ecclesiam Laudunensem, et infra *Lauduno.* Ita hic et infra recte correxit S. Similiter Brisson. et J perpetuo legit, cum M et R ubique *Lugdunensem* et *Lugduno* haberent, sed perperam. Quid enim Ecclesiæ Remensi cum Lugdunensi ? Laudunensis vero cum pars esset diœcesis Rhemensis, ab ipso Remigio erecta est in cathedralem Rhemensi subjectam, ut annotavimus supra ad cap. 14 ; ideoque Ecclesiam Laudunensem hic vocat diœcesim Rhemensem. Præterea sic legendum patet ex cap. 20 infra, ubi dicitur Anisaeus Laudunensi Ecclesiæ attribuitur, et ex capite 14 supra, ubi dicitur S. Remigius sese multarum partium possessionum sibi a Clodoveo, et aliis collatam tradidisse ecclesiæ S. Mariæ Lauduni Clavati, quomodo legendum est in Greg. Turon. lib. VI, cap. 4, ubi *Lugduni Clavati* legitur.

Illud quoque vas aureum decem librarum. Sic MS J et C in margine. In textu vero sic habent : « Aliud argenteum vas decem librarum. » Quod secutus est Brisson. Sed legendum aureum patet ex anti-

thesi, cum postea dicat, « quæ Laudum in argenteo ipse dictavi. »

Jubeo turriculum et imaginatum calicem fabricari. Sic M et J, ex quo alias fecit *thuribulum*, quomodo C. legit in textu, et Brissonius, sed in margine notat C alias legi *turriculum* : « Pro quo, inquit, *turriculam* censeo reponendum. Est autem turricula quod vulgo ciborium vocant. » Sic ille, et propterea S *turriculam* scripsit. Non esse legendum *thuribulum* primum ex eo probatur quod omnino sit verisimilius ex vase aureo (quomodo legendum docuimus) eum potius jussisse fieri vas ad usum venerabilis sacramenti eucharistiæ, quam thuribulum. Secundo quia addit : « Et epigrammata quæ Lauduni in argenteo ipse dictavi, in hoc quoque conscribi volo. » Quæ prorsus ea videntur esse quæ supra habentur cap. 10. Imaginatum calicem dicit imaginibus et figuris sculptum. Infra quoque libro secundo, capite sexto, mentio est turris aureæ super altare beatæ Mariæ positæ, quam et ibidem ciborium interpretatur idem Nicolaus Chesneau, hoc est repositorium venerabilis sacramenti eucharistiæ, a figura sic nominatum. Et infra libro IV, capite decimo nono, meminit Flodoardus ciborii super altare sanctæ Mariæ. Item turris aureæ ad eumdem usum mentionem facit Venantius Fortunatus libro tertio, capite vigesimo tertio, in epigrammate ad Felicem Bituricensem, qui subscripsit synodo secundo Turonensi, habitæ anno 570. Absolute turrem nominat Gregorius Turonensis, libro primo de Gloria martyrum, capite 86, dicens : « Acceptaque turre diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium ; ingressusque templum, ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aera, » etc. Ut tamen a veteribus exemplaribus non recedamus, qui *turriculum* constanter legunt, (et plerumque ea lectio verior est, quæ est minus verisimilis) potest illud recipi, ut sit adjectivum, pro *turritum* vel *turriculatum*. Nam *turricus, a, um*, legitur ea significatione in Summa Joannis Januensis, quæ Catholicon dicitur. Porro ex eo quod huic calici velit inscribi versus illos, quos habes supra capite decimo, intelligimus hunc fuisse calicem ministerialem, ut docet Onuphrius ubi supra. Idcirco autem calices ministeriales dicebantur, qnod ad ministrandum sanguinem Christi populo deservirent.

Balatoforum. Sic omnia exemplaria, nisi quod in manuscripto C sit *Badatoforum*, et videtur nomen proprium.

Alimoniam præstolantibus. Sic MS J et Brisson. ; CR, *postulantibus.*

Calmisciaco, Tessiaco. Sic SJ et Brisson. Alias ut in M, *Colmisiaco.* Item alias *Tamaco* et *Trissiaco* legitur.

Ad portam Suessonicum solidos duos. Ita CSJ, Brissonius, tum sequentibus quindecim articulis, videlicet usque ad « ecclesiam sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani. » M vero ubique in nominativo casu *solidi duo*, sicut et codex Remigianus. Quæ diversitas ex eo provenisse videtur, quod non plena dictione, et per notas compendii scriptum sit sol. 2, quomodo plerisque locis adhuc habetur in M, quod alias litteris extendit.

Subpa ... supra ... adjacens. Sic omnia exemplaria. Quare male legendum, *supra scriptum*, nisi mendum sit typographi.

Rebais praedium super Elidi. Sic MS J. Brisson vero et C, *Rebais ... Elidi*, nec Brissonius id bene jungit sequentibus contra omnia exemplaria.

Plebeius supra Matronam adjacens. Ita Brissonius et omnia exemplaria, quomodo et infra bis legitur in hoc testamento, nisi quod C in impresso hoc loco habeat *Maternam*, quod ejusdem fluvii recentius nomen est, Gallice *Marne*. Itaque promiscue nunc unum, nunc alterum in Flodoardo legitur. Nam libro tertio, capite ultimo, omnia exemplaria et Aimonius loco ibidem in margine a me notato *Matronam* legunt. Infra autem primo libro, capite vicesimo quarto, *Maternam* legunt MS et omnia exemplaria, libro secundo, capite septimo et octavo. Rursum, libro quarto, capite nono decimo tertio, vicesimo sexto, et vicesimo septimo, omnia nostra exemplaria præter J *Maternam* legunt, et MS, cap. 33. Similiter *Materna* legitur in litteris fundationis monasterii seu prioratus S. Martini a Campis, Parisiis anno 1060 per Henricum primum Francorum regem fundati. *Matronam* habet Gregorius Turonensis, libro sexto Historiarum, capite decimo.

Et Paschasidem conjugem suam. Ita CS. et Brissonius, sed M, *Pascasidam*, J, *Pascasidem*, C vero notat alias legi *Pascasiolam.*

Theodonima. Brissonius et C in impresso, *Theudonima*, J, *Teodonivia.*

Edoneifan, quæ homini tuo. Sic et Brissonius *Edoversam* autem legunt MS. In codice R legi potest *Edoveifan* [quomodo habet] et *Edoveresam.*

Ad imitatem montium posito. Sic J et Brisson. Sed MS C, *ad unitatem.*

Et quæ Jovia sunt pratella. Sic omnia exemplaria. Legendum forte adnotat Nicolaus Chesneau, *quæ juxta sunt.*

Et uxorem suam Moriam. Sic MS J et C in margine, sed in textu, *uxorem ejus Moram*, quomodo et Brisson.

Medaridus eorum filius. Ita CJ. et Brissonius ; MS, *Medarius.*

Delegoque nepoti meo Prætextato Moderatum. Hæc est vera lectio ex diversis restituta, quam habet C et J, ut Prætextatus sit nomen proprium. Sic infra meminit proneptis suæ Prætextatæ. Sed C in textu excuso. S. et Brissonius legunt *Moderato*, ut cohæreat cum Prætextato, veluti cognomen ; M, *prætaxato Moderatum*, ut sit appellativum pro prædicto, quam lectionem codex notat in margine.

Totticionem. Ita MS Cætera, *Tottionem.*

Lacernam. Sic C R et Brissonius ; alias *later-*

nam, MS J, *lacernam*. Est autem lacerna idem quod penula, nimirum vestis genus tunicæ superinductum ad arcendam pluviam. De qua in actis S. Cypriani, et in Sulpitio, libro primo Dialogi, capite decimo quarto. Utitur Martialis aliique profani scriptores. Vide autem locum in Baron. tomo secundo Annalium, anno 261.

Et argenteum cabutam figuratam. Sic omnia exemplaria. Brissonius, *cambutam*, qui non recte interpungit verba: *Filiolo illius Parvoni* jungit præcedentibus, cum inde nova incipiat sententia, ut quatuor nostra declarant exemplaria. Et ea aliquid legat, cum in principio nominare solet. MJ *parvulo* legit; C *Parvoni*; S, utrumque conjungit, *parvulo Parvoni*. Vera lectio videtur *Parvoni*. Quid sit cabuta exponent alii. Hoc mihi tantum occurrit. Cum Brissonius *cambutam* legat, si *cambucam* legeretur, pedum episcopale, vel potius baculum pedi episcopalis signaretur: qua voce utitur Petrus Comestor in Historia Exodi, capite 52: « Sicut, inquit, in baculo cambucæ pontificalis contrario fieri solet. » Hinc in Pontificali Guillelmi Durandi, quod habeo manuscriptum, parte secunda, ubi agitur de consecratione Ecclesiæ, cum accedit pontifex ad ostium ecclesiæ, ita legitur: « Faciat crucem cum gambuca in limine superiori, et inferiori. » Pro quo Pontificale Romanum, excusum anno 1503, et Venetiis 1561, et alia dicunt « cum baculo pastorali. » Et autem discrete dicit idem Pontificale Durandi, « cum inferiori parte gambucæ, seu baculi pastoralis. » Quibus verbis aperte significat hic eadem esse.

Berbicariolum quoque dono illi. Ita CR. et Brissonius. MS J, *berbicariolum*.

Vinum pedaturam. Infra CMS, *pedatura*, sed male. Videtur autem scriptio pro eo quod Columella vocat pedamentum vitis, et statumen, hoc est pro perticis et palis qui vitem sustentant.

Aetio nepoti meo. Sic C in margine et infra in textu cum Brissonio et J. MS *hic*, *Aetio*, sed paulo infra, et c. 23, M quoque, *Eas*, et SJ *Aetio*. Nomen Aetius legitur epistola 56 Leonis papæ primi.

Ex ut a patribus suis. Sic J. *Cætera patribus*.

Quos libertos esse præcipio, Catusionem et Auliatenam. Ita MS CJ. At Brissonius legit præcipue, *Catusionem et Auliatenam*, quomodo et C in impresso.

Lautiberadum. Sic MS. At CJ et Briss., *Lauteradum*.

Vasatim, Cosam. Sic MS C et Brissonius; sed C notat in margine alias legi *Allam*. J, *Vasacum* nomen, id est appellativum, non autem nomen proprium.

Deppericarum et Bunderemnum. Et infra, *Buncoramnum*. Sic CJ et Brissonius. Item S, nisi quod legat cum M *Depperiomam*. Reliqua duo M legit per *u* in ultima syllaba *Bunderemnum*, *Blunoramnum*.

Mederamnum. Sic C et Brissonius. M, *Odoramnum*. SJ, *Odoramnum*.

Leudoveram. Ita CS et Brissonius. Sed MJ, *Leudoveram* per *u*.

Sabremarias super Moram. Ita omnia exemplaria et Brissonius, nisi quod M legat *Sabremarias*. C hanc adnotationem margini adjecit: « Forte reponendum *Sabremarias super Mosam*, vel *Sublimenanis*, ut infra. »

Deauvatillis vestibus subditam. In omnibus nostris exemplaribus sunt hæ dictiones, sed cum Brissonio conjunxi.

Cætera omnia exhaeredes estote, sintote. Sic omnia exemplaria, nisi quod M omittit posterius, sed non recte. Ita ad majorem firmitatem et exaggerationem in formulis testamenti dici solet.

In quo si qua litura vel caraxatura fuerit inventa, facta est me præsente, dum a me relegitur et emendatur. Similis est clausula in fine testamenti sancti Bertichramni apud Brissonium his verbis: « Si quæ lituræ, si quæ caraxaturæ, si quæ litteræ adjectæ sunt, vel detractæ, ego feci fierique jussi, dum meam mihi saepius prælego voluntatem, et omnia per singula recognosco, vel emendo, ut lex edocet, septem virorum honestorum subscriptionibus et sigillis credidi muniendum, et pro totius rei firmitate atque stipulatione adnecti præcepi. Actum Cenomannis in civitate, die et anno superius comprehenso. » Ubi caraxatura, seu potius charaxatura significat obductionem sive deletionem. Verbo caraxare et caraxari pro insculpere et inscribere utitur Gregorius Turonensis libro septimo, capite tricesimo sexto, et libro octavo, capite vicesimo nono. Auctor noster in prologo *charaxatorum indigentia*, id est scriptorum, seu scribentium, libro primo, capite nono *caraxatum*, id est scriptum. Infra libro tertio, capite decimo sexto, idem significare videtur quod notare vel redarguere. Vide nostrum indicem vocum obscurarum in Chron. Cameracensi, ubi et locum ex Prudentio citavimus.

Peractum Remis die et consule supradicto. Hinc constat, quantacunque facta sit a nobis diligentia ut sincere et integre hoc testamentum ederemus, tamen aliquid adhuc initio deesse, quia ibi nec dies, nec consulis ulla fit mentio. Quod dolendum est, quia ob hoc ignoratur tempus hujus testamenti conditi.

Intercedentibus et mediis signatoribus. Ita CJ. Brissonius quo tendit M, quod legit *meridiis*. Ex quo S fecit *mediis*. Quæ lectio vera videri posset, nisi obstaret illud *et*.

Episcopi qui testamento subsignarunt, hoc ordine recensiti, ut sunt: Sanctus Vedastus Atrebatensis, sanctus Genebaudus Laudunensis, sanctus Medardus Noviomensis et Tornacensis unitarum, S. Lupus Suessionensis, Benedictus et Eulogius.

In exemplari M post Medardum duo addendi videntur. Nam bis denuo ponuntur illa verba, *Vir pater meus Remigius*, etc., addita cruce, sed omissis nominibus, et ideo ab aliis prætermissi. Quare operæ pretium foret inquirere an in archivis Ecclesiæ Remensis vel in scriptis Hincmari non possit repe-

rint correctum, aliquod exemplar testamenti hujus. Nam sane verosimile est omnes illius provinciæ episcopos, qui tunc novem erant, subscripsisse.

In manuscripto C post Agricolam presbyterum sequitur iterum Eulogius episcopus, *cui pater meus*, etc, deinde iterum : *Agricola presbyter*. Verum hoc scriptoris mendum est. Nam etsi fieri possit ut duo subsignarent episcopi ejusdem nominis, tamen nunquam episcopus post presbyterum subsignaret. Itaque hæc cum reliquis omnibus exemplaribus et Brissonio prætermisi.

Theodonius presbyter. Sic Briss. et C, notans alias legi *Theodonus* ; MS J, *Theodericus.* Forte legendum *Theodorus.*

V. C. Pappolus interfui et subscripsi. Sex aut septem sequentibuslaicis in exemplari M præponuntur duæ istæ litteræ, quas ex eo adjeci, easdemque expressit J. Quæ ab aliis forte non intellectæ, vel non animadversæ, prætermissæ sunt, uti ab CS et Brissonio. Legendum porro hoc est, *vir clarus* sive *clarissimus*, aut *vir consularis.* Inter subsignationem Eusebii et Rusticoli in M hæc interponuntur : *VC. interfui*, ideoque videtur hic unus prætеritus, et forte Attolus, de quo infra capite vicesimo tertio : vel illa verbaabundant. Certe infra cap, 23 sex tantum laici nominantur subscripsisse, quorum sunt expressa nomina.

CAPUT XIX.

Hoc capitulum in exemplari MS præcedit caput de testamento ; in aliis sequitur, idque magis exigit ordo rerum gestarum.

Populum primæ Germaniæ devastaret. Id est superioris Germaniæ. Intelligit Treviros et circumjacentes. Germania prima, inquit Papirius Massonus lib. I Annalium Francorum in Meroveo, Salviano, Sidonio et veteribus eis Rhenum est, ad quam Ammianus narrat præter alia pertinere Moguntiacum, Vangiones, Nemetes et Argentoratum. Idem Massonus in Clodoveo ait Agrippinam Coloniam inter civitates Germaniæ secundæ primas tenere. In eadem est Tungrorum civitas. Vide infra ad c 25, Contigit autem hæc pestis anno 565, teste Baronio.

CAPUT XX.

In monte Bardonum. Is est qui alio nomine Apennius dicitur, qui Italiam secundum longitudinem dividit. Vide Ortellii Thesaurum geographicum.

Quod vocatur Bercetum. Alias *Berterum*, *Bertecum* et *Berletum.* Sed Bercetum esse veram lectionem, quam habeat meliora exemplaria, probatur quoque ex Paulo Diacono qui meminit hujus monasterii in Bardonis Alpibus a Luitprando constructi.

Quando tres fratres, Lotharius, Ludovicus et Karolus, regnum sibi Francorum post patris obitum divisere. MS omittit dictionem Francorum, nec habet Hincmarus, et forte rectius. Sunt autem hi tres filii Ludovici pii imper. Lothario cessit imperium, Ludovico Germania, Carolo Calvo Francia.

Villas episcopi Remensis, quod tenebat Fulco presbyter. Sic omnia exemplaria vetera, et Hincmarus, ut ad episcopum referatur, quod tenuit, Ebone deposito, ut patet ex ultimo cap. lib. II, et c. 1 lib III, quando sedes per decem annos vacavit. Quare non recte J *quod* mutavit in *quas*, ut ad villas referatur sicut et C in Gallico reddit.

Villam Juliacum quidem Remensi dedit. Quomodo hanc donationem postea idem Carolus Calvus revocaverit, et villam istam cum omnibus aliis bonis quæ alienata fuerant Ecclesiæ Remensi restituerit per publicum edictum, videre est lib. III, c. 4.

Moderno tempore colonis quidam. Id contigit ætate Hincmari, nam ipse pro eo dicit, *nostra ætate.*

Pro qua re nuper anno præterito, cum rege Ottone et præfato duce Leodii simul, quando Aquis ad eumdem regem missi fuimus. Sermo est de Ottone primo, de quo infra lib. IV, cap. 33 et sequentibus. Vera lectio est *Aquis*, Gallice *Aix*, quomodo legunt omnia exemplaria : pro quo S substituit *Aquisgranum*, ejusdem civitatis nomen. Sed prius sæpissime apud auctores invenitur.

CAPUT XXI.

Integrumque illud cum brandeo, quo prius repertum fuerat involutum. Hincmarus in Vita S. Remigii, *brandeo rubeo involutum.* Quod Nicolaus Chesneau Gallice vertit : *drap de sang vermeil*, ut capite præcedenti legitur. Significat autem brandeum pannum sericum sive linteum, quo sanctorum corpora seu reliquiæ involvebantur. Moris enim fuit, ut alicubi in conciliis decretum, ut hujusmodi pretiosis velis sanctorum corpora involverentur. Utitur eadem voce S. Gregorius papa libro tertio, epistola 30. pro serico, aut velo, quod ad eum finem missum, sanctorum corpora contigisset. Sic enim scribit ad Constantiam Augustam : « Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora sanctorum ponitur. Quod levatum in ecclesia quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur : et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit ut beatæ recordationis Leonis papæ temporibus, sicut a majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus pontifex hoc ipsum brandeum, allatis forficibus, inciderit, et ex ipsa incisione sanguis effluxerit. » Hæc ille. Ejusdem moris antiquissimi ponendi vela vel alia ejusdem supra apostoli Petri sepulcrum, ut benedictione locupletata reciperentur, meminit Gregorius Turonensis libro primo Miraculorum, capite vicesimo octavo.

Tertius et Karolus regni componeret actus. Is est Carolus Calvus. Primus enim est Carolus Martellus, secundus Carolus Magnus,

Octimber primam, etc. Sic exemplaria, sed J, *Octember*, S mutavit *October*, cum primum illud antiquitatem redoleat, et exprimat vocis originem,

eodemque modo legitur in [illegible] Martyrologio A Wandelberti Prumiensis.

Triennium fuerunt [illegible]. Id est [illegible] quinquaginta duo anni elapsi erant a baptismate Clodovei et Francorum, quando haec translatio corporis S. Remigii facta est, quae fuit anno 532. Ex quo sequitur baptismum Clodovei contigisse anno 580. Non autem [illegible] est, ut videri possit, triginta quadraginta tres anni. Tunc enim [illegible] cum [illegible] baptizatum anno 500, quod est contra [illegible] sententiam, ut supra ad cap. [illegible] adnotavimus.

Comitantibus [illegible] *populorum stipatus* [illegible]. Sic, id est [illegible] exemplaria, ut quis legendum [illegible].

CAPUT XXII.

Mulier quaedam de pago [illegible] [illegible] Similem punitionem ex [illegible] matris provenientem, ejusque curationem ad memoriam S. Stephani protomartyris narrat Augustinus lib. XXII de Civit. Dei, c. 8.

Ex villa quae vocatur [illegible]. Sic R. MS 1. sed C. [illegible] de relatione S. Remigii ad locum sepulturae suae, seu ad monasterium suum, per Hervaeum archiepiscopum facta anno 901, de qua in hoc hujus capituli paulo latius egit auctor, lib. IV, c. 12.

In ea vero loco ubi hoc sanctis [illegible] [illegible] *hujus* [illegible]. In [illegible] crucis [illegible] in burgo S. Dionysii Remis, quae hac fuisse [illegible] inscriptae : « [illegible] anno [illegible] Domini, sub quarto Kal. Januarii, [illegible] Sabbati, [illegible] ab [illegible] delato corpore Domini nostri et patroni beati Remigii, cum honore dignitatis utriusque ordinis concurrentibus [illegible] praesule, Carolo rege subsequente, cum Rhiberto principe. [illegible] laudes una [illegible] jubilando [illegible]. [illegible] hunc [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ita [illegible] hanc [illegible] [illegible] hic et in perpetuum.

« Sancte tui [illegible] miserere monachi,
[illegible] miracli.
[illegible] hunc orabit titulum. »

CAPUT XXIII.

Quidam Belgicae [illegible]. Belgica secunda continet Remos, Catalaunos, Ambianos, etc. Id enim docte scribit Jacobus Meyerus in suis Flandriae Annalibus ad annum 445, Romani dividebant Regnum Galliae in Germaniam primam seu superiorem, quae Argentoratum, Moguntiacum, Nemetes, Vangiones utrumque Rhenum [illegible] ambiebat gentes ; et in Germaniam secundam, seu inferiorem, cujus caput erat Colonia Agrippina cum Tungris ac Nerviorum [illegible] maritimis populis, qui nunc Brabantici et Flandri vocantur. Eamque secundam quondam Galliam in Belgicam primam, cujus caput Treveris, cum Mediomatricibus, Leucis et Virodunensibus ; et in Belgicam secundam, ubi [illegible] Remi, [illegible] sub se Suessiones, Catalaunos, Laudunos, [illegible], Veromanduos, Morinos, Morinos, Ambianos, Bellovacos, Nerviosque [illegible]. In qua secunda Belgica Flandria includitur.

CAPUT XXIV.

Est silvula in monte sita tribus a civitate millibus [illegible]. Nomen monti est Hor, ut est in Vita hujus de quo agitur Theoderici apud Surium.

Quia vocatur Theodorico. Sic C. et R. sed SJ. *Theoderio*, alia, *Theoderico*. Quomodocunque legatur, exprimere voluit nomen diminutivum, quae apud B Gallos desinunt in *o*, ut a *Petrus Perrot*.

Die Kalendarum Juliarum. Natalem diem S. Theoderici, sive Theoderici, hoc die habet Martyrologium Usuardi Romanum cum notis Baronii, tum Petri Galesinii, Francisci Maurolyci, qui *Theodorum* vocat, et Arnoldi Wion libro tertio Ligni Vitae. Ejusdem Vita exstat hoc die apud Surium, eademque quae hoc cap. habentur, sed hic aliquanto uberius.

Quodam denique Sabbatorum die, jam vespera Dominici diei ascendente, quidam pulsaverit, etc. Graviter punitus fuit hic multer, quod vespere diei Dominicae operaretur, quia tum celebratio Dominicae incipiebat a tempore vespertino, quod duravit fere ad nostra usque tempora. Videantur quae scripsi in C notis ad Thomam Cantipratanum, lib. II, cap. 53, parte IX. Idem vero patet ex hoc auctore supra, cap. 20, ubi Regenbaldus quidam ob eamdem causam punitus est.

CAPUT XXV.

De S. Teodulfo, de quo hoc cap., agit Molanus in additione ad Usuardum Kalendis Maii. Eodem die Petrus Galesinius, et Arnoldus Wion. Utriusque, videlicet S. Theodorici et Teodulfi, meminit Sigebertus in Chronico ad annum 537 his verbis : « Theodoricus abbas, discipulus sancti Remigii, et Teodulphus abbas, discipulus ipsius Theoderici, in Francia clarent. » Inventionem corporis S. Theodulphi apud Treviros notat ex Trithemio dictus D Arnoldus Wion, die xii. Februarii, quam late describit Thomas Cantipratanus ubi supra, part. II. Sed aliud sit idem Theodulphus ille cum isto multum ambigo. Eumdem facit Trithem. lib. III de Viris illust. ord. S. Benedicti, cap. 260, ubi sic habet : « Theodulphus abbas in monte Hor, vir sanctae conversationis et innocentis vitae, multis virtutibus clarus effulsit. Hujus corpus, non ante multos annos repertum integrum et incorruptum, cum magno honore Treveris apud Praedicatores reconditum est in summo altari. Haec inventio celebratur pridie Kalendas Martii. » Sic ille. Verius tamen existimo diversos esse.

SHOLIA IN LIBRUM SECUNDUM.

CAPUT PRIMUM.

Beato Remigio successisse traditur Romanus. Sub annum videlicet 545. Hic B. Romanus cœnobium in vico cui nomen Mentuniacum, duabus ab urbe Trecensi leucis semoto, condidit, et primus in eo abbas fuit, quod a sexcentis annis penitus est dirutum, nec quidquam ejus superest præter crucem in rei memoriam ibi collocatam. De eo in Vita S. Leonis abbatis ex Breviario Trecensi sic legitur : « Beato Romano Mentuniaci cœnobii abbate in episcopum Remensem electo, beatus Leo ejus monasterii factus est abbas. » Ejusdem S. Leonis Vita alia, sed mutila, testatur eumdem S. Romanum a rege Clodoveo seniore confirmationem donationis quorumdam prædiorum impetrasse, quæ Merobaudus patricius eidem cœnobio liberalissime impertiverat. Sequitur.

Romano Flavius. Hic Flavius subscriptus legitur concilio Arvernensi. Vide Scholia in cap. 13 libri præcedentis.

CAPUT II.

Ex iis quæ hoc capite ex Fortunato citantur nonnulla possent in ipso restitui, ut in primis *Egidi* pro *Igidi*, v. 4 *fuvens* pro *fovens* ; 24, *sonet* pro *sonat*, et alia quædam.

Quod legatus ex parte Childeberti regis, Sigeberti filii, ad Chilpericum regem patruum ipsius Childeberti, etc. Sigebertus iste rex Austrasiæ est qui uxorem habuit pessimam Brunechildem, fratres autem Guntramnum, qui fuit rex Bergundiæ, Charibertum et Chilpericum, qui omnes fuerunt filii Clotarii primi. Mortuus est autem Sigebertus anno 578, cui successit filius Childebertus.

Ut ablato Guntramni regis, Chilperici fratris regno. Nomen Guntramni vel Gontramni varie scribitur. Sic enim constanter legit M cum littera *m* in secunda syllaba, J semper *Guntrannus*, quomodo interdum etiam C. Pro priore lectione facit quod Gregorius Turonensis, locis in textu citatis, integre nomen illud scribat *Gunthchramnus*, pro quo in tomis Conciliorum et alibi, *Guntheramnus*.

A Fredegunda regina fuerat missus. Hæc erat uxor Chilperici, cujus perfidia ipse Chilpericus tandem interfectus est. De ea Aimoinus lib. III De gestis Francorum, c. 56. « Erat, inquit, Fredegundis forma egregia, consilio callida, dolis (excepta Brunechilde) parem non agnoscens, » etc. Quæ vero deinceps hoc capite sequuntur ad verbum pene sumpta sunt ex Gregorio Turonensi, lib. x Historiarum, c. 19. Synodus autem hæc Metensis, et Ægidii depositio est anno 594, ut tom. II Concil. adnotavit Severinus Binius.

Multa enim auri argentique in hujus Episcopi regesto, pondera sunt reperta. Eadem prorsus habet verba Gregorius. MS pro *regesto* vitiose legit *regesta*. Quæ vox regestum eodem cap. supra legitur in Gregorio, cum dicit : « Scripta enim ista in regesto Chilperici regis in uno sacculorum pariter sunt reperta. » Nicolaus Chesneau Gallice vertit *epargne*. « Regestum Latine dici potest, quod vulgo registrum vocamus, inquit Badeus. Hoc loco videtur thesaurum significare, vel locum ubi thesaurus reponitur. » Qua significatione accipit Gregorius jam dictus, lib. IX Hist., c. 10 et 34.

CAPUT III.

De S. Basolo, Gallice *saint Basle*, agit Molanus in additione ad Usuardum 26 Novembris, quo die hoc cap. obiisse legitur. Item Martyrol. Romanum ex veteribus manuscriptis, ut notat ibidem Baronius. Petrus in Catalogo, lib. IX, c. 69; Arnoldus Wion in Martyrologio suo monastico, sive lib. III Ligni Vitæ ad eumdem diem, citans Galesinium et alios, ac nominatim Vincentium in Speculo, lib. XXI, cap. 116. De eodem Trithem. De viris illust. ord. S. Benedicti, lib. III, cap. 45, et Sigebertus in Chronico anno Domini 567. De ejusdem translatione per Hincmarum facta agit Molanus die 15 Octobris.

Quem nemus inde incipiens obumbrat Rigetium. Sic C et J. sed MS, Rigentium. In breviario Remensis Ecclesiæ *Rietum*, Gallice vertitur, *Forêt de la Route.*

Misit ad nepotem suum nomine Balsemium, qui cum ad se a Lemovicina regione perduceret. Vitiose J *Balsennum.* Gallice *saint Bassange.* Vitæ hujus Balsemii martyris exstat fragmentum in Pramptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, eumque adjecit Usuardo Molanus 16 Augusti, quo die festum ejus celebratur in Tricassina diœcesi.

Ibique metatum suum constituentes, huc undecunque prædatu reverti cæperunt. Sic omnia exemplaria, id est *a prædatu* sive *prædatione*. Quare non recte S mutavit in *prædati.* Prioribus verbis significatur eos ibi fixam sedem seu tentorium habuisse, Gallice *retraite*, unde Latine dicimus castrametari. Vide infra ad cap. 10, lib. IV.

CAPUT IV.

Post Egidum Romulfus. M *Remulfus* legit hoc loco, et cap. seq. ; sed in summario hujus cap. et supra c. 2 et in textu *Romulfus*, quomodo legunt cætera exemplaria, et Gregorius Turon. lib. IX Hist. Francorum, c. 30, ubi nominatur comes palatii Childeberti regis, et lib. X c. 19.

CAPUT V.

De Sonnatio episcopo. Hæc est communis scriptura exemplarium, tam hoc cap. quam præcedenti. M fere scribit *Sompnacius*, et interdum *Sompniacius* ;

C. [illegible]. [illegible] vero synodus [illegible] habita de qua hoc cap. [illegible], et plusquam [illegible], [illegible] multi [illegible] aliarum provinciarum archiepiscopi [illegible], quæ [illegible] in tomis Conciliorum.

Palladio [illegible]. MS [illegible] perperam [illegible], cui favet [illegible].

A [illegible] C J, [illegible].

[illegible]. Sic omnia exemplaria. Videtur esse [illegible] in archiepiscopatu Tolosano, a quo [illegible] et [illegible] episcopus nominatur. Sic quis legendum putat. [illegible] sive [illegible] Claudius [illegible] episcopus subscriptus legitur concilio II Cabilonensi, celebrato circa hæc tempora, videlicet anno 650, vel, ut alii, 654. In quo etiam subscripti leguntur duo alii, qui huic Remensi interfuerunt, [illegible], et Palladius Antissiodorensis. [illegible] in tomo Concil. [illegible] legendum [illegible], quod est [illegible].

[illegible]. Sic J, cui accedit MS. [illegible]; C. [illegible]. Est autem Ruthenensis episcopatus, Gallice [illegible] (tum Ruthenum alias Rhodium dicitur) in archiepiscopatu Bituricensi.

Agricola [illegible]. Hoc est, ut posterioribus seculis vocatur, Mimatensi in eodem archiepiscopatu Bituricensi, in quo est [illegible] et Ruthenensis, qui proxime præcedunt. [illegible] qui et Gabali [illegible] et Fortunato, et Gabales Cæsari, Plinio et Straboni dicuntur. Gallice Mende, hæc est Mimatum in Aquitania regionis Gavaldanæ, quæ Gevaudan dicitur, civitas primaria et caput est, ut docet Philippus Ferrarius in [illegible] Topographico Martyrologii Romani. Quod admonemus, ne forte quis putet esse oppidum Cabilonense, quod est sub archiepiscopatu Lugdunensi, præsertim cum Robertus Cenalis [illegible] Gabales esse Cabilonenses. Et quidem Agricola Cabilonensis episcopus subscriptus legitur concilio [illegible] et [illegible], quorum posterius habitum est anno 567, item Parisiensi II et Lugdunensi I, quod habitum est anno 570. Præfuit autem Ecclesiæ suæ annis 48, obiitque anno 580, ut habet Gregor. Turon. lib. v Hist., cap. 45, et ex eo Baron. in notis ad Rom. Martyrol. die 17 Martii. Sed et si idem esset eo qui huic Remensi synodo interfuit, obstare etiam videtur distantia temporis.

[illegible]. Auscii, alio nomine Auxitani, unde Auxitanus archiepiscopatus Gall. Auch, in Vasconia.

Ut capitulo canonum Parisiis acta in generali synodo in Basilica sancti Petri, Lotharii regis studio [illegible], [illegible]. Videtur intelligi Concilium III Parisiense, cujus exstant 9 capitula tom. II Conciliorum per [illegible] editorum. Nec obstat quod ibi dicatur celebratum sub Childeberto, quo intelligitur Childebertus primus filius Clodovei Magni, qui obiit anno 559. Quo eodem

tempore regnavit frater ipsius Clotarius primus, qui hic Lotharius nominatur, et obiit anno 565. Et quidem dictus Childebertus solum regnum tenuit Parisiis, Clotarius autem Suessionum, sed [illegible] etiam toti Galliæ præfuit. Unde verisimile est post annum 559 celebratam esse hanc synodum Parisiensem, quod [illegible] docet Binius.

Ad instituendum prædictum sanctus Remigius [illegible]. Sic habent [illegible] MS et J adjiciunt, *ad Basilicam S. Medardi [illegible]*. Quæ omisimus [illegible] exemplaribus [illegible], quia supra de [illegible] S. Medardi dictum fuit.

CAPUT VI.

Post hunc [illegible] Laudunensis Attilæ episcopi frater. Hic Attila, ut ex cap. sequenti patet, fuit episcopus Laudunensis. In Tabulis [illegible] sextum locum obtinet, quem vocat Attolam, ut et Hincmarus in opuscul. LV Capit. c. [illegible]. Consecravit S. Autbertum Camaracensem, episcopum anno 642, ut notatur in Chronicon Camaracense, lib. I, c. 19. Sequitur.

Tempore Dagoberti regis [illegible]. Hic est Dagobertus primus, qui post patrem suum Clotarium secundum, regnavit adhuc annos 15, et obiit 645. Successit ei filius natu maximus Sigebertus, de quo in hoc capitis, qui obiit 656.

Hunc sequitur Anglebertus. Sic omnia exemplaria præter J. quod toto hoc cap. legit *Angilbertus*.

CAPUT VII.

[illegible] Bercharius abbas. Sic omnia exemplaria, quod S notavit ubique in *Berchertum*, sicut et J. Quomodo per contractionem legitur apud Sigebertum in Chronico, et in Promptuario sacrorum antiquitatum Tricassinæ diœcesis Nicolai Camusati, in quo continetur integra Vita ejus et passio conscripta per Adsonem abbatem Dervensem, et apud Surium tom. V, ubi brevem ejusdem Vitam recensent ex Vincentii Speculo historiali lib. XXIV, die 16 Octobris.

[illegible] in Virziaco. Ita legendum patet ex c. 1 et 3 hujus libri, ubi constanter sic legitur. Gal. Verzy. Alioqui tum hoc loco, tum infra c. 19 variant exemplaria: M. *[illegible]*; C. *[illegible]*, quomodo M legit cap. 10, ubi C legit *[illegible]*.

Cui Ludovicus puer [illegible]. Intelligitur Clodoveus II, qui obiit 652.

Hujus etiam tempore tradidit Grimoaldus vir illustris [illegible] Remigio, etc. Hic videtur fuisse major domus seu magister palatii Francorum, filius Beati Pippini de Landis, et frater sanctarum Gertrudis et Beggæ, qui obiit anno 658. Concilium provinciale Galliæ Namnetis habitum jussione [illegible] pontificis, cujus hic meminit, videtur deesse in tomis Conciliorum. Nisi forte sit illud quod [illegible] [illegible], [illegible]. [illegible] celebratum anno 605. [illegible] notat [illegible] [illegible] habemus [illegible] concilium [illegible], [illegible] hoc loco [illegible].

Post hæc in ecclesiola S. Mariæ, quam in eodem monasterio construxerat, obiisse fertur. Quam solemnes Nivardo exhibitæ fuerint exsequiæ refertur ubi supra, in Vita et passione S. Berchari abbatis. Obiit Kalendis Septembris, ad quem diem ad Usuardum adjecit Molanus : « In alto Villari, depositio sancti Nivardi episcopi Remensis. » Quo die ponit eumdem in suo Martyrologio Petrus Galesinius. Meminit ejusdem Sigebertus in Chronico anno 661, his verbis : « Sanctus Nivardus Remensis archiepiscopus, et Reolus successor ejus: Bercharius quoque martyr, qui fuit abbas primus Altivillarensium, sancta etiam Bertha martyr et abbatissa, sanctitate clarent in Gallia. » Hunc vitiose quidam Viviardum vocant

CAPUT VIII.

Ad prænotatum hujus sancti viri (Nivardi) *cœnobium* (hoc est ad Altumvillare) *beatæ Helenæ reginæ constat corpus ab urbe Roma devectum.* Dies translationis, et adventus ad hoc monasterium adnotatur septima Februarii in addit. Molani ad Usuardum. Scripsit translationis hujus Historiam Almannus monachus Altivillarensis, teste Sigeberto De viris illustribus, cap. 99, et, ut ibidem refert, Vitam quoque S. Nivardi et S. Sindulphi, de quo seq. cap. Hæc autem translatio ab urbe Roma in Gallias, teste eodem Sigeberto in Chronico, facta est anno 849. ut refert post eum quoque Baronius tom. X in fine ejusdem anni, addens : « Sed de ejus corpore inter Latinos et Græcos antiqua est controversia, ubi sepultum fuerit. Veneti insuper illud ab Oriente delatum possidere se gloriantur, quod et digno cultu prosequuntur. » Hæc Baronius.

Gemino ditati gaudent esoce. Sic MJ. S reliquit locum vacuum. Significari putatur piscis, qui alio nomine salma dicitur. Sulpicius Severus lib. III Dialogi de virtutibus B. Martini, cap. 13. « Ad primum actum reti permodico immanem esocem diaconus extraxit » Ad quem locum Sur. tom. VI notavit ad marg : *Ezocem, id est, salmonem.* Scribit enim ipse per *z*. Adrianus Junius in suo Nomenclatore, recensens nomina piscium, ita scribit *Exos,* quod ossibus careat, vel, ut alii legunt, *esox* Plinio. Anglice *a Lax*, et distinguit a salmone. Plinius Nat Hist. lib IX, c. 15 : « Sunt et in quibusdam amnibus haud minores, silurus in Nilo, esox in Rheno, attilus in Pado. » Qui ibidem cap. 18 agit de salmone.

CAPUT IX.

De S. Sindulfo agit Molanus ad Usuardum die 20 Octobris, Romanum Martyrol. cum Baronio et Petro Galesinio ad eumdem diem, sicut et Wion. Item Trithem. De viris illust. ord. S. Benedicti lib. III, cap. 46, qui scribit eum claruisse anno Domini 600, et socium fuisse beati Basoli abbatis, de quo supra cap. 3. Unde de iisdem conjunctim ait in Chronico Sigebertus ad annum 567 : « Basolus abbas, et Sindulphus presbyter et reclusus in Francia clarent. »

CAPUT X.

De sancto Reolo episcopo. De hoc nihil invenio in Martyrologiis. Hic ante episcopatum neptem S. Nivardi, filiam Childerici regis, uxorem habuit, ut constat ex auctore supra cap. 7. Post ejus mortem præfuit in hoc archiepiscopatu annis 26, ut dicitur in Vita sancti Gumberti, fratris S. Nivardi, quæ est in Vitis Sanctorum Galliæ editis per Parisienses die 29 Aprilis. Hunc alii, ut Papirius Massonus in suis Annalibus et Jacobus Sirmondus in Catalogo archiepiscoporum Remensium, vocant Regulum.

Crunnicacum montem, Curbam villam, cum Acinaco in pago Tardonensi. Hæc ita vertit Gallice Nicolaus Chesneau, *le mont de Cruny, Courville, et Acim en Tardenois.* Atque ita legunt omnia fere exemplaria, tum hoc loco, tum c. 17 hujus libri, nisi quod MS hoc loco et c. 11 legunt *Torbam* et *Tardonisse*

CAPUT XI.

Gerniacam cortem. Ita hic et sæpius infra omnia exemplaria, Gall. *Gernicourt.* Pro quo aliquoties S substituit *Germanicam*, quod supra cap. 5 vertitur *Germyni.* Ex hoc loco corrigendus Surius, Haræus et Lippello, qui in Vita S. Rigoberti die 4 Januarii legunt *Gremaca.* Locus est non procul Remis, ut constat ex cap. sequenti. Corrigendum et illud in iisdem auctoribus, quod pugnam Caroli cum Chilperico et Ragemfrido ponant accidisse XII Kalendas Augusti, cum legendum sit *Aprilis.* Nam accidit in Quadragesima, Dominica die ante Pascha, ut habent Annales Francorum a Pithœo editi, et appendix Gregor. Turonens. cujus auctor Fregedarius Scholasticus, qui res sui temporis describit.

Villam nomine Cartobram. Sic CR et J. Alia *Carobram* Gal. *Chartreuve.*

Et in villa cui nomen Turba. Ita hic omnia exemplaria Gal. *Tourbe.*

De villa Bracaneio super fluvium Rotumnam. RM, *Bracaneco*, J *Bracaneto.*

A Dagoberto denique rege. Intelligitur secundus hujus nominis, filius Childeberti, qui obiit anno 715, cui successit filius Theodoricus II.

In Rodonico etiam. Sic J, sed MS, *Rodinico* ; C, *Rodolito* ; aliud, *Rodocino.*

Hic venerabilis præsul Pippinum majoremdomus regiæ traditur amicissimum habuisse, cui eulogias pro benedictione crebro solebat mittere. Hic est Pippinus Herstallus, filius S. Begghæ, pater Caroli Martelli ex pellice. Eulogiæ erant panes benedicti, communionis mutuæ et amicitiæ symbola, de quibus late Baron. tom. III Annalium anno 313. Concilium Namnetense, cap. 6, de quo supra, formam benedictionis exprimit.

In monte Betelini. Sic R et J, cui accedit MS. *Berdini* ; C, *Belini.*

In pago Castricensi. Sic et infra c. 18 ; alias, *in vico Castricensi* ; MS conjunxit hic utrumque, *in vico, in pago Castricensi.*

CAPUT XII.

Orta denique simultate inter reges Chilpericum et Karolum [illegible] *Raganfridum*. Hic est Chilpericus II, frater Dagoberti II, [illegible] anno 719, [illegible] ut alii 720. Hæc autem gesta sunt anno 717, ut [illegible] Annales Francorum a Pithœo editi. Sigebertus et Marianus [illegible] anno 718. [illegible] in Vita S. Rigoberti. Nam Chilpericus magistrum equitum, sive majoremdomus constituerat hunc Raganfridum.

Quod [illegible] Sic CR et J. [illegible] in M [illegible] et [illegible] legit S.

Rigobertum [illegible] *episcopatu* [illegible] S. [illegible] exemplaria. In Vita [illegible] S. Rigobertus [illegible] dicitur. Eius depositionem ab episcopatu, sicut et Eucherii Aurelianensis, notant Sigebertus et Marianus anno 723.

De quo [illegible] Historia de visione S. Eucherii Aurelianensis episcopi de æterna damnatione Martelli ob invasas res ecclesiasticas. [illegible] in conciliis manuscriptis [illegible] ad episcopos provinciarum Remensis et Rothomagensis Ludovico regi missa fuerunt [illegible] in notis ad novum Corpus Canonicum [illegible] Gregorii XIII [illegible] 16, q. 1, cap. *Quia*. Exstat item in Vita ejusdem S. Eucherii apud Surium mense Februarii, scripta a contemporaneo, et in Vita ipsius S. Rigoberti 4 Januarii; in quibus omnibus asseritur dictum Martellum et anima in corpore et anima pœnis sempiternis esse [illegible]. Meminit ejusdem Hincmarus in præfatione Vitæ S. Remigii, et inter recentiores Paulus Æmilius lib. [illegible] De rebus gestis Francorum, et Petrus Despinac archiepiscopus Lugdunensis in oratione habita Blesis coram rege Franciæ Henrico III, anno 1576, ut testis est Arnoldus Wion lib. [illegible] Ligni Vitæ, die 20 Februarii. Verum hæc contradicit Petrus Pithœus in Glossario capitulorum, littera K, et Baronius tom. IX Annalium, anno 741; ubique ex eo quod Eucherius ut minimum decem annis [illegible] ante Martellum. Quia etiam addit Baron. [illegible] esse [illegible] Quid de ea re [illegible] Flodoardus fideliter narrat quæ ex scriptis patrum accepit, quæ [illegible] sunt, et [illegible] acta.

Cujus in monasterio S. Trudonis humatum est corpus. Locus est in Hasbania, quæ Brabantiæ pars est, intra oppidum sancti Trudonis, in quo sepultus est S. Eucherius. Hæc contrario modo Galbert [illegible] ait Nicolaus [illegible] in monasterio S. Eucherii sepultum esse corpus S. Trudonis.

Qui [illegible] *a Milone*, etc. Id [illegible] sequitur. Est enim [illegible] libro c. 1 [illegible] Ubi contra omnia exemplaria [illegible] Sensus igitur est quod S. Rigobertus fuerit expulsus a Milone.

Habitavit in Gasconia [illegible] Annos 15 aut 17, ut in marg. adnotavit qui [illegible] Guillelmus Le Bègue, idemque [illegible] cum quinque aut septem annis exsulasse in Vasconia.

CAPUT XIII.

Hujus hortatu [illegible] *Adrianus sedis apostolicæ pontifex meminit in epistola sua*. [illegible] Exstat hoc fragmentum tom. III Concil. inter scripta Gregorii II, ubique [illegible] Baronii tom. IX, anno 717. Qui omnino aliter consuluisset, si reliquam partem ejusdem epistolæ, quæ habetur cap. 16, perlegisset. Nam inde plane [illegible] esse Adriani, non Gregorii, quia in ea meminit Zachariæ et Stephani antecessorum suorum, qui sunt posteriores Gregorio secundo. Poterit autem conjungi hæc epistola additis duabus partibus quæ inter cap. 16 et 17 [illegible], et corrigi adnotatio Severini Binii, qui [illegible] apud Surium die 4 Januarii nomen Adriani pro Gregorio II, sicut et Nicolaus Serrarius, in notis ad epist. 142 S. Bonifacii.

Simul cum alio episcopatu. Videlicet Trevirensi, ut probatur ex epist. 16 Hincmari, cap. 19, inter eas quæ prelo excusæ sunt, et ex præfatione ejusdem Hincmari in Vitam sancti Remigii, in qua ait quod Milo, de quo sermo est, episcopia Remorum et Trevirorum usurpans [illegible] per quadraginta circiter annos pessumdederit.

CAPUT XIV.

Decessit (S. Rigobertus) [illegible] Additum est in uno exemplari in margine: « Anno incarnationis Dominicæ circiter septingentesimo septuagesimo tertio. » Quæ verba MS. Cl non habent, etsi habeantur in Vita apud Surium, ex qua sumpta sunt pleraque quæ in hac Historia de eo [illegible] relata sunt. Additur quoque in Vita, ad majorem temporis certitudinem, indictione octava eum obiisse. Exstat apud Surium die 4 Januarii. Quo die ejus legitur memoria in Romano Martyrologio [illegible] Petri Galesinii quam Baronii. Eodem quoque die [illegible] additus est [illegible] Baronius in notis eum pervenisse usque ad tempora Hadriani papæ, qui, inquit, [illegible] Milone, in locum ejus subrogavit Turpinum, ut ejus acta testantur. Quod [illegible] de [illegible] Nam Adrianus sedere cœpit anno 772. Meminit ejusdem Sigebertus in Chronico anno 723, quo eum dicit ab episcopatu depositum

seu ejectum. Quæ si vera sunt, oportet eum annis 50 exsulasse. Verum Franciscus Haræus in Vitis Sanctorum a se editis ponit eum obiisse circa annum 736, hac apposita annotatione post Vitam ipsius : « Ponitur obiisse anno Christi 775, sed omnino error videtur esse in numeris. Nempe Martellus princeps, quem ille episcopus puerum baptismate abluit, obiit quinquagenarius anno salutis 741 ; sicque debuisset sanctus Rigobertus episcopatum gessisse integris octoginta annis. Sigebertus quoque Historicus refert eum anno 23 ejus sæculi a Martello episcopatu pulsum. Adde quod solum memoretur vixisse sub his tribus regibus, Childeberto, Dagoberto, et Chilperico, quorum postremus certe in vivis esse desiit anno 727. Itaque suspicor pridem pro XXXIII substitutum LXXIII, ut anno 33 illius sæculi, non 73, sanctus Rigobertus mortem obierit. » Hæc Haræus satis probabiliter.

CAPUT XV.

In pagum Veromandensem, ad villam Nemincum. J *Memnicum.* In hoc tractu Veromandensi insignis est civitas S. Quintini, non procul a Cameraco.

Hæc pretiosa illuc delata membra, MS, J, *munera*, quomodo et C. vertit in Gallico ; sed alia lectio melior est, quam paulo post habent omnia exemplaria.

Nec longum post hæc, etc. Hæc est quarta translatio S. Rigoberti, facta ab Herivæo archiepiscopo, de qua infra lib. IV, c. 13.

CAPUT XVI.

Quamvis eum quidam chorepiscopum tantum fuisse tradunt. Alias, *coepiscopum*. Sed vera lectio est *chorepiscopum*. Dicti sunt chorepiscopi a χώρα quæ vox Græcis *regionem*, vel *agrum* significat, quasi certarum regiuncularum in qualibet diœcesi speculatores. Quod officium in eos qui archidiaconi, archipresbyteri, et decani rurales, et decani Christianitatis hodie vocantur maxime competere videtur. Hincmarus infra lib. III, cap. 22, vicarium episcopum a vico idem nomen interpretatur. Unde et Gallice Nicolaus Chesneau interpretatur hoc loco et infra, *doyen rural*. In M scriptum fuit *corepiscopum*, sed littera *r* recenti manu ab aliquo imperito deleta est, ad faciendum *coepiscopum*. Quod autem Abel vere fuerit Remensis archiepiscopus sufficienter probat hoc cap. Flodoardus. Eodem facit et illud apud Surium in Vita sancti Rigoberti, ubi dicitur quod Hincmarus fuerit quintus a sancto Rigoberto Remorum archiepiscopus. Si enim non connumeretur hic Abel nonnisi quartus erit. Cur autem a quibusdam prætermittatur in catalogo Remensium archiepiscoporum, rationem habemus ex iis quæ citantur ex epistola Adriani hoc cap., quia etsi ibi constitutus sit episcopus, tamen ibi permanere permissus non fuit, ideoque rediit Lobium, celebre in Belgio monasterium, ubi ad infidelium conversionem laborasse creditur, adeo ut sancte vivendo et prædicando pertigerit ad æternæ vitæ bravium. Nomen ejus sacris Martyrologii tabulis Usuardi adjecit Molanus die 5 Augusti. Quo die agit de eo idem Molanus in Natalibus SS. Belgii, ascribens ei titulum Remensis archiepiscopi, et in suis Martyrologiis Petrus Galesinius et Arnoldus Wionius, Ligni Vitæ lib. II de viris illust. ordinis sancti Benedicti, cap. 27, et lib. IV, cap. 118. Quo loco scribit festum ejus agi nono Kalendas Octobris. Fuit natione Scotus.

Grimonem in civitate quæ dicitur Rodomus. M et aliud exemplar *Rodomo*, pro quo S et J substituerunt *Rothomagum*, ejusdem civitatis nomen, quæ etiam Rodoma dicitur. Vide adnotat. Nicolai Serarii ad epistolam 143 sancti Bonifacii. Sed non probo ut pro veteribus nova nomina, quamvis notiora, reponantur, quia hac ratione perit notitia antiquitatis. Sic et infra lib. IV, cap. 31, omnia exemplaria legunt *Rodomi*, nisi quod ibi C vitiose legit *Rodonu*, et utrobique Gallice vertitur *Rouen*. Utitur ea appellatione Sigebertus anno 751 : « Remigius, inquit, Pippini regis frater, Rodomensis archiepiscopus in Gallia claret. » Est autem hic Grimo vicesimus septimus Rothomagensis archiepiscopus in tabulis Demochares, Roberto subrogatus anno 733.

Tertium denique Hartbertum in civitate quæ dicitur Senonis. Sic C et J. At MS. *Harthertum*. In tomis Conciliorum *Artbertus*, in tabulis Demochares *Otbertus* sive *Ochibertus* cardinalis anno 762 ; atque numero tricesimus sextus. Porro ex his quæ hic citantur ex duabus Zachariæ epistolis non pauca poterunt restitui in tomis epist. decretalium, et tom. III Concil.

CAPUT XVII.

De Tilpino episcopo. Ita constanter omnia exemplaria. Alii auctores vocant absolute Turpinum aut Joannem Turpinum. Exstat ejus nomine historia de Vita Caroli Magni et Rolandi, tametsi Papirius Massonus lib. II Annalium Francorum existimet non esse ipsius, sed hominis otiosi, qui fabulas illas post Caroli Calvi imperium descripsit in gratiam juventutis. Idem recte docet Antonius Possevinus in Apparatu sacro, in TILPINO.

De ordinatione episcopi nomine Lul, sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ. Sic omnia vetera exemplaria, pro quo S et J *Lulli* substituerunt. Sed in tomis Conciliorum sæpe *Lul* appellatur, ac nominatim epistola 12 Zachariæ papæ, sicuti et in epistolis sancti Bonifacii. Fuit hic beatus Lullus S. Bonifacii martyris successor, et secundus archiepiscopus Moguntinus.

Noviliacum in pago Urtinse. C *Ursinse*, J *Urcinse*.

CAPUT XVIII.

Missus dominicus ad recta judicia determinanda fuerat ante episcopatum constitutus. Missus id est legatus. Frequens est missorum mentio in Capitulis Caroli Magni et Ludovici Pii, quorum officium hoc capite describitur. Misso autem dominico fere addebatur comes, ut patet ex lib. II Capitulorum, c. 25. Quod nomen officii erat, non dignitatis aut sublimitatis ut hodie. De missis dominicis lib. I, capitulo 122 ; lib. II, cap. 11.16, 17, 19, 25. 26, 27, 28 ; lib. III, cap. 17, 18, 33, etc. De comitibus lib. II.

cap. 6, 9, 10, 12, 18, 23, 24, 25, 26, 28, 32, etc. De hic ex Petrus Pithoeus in Glossario capitularum, verbo *Missi dominici*. Florentinus Van der Haer in Castellanis [illegible], et Petrus Louvet in Histor. Bellovacensi, lib. [illegible], c. 9.

In hoc quoque placito, Dohodomo subjecit. Vasquez, etc. Sic omnes hæc nomina per [illegible] legunt MS, quæ nomina olim frequenter inquinabantur, quod servari placuit. Cl. *Dohomensi*, Vasquerel, etc., per i.

Ut homines et [illegible] hominibus [illegible] habuerat. Sic M. Lobaq., Vendomens. De hoc vendomoris et [illegible] est capitulum 11, lib. III Capitularium, ubi similiter legitur [illegible]. Nam si ibi pro [illegible] dicebatur, conformantes [illegible] dicebant et scribebant.

Hic synodum invenitur habuisse anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 844 in loco qui Verno [illegible]. Hoc synodus exstat in tomis Conciliorum. Sed tom. III habetur concilium Vernense primum sub eodem [illegible] et Carolo Magno celebratum anno [illegible] 755, mense Maio, quod habet capitula non [illegible] 25. Cujus auctor noster mox infra meminit, [illegible] in eo constituta. [illegible] capitula XXIII, sed facile fieri potuit ut unum in duo divideretur.

Congregatis secum episcopis suis Hildemaro, Ermenone, Jesse, Ragemberto, Grimaldo, Rothardo, Wendilmaro, Ostrualdo. [illegible] *Hildemaro.* Erat hic episcopus Cameracensis. Ermenus Silvanectensis, qui in tabulis Demochares vocatur Hermenus. Jesse Ambianensis; Ragenbertus, [illegible] Cl. *Ragembertus*, Bellovacensis, [illegible] S. Hildemanni, de quo infra cap. 20, qui obiit anno 848, die 6 Decembris. Grimoaldus [illegible], qui alias *Grimoaldus* [illegible]. Rothardus Suessionensis, qui infra cap. 2 [illegible] lib. [illegible] Rothadus nominatur in omnibus fere exemplaribus, quæ hic variant. In tomis Concil. et tom. III Bibliothecæ Patrum secundæ editionis *Rothaldus* legitur. Wendilmarus erat episcopus Noviomensis, Ostualdus Laudunensis.

Adalhardo, Cl. *Adalardo*.

Folrado, Ermino. Sic C. et J. Alii *Folrado, Ermino*. Paulo post, pro *Otberto*, Cl. legit *Otherio*.

Et vel. Varinus, Urbs campus. Trapparus, Ermenbertus, Herchanradumus, [illegible] S. *Landegarii*. Sic exemplaria, nisi quod in MS sit *Varinus*, et postremum in duo dividat, legens : *Herc, Herchanradumus*. Quæ Narratio Chronicon Gallice vertit : *Varinus, Urs* [illegible] *Trapp. Hieronsdeu. Herchandus* [illegible].

De omnium anno [illegible]. Sic J. sed MS [illegible], et dubium sit an illud [illegible] sit, [illegible] in MS scribitur [illegible]; [illegible].

CAPUT XIX.

Hujus præsulis hortatu Altigarius Cameracensis episcopus sex libellos de Remediis peccatorum, et ordine vel judicio pœnitentiæ conscripsit. Exstant hi libelli tom. V antiquæ lectionis, editi per Henricum Canisium, præfixis quoque his duabus, quæ hic referuntur, epistolis. Ex hoc autem loco [illegible] toris productor, sextum quoque librum, quem seorsim posuit Canisius, ipsius esse Halitgarii, aut, ut legit Chronicon Cameracense, lib. I, cap. 38, *Halitcharii*. Hi libri merito recenseri debent inter priores [illegible]. Fuisse tamen et alios qui ante [illegible] tem Halitgarii de eodem argumento scripserunt, ex ipsa hac Ebonis constat epistola; ut est Pœnitentiale Romanum, et *Theodori archiepiscopi Cantuariensis*, de quo Beda in Chronicis sub Dagoberto. Item libri ipsius Bedæ de Remediis peccatorum, Pœnitentia Egberti, et Hattonis episcopi Basileensis, deinde Theodulphi Aurelianensis, Rabani, etc., quorum meminit Rhenanus in argumento libri Tertulliani de Pœnitentia, et Jacobus Pamelius annotatione 1 ad eumdem librum. Patet autem ex hoc Halitgarii opere adhuc tum temporis pœnitentiam imponi solere secundum exigentiam canonum.

Ubi cum diu orassent. MS, *Deum orassent*. Sed alia lectio, quæ cæterorum est exemplarium, merito præferenda est, quæ comprobatur Thegano in opere De gestis Ludovici Pii, cap. 16, ex quo verisimile est Flodoardum accepisse, cum iisdem etiam verbis utatur. Contigit autem ante bellum contra Sclavos, quam ipsius Ludovici in imperatorem coronatio anno 816, ut patet ex eodem Thegano et Baronio.

Apostolica coronantur munificentia. Sic omnia exemplaria. Legendum forte quis arbitratur *imperialia* pro *apostolica*, ut in diplomate 2 hujus capitis : « Imperialia sumpsimus insignia. » Sed vera lectio est *apostolica* [illegible], hoc est quæ a sede apostolica conferri solent. Ejus enim est imperatorem coronare. Quæ lectio probatur ex cap. 10 lib. III, ubi refertur quod hic citatur ex Lotharii imp. epistola.

Et Lotharius [illegible] secum patrem ad Compendium palatium, ubi eum afflixit cum episcopis. Exstat Conciliorum tom. III concilium apud Compendium, in quo Ludovicus imp. deponitur anno 833.

Moderamno Redonensis episcopi. Sic recte S. et J. et omnia exemplaria cap. 20, lib. I Gallice vertitur *de Rennes*. Est autem sub archiepiscopatu Turonensi. Cætera exemplaria *Rothomagensis archiepiscopi* hic [illegible]. Quod ex eo verisimiliter accidit quod pro *Redonensis* quispiam scripserit *Rodomensis*, pro quo alius scripsit *Rothomagensis*. Nam Rothomagus alio nomine Rodoma et Rodomum dicitur, ut supra ad cap. 16 [illegible]. Adde quod in catalogo Rothomagensium archiepiscoporum apud Demochares nullus invenitur Moderamnus.

CAPUT XX.

Requirente postmodum papa Nicolao ab episcopis Galliæ, maximeque Belgicæ provinciæ, hoc inter alia [illegible]. Non exstat, saltem plene, episcoporum Galliæ epistola ad Nicolaum primum, ex qua hæc omnia auctor desumpsit. [illegible] patet, dum post multa narrata addit : *Hæc post pauca. Item post aliquantulum.*

Alsuinum civitati archiepiscopum, et Radoradum episcopum. Alsuinum legunt B, M, et J, ex quo S fecit

Aculfum, C., *Arnulfum*. *Badaradum* legunt C et J, A quomodo et infra legitur hoc eodem capite, alibi conformiter ab omnibus, nisi quod MS habet *Baradu*[illegible]. Similiter et synodus Suessionensis, de qua sub finem hujus capitis, legit *Badaradum* et *Aculfum*. MS et R hoc loco *Hadaradum* legebant.

Quos secundum Africæ provinciæ canones elegerat sibi judices. Concilium Africanum, quod aliquoties hoc cap. citatur, illud esse videtur quod exstat tom. I Concil., habitum sub pontificibus Bonifacio et Cœlestino. Sunt autem canones diversorum conciliorum Africanæ provinciæ numero 105. Quod hic citatur habetur cap. 63, quod nominatim citat Hincmarus in concil. Suessionensi, de quo lib. III, cap. 12. Sed quæ infra citantur ex cap. 59 et 74, in illo concilio, B prout nunc exstat, non leguntur.

Theodoricum scilicet episcopum. Hic erat episcopus Cameracensis, ut constat ex Chronico Cameracensi, libro primo, cap. 41.

Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo tricesimo quinto, anno etiam imperii gloriosi Cæsaris Ludovici XXI. Sic C. Sed R, MS et J, XXIII, non recte. Nam cum regnare cœperit initio anni 81[illegible], annus 8[illegible] est imperii ejus 21, ut consentit Sigebertus in Chronico.

Hartgarius episcopus. Sic RC et J. At MS et aliud exemplar, *Hargarius*.

Rambertus episcopus. M, *Hrambertus*, S, *Hrambertus*.

Hammonus episcopus. Sic RJ et C in Gallico. MS *Hamnus*, C Lat. *Hamnus*.

Cui relationi præfatæ, quæ Suessionis habita est, contradixit synodus. R, MS, *contradixit*. Hujus synodi facta [illegible] mentio initio hujus capitis.

A quo in regione Saxoniæ quidam episcopum promoverat, etc. Factus enim est episcopus Hildesheimensis, ordine quartus, in quo duodecim annis permansit, ut scribit Albertus Krantzius lib. I Metrop., c. 30. Quocum satis consentit quod a Flodoardo lib. III, c. 2, supervixisse scribatur usque ad annum 851.

SCHOLIA IN LIBRUM TERTIUM.

CAPUT PRIMUM.

Anno denique Dominicæ incarnationis 845 *Karolus synodum episcoporum regni sui apud Bellovagum.* Sic omnia vetera exemplaria, quomodo etiam ter quaterve legitur in Atrebatensi Breviario die 15 Julii. Id S et J mutaverunt in nomen hoc sæculo usitatius *Bellovacum*. Baronius tom. X, ad dictum hunc annum ex nostro hoc Flodoardo Gallice edito, totum hoc caput primum inseruit suis Annalibus in Latinum conversum, et ex eo Binius tom. III Conciliorum.

Archiepiscopo Sennensis Ecclesiæ Wenilone. Sic omnia antiqua exemplaria, quod rursus S et J mutaverunt ubique in *Senonensis*, quomodo etiam hic correxit aliquis in M, cum prius legeretur *Sennensis*, quomodo et constanter legitur infra c. 20 et 21. Idemque factum est infra cap. II. Nam et ibi D in M legebatur *cum Wenilone Sennensi.* Eodem modo legit Chronicon Cameracense lib. I, cap. 43, *cum Venelone Sennensi.* Infra cap. 20 omnia exemplaria *Egilonem* vocant; c. 22, *Wanilonem*. In Hist. Tilpino inscripta *Ganelo* vocatur. Sic et manuscript. exemplar Historiæ scholasticæ Petri Trecensis, quod est in bibliotheca cathedralis ecclesiæ S. Audomari, legit *Wilhelmo Sennensi*, ubi in excusis est *Senonensi*. Accedit et vox Gallica *Sens*. Et in manuscripto Catalogo episcoporum totius orbis, quem penes me habeo, lego *archiepiscopatum Siennensem*. Denique Zacharias papa in epist. ad S. Bonifacium, quæ est inter epist. Bonifacii 143, de hac loquens ait: « Tertium denique Hardthbertum in civitate quæ C dicitur Sennis. » Quo loco intelligi urbem Senonensem recte suspicatur Serrarius, et patet ex nostro Flodoardo supra lib. II, cap. 16. Denique Sennensis perpetuo legitur in epist. Nicolai primi ad Carolum regem, et ad Egilonem, quas edidit una cum Hincmari epist. Joan. Cordesius.

CAPUT II.

Quæ toto hoc cap. habentur de synodo Parisiensi in causa Ebonis habita, ea similiter ex Gallico conversa in Latinum habet Baronius anno 847, et ex eo Binius tom. III Concil.

CAPUT III.

Et impetrent pro nobis offerri sacras oblationes. Sic C et J. Alias, *imperent*. M, *intrent pro nobis offerre*; pro quo S, *instent pro nobis offerre*. Sed prima lectio videtur melior. Hinc autem docemur vivorum suffragia prodesse defunctis.

CAPUT IV.

Atque pusillis pumilio. Incertum est an propria sint nomina, an appellativa, quod verius videtur. Unde Gallice vertitur, *le petit nain*, id est parvus nanus.

Sciat secundum dignæ memoriæ avi et piæ recordationis genitoris nostri capitula se emendaturum. Loca Capitulorum Caroli Magni et Ludovici Pii in textu notavimus. De eodem argumento Pithœus in Glossario verbo *Nonæ et decimæ* citat canonem 42 syn. Mogunt., 46 Turonensis, et 62 Meldensis.

Possunt præbere consultum. Sic C et J. Quomodo omnia legunt supra lib. II, cap. 19, in litteris Ludovici imperatoris. Alias, *consilium*, ut MS hoc loco.

Utitur eadem voce Nicolaus papa I, epist. 32 : « Audivimus, inquit, Lotharium a sede apostolica petitum non exspectasse consultum. » Sic et in Rothaldi appellatione ad sedem apostolicam : « Absque meo consensu seu consultu. » Et Chronicon Cameracense lib. III, cap. 26 : « Ut esset a consulta pontificis longe tutus. » Quibus locis consultus significat consultationem vel consilium. Utitur eadem voce Fulbertus episc. Carnotensis epist. 59.

CAPUT V.

Hujusmodi regiæ auctoritatis firmitas auctoritatibus. Sic omnia exemplaria, pro quo S substituit *firmitas*. Sensus est : Cum haberet hujusmodi auctoritates, hoc est edicta seu diplomata.

Librum quoque Sacramentorum, sed et Lectionarium, quos scribi fecit, auro argentoque decoravit. Liber Sacramentorum veteribus, ac nominatim B. Gregorio, est quem nos librum Missalem, vel in neutro genere, Missale dicimus. Lectionarius, qui lectiones cujusque diei continebat. Similia leguntur infra cap. 9 data ab eodem Hincmaro ecclesiæ S. Remigii.

CAPUT VI.

Pergamenaque candelarum nonnumquam. Hæc vera est lectio. Sed M., *candelabrum nonnunquam*, ex quo fecit S et J *candelabrum et nonnunquam*. Ex hoc autem discimus fuisse etiam illo tempore usitatam laicorum devotionem, quam etiamnum cernimus ut sanctis luminaria accenderent.

CAPUT VII.

Velum vero quod Leo appensum dudum videbatur. Sic M et B. Sed CJ, *appensum*. S, *appensum*.

CAPUT VIII.

Sanctæ capellæ reddit. Hoc est reponit. Sic omnia exemplaria, præter MS, quod habet, *sancta capellæ reddebat*. Ex iis autem quæ hic referuntur discimus ornamenta ecclesiæ non esse applicanda ad usus profanos.

CAPUT IX.

Vestibus etiam aureo intextis providebat. Sic MS. At J, *intextis*. C., *textis*.

CAPUT X.

Quem præcipuum pallii usum nulli unquam archiepiscoporum concessum. De auctoritate et usu pallii est titulus 8 lib. I Decretalium. Baronius tom. X duobus locis, videlicet 849 et 852, scribit Nicolaum papam negare fuisse concessum Hincmaro pallium ad usum quotidianum a Leone papa, « ut, inquit, suo loco dicetur. » Verum in gestis Nicolai papæ id nusquam ostendit Baronium fuisse, etsi de aliis Hincmarum redarguat.

Commendatum reperitur ipsumque ubique legitis. Sic MS. At CJ, *epistolis*. Prior lectio magis placet, quia de epistolis mox infra sequitur.

CAPUT XI.

De synodo congregata apud Suessionicam urbem habita. Exstat tom. III Conciliorum Galliæ, parte prima, celebrata anno 853, tempore Leonis IV, sed ut ibi notatur, et infra fatetur auctor noster hoc eodem cap., reprobata a Nicolao papa I. Ex istius synodi actis ea quæ hic scribit auctor desumpsit, plerumque etiam verba ipsa retentatus. Quod a Nicolao papa retractata sit et reprehensa, quoad depositionem illorum clericorum qui ab Ebone ordinati fuerant (quamvis subreptitie ejusdem synodi approbationem a Benedicto papa, et ab ipso Nicolao primo initio Hincmarus obtinuerit), ostendunt epistola Nicolai 52 et 5, inter eas quæ sunt in appendice epistolarum ejus, quod fatetur etiam ipse Baronius tom. X anno 863, ubi eamdem intexit epistolam : quod, inquam, a Nicolao papa reprobata sit, patet ex epistola 46 et 47 ejusdem, et in appendice epistola 13 et 15, qui aliam jussit congregari synodum in eadem civitate Suessionensi super eadem difficultate, quæ dictos clericos restituendos esse decrevit. Hæc habita est anno 866.

Amalrico Turonensi. Ita CJ, tom. Concilior. et Chron. Cameracense MS, *Almarico* et infra *Almaricum*, et similiter lib. cap. 21. Plena dictio est *Amalaricus*, regis Wisegothorum nomen. Item M. *Turonense*, *Catalaunense*, *Noviomense*, et ita de cæteris omnibus per *e*, nisi quod legat *Senonensi*, pro quo mutatum est, *Senonensi* et *Cenomanensi*. Verum hoc loco retinuimus usitatiorem declinationem, secuti alia exemplaria, et prout legitur in tomis Conciliorum, ut pronuntietur ablativus per *i*.

Huberto Meldensi. Ita CJ, sicut et tabulæ Democharis. At reliqua, *Hucberto* ut in tom. Concil., quomodo etiam nomen Leodicensis episcopi in manuscriptis codicibus Sigeberti perpetuo legitur.

Jonæ Augustudunensi. M. *Augustidunense*, pro quo SJ *Augustodunensi*, quod nunc usitatius.

Godelsado Cavilonensi. Sic omnia antiqua exemplaria ; S et J substituerunt nomen recentius *Catalaunensi*.

Hildebranno Sagensi. M. Sogense. J, Sagensi, quomodo et in tomis Concil. hic legitur. At in subscriptione concilii Tullensis et II Suessionensis, *Hildebrandus Sagensis*. Similiter in tabulis Democharis inter episcopos Sagienses nono loco ponitur S. Hildebrandus. Oppidum Sagium appellatur et Saium, Gal. Seez in Normannia.

Rigboldo Remorum chorepiscopo. Sic C. et tomi Concil., ubi vocatur *Rigbaldus*, pro quo non recte coepiscopo legunt MS et J.

Lupo abbate monasterii quod dicitur Ferrarium. Sic omnia exemplaria. In tom. Concil. : « Lupo abbat. monasterii Bethleem, quod Ferrarias dicitur. » Utroque enim vocabulo nominatur. Hujus Lupi abbatis exstat liber epistolarum.

Heriveo. M et aliud exemplar, *Herveo*. SJ, *Herveo*. tomi Concil. *Erveo*.

Harenbaldus. Sic MS. At, *Herenbaldus*, ut CJ. In tom. Concil. *Haremvaldus*.

Ymone Hildinno. Ita BC, et tom. Concil. Sed MS *Baldinno*, tametsi M infra *Hildinnum* legat pro quo male correctum *Baldinnum*. J, *Hardinno* utrobique.

Præmissa denique concilii præsulibus, apostolicæ sedis obedientiæ præceptis, etc., hujusmodi præferentes epistolam. Hæc epistola, cujus exordium tantummodo hic inseritur, est synodica epistola concilii Trecensis, de quo infra cap. 17, quod celebratum est ab iisdem episcopis anno sequenti, videlicet 867, a quibus celebratum erat Suessionense anno 866, ut ipse titulus indicat, destinata quidem ad Nicolaum, sed reddita ejus successori Adriano II. Exstat tom. III Concil. in cujus prima parte ubi præcedit et alia epistola eorumdem episcoporum ex concilio Suessionensi scripta anno superiori, cujus paulo superius auctor noster meminit. Hæ autem epistolæ 2, plene satisfaciunt iis quæ Nicolaus papa epistola 46 ipsis injunxerat. Inscriptio paulo plenior est in tomis Conciliorum, et in opusculis Hincmari nuper editis per Joannem Lemovicensis Ecclesiæ canonicum : « Reverendissimo et sanctissimo domino Patri ac universali papæ Nicolao, episcopi, qui præterito anno per gratiam Dei et decretum vestrum apud Suessonicam urbem cum aliis qui tunc nequierunt adeesse, VIII Kalend. Novembris, prima indictione apud Trecas convenimus. » Præter litteras synodales ex concil. II Suessionensi dedit et privatam epist. Hincmarus ad Nicolaum papam ; qua se excusat quod non statim clericos illos restituerit. Exstat apud Baronium dicto anno 866, post epistolam synodalem. Utraque missa est per Egilonem archiepiscopum Senonensem. Ut autem epistola synodica Trecensis tota huic cap. non inseritur, sic ex iis quæ habet Flodoardus potuerunt aliquot locis suppleri ea quæ desunt in tom. Conciliorum et apud Cordesium.

In suis ordinibus restituere maturassemus. Sic quidem S et J, sed errore hic positum, cum vera lectio sit, quam habent M et C, *maturaremus.* Ita enim est in tom. Concil., ita in eadem epistola edita per Cordesium, et in epistola Hincmari ad Nicolaum papam, quæ est secunda inter eas quas Cordesius edidit, et in epistola secundi concil. Suess ad eumdem Nicolaum.

Scripta quoque, quæ hinc a vestra auctoritate directa. Sic CJ. Consentit lectio quæ est in tom. Concil. nisi quo pro *hinc* legat *huc.* At *hinc* accipi potest, non ut adverbium loci, sed *quæ hinc*, id est *de hac re*, MS, *quæ hinc a nostra auctoritate.* Sed priorem lectionem requirunt ea quæ præcedunt et sequuntur.

CAPUT XII.

Canonicam in jam dictum Balduinum, et Judith, secundum edicta beati Gregorii, ab episcopis depromi sententiam fecit. Id est curavit eos excommunicari. Respicitur autem, ut apparet, ad decretum 10 et 11 Gregorii II in synodo Romana, cap. *Si quis virginem* 36, q. 2, quo cap. raptores virginum et viduarum excommunicari jubentur.

Et honores Balduino pro vestra solummodo petitione donavit. Hic Balduinus, cognomento Ferreus, primus dicitur creatus comes Flandriæ seu comes regni a Carolo Calvo, patre ipsius Judith. Videatur Jacobus Meyerus in Annalibus Flandr. anno 862. Inter epist. Nicolai hæ sunt de causa Balduini 20, 21, 30, 32 et 42, quæ omnes fere sunt ad ipsum Carolum regem, ut Balduino parcat. Hincmari vero est ad Hermentrudem reginam. Ea quæ sunt ad Hincmarum, quarum meminit hoc capite, non exstant.

CAPUT XIII.

De causa Rothadi Suessonici episcopi depositi. Depositus fuit hic Rothadus, ut et sed plerisque in tom. Conciliorum et Bibliotheca Patrum, Rothadus, auctore Hincmaro, congregatis aliquot episcopis in synodo Suessionensi anno 862, mense Junio, illo in monasterium detruso, alium substituerunt, non obstante appellatione ad sedem apostolicam, a qua postea sedi suæ est restitutus, quod nullos posset eum accusatores idoneos comprobare, nec ipse Odo Bellovacensis episcopus, qui ab hac synodo Romam missus fuerat, eum accusaret. De qua re latius videre est epistolam 28 Nicolai papæ primi, et sequentes usque ad 44. Quæ eædem epistolæ exstant quoque tom. III Bibliothecæ Patrum secundæ editionis. Et ipse Hincmarus in sua epistola synodica, quæ toto hoc capite continetur, scribit : « mittere vicarios suos, et non accusatores ad confligendum, sed ut a Rothado utpote a nobis accusato, ad intimandum, quod non in contemptum sedis apostolicæ, appellationi [illegible] secundum Sardicenses canones sedem apostolicam, sed eum qui ad electorum judicium de [illegible] capitulis provocavit juxta Carthaginenses et Africanos canones, ac decreta beati Gregorii, regulariter judicavimus. » Sic ille. Verum id negat Rothadus in sua appellatione, quæ exstat post epist. 37 Nicolai papæ, atque in eo videtur præcipua controversia hujus causæ consistere. Exstat totum hoc caput apud Baron. tom. X, anno 861, sed ex unico exemplari, eoque, ut fatetur Baronius, non satis emendato.

Quidam episcopi a regno Lotharii, zelo amaro contra nos ducti, quia illorum consiliis de Waldrada non acquiescimus. Lotharius rex, filius Lotharii imp., repudiata legitima uxore Theutberga, hanc Waldradam concubinam sibi in matrimonium conjunxerat : qua de re multæ quoque exstant Nicolai papæ epistolæ, et Hincmari prolixum opusculum de divortio Lotharii regis et Teutbergæ reginæ.

Et ideo ut se commendaret, locarium ei permitterem. Sic C et J. Dicitur autem locarium a loco, ubi locare, id est collocare, te possis. Significat, teste Varrone, pretium quod datur in stabulo et taberna. Unde Gallice vertitur *moyens de vivre.* MS et aliud exemplar legunt *jocarium*, quod idem significare potest quod *jocale*, Gall. *joyaux* ; sed huic loco non congruit : prior autem lectio et significatio probatur ex iis quæ non multo ante præcedunt.

Et itineris longitudine atque insoliditate obstrictus. Iter insolidum vocat, non tutum, Gallice *mal sûr.* Quædam exemplaria duo verba faciunt *in soliditate*, sed non recte.

Nec quempiam [illegible] sine [illegible] sua pestifera. Scilicet Rigiberto, de quo supra lib. II, cap. 12. Quæ dictio alia manu super lineam in M posita est, utrumque S et J in textum retulerunt.

Quod fuerunt [illegible] *et Ebroinum* [illegible]. Sic C, quo [illegible] textu. Scilicet, translatus.

CAPUT XIV.

Ad sanctissimam [illegible] *quod* [illegible] *synodum* [illegible]. Exstat tom. III Concil. in sua prima parte, habitum anno 863, [illegible] in eadem synodo, Theutbergæ reginæ a Lothario rege facti. Damnavit illud Nicolaus I in concilio III Romano sub quo habito eodem anno.

Tempore in Moguntiaca civitate habita synodo. [illegible] *archiepiscopo Hrabano cui tunc* [illegible] *ad omnibus Germaniæ episcopis, etc.* Hæc autem synodus in Moguntina sub Rabano, anno Domini 848, tempore Leonis papæ IV, de qua eodem anno Baronius, sed ex his Flodoardi scriptis ex Gallica lingua [illegible] translatis.

A

Postea autem a Belgicæ Remorum et Gallicarum provinciarum episcopis auditus. Videlicet in synodo Valentina anno 855, ab episcopis trium provinciarum, quæ exstat tom. III Concil. parte I, et in synodo Tullensi in suburbio illius urbis, villa Saponarias dicta, ab episcopis duodecim provinciarum anno Domini 859, quæ tamen non integre exstat. Videatur Baronius hoc anno in Annalibus. Utriusque valde meminit auctor cap. 15.

Quæ contra catholicam fidem et contra hæresi Prædestinatianam, etc. [illegible] *videntur.* Recte dicta videntur, quæ quidem ex his bene intellecta fidei non adversantur: ut quod secundo loco affertur, distinguendo in voluntate Dei beneplaciti et signi. Item aliud vero, quod Christus pro omnibus sit mortuus et crucifixus sufficienter, quia pretium fuit sufficiens quod dedit; sed non pro omnibus efficienter, quia non omnibus applicatur. In quem sensum responderat olim S. Prosper ad Capitula Gallorum et objectiones Vincentianas. Quod primo loco affert Hincmarus his verbis: « Sicut Gotteschalcus [illegible] quod et ceteri Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem æternam. » Hoc tamquam ab eo et a Gothescalco dictum, quia dicebant fatali necessitate ex prædestinatione Dei eos qui pereunt, debito in mortem compelli, ut dicitur ex objectione prima in Capitulis Gallorum, et can. ult. concil. Arausicani II, et cap. 3 concil. Valentini, in quo, citato eodem concil. Arausicano, ita dicitur: « Verum aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam si sint qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicimus. » Legunt autem, et ipsi et perperam caput sextum ejusdem concilii Valentini, qui hujusmodi quæstionem hoc [illegible] mentio [illegible]. Ceterum de hæresi Prædestinatiana quod [illegible] tota [illegible] sub illo nomine,

et recentiores scribentes de hæresibus, neque illud afferunt, quod Sigebertus in Chronico anno 415, his verbis: « Prædestinatorum hæresis hoc tempore cœpit serpere, qui ideo Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione et divina gratia disputantes, asserebant quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impiis obsit quod improbe vivant, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio et bonos a bonis avertebat, et malos ad mala provocabat. » Hæc ille.

Quod Prædestinatiani [illegible] *trinam* [illegible] *dixit. Deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse.* Et quidem minus recte et improprie dicitur, cum trium personarum in sancta

B

Trinitate non sit nisi una numero deitas. Sed eo sensu dici potest trina deitas, quia est in tribus personis. Unde in Ecclesia Romana a trecentis et quinquaginta circiter annis recantatus est ille S. Thomæ hymnus de S. sacramento in quo dicitur:

Te trina Deitas unaque poscimus.

Cantaque deinceps [illegible] in postrema correctione Romani Breviarii sub Clemente VIII, ut a viris doctis accepi, propter antiquitatem tamen tanti doctoris nihil est mutatum. Sic apud Chrysost. tom. III, homil. de S. Joanne Baptista (quæ quidem ipsius non est, sed incerti auctoris) legitur, « quod in Patre, Filio, et Spiritu sancto est triplex et una divinitas. » Ubi triplex pro *trina* ponitur, sicut, et

C

in hymno Prudentii de cereo paschali, cum ait de Deo:

Regnum continet nomine triplex.

Nam Deus non recte triplex dicitur, sed trinus, ut docent scholastici doctores in librum I Sententiarum dist. 19.

Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit, etc. Sic omnia exemplaria, estque hæc vera lectio, utroque in M male correctum, *doctorum*, quod secutus est S. Est enim sensus *doctorum suorum*, id est eorum qui eum docent et instruunt, doctor videri appetit, quos convincere solitus de eo quod contra se ipsum et propriam doctrinam doceant.

CAPUT XV.

Sed eorum capitulis [illegible] *hæresi* [illegible]

D

datum [illegible], *trium scilicet provinciarum, sicut illud in continetur, etc.* Loquitur de concilio Valentino, ut patet ex sequentibus, cui interfuerunt in universum tredecim aut quatuordecim episcopi, et inter eos tres metropolitani, Remigius Lugdunensis, Agilmarus Viennensis, et Rollandus Arelatensis, quorum [illegible] nomina [illegible], cum nomine Ebonis Gratianopolitani episcopi. In quo concilio, capite [illegible], illa habentur quæ contra [illegible] synodus Hincmarus agnoscit, tum de [illegible] quam de [illegible] capitulis a se collectis.

In Africæ et Arausicæ synodi. Hæc [illegible] synodus et Arausicana, quæ etiam hodie exstant. In Africa [illegible] concilia celebrata sunt, duo Carthagini, unum Milevi in Numidia, ut patet ex epistola

47 S. Augustini, ubi unum vocat plenarium totius Africæ concilium, quod dolendum est non exstare, sed ejus quædam fragmenta citat Prosper in respons. ad 1 Capitula Gallorum, cap. 8, et lib. contra Collatorem, cap. 10.

Veluti epistola Capitulorum exstitit quam venerabilis Ibas episcopus suam esse in synodo denegavit. Hic est Ibas Edessenæ Ecclesiæ episcopus, de quo in conciliis seu potius judiciis ecclesiasticis Tyrio et Berithensi, et in concil. Chalcedonensi, actione 10. Item Baronius anno 448, qui epistolam quidem ipsius esse ait, sed negavit Ibas se dixisse hæc aut similia verba ; « Non invideo Christo facto Deo, si voluero et ipse fieri possum. » Et de eo crimine, audita testificatione clericorum Edessenæ Ecclesiæ, fuit absolutus.

Tempore divæ memoriæ Karoli imperatoris, quando synodus pro cognita infidelitate Felicis est habita. S, *infelicitate.* Loquitur de Carolo Magno et Felice Utgelitano episcopo. Agunt de eodem Felice ejusque errore Annales Francorum a Pithœo editi anno 792; Sigebertus in Chron. 793 ; Aimoinus lib. IV, c. 83 et 85 ; Jonas Aurelianensis lib. I De cultu imaginum, et Paulus Aquileiensis, qui contra errorem ejus librum scripsit, qui exstat tom. IV Bibliothecæ Patrum secundæ editionis. Damnata est ejus hæresis in synodo Francofordiensi, quæ exstat tom. III Concil. ad annum 794.

Et sic tandem subjiciemus illa decem et novem capitula. Sic omnia exemplaria nostra, et concil. Valentinum. Quare J vitiose legit *decem et sex.*

CAPUT XVI.

An quia vobis a cana patrum fide. Sic C, id est antiqua, ut Gallice vertit Chesneau, et eo accedit MS, quo pro *a cana*, legit, *arcana.* J substituit *sana.* Ita Sidonius Apollinaris carmine 2 :*Ætas cana patrum*, id est prisca ætas, et Isidorus in glossis manuscriptis : *Cana fides, antiqua senectus.* Et ante hos Virg. I. *Ænead.* :

> Cana fides, et Vesta, Remo cum fratre, Quirinus
> Jura dabunt.

In conventu episcoporum habito in territorio Tullensi in villa quæ dicitur Saponarias. De hoc concilio adnotavi supra ad cap. 14.

Et in suburbio Lingonicæ urbis. Hæc synodus non exstat.

Quia non ex ipsis, ut non dicamus per ipsos, synodo capitula ipsa fuere prolata. Sensus est non fuisse prolata, quasi ab ipsis profecta.

Timeo ne connivere sit, hoc tacere. Sic restitui ex orig. ipsius Cœlestini epist. 1 ; pro *cohibere*, J substituit *committere.*

In villa Rothomagensis episcopii quæ Melpsa dicitur. Alias, *Melpha,* vel *Anelpha,* sive *Avelpha,* ut in MS. J *Nelpha.*

CAPUT XVII

De synodo sex provinciarum Galliæ apud Trecas habita. Hæc synodus exstat tom. III Concil., parte II; parte autem II exstat epistola Adriani II, responsoria ad hanc synodum, quæ inter ipsius epistolas est 9. Supra vero cap. 11 hujus libri posita est bona pars synodalis epistolæ ejusdem concilii Trecensis.

Per Actardum venerabilem Namnetensem episcopum. Sic et in tomis Concil. MS hoc loco et infra aliquoties *Acardum*, interdum *Accardum*, *Aretardum* et *Artardum*. Sed prima lectio communior est.

Nicolaus vero papa quidem in iis quæ pro Hincmaro ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit. Hæc epistola apologetica Hincmari bene prolixa exstat apud Baronium anno 867, sed responsio Nicolai non exstat.

Dicentes ipsi Græci quod chrisma ex aqua fluminis Latini conficeremus. Hoc sic intelligo quod nos Latini chrisma ex aqua fluminis conficiamus. Unde in editione Romana epist. decretalium legitur : «Quod tamen chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. » Miror Nicolaum Chesneau sic transtulisse quasi Latini esset genitivus cohærens cum dictione fluminis addita in margine hac adnotatione: « Flumen Latinum Tibris. » Nam et in refutatione decem calumniarum a Græcis objectarum, quam post eam, quæ hic citatur, Nicolai epistolam apponit Baronius, illud solum dicitur : « Quod utatur Ecclesia Occidentalis aqua pro chrismate, omnium testificatione est manifesta calumnia. « Certe non videntur voluisse Græci dicere totam Ecclesiam Occidentalem uti aqua Tibris pro chrismate, sed fluminis cujuscunque.

CAPUT XVIII.

In visione Bernoldi redivivi. Huic visioni Bernoldi de loco tenebroso et altero lucido similia sunt quæ scribit V. Beda lib. V Historiæ gentis Anglorum, cap. 13, et Lupoldus Babenburgius de zelo veterum principum Germaniæ, cap. 14, ubi ex Vincentii Speculo et ex Historia Francorum agit de Ludovico Pio imp. in pœnis detento, petente auxilium a Ludovico Germanico filio suo. De quo et Sigebertus in Chron. an. 875.

Quia si inde certamen habuerint, cito de ista pœna ero liberatus. Id est si certatim hoc egerint, sicut in præcedentibus dicitur, ut ibi quod rex mandaret, de pace stabilire possent agereque certarent.

Item de passione S. Dionysii a Methodio, etc. Hæc epistola exstat apud Surium de Vitis Sanctorum, die 9 Octobr.

CAPUT XIX.

De conjecto Normannis dando. Conjectum genus erat tributi a conjacendo dictum, ut patet ex lib. IV Capitulorum, cap. 69, et ex edicto Karoli in Carisiaco anno 861. Vide Glossarium. Pithœi, verbo *Conjectum.* Papirius Massonus lib. II Annal. Franc., in Ludovico Balbo hæc verba Flodoardi recitans, notat in margine : « Conjectus significat annonam. »

Ad filios quoque ipsius defuncti regis, Ludovicum et Karolomanum. Hi sunt filii Ludovici Balbi ex Ausgarde priori conjuge ; ex posteriori, cui nomen Adeleidis, genuit Carolum posthumum, cognomento Simplicem. De illis et infra meminit cap. 24, recensens litteras ad Hugonem abbatem de eodem negotio. Sige-

bertus in Chron. an. 88 filius ex concubina nominat. Verum eos natos esse ex legitimo matrimonio docet Pauli Vita jam citato.

Post obitum Ragenelmi episcopi. Sic et infra constanter cap. 23 et 24 legunt MS. hoc loco *Ragelmi*, J ubique fere *Ragenelmi*, quomodo et Papirius Mass. lib. II Annal. Franco. bis legit, sed cap. 23 in Bernonis nomine scriptum *Ragnelmi*, J *Ragnelmi*. Is est qui in catalogo Tornacensium et Noviomensium episcoporum trecesimus septimus vocatur Rainelmus aut Raynelmus, et in subscriptione concilii Suessionensis, habiti anno 866, Remellinus, cui successit Heidilo.

CAPUT XX.

Ardulfo Vesontionensi. Ita C et J, et infra sequentibus capitulis omnia exemplaria, vel cum aspiratione, *Hardunco*; MS. hoc loco habent *Irdulfum*, quomodo C legit super lineas, et in Galliae.

Pro villa Dodiciaco. Sic MS etiam infra, sed ibi facit duas dictiones, J hoc loco *Dodiciaco*, infra, *Dodiciaco*. In testamento S. Remigii constanter ab omnibus exemplaribus legitur integrum nomen *Dudeciacum*, quomodo et infra hoc libro III, cap. seq., villam *Dudeciacum*, etsi omissa una littera in MS legatur solummodo *Dudeciaco*. Sic et cap. 26 in MS bis legitur *Dudeciaco*, ubi J priore loco habet integre *Dudeciaco*, quomodo rursus omnia legunt lib. IV, cap. 2.

Sed et de villa Novilliaco, etc. De hac supra lib. II, cap. 17, et latius in fragmento Hincmari quod post finem hujus operis adjecit Jacobus Sirmondus, quod videtur partem aliquam hujus epistolae continere.

Karolo quoque Ludovici Transrhenensis filio. Hic est Carolus Crassus, filius regis Germaniae, fratris Caroli Calvi.

CAPUT XXI.

Ad Lotharium Italiae regem, qui se, relicta uxore propria, junxit feminae repudiatae. Hic est Lotharius de quo supra ad cap. 13, et rursum cap. 20, videlicet Lotharii imperatoris filius. Verum Baronius ad annum 855, quo obiit Lotharius imp., dicit eum, diviso regno, Ludovico Italiam dedisse, qui et successit ei in imperio, Lothario autem regnum quod in Francia possidebat, praeterquam Provinciam quam Carolo tradidit, et paulo post, anno 868 hunc Lotharium adulterum vocat regem Galliae et Francorum, et Sigebertus in Chron. dicto anno 855 dicit olim Lotharingiam terminos, et anno 862, quo Waldradam pellicem superduxit, vocat regem Lotharingiae. Similiter Papirius Massonus lib. II Annal. Franc. in Carolo Calvo, ut Baronius, et ait: Lotharius imp. reliquit liberos Ludovicum, Lotharium et Carolum. Hic Provinciam habuit, acceptis Lemovicum et Medomatricum terris, quae priscum nomen in Lotharingiam mutarunt. Ludovicus rex Italiae fuit; itaque pro *Italiae* substituendum videtur *Lotharingiae*.

Scripsit etiam quaedam ad Adrianum papam. Inter Hincmari epistolas a Cordesio editas unica est ad Adrianum II. Ejusdem Adriani ad Hincmarum quae exstant tom. III Concil. 13 et 28.

Formosum dicit quidam, scilicet Romanae ecclesiae episcopum. Intellige suffraganeum, ut exponit Baronius, eodem verbo citato anno 891, quo idem Formosus, longo post obitum Hincmari, creatus est summus pontifex, cum ante esset episcopus Portuensis. Sic infra lib. IV, cap. 6, tempore Stephani VII scribit Fulco Joanni cuidam Romano praesuli, quem Baronius anno 897 dicit unum fuisse ex suffraganeis sanctae Romanae Ecclesiae. Idem intellige de Gauderico et Joanne, de quibus mox sequitur.

Exemplum quoque Nazarenorum sibi ad transcribendum mitti petens. Hujus aliquoties meminit S. Hieronymus, qui se illud ex Hebraeo in Graecum Latinumque sermonem transtulisse scribit in libro De viris illustribus in Jacobo. De quo vide Sixtum Senensem lib. II Bibliothecae sanctae, verbo *Hebraeorum Evangelium*. Sic enim alio nomine appellatur.

Vulfado Biturigensi archiepiscopo. Is est qui ab Ebone fuerat presbyter ordinatus, de quo toties in superioribus, ut patet ex epistola Karoli regis ad Nicolaum papam, quae exstat inter Hincmari epistolas a Cordesio editas.

Immoni Noviomensi episcopo. Hic alias vocatur *Himmo*, et subscriptus legitur in concil. Tullensi anno 859. Vocatur et *Emmo* et *Emmo*, quem occisum a Nordmannis in urbis suae direptione anno jam dicto scribit Meyerus.

Prudentio Trecassino. Hic in catalogo Trecensium episcoporum est tricesimus septimus. Obiit circa annum 861, ut est in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinae dioecesis, auctore seu collectore Nicolao Camuzat. Festum peragitur 9 lectionibus 6 Aprilis. Exstat in eodem Promptuario sermo ejusdem hoc titulo: *Sermo B. Prudentii episcopi Trecensis de vita et morte gloriosae virginis Maurae.* Scripsit quoque librum quo erudite confutat libellum Origenianis et Pelagianis erroribus refertum, quem Joannes Scotus concinnaverat ex Gothescalci Orbacensis monachi scriptis. Ei successit Fulchricus, deinde Atulfus, sive Octulfus, de quibus infra c. 23.

Aeneae Parisiorum, pro Rothado Suessonico. Dedit et alias litteras ad hunc Aeneam pro Bernone clerico, quae exstant apud Baronium anno 912, et responsio Aeneae ad Hincmarum.

CAPUT XXII.

In synodo episcoporum decem provinciarum. Haec est synodus Duziacensis in provincia Remensi. Fragmentum epistolae hujus synodi ad Adrianum papam II edidit Joannes Cordesius inter Hincmari epistolas. Meminit ejusdem Aimoinus lib. V, c. 24, in fine; habita est anno 871. Exstat tom. III Concil., parte II. Et praecessit quidem concilium apud Vermeriam palatium habitum viginti episcoporum, et in altero palatio Attiniaco, anno 870, quod ex Baronio illicitum, illegitimum et latrocinale fuisse docuit, et in eo ipsum Hincmarum Laudunensem injuste depositum

lum. Fuit forte Hincmarus Remensis, quem patet fuisse vehementem in omnibus suis actionibus, et maximum veteris disciplinæ assertorem, aliquanto severior in suum nepotem Hincmarum Laudunensem, defensorem, ut ait Baronius, jurium Romanæ Ecclesiæ; sed et iniquum fuisse in eum docet in Annalibus ad annum 870 et 871. Unde pro Hincmaro Laudunensi est epistola 27 Adriani II et tres sequentes. Ejusdem reclamatio sive appellatio ad sedem apostolicam exstat eodem tom. Concil. post epistolam 3 Joannis VIII, et tandem in Trecensi concilio, sub eodem Joanne VIII, anno 878, suo pristino gradui dicit Baronius fuisse restitutum, et probat ex Adone in fine sui Chronici. Verum Aimoinus dicto libro, c. 37, potius contrarium significat, dum ait: Joannem papam dixisse ut Hedenulfus sua auctoritate ordinatus episcopus, sedem suam teneret, et episcopale ministerium ageret, et Hincmarus, si vellet, missam cantaret, et partem de rebus episcopii Laudunensi haberet. Certe Nicolaus papa primus, etsi in litteris ad Hincmarum Remensem datis, quæ exstant tomo III Concil., eum in quibusdam reprehendat, in ea tamen epistola cujus fragmentum citat Ivo in suo Decreto, part. XIV, cap. 46, et Grat. II, q. 3, cap. 102, *Excellentissimus*, præclarum ei præbet testimonium, dicens: « Quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus ut super hoc nostra auctoritate fretus, curam de his sumere studeas: quia DOCTA DIVINITUS sanctitas tua valde novit aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod ex studio delinquitur, » etc. Eumdem fuisse virum pium et admodum litteratum testatur Meyerus in Annalibus Flandriæ, 885. Facit quoque pro Hincmaro Remensi epistola ejusdem Joannis VIII, quam, quia deest in tomis Conciliorum, hic ascribere placuit a R. P. Jacobo Sirmondo ex Bibliotheca S. Remigii prius exscriptam. » Joannes episcopus servus servorum Dei Hincmaro archiepiscopo Remensi. Quamvis de sanctitatis tuæ judicio nihil dubitassemus, quia tamen charissimus filius noster Carolus invictissimus imperator, a nobis diligentissime percunctatus, circumstantiam judicii a beatitudine tua coepiscoporumque suorum in Hincmarum dudum Laudunensem episcopum prolati apostolatui nostro retulit, agnovimus justum fuisse omnino judicium. Neque enim tantus princeps nisi veritate fultum quidquam poterat affirmare. Unde nefas esse duximus ejus relationi non præbere fidei incunctanter auditum. Noli ergo jam nunc Ecclesiam Laudunensem viduatam et sine regimine pastorali dimittere, sed indifferenter electum, et de Laudunensis Ecclesiæ clero virum idoneum, et in quo omnium vota consentiant, eidem Ecclesiæ præfice prorsus episcopum. Cui electioni volumus etiam missum præfati piissimi imperatoris interesse, ut sine sæcularium strepitu omni latere talis eligatur, qui aptus sacris canonibus esse modis omnibus approbetur. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data est Romæ Theodorico jussu papæ Joannis, et domni Caroli invicti imper. per manus Anastasii bibliothecarii in secretario sanctæ S. Petri. Anno incarnationis Dominicæ 877, Non. Januarii, indictione IX, et delata est ab eodem Theodorico in civitate Remis Hincmaro Remorum archiepiscopo eodem anno et eadem indictione V Idus Martii. »

Et a Normannis in synodo accusatus. De hoc videatur epistola Adriani 28 et 29.

Municipium Laudunum, etc., ab exordio sui, postquam a Macrobrio prætore, ut produnt historiæ, conditum fuit. De eadem re idem Hincmarus in opusc. LV Capitulorum, cap. 16, sic ait: « Quod neque castellum Laudunense, sicut Eutropius antiquus historiographus dicit, auctore Marcobrio prætore conditum, ab exordio sui in paganismo inter civitates vel provinciales sedes nomen et locum non habuit. »

Olim ab horno habita. Sic MS et originale. J, *orno*, quomodo legit M lib. I, cap. 20. Horno autem idem est quod hoc anno. Dicitur et *hornus, a, um*, ut fructus horni, poma horna, id est hujus anni.

Licet ad tomum caput inclinet, qui eis non obedit, sed potius porro obviat, manus inferens. Sic orig. et J. Phrasis est satis obscura. MS, thomum. Exemplar quo usus est Baronius legit *Thomam*, et putat restituendum *Romam*. Pro *porro* legit *Petro*. In MS *obvians* legitur. Est autem tomus proprie fragmentum libri abscissum, et pro ipso libro seu volumine imperfecto accipitur.

CAPUT XXIII.

Synodum apud Pistas agendum. Intelligitur concilium Pistense in loco qui Pistis dicitur ad Sequanam fluvium, celebratum anno 863, sub Nicolao primo quod exstat tom. III Conciliorum in fine prioris partis. Unde supra cap. 21 legitur in omnibus exemplaribus, *ad Pistas in Sequana*: hoc loco MS. *Pestas* legit, sed male. Alio nomine Pisciacum et Pistæ dicitur quasi Pisciatæ, quia solet esse piscina totius Franciæ, ut scribit Sebastianus Roulliard in sua Parthenia sive Historia Ecclesiæ Carnotensis cap. 12, num. 9. Gallice *Poissy*.

Waloni Metensium præsuli. Sic MS, sed J, *Walæ* quomodo vocat eum Aimoinus lib. V, cap. 41.

CAPUT XXIV.

In Parisiacensem parochiam. Sic C in Gallica translatione, pro quo facit quod scribat ad abbatem S. Dionysii *juxta Parisios*. C in Latino et J, *Pariacensem*; MS, *Parnacensem*.

CAPUT XXV.

Magedardo præposito. MS, *Agenardo*.

CAPUT XXVI.

Viro illustrissimo Eberado. M, *Ebarardo*; J *Ebrardo* per syncopen.

Rorico Normanno ad fidem Christi converso. Hic Roricus diversus est a Rollone Nordmannorum ductore, de quo Chronicon Cameracense lib. II, c. 29, qui ad fidem est conversus et baptizatus an. 912, ut ibidem adnotavi.

CAPUT XXVII.

Irmintrudis reginæ. Hæc est Caroli Calvi prima uxor, quæ ab aliis scriptoribus Hermentrudis appellatur, qua defuncta Richildem duxit.

Ut imposita conventationi, quæ dicitur : Dimitte nobis debita nostra, sicut, etc. Conventiontiam intelligit pactum seu concordiam, aut juridicam convenientiam. Respicit enim ad pactum orationis Dominicæ et ad cap. 13 Regulæ S. Benedicti, in quo dicitur : « Ut conventi per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt : *Dimitte nobis*, » etc.

Quantum periculosum malum, tam ipsa cupiat, quam imperatrix illa subierint. M. *Periculosum* ; J, *quantum periculi malum, tam ipsa quam imperatrix illa subierint.*

CAPUT XXVIII.

Cujusdam fratris Ragenfredi. Sic M hoc loco et paulo infra. S, *Ragenfredi* ; J, *Raganfredi*.

Si enim ipse comes hoc fieri negaverit. Sic MS. At J : *Si vero comes ipse hoc fieri non rogaverit.* Sensus esse videtur : Si comes neget se fecisse.

Aut timore alicujus, vel hortamento de ipso presbytero. Sic J. Verum MS., *aut timore alicujus impulsu præsumpserit indedominari, vel juramento de ipso*, etc.

Malis autem præscivit tantum, non prædestinavit, nec ut perirent sua præscientia compulit. Sic J. At MS addit duas voculas *ad regnum* hoc modo : *Non prædestinavit ad regnum nec ut perirent*, etc. Quæ A sane lectio vitiosa est, et pro ea dicendum fuisset, *ad interitum*.

CAPUT XXIX.

De libro edito a se. Qualiter Domini vel sanctorum sint imagines venerandæ. Quod si liber iste exstaret, tum clare constaret quid de hac re senserit Hincmarus. Certe catholice sensisse patet ex ipsius opusculo LV Capitulorum contra Hincmarum Laudunensem, cap. 25. Quod vero Matthias Illyricus ex ejusdem operis cap. 20 locum allegat, quo Hincmarus septimam synodum de imaginibus, quæ est Nicæna II, damnare videtur, sciendum textum Hincmari corrupte allegari, pro *Constantinopoli* substituendo *Nicææ*. Verba quæ allegat habentur in dialogo quarto Alani c. 18. B Item apud Baronium tom. IX, anno 794. At videatur integrum opus ipsius Hincmari quod demum anno præcedenti 1615 Parisiis editum est, ubi sine ulla lectionis varietate *Constantinopoli* legitur. Videatur item Alanus loco jam dicto, et cap. seq. et latissime de his disserens Severinus Binius in notis ad concilium Francofordiense, tom. III.

CAPUT XXX.

Anno Dominicæ incarnationis 882. Sic omnia exemplaria, et in hac re magis credendum auctori quam Sigeberto et Meyero, qui obiisse scribunt Hincmarum anno 885.

SCHOLIA IN LIBRUM QUARTUM.

CAPUT PRIMUM.

Fulco vir valde nobilis. Alias *Fulcho*, quomodo ubique fere scribit M.

Marino papæ delegans. Hæc est vera lectio, quomodo et infra concorditer legitur, etsi in M recentiori manu superaddita sit littera *t* ut legatur *Martino*, et inde faciunt Martinum II. Sed legendum *Marinus* Baronius et Binius admonent, asserentes perperam nominari Martinum secundum.

Pro defensione Frotharii Bituricensis archiepiscopi. Hic fuerat Burdegalensis archiepiscopus, ut patet supra lib. III, c. 21, et infra hoc eodem cap.

Ad quæ ille respondens. Recensentur hoc capite decem et amplius epistolæ Stephani VI papæ, quarum nulla exstat in epistolis decretalibus vel in tomis Conciliorum. Sicuti nec ulla exstat Fulconis, D quæ hoc capite commemorantur octo vel novem, et plures cap. sequentibus.

Quo, divina vocatione, hominem excedente. Id est mortuo. Sic infra c. 5 : « Tunc ille feliciter humana excedentibus. » Sic Chronicon Cameracense lib. III, c. 19 : « Baldericus episcopus hominem exivit, » id est mortuus est. Videantur quæ ibidem adnotavi.

C *Sed Odonis regis sui consultu.* Hic Odo, filius Roberti ducis, fuit tutor regis Caroli Simplicis, post fatum Ludovici Balbi. Vide Scholia infra cap. 5.

Synodum convocans apud Wangionem civitatem. MS. *Vangionem*. Hæc alio nomine Wormatia dicitur a Sigeberto et aliis. Unde Luitprandus in libello de Vitis pontificum in Vita Stephani sexti, dicit eum jussisse synodum convocari Wormatiam, et titulo Wormatiensis concilii ponitur tom. III Conciliorum, parte II, anno 890. Verba ejus sic habent : « Hic Hermannum Coloniensem archiepiscopum, et Adalgarium Hamburgensem archiepiscopum, de Bremensi Ecclesia contendentes, Wormatiam ad synodum venire jussit, ubi Fulconi Remensi Episcopo vice sua commissa, causam eorum examinari mandavit. »

Qui eorum vicarvatione perfuncti disceptandi et deliberandi libertatem possideant. Sic C. At M *vicarvatione*, quod S mutavit in *præservatione* ; J *vicariatione* ; apud Baronium *vicatione*. In marg. *procuratione*. Eodem sensu in epistola S. Radegundis legitur apud Gregor. Turon., lib. IX Hist. Franc, c. 42, *epistola vicaratione*. Sensus est : Qui ipsorum vicarias operas subeant, sive ut hodie loquimur, qui sunt

eorum procuratores cum plena potestate rem absolute componendi. Sequitur enim :

Ut nullo ulterius tempore, percepta finita sententia, de hac re necessarium sit vertere quæstionem. Sic legunt C et I; sed J, *infinitima*. In MS *perfecta* pro *percepta*, et M *mectere* pro *vertere*, quomodo etiam utrumque apud Baronium legitur.

CAPUT II.

Rodemiam videlicet. Sic J ; S, *Rodennam* ; M, *Todennam*.

Imperatorem quoque Widonem coronatum eodem anno significans indictione decima. Videlicet anno 892, quamvis statim a morte Caroli Crassi, id est ab anno (juxta Reginonem et Baronium) 888, imperium occupaverit, cum esset dux Spoletanorum, et de eo tota vita sua cum Arnulfo et Berengario duce Forojuliensi certaverit. Utrumque, scilicet Widonem et Arnulfum, obiisse scribit Baron. anno 899 ; Sigebertus Widonem anno 901 ; Arnulfum 902, et Lambertum Widonis filium 903. Verum certius hæc omnia Baronius, qui Lamberti imp. obitum assignat anno 910.

CAPUT III.

Quod si auderet, apostolicæ sedis sententiam reformidaret. Sic C et J. At MS : *Quod si non audiret, apostolicæ*, etc. Verum in M recenti manu adjecta est negatio *non*. Quare non est dubium priorem lectionem veram esse.

Item scribit eidem archiepiscopo (id est Formosus papa Fulconi,) *pro Berthario quodam presbytero* Ita MS, C et J ; *alias Vertario* ; C in Gallico, hic et infra, *Berchario*.

CAPUT IV.

Quæ tunc a Zendeboldo Arnulfi regis filio. J, *Zeudeboldo*, quomodo et C. Sigebertus *Zuendebaldum* nominat. Erat autem filius Arnulfi ex concubina, ut habet idem Sigebertus in Chron. 896, ubi scribit eum a patre factum regem Lothariensium, et ab iis peremptum anno 903, vel, ut Regino, 900.

CAPUT V.

Arnulfo regi Transrhenensi litteras mittens, pro causa regis Karoli quem parvulum adhuc unxerat in regem. Hic Arnulfus erat filius Carlomanni, qui Carlomannus fuit filius Ludovici Germanici. Hic enim Ludovicus filius Ludovici Pii imperatoris dictus Germanicus et Transrhenensis, frater Caroli Calvi, habuit tres filios, Carlomannum, Ludovicum et Carolum Crassum, qui fuit imperator, cui patruo suo in regno potius quam imperio successit Arnulfus. Unde tam a Flodoardo quam ab aliis scriptoribus sæpius rex appellatur quam imperator. Videatur Baron. Tom. X, anno 888. Hæc autem quæ sequuntur usque ad illa verba: *Item ad eumdem regem significans ei de fidelitate*, etc., ponit Severinus Binius pro gestis concilii Rhemensis, celebrati annno 892, in quo Carolus Simplex, filius posthumus Ludovici Balbi ex Adelaide, Francorum regni legitimus successor, a Fulcone Rhemensi archiepiscopo unctus, rejecto Odone comite Parisiensi, tutore quidem Caroli, qui titulum regni Francorum ab obitu Caroli Crassi imperatoris (qui teste Reginone, quem sequitur Baron. anno Domini 888 ex hac vita migravit) tyrannice usurpavit. Sigebertus in Chron. anno 890 scribit Carolum Crassum ab optimatibus repudiatum, et in locum ejus sublimatum prædictum Arnulfum, et Carolum obiisse anno sequenti ; addens, eodem anno 890 Francos, neglecto Carolo Ludovici Balbi puero vix decenni, regem sibi præfecisse Odonem filium Roberti ducis. Item in eadem synodo de Balduino comite Flandriæ tractatum est, ut patet ex cap. 6 et 7 sequenti. Sigebertus prædicta refert ad annum 894, quo anno sic ait : « Odone rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, Franci puerum Carolum duodennem, Ludovici Balbi filium, in regnum paternum revocant, et Remis a Fulcone archiepiscopo in regem benedici faciunt. » Et anno 899 : « Odo rex Francorum moritur, obtestans primates ut Carolum in regno reciperent. » Quod pluribus declarat ad eumdem annum 899 Meyerus.

Quod Aschericus ipse. Sic CR et J ; sed M, *Adalricus*, pro quo S *clericus*, quomodo in Baronio legitur tom. X, anno 892, et in Papir. Massono.

Filiorum Godfridi. MS Papir. *Goffridi*. J, *Gosfridi*.

Quatenus tam de me quam etiam de sede Remensi, mercedem dignetur habere. Ita R, MS., exemplar Baronii et J, quod legit *de sede*, cum alia omittant *de*, ut sit dictum phrasi Gallica *merci*, id est veniam et indulgentiam dare, alias legitur *memoriam*. quomodo vertitur in Gallico.

CAPUT VI.

Frothero archiepiscopo. Sic R et J. At MS, *Flothero*. Verum illam lectionem præferimus, quia intelligi videtur Frotharius Bituricensis archiepiscopus, de quo supra cap. 1, et lib. III, c. 21, quique in tabulis Democharis etiam Froterius vocatur, et subscripsit synodo Suessionensi habitæ anno 866 et Trecassinæ anno 867, ubi modo Frotarius, modo, addita aspiratione, *Frotharius* nominatur.

Rostagno Arelatensium præsuli. Hic sine dubio is est qui supra lib III, cap. 21. Rothstanus appellatur.

Pleonico archiepiscopo Transmarino. Hic est qui numero nonus decimus in catalogo archiepisc. Cantuariensium vocatur.

Ad tractandum de pervasione Balduini. Invaserat hic Baduinus Flandriæ comes monasterium Bertinense ex donatione Caroli Simplicis, de qua re, ex Folchardo et Joanne Iperio, Molanus in Nat. SS. Belgii die 9 Septembr. et 17 Junii.

Abbatiam quamdam in hujus Hetilonis parochia sitam. Intelligit Cisonium in diœcesi Tornacensi, de qua supra cap. 1, quæ sita dicitur in parochia Hetilonis episcopi Noviomensis, quia, ut ad cap. 5 libri I adnotavimus, Tornacensis et Noviomensis Ecclesia sexcentis annis unitæ fuerunt.

Quod impetratum a Romana detulerat urbe. S. Eve-

rardus marchio, ut est supra cap. 1 hujus libri, corpus S. Calixti papæ et martyris a Romana sede asportavit, sed fieri potuit ut deinum illius ipsius Rodulfus, de quo hic est sermo, inde detulerit. Scribunt tamen Jacobus Meyerus in Annal. Flandriæ, et Joannes Molanus in Natal. SS. Belgii die 14 Octobris, beati Calixti reliquias Cisonium allatas per Everardum loci fundatorem anno 854. Addit Molanus eas Remis esse, quo delatas fuisse scribitur infra cap. 8; in epitaphio autem feretri Cisonium delatas legitur anno 855. Quare falli videtur Sigebertus, vel quisquis hæc Sigeberto adjecit anno 884: « Hoc tempore Rodulfus quidam corpus sancti Calixti papæ et martyris a Romana urbe in Franciam transtulit. »

Præmissa Olfredo. Sic nominatur infra c. 11 in omnibus exemplaribus, et in tabulis Demochares, atque in Chronico Cameracensi lib. 1, c. 64. Supra tamen hoc cap. MS legit *Et fredus*; J, *Olfredus*.

Auxilium sibi venire flagitantes ab ipso. J omittit *venire*; forte legendum *venire*.

CAPUT VII.

Ex synodo Remis habita Dominicæ incarnationis anno 892 accepit eum. Hæc est synodus Remensis in qua Carolus Simplex filius Ludovici Balbi in regem Francorum unctus est, de quo supra notavi ad cap. 4.

CAPUT VIII.

Ab ecclesia tituli S. Agricolæ. Hæc hodie est S. Nicasii.

CAPUT IX.

Hi scilicet Gibrianus, Helanus, etc. Sic MS Veram Helanus in M alia manu additus est, cum esset omissus. At C in Latino et Gallico, et J pro eo legunt *Elanus*. Utrumque meminit Joannes Molanus in additione ad Usuardum. Illius 8 Maii his verbis: « Remis depositio sancti Gibriani confessoris, in ecclesia sancti Remegii quiescentis. » Hujus, 7 Octobris: « In pago Remense, vico qui vocatur Buxiolus, depositio sancti Helani presbyteri et confessoris. » Eumdem S. Helanum habet hoc die Petrus Galesinius in suo Martyrologio, ex tabulis sanctorum Ecclesiæ Remensis, et utrobique sine ulla varietate Helanus appellatus, sicut et in Natal. SS. Belgii Molani die 3 Decembris, ubi distincte recenset Helanum, Tresanum, Germanum, et Veranum. De ætate horum sanctorum hæc scribit Sigebertus in Chron. anno 509: « Gibrianus Scotus cum fratribus et sororibus in » Galliam peregrinatus, urbem Remensem vita et morte sua illustrat. »

Francia. Sic CR; sed MS, *Francia*, J, *Francia*.

CAPUT X.

De historia interemptionis seu martyrii Fulconis consulatur Molanus in Natalibus SS. Belgii 17 Junii, ex chronicis Bertinensium. Fulco occisus anno 900, ut ibidem dicitur, et consentiunt Sigebertus, Jacobus Guisius, Meyerus, Baronius in Annalibus, et alii, idque ex eo probatur quod, ut patuit supra in fine libri tertii, Hincmarus obiit anno 882, et Fulco sedit annis 17, tribus mensibus, et decem diebus, ut habet hoc loco epitaphium. Quare fallitur Nicolaus Chesneau, dum in Gallica sua editione notat in margine eum obiisse anno 903, idem probatur ex c. 17 infra. Nam eum successor ejus Heriveus, ut est in Chronico auctoris, obierit anno 922, die 2 Julii, et sederit, ut ibidem dicitur, annis 22 demptis diebus 4, oportet eum ordinatum fuisse die 6 Julii anno 900.

Explorantesque quomodo a metatu suo ad regis colloquium, etc. Sic omnia exemplaria. Sensus est, quomodo a loco in quo metati sunt, vel ex hospitio suo, proficisci soleret. Unde dicitur infra: *Ceteri qui superfuere his qui ad hospitalia remanserant*, etc. Utitur eadem voce *metatus* infra c. 15, ubi significari hospitium ex eo patet, quia quod ibi dicit: *Ad metatum suum deduxit*, in Chronico suo dicit: *Duxit eum ad hospitia sua.* Item eadem voce usus est supra lib. 1, c. 20, et lib. II, c. 3, ubi vide scholion. Quare non recte, reclamantibus omnibus exemplaribus, S vult corrigi: *Quod in comitatu suo.* Voce *metatus* utitur frequenter Gregor. Turon. in Hist. Francorum, ut lib. III, cap. 8: *ad metatum regressus*; c. 15, *in metatu ejus*; lib. V, c. 15, *Recedente vero rege ad metatum suum*; item ibidem cap. 39; lib. VII, cap. 29, bis; lib. VIII, cap. 2, *ad metatum nostrum abeunt.* Quod postea dicit, *in mansione mea*, id est domicilio, etc.

CAPUT XII.

Et sancti Remigii benedictione recepit. Hoc enim tributum est meritis S. Remigii, quod is qui corporis ejus translationem honoraverat, non amitteret quod ei furto fuerat ablatum.

CAPUT XIV.

Conventus denique synodales sæpe cum coepiscopis suæ diœceseos habuit. Nominatim duos, unum anno 909, sub Sergio III papa in pago Suessionico apud Trosleium, de quo infra c. 16, ubi MS legunt *Trosleium*, et omnia exemplar. c. 19 et 21. Utroque enim nomine locus appellatus invenitur, ut illa appellatio sit integra, hæc per abbreviationem, sicut Heriveus. Hujus acta summatim ex Baronio habentur tom. III Conciliorum, parte II. Alterum anno 921, de quo auctor noster in suo Chronico, et Severinus Binius post synodum ibidem celebratam sub Seulfo, de qua infra c. 19.

Post bellum quod Robertus comes contra eos Carnotenus gessit. Sic omnia exemplaria, quod Gallice recte vertit *vers Chartres*, id est, versus Carnotum. Unde S. *Carnotenus* mutavit in *Carnotidenus*. Quomodo autem Rollo dux Normannorum Carnotum obsidens, miraculose ab urbe repulsus fuerit, sub annum Domini 908 per camisiam seu interulam B. Mariæ virginis hæc describit idiomate Gallico Sebastianus Rouillard in sua Historia Ecclesiæ Carnotensis cap. 7, num. 5.

Fidem Christi suscipere receperunt. Ita C et J.

Sed MS, Baron., Papir. et auctor ipse in Chron., *ceperunt*.

Insuper etiam Romanum pontificem super ejuscemodi negotio consulere studuit. Ad cujus consulta, etc. Rescriptum Joannis IX papæ ad Herivæum archiepiscopum de iis quæ circa Nordmannorum conversionem facienda forent exstat apud Baron. tom. X, anno 985, et tom. III. Concil., parte II.

CAPUT XV.

Sequenti vero anno, etc. Deinceps annorum numerus, quem adjeci, sumptus est ex Chronico nostri Flodoardi, quod Pithœus edidit inter duodecim auctores coetaneos.

Propter Haganonem consiliarium suum. « Ita J et C in Latino et Gallico. M vero, *Hagonem*, ex quo S fecit *Hugonem*. Sed eam quam retinuimus lectionem veram esse constat ex auctore in dicto Chronico, ubi constanter ita legit multis locis. Aliam causam derelicti Caroli regis indicat Sigebertus in Chron. anno 920, his verbis : Robertus dux frater Odonis regis, appetens regnum Francorum contra Carolum, iuquietabat Franciam, ejusque instinctu omnes pene primores Franciæ adversabantur Carolo. »

CAPUT XVI

De Erlebaldi comitis excommunicatione. Ita perpetuo legit J. Alioqui varia est lectio etiam in eodem exemplari, MS in titulo legit *Heriboldi*, mox in textu M *Herlebaldum*, et postea *Erbebaldus* ; S, *Heribaldus*. Legitur et *Erebaldus*, *Ereboldus*, et *Erleboldus*. Ex fine autem capitis nota eum absolutum fuisse ab excommunicatione post mortem.

CAPUT XVII.

Tertia die scilicet postquam Robertus rex factus fuerat. Factus erat rex die ultima Junii 922. Hic Robertus, frater Odonis regis, eodem anno, ut scribit Odorannus, et Sigebertus, auxilio Lothariensium, apud Suessionem interfectus est. Sed magis auctori nostro res sui temporis scribenti credendum, qui anno seq. 923 interfectum scribit in suo Chronico.

CAPUT XIX.

Vitam finisse. Obiit Seulfus anno 925, expletis in episcopatu annis tribus et diebus quinque. Ita auctor in Chronico. Cui conforme est quod de eo legitur infra cap. 35.

CAPUT XX.

Rodulfus igitur rex. De hoc Rodulfo scribit Meyerus anno 890. Eodem anno Burgundiones, Rodulpho, Ricardi ducis sui filio, diadema imposuerunt, regemque sibi consalutaverunt. Hic igitur Rodulfus, filius Richardi marchionis præfecti Burgundiæ, erat rex Burgundiæ, quem Franci, occiso in prælio Roberto rege, socero ipsius, anno 925, nolentes redire ad Carolum Simplicem, sibi regem elegerunt, rexitque regnum Franciæ per duos annos, ut scribit Sigebertus, dicto Carolo in custodia apud Peronam detento. Verum ex cap. sequentibus constat eum regnasse in Francia usque ad annum 936, quo obiit, ut est infra c. 26. Obiit autem xviii Kal. Junii, atque ita regnavit annos 12. Quod conforme est Roberto Gaguino, Paulo Æmilio et aliis auctoribus. De hoc ita scribit lib. II Annalium Papirius in Carolo Simplice : « Rodulphus Richardi filius in matrimonio habebat Emmam Roberti filiam et Heribertus aliam ejus filiam duxerat, eoque generique et Hugo filius auctoritate et gratia atque opibus multum poterant. »

CAPUT XXI.

Heribertus Karolum de custodia, in qua eum detinebat, educit. Dolo enim Heriberti captus fuerat anno 923, post occisum Robertum, et liberatus e carcere anno 927, sed anno sequenti iterum in custodiam redactus, in qua obiit anno 929. Hæc ex auctore in Chronico. Habet his conformia Sigebertus, sed fallitur in tempore, dum scribit anno 924 eum in custodiam Peronæ a comite Heriberto detrusum ob necem Roberti ducis ab eo perpetratam. Et anno 926 : « Carolus rex Francorum sub custodia Heriberti exsul et martyr moritur. » Similiter in tempore fallitur, dum scribit anno 928 Ludovicum filium Caroli in Franciam esse reversum, cum id demum factum sit anno 976, post obitum Rodulfi regis Burgundiæ.

CAPUT XXIII

Nec non et Arnaldo. Sic J ; alia, *Arnoldo*. Similiter in sequentibus nunc *Artoldus*, quomodo sæpius C et J, nunc *Artaldus*, quomodo frequentius MS legunt. Item *Sigeboldus* et *Sigebaldus*, etc. : et infra c. 33 *Deroldus* et *Deraldus*.

CAPUT XXIV

De ordinatione domni Artoldi episcopi. Hæc facta est anno 731, et obiit anno 961, pridie Kal. Octobris, ut habet auctor in Chronico, atque ita constat 31 annis Ecclesiam gubernasse.

CAPUT XXV.

Synodus septem episcoporum apud S. Macram. M, *Magram* ; S, *Machram*. In tom. III Concil. ponitur anno 935, sub nomine consilii Remensis, cum sit pagus quidam ejusdem diœcesis, alio nomine *Fismes* dictus, ut adnotavit Nicolaus Chesneau. De passione autem S. Macræ virginis habes infra c. 51.

CAPUT XXVI

Ludovico Karoli filio, quem rex Alstannus avunculus ipsius nutriebat. R, *Alstanus* : J, *Astranus*. In catalogo regum Angliæ apud Joannem Carionem *Adelstanus* nominatur ; Meyerus *Atelstanum* vocat. Est autem hic Ludovicus Caroli Simplicis filius, dictus Transmarinus, quia trans mare apud regem Angliæ fuerat enutritus, eo quod matrem haberet filiam regis Anglorum.

Quod pater ejus (scilicet Carolus Simplex) *S. Remigio tradiderat.* Id est monasterio S. Remigii, ut patet ex verbis sequentibus. Sic et infra cap. seq. et alibi accipitur.

CAPUT XXVIII.

Hugo princeps filius Rotberti. Hic infra c. 35 et alibi vocatur Hugo comes, qui dictus est Hugo Ma-

gonis, comes Parisiensis, et dux Aquitaniæ, filius Roberti Andegavensis et Parisiensis comitis, qui contra regem Carolum (?) fuerat victus, de quo supra cap. 17. Vocabatur etiam Hugo dux Francorum, qui Ludovico regi Francorum, filio Caroli Simplicis, rebellavit, obiit autem anno 956. Hic ex uxore Avoia (?), quæ filia erat Henrici I Aucupis, et soror Othonis primi imperatoris, quam alii Hatuidem nominant, genuit Hugonem Capetum, postmodum Franciæ regem, qui exstincta stirpe Caroli Magni, regnum Francorum obtinuit. Historia describitur apud Aimoinum lib. v De gestis Francorum, c. 44 et 45. Erat autem divus Robertus frater Odonis regis, uxorem habens sororem Heriberti potentissimi comitis Aquitaniæ et Veromandiæ, de quo hic est frequens mentio. Unde Sigebertus in Chronico anno 940, Hugonem Heriberti filium, vocat nepotem Hugonis Magni, sicuti et auctor noster in Chronico 943.

Mihi quoque castellum Coloniacum sua obsidione. In Chronico suo, anno 940, ait: *Receptum quam regi hoc in Coloniaco*. Unde constat eum aliquando custodem seu præfectum fuisse loci illius, cujus frequenter meminit in hac Historia. Varie autem hoc quoque scribitur, ut adnotavimus ad lib. I, c. 12.

CAPUT XXX.

Altmontem castrum occupant. Sic integre scribitur; at R et J plerumque *Almontem* legunt, tam supra quam infra.

Postea tertio quoque filii Heriberti comitis reconciliantur regi. Papirius Massonus lib. II Annal. Franc. de isto Heriberto comite sic scribit: « Liberos reliquit Heribertum, Hugonem Remorum pontificem, Odonem, Albertum, et filiam unicam Arnulphi Flandri uxorem. »

Ambleum castrum cepit. Ita J, C, *Amblevum*; MS. *Amblidum*, Gallice, *Ambli*.

CAPUT XXXI.

Ut filium ipsum, et filium fratris sui suscipiens atque promovit. Ita C, in Gallico et Latino et J; sed aliud exemplar, et MS, et auctor in Chronico, *ut filium Remensis episcopi*, etc.

CAPUT XXXII.

Monasterii S. Benedicti abbatem. Sic omnia exemplaria. Quem non recte S. scripsit S. *Remigii* pro *Benedicti*. Ut autem adnotavit Nicolaus Camuzetus, intelligit abbatem S. Benedicti ad Ligerim in diœcesi Aurelianensi.

Regina Gerberga super ad Othonem regem fratrem suum legationem direxerat. Hæc Gerberga soror Othonis primi imperatoris sive regis (sic enim sæpe ab historicis nominatur, quod benedictionem imperialem non acceperat), sicuti soror Henricus Auceps pater ipsorum, imp. (?), inquam. Gerberga fuerat uxor Giselberti ducis Lotharingiæ, quo interfecto, eam duxit uxorem Ludovicus rex Francorum, ut scribit Sigebertus in Chronico, anno 943.

CAPUT XXXIII.

Remensem cum Hugone præsule. Quidam non exemplaria, *appendices urbem*, MS. post dictionem præ-

sule addunt, et *Theobaldo quoque tam*, quod abest a ceteris et a Chronico, quod videtur illud admittere orationis constructio.

Defuncto Deroldo Ambianensium præsule Tetbaldus quidam. Sic C et R; sed MS Ambian. *Derolde*, J et C in Gal. *Derolda*; quomodo et infra hic c. 35, conformatur in omnibus exemplaribus. Pro *Tetbaldo* M. habet *Theobaldus*, ex quo S fecit *Theobaldus*, quomodo MS legit c. 37. In tabulis Dammartini legitur *Deraldus*, quem sequitur Raimboldus, postea *Theobaldus*. Auctor in Chronico *Deroldum* et *Tetbaldum* legit.

CAPUT XXXIV.

Præsente quoque Brunone abbate, regis Othonis fratre. Ita etiam auctor in Chronico. C legit *Brunone*, et Gallice vertit *Brunon*, quomodo etiam legi potest in M; sed infra c. 35 apertissime legitur *Brunone*, quamvis et ibi in Gallico vertatur *Brunon*. Verum placet illa lectio, quia de eo omnino loqui videtur, qui paulo post hæc tempora factus est archiepiscopus Coloniensis, succedens Wicfrido, anno 953, ut habet auctor in Chronico, et Sigebertus: qui ab omnibus Bruno appellatur, fuitque frater Othonis primi imp., Henrici Aucupis imp. filius.

Missis quoque duobus ad eum deducendum episcopis. Videlicet Adalberone et Gozlino, ut cap. sequenti dicitur in libello Artoldi, et exprimit auctor in Chronico.

Ex diœcesi Treverensi atque Remensi. Sensus est, fuisse in illa synodo Mosomensi utriusque diœcesis episcopos, quod C in Gallico non est assecutus. Nam auctor ipse in Chronico ita scribit: « Anno 948, synodus prædicta celebratur in ecclesia S. Petri ante prospectum castri Mosomi a domno Rotberto cæterisque Treverensis diœcesis episcopis, et aliquibus Remensis. »

Capitulum 19 Carthaginensis concilii decimo usitum. Videtur intelligi capitulum 9 et 10 concilii tertii Carthaginensis. Pro quo facit quod infra c. 35 legatur *novum decimum*, ubi facile omitti potuit conjunctio *et*.

CAPUT XXXV.

De synodo apud Ingulenheim congregata. Habita est VII Idus Junii 948, in ecclesia B. Remigii honore dicata, ut est in Chronico auctoris, ubi etiam recenset nomina eorum qui interfuerunt num. 31. Regino lib. II Chronicorum scribit interfuisse episcopos 34. Tom. III Concil., parte II, subscripti leguntur 31.

Denique postquam domnus noster regina Laudunum, propter absolutionem domni regis collegerat. Sensus patet ex iis quæ dixit auctor supra c. 32. Hugo enim princeps dictus Magnus, ipsum regem Ludovicum tenebat sub custodia, ideoque regina Gerberga obdem Hugoni Laudunum reddiderat, ut reciperet Ludovicum regem. Neque enim aliter absolutio, id est liberatio ejus, potuit obtineri, ut est in Chronico 948.

Post quarum litterarum recitationem, etc. Sequentia omnia usque ad finem capituli, et duo capitula sequentia, etiam quoad verba, eadem sunt in Chronico, anno jam dicto.

Lectis capitulis de hujusmodi calumniatoribus. Intelligere videtur capitula concilii Carthaginensis vel Capitula Caroli Magni et Ludovici Pii, in quibus tamen hoc non reperio.

Artaldo vero præsuli, qui omnibus se synodis præsentem exhibuerat. Multæ enim synodi pro hac causa congregatæ fuerunt, ut patet partim ex superioribus, partim ex Chronico auctoris, et tom. III Concil., parte II, videlicet Virdunensis anno 947 ; Mosomensis, 948, Idibus Januarii ; Engelenheimensis, 848, septimo Idus Junii, de qua hoc cap., quæ cæteris fuit celebrior ; postremo Romana, 949, in qua Agapitus papa II damnationem Hugonis episcopi apud Engelenheim factam confirmavit.

Cæteris quoque diebus synodi tractata sunt quædam necessaria de incestis conjugiis, etc. Hæc videre est in actis et canonibus decem hujus concilii, quæ, edita ab Henrico Canisio, adjecta sunt ad finem partis II tom. III Concil. per Severinum Binium. Deest tamen ibidem canon de incestis conjugiis.

CAPUT XXXVI.

Fere quadringentos homines interfecerint. Ita C in Gallico et Latino, et J. Verum MS *quadraginta* quomodo legit auctor in Chronico ad annum 948 quo hæc gesta sunt.

Winefredo Morinensi. Ita MS hoc loco, sed infra *Huicfredus*. C in Gallico utrobique *Winefrede*, sed in Latino *Wifredus*, sicut et J. In Chronico auctoris duplex quoque lectio est, Vincfredus et Wicfredus. In Chronico ms. Moriensi Wycfridus, appellatur. Integra dictio videtur esse Wincfredus, ex qua per contractionem factum est Vincfredus et Wicfredus. Quo posteriore nomine vivebat eodem tempore Coloniensis archiepiscopus, qui et Wicfridus nominatur infra cap. 42, ubi M legit *Hincfridum*, quod S mutavit in *Huicfridum*.

CAPUT XXXVII.

Insistente præcipue Luitdulfo capellano regis Othonis. Hæc vera et integra lectio omnium exemplarium, sed infra variant. Nam C, *Lindulfus* ; M, *Ludulfus*. In Chronico *Luidulfus* et *Landulfus*. Est autem sermo de Othone I ejus nominis imperatore, qui et Otto Magnus dictus est, propter celebres bellorum ejus victorias, ut ait Lupoldus Bebenbergius lib. De zelo veterum principum Germaniæ, cap. 2. C infra *Odonis* legit. Nam interdum promiscuo pro eodem usurpantur *Ottho*, *Otho*, *Odo*, *Ado*, et *Udo*.

Nomine Adelonus. Ita C et J, sed MS, *Adelonius*. In Chronico *Adelomus*, Gallice vertitur *Adeloin*. Acta synodi Inghelheimensis, de qua supra c. 35, et Trevirensis, de qua hoc cap. et præcedenti, approbavit Agapitus papa II, habito Romæ concilio ad S. Petrum, confirmans damnationem Hugonis episcopi et excommunicationem Hugonis principis donec Ludovico regi satisfaciat, ut testatur auctor in Chronico anno 949. Quod Chronicon ulterius extenditur quam hæc historia. Pertingit enim usque ad annum 966. Porro Artaldus obiit anno 961, pridie Kalendas Octobris, ut est in eodem Chronico, et sequenti anno successit ei Odalricus.

CAPUT XXXVIII.

In honore Mariæ vel S. Petri construction traditur. S recte notat in margine vel poni pro *et*. Quod et aliis quibusdam locis contingit, præsertim in summariis capitum.

CAPUT XXXIX.

De sancto Balderico abbate. De hoc Joannes Molanus in additionibus ad Usuardum, die 16 Octobris : « In monte Falconis, b. Balderici confessoris, cujus vita crebris miraculis declaratur. » De eodem Arnoldus Wion lib. III Ligni Vitæ in Martyrologio suo monastico, ad eumdem diem, et Joannes Trithemius De viris illustribus ordinis S. Benedicti, lib. III, c. 152.

CAPUT XLI.

De villa Wasticia. Sic R, M et J, quæ videtur vera lectio, pro quo S *Vassicia* ; C autem, *Wastecia*. In Gallico autem hoc loco utrumque ponitur, *Walstisce* ou *Valliche*, sed infra semper *Walstice*.

De sede scilicet urbis Virdunensis S. Vitonus et S. Agericus. Uterque fuit episcopus illius sedis, ille octavus, hic decimus in tabulis Democharis. De illis enim sic habet : « 8 S. Videnus, seu Vitonus, eligitur 502 in concilio Aurelianensi primo, tempore Clodovei ; 10 S. Agericus eligitur 554. » Videndus de his Richardus de Wassebourg archidiaconus Virdunensis lib. II Antiquitatum Galliæ Belgicæ, quod opus Gallice conscripsit, qua lingua nominantur *Saint-Venne*, et *Saint-Agry*

Et sanctus Roduicus de Wassoio C, *Rodincus de Vassoio*.

Pro villa Gerlanimonte, super Mosellam conjacente. Sic R, C et J ; sed MS *Gelani*. quomodo et cap. sequenti, tum, in titulo tum in textu, legitur etiam in C : sed M ibi *Gelani* ; C et S *Gellani*.

Ad quam villam dum sanciendi sibi causa Sic C et J, at MS *faciendi*. Gallice vertitur, *causa accipienti possessionem*, quod Gallice dicimus, *saisir* et *saisine*, id est possessio. Quod recte Latine dixerit *sancire*, id est confirmare, quia possessio confirmat rem acquisitam.

CAPUT XLIV.

Sanctarum Bovæ ac Dodæ. Agit de his Joannes Molanus in additionibus ad Usuardum die 24 Aprilis his verbis : « Remis civitate, sanctorum Bonæ et Dodæ. » Ex quo, ut apparet, Baronius transcripsit in Romanum Martyrologium ad eumdem diem. De iisdem Petrus Galesinius, Felix et Arnoldus Wion in suis Martyrologiis, omnes in eo corrigendi, quod legant *Bona* pro *Bova*. Nam hanc esse veram lectionem omnia nostra probant exemplaria, tam supra cap. 38 quam hoc cap. Sic et superius c. 20 legi-

num Rusticum Catalaunensem episcopum, quod A non recte S mutavit in *Rusticum*, et C in *Rusticum*. Adde quod hic eadem sancta lib. II, c. 10, Bobe nominatur in omnibus exemplaribus. Solet autem *b* in *v* mutari, aut contra, ut Bibiana, Viviana, Jobia, Jovia.

CAPP. XLVI et XLVII.

De domno Gundberto et ipsius uxore Berta. Varie scribitur hoc nomen in exemplaribus, sed hoc frequentius est, vel per *o Gombertus*. Integra pronuntiatio est *Gundobertus*, quomodo legitur supra lib. I, cap. 4, in fine, vel *Gundebertus* in lib. II, c. 10. Hic vero fere *Gundbertus* vel *Gonthertus*, sed MS in titulo cap. 47, *Gombertus*, quo nomine constat Vitam ipsius lecturam in Vitis Sanctorum Gallice editis per Parisienses die 29 Aprilis, ubi narratur fuisse fratrem Nivardi Remensis episcopi, quod jam dixit cap. 10 teste etiam Flodoardus. Idem autem videtur esse de quo Molanus in additionibus ad Usuardum 23 Novembris: « In territorio Remensi, sancti Goberti confessoris. » Sed obstat quod S. Gombertus martyr obierit, sicut et S. Berta. De qua Sigebertus in Chron. anno 661. « Bertha martyr et abbatissa sanctitate claret in Gallia. » Exstat ejus Vita in Vitis SS. Gallice editis a doctoribus, Paris. ad diem 1 Maii.

CAPUT XLVIII.

De dotibus ecclesiæ sancti Hilarii Remis. Hæc est communis et frequentior lectio; sed M hoc loco *Hilari*, et in indice capitulorum *Hilari*. Quomodo Ferrandus Romanum pontificem S. Leonis Magni successorem, Hilarum vocat, qui frequentius Hila- C rus nominatur.

Quod construxit Merolilanus. S. Merolilanus Scotus nunc Remis in ecclesia S. Symphoriani quiescit.

CAPUT XLIX.

Ejus labuntur lumbo intranea. Id est intestina, quo sensu legit MS Gallice, *entrailles*, C; *lumo*, sed altera lectio verior, ut dictum sit *lumo*, pro in lumo. Hæc autem pœna adulteræ constituta est a Deo Num. V.

CAPUT L.

Compositionem juxta debitam, quam illi fredum vocant, a se fuisse enis inlatam. Restitui *fredum* pro *fretum*, etsi hoc etiam modo legatur in excuso D Gregorio Turonensi, cujus allegantur loca, sed et in multis aliis corrigendus, ut patebit, si quis ea quæ hic refert Flodoardus, conferat cum loco ejusdem Gregorii. Certe Pithœus in Glossario Capitulorum, verbo *Freda*, et Jacobus du Breul in adnotat. ad cap. 17 lib. V Aimoini, citantes eumdem Gregorii locum, *fredum* legunt. Similiter semper numero plurali legitur *freda* in variis diplomatibus quæ exstant in Chronico Centulensi lib. [illegible] c. 37, 62, 78 et 107, et in litteris fundationis prioratus S. Martini a Campis apud Parisios, editis anno 1060, [illegible] Henrico I Francorum rege, ex *freda*. Exstant in Martinianis. In editione tamen constitutionum Caroli Magni *freta* pro *freda* legitur, ut est expositio quod in libro Capitulorum a Pithœo editis est, Constitutione III, ubi dicitur « excepto freto quod in lege Salica constituta est. » Ad quem locum Vitus Amerpachius: « Fretu est, quam aliqui *fredum* et *fredum* vocant illa sæcula, » etc. Sed cum exemplar ex quo impressæ sunt hæ constitutiones valde fuerit incorrectum, vix dubium quin sit error librarii. Quid B autem sit fredum hic indicatur, estque dictio Teutonicæ originis pacem significans, quam Germani dicunt, *fried* et *frid*, et nos Teutonice *vrede*. Freda legitur tum alibi, tum in privilegio Caroli Calvi, quod exstat in Promptuario Tricassino, fol. 84.

CAPUT LI.

Beata Macra virgo sub Rictiovaro præfecto. Sic legitur in C et J hoc loco et in MS, cap. seq., ut sit una dictio. At MS hoc loco *Rictio Varo* separatis dictionibus, quod magis probat Baronius in notis ad Rom. Martyrologium 6 Januarii. Quo die agit de hac virgine etiam Usuardus. Porro Rictiovarus sævissimus fuit Galliarum præfectus seu præses sub Diocletiano et Maximiano, sub annum Domini 300. Martyres sub eo passos complures recenset Baron. tom. II Annal. anno 303, ubi ejus quoque refert C interitum.

CAPUT LII.

De sanctis Rufino et Valerio martyribus. De his Baronius, Usuardus et alii in Martyrologiis, die 14 Junii.

CAPUT LIII.

Subito cernuatus cecidit. Hæc est vera lectio, quam habent C et J. Sed quia non intellecta, ideirco in aliis exemplaribus est mutata. Unum enim legit *cernutis*. In M legebatur *consternatis*, at recenti manu correctum *consternatus*, quomodo scripsit S. Est autem *cernuus*, id est, in partem anteriorem inclinatus, vel in caput ruens. Hinc ad illud Virgilii Æneid. X:

> Emicat, et cernuus subitum [illegible]

Ait Servius: « Cernuus equus dicitur, qui cadit in faciem, quasi in eam partem quam cernimus. » Hinc et illud in hymno Ecclesiæ:

> Tantum ergo sacramentum
> Veneremur cernui.

VOCUM OBSCURARUM AUT BARBARARUM

EXPLICATIO ORDINE ALPHABETICO.

Quæ in his quatuor libris Flodoardi continentur, sive sint ipsius, sive aliorum, quorum testimonia vel epistolæ interseruntur. Quæ non sunt auctoris, iis præponitur asteriscus.

A

Abinde, pro inde, id est ab eo tempore, vel ab eo loco. Utraque enim significatione utitur.

* *Acetabulum*, lib. I, cap. 18, in testamento S. Remigii. Accipi videtur ut *Num.* VII, in Hebræo est *scutella*. Nomenclator Adriani Junii recenset inter mensuras liquorum, et capere dicit cyathum unum et dimidium.

Æquivocus, ejusdem nominis. Vide indicem nostrum vocum obscurarum in Chronico Cameracensi.

Alodis, idem quod alodium. Vide jam dictum indicem, et Glossarium Petri Pithœi in Capitularia, verbo *Alode*.

* *Amphibalum*. Vide scholia in cap. 18 lib. I.

Atrium, cœmeterium. Gall. *l'âtre.*

B

* *Beneficiare*, in beneficium dare.

Blattea, purpurea. Vide scholia ad cap. 15 lib. I.

Brandeum, lib. I, cap. 20 et 21, pannus sericus, seu linteum, quo sanctorum corpora seu reliquiæ involvuntur; vel etiam quod aliunde allatum eorum reliquias contigisset, ut hodie fieri solet. Vide scholia ad cap. 21 lib. I.

* *Breviculus*, lib. III, c. 22, scheda seu schedula, a brevi, forma diminutiva, deductum. Sic est in Operibus S. Augustini tom. VII *Breviculus Collationum cum Donatistis*, id est (ut Augustinus alio nomine vocat ibidem, et epist. 158) Breviarium et breviatio, seu compendium. Sic juxta Alciatum et alios lib. VII Codicis, titulus 44 est *de Sententiis ex breviculo*)pro quo vulgo legitur *periculo) recitandis*. Ad quem locum Christophorus Hegendorphinus in exegesi titulorum Codicis ita scribit : « Hic titulus corrupte legitur. Nam pro *periculo breviculo* legi debet: siquidem hic tractatur quomodo sententiæ ex scripto recitari debeant. *Breviculus* vero est vox diminutiva a brevi, hoc est ab schedula, scriptura dictaceoque. »

C

* *Cabuta*, seu Cambuta. Vide scholia ad cap. 18 lib. I. Quibus addo pedum pastorale S. Burchardi, primi Herbipolensis episcopi, fuisse virgam sambuceam, ut est in Vita ipsius lib. II, c. 1, tom. V Surii.

Caraxatum, lib. I, c. 9, scriptum. Item caraxare, caraxatura, et caraxatores, seu potius per aspirationem charaxatum, etc. Vide scholia ibidem ad c. 18.

Cellerarius, lib. I, c. 12. vel ut J, C *cellarius*, idem qui cellerarius, quomodo mutavit S ; quomodo etiam nunc in Hincmaro legitur, minister cellæ, seu promus, aut promus condus. Vide indicem vocum obscurarum ad Thomam Cantipratanum.

Cernuatus, cernuus. Vide scholia ad capit. lib. IV

Comes, nomen officii lib. II, c. 18, et alibi. Hi enim comites cum missis dominicis judicia exercebant per singulas provincias, ut patet ex eodem cap. et ex capitulis Caroli Magni. Vide scholia ad idem cap.

A *Conjectus*, vel *um*, genus tributi. Vide scholia ad c. 19 lib. III.

Consuerant, pro consueverant lib. I, c. 12

* *Consultus*, *us*, consultatio, consilium. Vide scholia ad cap. 4 lib. III.

Cors, *cortis*, pro aula regia, Gall. *Cour*, lib. III cap. 13 bis in litteris Hincmari : aliquando pro curte, ut lib. I, c. 17, et lib. II, c. 6.

Curs, *curtis*, id est villa. Capitula Caroli Magni lib. III, c. 19 : « Curtes nostræ remaneant desertæ. » Vide indicem vocum obs. ad Chron. Cameracense.

D

Decania, decanatus, lib. III, cap. 25, sicut canonia pro canonicatu.

Decubavit, pro decubuit, lib. I, cap. 8.

Depactum, pro pactum sive conventum.

* *Diaconiæ*. Vide scholia ad cap. 18 lib. I.

Domnus, pro domino. Vide notas ad Chron. Ca-

B meracens, lib. I, cap. 27.

E

Emovere, pro movere, aut dimovere lib. IV, cap. 40, Gallice *émouvoir*.

Episcopium, episcopatus. Vide indicem vocum obsc. ad Chron. Cam.

Esox, *esocis*, genus piscis, lib II, cap. 8, ubi vide scholia.

Eulogiæ. Vide scholia ad cap. 11 lib. II.

Exinde. pro inde, id est ab eo loco, vel tempore, Utitur Fortunatus in Vita S. Medardi.

F

Fiscalini, a fisco dicti, lib. I, cap. 20, qui villas regii fisci tenebant : Fiscalini servi leguntur in Aimoino lib. III ; De gestis Francor., cap. 42 et 55. lib. III Capitulorum c. 16, Fiscalini regii leguntur, et in epitome Constitut. Caroli Magni, lege 2 Ripuarense : « Homo regius, id est fiscalinus. » Vide Pithœi Glossarium.

C *Flasco*, lib. I, cap. 15, genus vasis, Gall. *un flacon*. Utitur voce flasconis B. Gregorius lib. II Dialog., c. 18.

Francisca, lib. I, cap 15, bipennis, quomodo Hincmarus habet in Vita S. Remigii, et ipse Flodoardus etiam jam dicto cap. Sic et Gregorius Turon. lib. II Hist. Francorum, cap. 27, eamdem describens historiam, bipennem et securim nominat. Aimoinus lib. I De gestis Franc., cap. 12 : « Et extensa manu franciscam ejus terræ dejecit, quæ spata dicitur. »

* *Fredum*, Vide scholia ad caput 50 lib. IV, et notas ad cap. 37 lib. I Chron. Cameracensis

Frigoritici, lib. II, c. 14 et lib. IV, c. 44, febricitantes, frigido morbo laborantes. Utitur eadem voce Fortunatus lib. I Vitæ S. Radegundis, capite 10, quæ exstat apud Surium tom. IV, die 13 Augusti, ubi legitur *frigoreticus*, et in margine notavit Surius : *Frigoreticus, pro febricitante.* Gregorius Turonensis lib. V Historiarum Francorum c. 10. « Frigo-

D riticis pustulis laborantibus. » Idem De gloria confessorum, capite 64 : « Frigoritici cæterique infirmi sanantur. » Plura vide in indic. vocum obscur. in Chron. Camerac.

G

Glaucoma, æ, lib. cap. 21. Utitur Plautus in Milite. Usitatius dicitur *glaucoma*, atis, item *glaucomatum*, ii, et significat vitium oculi.

H

Hichinaculum, vel *Archimaculum*, lib. i, cap. 18 in testamento S. Remigii.

Homo hujus aut illius, ut homo Arnulfi, id est vassallus.

Horno, id est hoc anno, libro primo, capite decimo, et lib. iii, c. 22, ubi vide scholion.

I

Iconiatum, imaginibus et figuris sculptum et decoratum. Vide scholion ad cap. 18 lib. i. Ejusdem vocis fit mentio lib. iii, cap. 5.

In ante, lib. ii, cap. 17, id est deinceps, quod alii frequentius dicunt, in antea. Vide indicem vocum obscur. in Chron. Camer. Præter hunc illa notata utitur Gregorius Turonensis lib. viii Historiæ Francorum capite 28, et Eutychianus papa 35, quæst. 6, cap. Episcopus. Item Fulbertus Carnotensis episcopus epist. 89: « Ex tunc in antea excommunicatus est. »

Incardinare, instituere, vel constituere in episcopali vel alia dignitate libro iii, capite 21. Utitur Adrianus papa II, epist. 11. Idem verbum incardinare et incardinari frequenter usurpat Joannes Diaconus lib. iii Vitæ S. Gregorii papæ, cap. 15 et sequentibus pro constituere, et ipse Gregorius papa in epistola. Vide Onuphrium Panvinium in libello De interpretatione vocum ecclesiasticarum in dictione Cardinalis.

Incardinatus, institutus, lib. iii, cap. 29. Ivo Carnotensis, epistola 131, ubi vide observationes Francisci Jureti, qui multa citat loca Gregorii papæ de eadem voce.

Insignis, pro insigniter, lib. i, c. 10.

Intentio, pro lite seu contentione lib. ii, c. 40.

Intranea, intestina, lib. iv, c. 49. Vide scholia.

Istum, pro illum, lib. i, c. 23, lib. iii, c. 13, 17 et 19, quo posteriore loco exemplar C legit *illum*.

L

* *Laverna*. Vide scholia in c. 18 lib. i.

Legatarius, legatus, lib. i, c. 25.

Libellulus, libellus, libello, lib. iv, c. 7. Vide scholia.

Licite, pro licere, lib. iv, c. ult.

* *Losenium*. Vide scholia lib. iii, c. 13.

M

Majordomus, lib. ii, c. 12, præfectus palatii.

Mallus, lib. iii, c. 18; lib. iii, c. 29. Vide notas nostras ad c. 72 lib. i Chron. Cam. et notas Joannis Busæi ad epist. 4 Hincmari.

Mandare, significare; *remandare*, renuntiare, utrumque phrasi Gallica.

Mansionaticus, a mansio Græca voce mansionem significante. Eadem significatione Gerson et Joannes Nider in Formicario utuntur voce *mansionarius*.

Mansionile, lib. iii, c. 26. Videtur idem esse quasi mansio seu habitaculum villicorum.

Mansus et *mansum*. Vide indicem vocum obscur. ad Chron. Camer. Nicolaus Gilles mansus vel mansum vertit Gallice *mas* vel *masure de terre*.

Matricula et *matricularii*. Vide indicem jam dictum. Leguntur lib. i, c. 18, in testamento S. Remigii, et alibi frequenter. Item in Hincmaro ep. 7, c. 20, inter eas ipsas Ecclesiæ addita.

Matutinorum solennia, lib. i, c. 25. Sic enim in quadam antiqua, solemnibus hymnologiis, nunc matutinas vocamus, videlicet precum. Vide scholia matutinorum.

Mutatio, æ, locus in quo equi mutari, jumentum ligare aut hospitari solet. Vide scholia ad caput 3 lib. ii, et ad caput decimum libri quarti.

A *Micum*, micantulam.

Missaticum, legatio a misso, id est legato, vel nuntio. Gall. message. Legitur apud Hincmarum in opusculo LV Cap., post c. 50.

Missaticus, idem quod missus, legatus seu nuntius, ut clare patet ex cap. 28 lib. iii.

Missorium argenteum, in testamento S. Remigii, et lib. ii, cap. 5, « missorium argenteum dimidium. » Eleganter loco Gallice vertitur *vase d'argent*. Gregorius Turonensis lib. vi Histor. Francorum, capit. 2: « ostendit rex missorium magnum, quod ex auro gemmisque fabricaverat in 50 librarum pondere ostendit. » Et lib. vii, c. 4, legitur *missorium aureum*.

Missus, nuntius, legatus, commissarius. Vide schol. ad c. 18, 2, indicem vocum obsc. in Chron. Camer.

Molendinus pro *molendinum*, mola, lib. i, c. 14. Sic in appendice 2 ad Hist. Greg. Turon. in descri-
B ptione dedicationis ecclesiæ Majoris Monasterii legitur, *molendinos nostros*. Vide notas ad Chron. Cam. lib. i c. 52.

N

Necessitati, lib. iii, c. 26, pauperes quibus res necessariæ desunt, *necessitosi*. Utitur Hincmarus epist. 7, c. ult.

Nomenclator, lib. iii, c. 21. Vide Onuphrium ubi supra.

Nonna, sanctimonialis, lib. iii, cap. 27. Hieronymus in epist. ad Eustochium, De custodia virginitatis: « Et quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur et nonnæ. » Ad quem locum Erasmus suspicatur esse vocabulum linguæ Ægyptiacæ. S. Benedictus in Regula, c. 63: « Juniores priores suos nonnos vocant, quod intelligitur paterna reverentia. » S. Bonifacius archi. Mogunt. ep. 19, et Capitularium lib. v, c. 2 et 3, eamdem vocem usurpant. De eadem plura
C R. P. Heribertus Rosweydus in suo Onomastico rerum et verborum difficiliorum ad Vitas Patrum.

O

* *Octimber*, pro *October*. Vide sch. ad c. 21 lib. i. Quibus adde ex Beda De ratione temporum, ubi mensis Octobris nomina recensens apud varios: « Theseri, inquit, in Hebræo, Paophi apud Ægyptios, Hyperboreteos apud Macedones, Octimbrios in Græco (quod procul dubio ex Latino Octimber factum est), October in Latino. »

* *Omnimodis*, omnino, omnibus modis. Vide indicem vocum obsc. ad Chron. Cam.

P

Pagus, vicus, tractus, territorium. Gall. *pays*, ut pagus Laudunensis. Sic teste Petro Diveo in Antiquitatibus Galliæ Belgicæ cap. 14 frequenter accipiunt a Julio Cæsare: « Multos, inquit, pagos habebant Aduatici teste Cæsare; non quidem
D vicos, ut hinc pagi nomen acceperint, sed regiones; in qua significatione Cæsari vocabulum hoc familiare est. » Hæc Diveus.

Pallium, archiepiscoporum insigne, est fascia ex candida lana contexta, habens desuper circulum humeros circumdantem, et duas lineas ab utraque parte dependentes, quatuor purpureas cruces, ante, retro, a dextris et a sinistris. Vide Onuphrium ubi supra, et Glossarium in Capitularia.

Parrochia, indeclinabiliter lib. i, c. 13; lib. ii, c. 2, et alibi, pro *Parochia*. Indeclinabiliter utitur Ivo epist. 16, ad quam vide observationes Francisci Jureti.

Parochia, seu *parrochia*, ut M. plerumque scribit. Pro dioecesi frequenter in antiquioribus monumentis accipitur; interdum tamen eo distinguuntur, ut dioecesis sit totius provinciæ alicujus archiepiscopatus, parochia episcopatus tantum. Unde Hincmarus in opuscul. LV Capitul., cap. 16:

« B. Remigius sedem Laudunensem in sub oppidulo Remensis metropolis constituere fecit, quam a sua parochia, non autem a diœcesis provincia sedit. » Idem Hincmarus in epist. 2 ad Nicolaum papam, inter eas quas edidit Joannes Cordesius : « Sed quia non solum diœcesis, verum et parochia mea inter duo regna, sub duobus regibus habetur divisa. » Ita in epistola ad Adrianum papam : « In cujus (nempe Lotharii) parte regni non solum pars diœcesis, verum et pars parochiæ meæ conjacuit. » Et infra : « In cujus regno parochia et provincia mea consistit. » Idem denique in epistola ad clerum et plebem Belvacensis Ecclesiæ : « Sic etiam de alterius diœcesi archiepiscopi, vel parochia episcopi. » etc.

Pedatura vitium, id est pedamentum, statumen. Unde *vitis pedata et statuminata* apud Plin. h. e. palis perticisque firmata. Vide sch. ad c. 1 lib. i. Derivatum est a verbo *pedare*, quod est viti vel alteri arbusculæ sustentaculum adhibere.

* *Prædonare*, pro condonare, Gall. *pardonner*. Legitur in Capitularibus, ut lib. iv, c. 37, et alibi, et in Goffrido abbate Vindocinensi, lib. v, epist. 19.

Pitatium et pitatiolum, vel ut J fere per c *pitaciolum*, lib. iii, c. 22.) Fuit titulus opusculi Hincmari Laudunensis episcopi, nepotis Hincmari Remensis, cui carmen præfixerat ita incipiens :

> Iste pitatiolus plane depromit et apte,
> Sedem appellandam libere apostolicam.

Quod opusculum late refellit Hincmarus Remensis prolixo opere LV Capitulorum, præfixo etiam carmine in hunc modum :

> Hoc tibi de titulo, juvenis Hincmare sarcerdos,
> Respondere mihi convenit arte pari, etc.
> Namque pitatiolum neutro dixere priores,
> Et caput hoc languens cætera fluxa docet, etc.

Alioqui pitacium schedulam significat, seu epistolium. Adrianus Junius in suo Nomenclatore : « *Pyctatium*, vel potius *pyctacium* Cassiodoro et Lampridio, exigua tabella, πιττακίον Moschopulo. Belgice *den cleine cedulle*. Pitacium Belso idem quod emplastrum. Glossarium B Isidori ; *Pictacium, epistola brevis et modica. Dictatiuncula, membrana.* » De pittacio plura Heribertus Rosweydus, ubi supra.

Placitum, conventus publicus, seu conventus procerum regni, comitia, Gall. *plaids*. Vide indicem vocum obsc. ad Chron. Cam. et notas Dusæi ad epist. 3 et 4 Hincmari, et notas Jacobi Sirmondi ad ep. 36 lib. iii Goffredi Vindocinensis abbatis.

Præceptum, rescriptum principis, vel constitutio regis, privilegium, litteræ immunitatis. Vide notas nostras ad c. 85 lib. i Chron. Cam.

Præstaria et *precaria*, eadem sunt, ut patet ex l. iv, c. 11 ubi Nicolaus Chesneau Gallice interpretatur *usufruict*. Quid autem sit precaria, vide dictum indicem. Præter loca ibi notata precariarum meminit Ivo epist. 271.

Præsentaliter, pro præsentialiter.

Prævidere, pro providere, l. iv. c. 1. Sic et aliquoties Baldericus in Chron. Cam. Vide nostrum indicem vocum obs.

Precatoria, lib. ii, c. 5, idem quod precaria.

Presbyter, pastor seu parochus. Vide schol ad cap. 8 lib. i.

Ptochium, lib. i. cap. 18. Græce πτωχεῖον, domus mendicorum, seu locus ad recipiendos mendicos. Bassianus episcopus in litteris ad Valentinianum et Martianum imperatores, quæ habentur in concilio Chalcedonensi act. 11 : « Sed ego a juvenili ætate mea vixi cum pauperibus, et ptochium feci, et in eo posui septuaginta lectos, et omnes languentes et ulceratos hospitio suscipiebam. » Item in eodem concilio, can. 8 : « Clerici qui præficiuntur ptochodochiis, qui ordinantur in monasteriis, et basilicis martyrum seu episcoporum, etc., potestate permaneant. » Id hic secunda editio sive Severo in tomis Conciliorum habet *in plebibus*. Tertia, quæ est Gentiani Herveti : *Clerici plebis et populorum*. Apud Gratianum 16, quæst. 2, cap. 18 : *Quidam monachorum*, ex correctione Gregorii XIII legitur ut habet editio 2 : In plebibus, pro quo vitiose vulgata exemplaria legebant, parochiis. Quippe adnotatum est plerisque eam vocem canonis Græci. De eodem vocabulo Rosweydus, ubi supra.

Q

Quæque, pro quæcunque.

Quæque vel quæque, pro quæcunque, lib. iii, frequenter.

Quibusque, pro quibuscunque.

Quisque, pro quisquis. Franciscus Juretus in suis observationibus ad epistolam 8 Ivonis : « Vetustiores dixerunt *quisque* pro *quisquis*, quod plerique non observantes sæpe mutarunt et corruperunt in auctoribus contra fidem priscarum membranarum. » Sic ille. Et probat ibidem citatis exemplis ex Tertulliano, Hilario et aliis.

R

Refutare, renuere, recusare, Gall. *refuser*, lib. ii, c. 19. Utitur in eadem significatione Ivo epist. 131, 173, 178, 186, et alibi sæpe.

Regestum, lib. ii, c. 2, ubi vide scholia.

Remandare, renuntiare.

Repedare, redire, Lucilius : « Redisse ac repedasse, ut Romam vitet. »

Revadiare, lib. iii, c. 5, dicitur a *vas, vadis*, et Gall. ibidem vertitur *debitorem se agnoscere*. Legitur eodem libro, cap. 28. Vide indicem vocum obs. ad Chron. Cam.

Revestitus, lib. iii, c. 18, indutis paramentis ecclesiasticis. Gal. *revêtu*. Aliquando *revestire* est in possessionem inducere post privationem, ut eodem lib. c. 26, et libr. iv, c. 1. Unde vestitura, de qua voce Pithœus in Glossario.

Rotulas et *rotulus*, lib. iii, c. 11 et alibi, scheda, volumen, scriptum convolutum. Ibidem cap. 22, *rotulam prolixissimam*, inquit Hincmarus. Utitur idem in opusc. LV Capit., cap. 43. Eamdem vocem *rotulus* pro scheda aliquoties usurpat Stephanus episcopus Parisiensis in epist. præfixa condemnationi aliquot articulorum in fine Petri Lombardi Magistri sententiarum. Est autem rotula diminutivum a rota.

S

Solarium argenteum, salinum lib. iii, c. 5, ubi MS male legit *solarium*. Lib. ii, c. 23 leguntur : « duo vasa salaria a rege S. Stephano missa. » Ubi aliud forte intelligit.

Sancire, possessionem accipere, Gal. *saisir*. Vide schol. ad cap. 41 lib. iv. Verbo *saisivit* et *resaisivit* utitur Ivo Carn. epist. 101.

Senior, dominus, Gal. *seigneur*. Utitur Hincmarus epist. 1, inter eas quas edidit Busæus, et passim scriptores mediæ ætatis. Vide indicem vocum obsc. ad Chron. Cam et Petrum Greg. lib. vi Syntag. juris universi c. 11.

Signa ecclesiæ, campanæ. Hinc in Pontificali part. ii, titulus est : *De benedictione seu campanæ*. Vide Glossar. Tithæi verbo *Signa*.

Succensere eum, vel eos, cum accusativo, id est, contra eos irasci.

* *Suetum*, consuetum.

Sumptorium, lib. iii, cap. 5, cochlear, ut Gallice vertitur, quo nimirum utimur in calice sacro.

T

Tantitas, exiguitas, parvitas, in prologo auctoris.

Thudestica lingua, lib iv, cap. 35 ubi MS *Teutonica* ; J *Thestisca*, id est Germanica.

Thuytsche. Inter epistolas Hincmari a Cordesio editas exstat epistola Offridi monachi ad Luidbertum archiepiscopum Moguntiacensem et præfatio in

librum antiquum lingua Saxonica conscriptum, quem [illegible] vocatur Leudiscam, et legitur adverbium *Theotisce*. Item Theotiscæ linguæ exemplum exstat lib. III Hist. Nithardi.

Tirales, [illegible], insignire.

* *Torrentibus*. Vide schol. ad c. 18 l. I.

U

Urgere negotium, lib. I, c. 11, ex Hincmaro in Vita S. Remigii. Utitur Persius.

Utilitates, [illegible].

V

Vadiatus, lib. IV, c. 12, a verbo *vadiare*, seu vadimonio, id est fidejubere pro alio. Vide indicem voc. obsol. ad Chron. Cass.

Vadius, l. III, c. 28: « Ibo illi emendare per vadium faciat. » Videtur significare idem quod *vas vadis*, id est, fidejussor. Et teste Jacobo Spiegelio in Lexico juris primum dictum est *vadis*, deinde per syncopen *vas*. Vadimonium [illegible] est [illegible] in judiciis. Alii scribunt per duplex w, *wadios*, ut lib. [illegible] Capit., cap. [illegible]: « Ab his qui decimas non dant wadios accipiant. » Et lib. III, cap. 29, tit. est: *De libero homine qui se loco wadii tradidit*. In epitome Capitul. Caroli Magni de lege Ripuariorum c. 3: « Homo ingenuus qui multam quamlibet solvere non potuerit, et fidejussores non habuerit, liceat ei semetipsum in wadium et [illegible] debitor est mittere, usque dum multam quam debuit persolvat. » Ad quem locum notat Vitus Amerpachius: « *In wadium dare*, hoc est pignori dare, seu obligare. » Vide Rob. [illegible] L. II Reg. Longobard. Plura loca profert Pithœus in Glos. verbo *Wadio*, et verbum *wadiare* frequens est in legibus Longobardorum.

Vasallis, seu *vassallis*, clientes. Vide [illegible] Glossar. in dictione *Vassi*.

Vel sæpe ponitur pro *et*, præsertim in [illegible] capit. [illegible] vertit [illegible] Galli[illegible], ut lib. IV, c. 19, 36 et 58.

Vicariatus, vices. Vide scholia ad c. 1 l. IV.

Vicedominus, lib. I, cap. 17. Vide scholia. Utitur et alibi [illegible].

Villa pro pago aut civitate sæpe accipitur, [illegible] Gallice, ut l. I, c. 14: « Sparnacum villam suam, id est civitatem. » Gallice *ville*. Nam alias eumdem locum oppidum vocat.

Villaris, masculino genere, lib. II, c. 2 et 5, villa

AD HISTORIAM REMENSIS ECCLESIÆ

APPENDIX

STATUTA SYNODALIA ECCLESIÆ REMENSIS.

Hæc statuta accepta ex Majori Monasterio (Gallice *Marmoustier*) a sancto Martino ædificato in suburbio civitatis Turonensis, cum serius ad manus nostras pervenissent, visum est appendicis loco adjicere. Etsi enim sunt in his quædam quæ non videntur redolere antiquitatem, ut quod titulum pastoris tribuat parochis, qui ætate Sonnatii, et multo post presbyteri tantum aut sacerdotes solent appellari; quod item festum Nativitatis beatæ Mariæ inter festa celebranda reponat, quod in his partibus non videtur tam antiquum fuisse, quandoquidem Fulbertus Carnotensis, qui vixit anno 1017, id primum in Gallia celebrasse dicitur, si Demochari credimus. Verum facile potuit fieri ut loco *presbyteri* a recentiori aliquo *pastoris* sit nomen positum, et festum illud ab aliquo forte adjectum. Scribit tamen sanctus Ildephonsus, qui eadem ætate vixit cum Sonnatio in libro De virginitate et parturitione B. Mariæ, nativitatem ejus ex auctoritate totius Ecclesiæ celebrari et venerari. Sunt his statutis similia quæ scripsit Jesse Ambianensis episcopus in epistola ad sacerdotes suæ diœcesis, et constitutio Riculfi Suessionum episcopi, quæ cum Hincmari opusculis edidit Joannes Cordesius.

Quæ sequuntur editioni suæ adjecit R. P. Jacobus Sirmondus, quæ nos in nostra [illegible], sed ordine temporis disposita.

Cap. I. Sine fide, teste Apostolo (*Hebr.* XI), impossibile est Deo placere, ideoque mandamus omnibus, ut exacte doctrinam fidei juxta veterem [illegible], et sanctæ Ecclesiæ Romanæ traditionem teneant, sequanturque. Et quicumque pastores sunt, quæ ad instituendum populum, et gregem pertinent, discant et doceant, et suos ad officia virtutum excitent.

Cap. II. Fideliter [illegible] sacramenta ministrent, semperque afferant quod ad explicandum utilitatem Sacramenti, et instructionem pertinet.

Cap. III. Mercedem non accipiant, sed in Deo confidant, qui dat escam pullis corvorum invocantibus eum (*Ps.* CXLVI).

Cap. IV. Baptizaturus sal [illegible] aliquid honeste expleat, verba attente proferat, et debite, de parentibus informet.

Cap. V. Confirmationis sacramentum habet donum roborantis Spiritus sancti, et uberiorem gratiam præbet, ideoque non negligatur.

Cap. VI. Remissio peccatorum, et expiatio Sanguinis Domini nostri Jesu Christi nititur præcipue, et ab eo pendet.

Cap. VII. Curet pastor oves suas, et non negligat; et injungat interesse missæ [illegible] diebus solemnibus et Dominicis, [illegible] *Joan.* XVII, et si fur [illegible] in [illegible], prohibeatur [illegible] Ecclesiæ ingressus, et careat pastorali sepultura et consolatione.

Cap. VIII. Nemo tempore Quadragesimæ pœnitentium confessiones audiat præter pastorem. Hujus enim interest ovem recognoscere, pro qua suam animam tenetur Domino.

Cap. IX. Sacrosanctam eucharistiam sacerdos celebraturus se præparet, et probet, et ut minimum bis in mense id faciat.

Cap. X. Feratur ægrotis vase honesto, et lumine antecedente, et præeunte; et quicunque peregrinari volunt, illud ad viaticum suscipiant.

Cap. XI. Et cur ad mortem condemnatis remittitur, cum iis maxime conducat ad spem et securamen certi decessus, et præsentis agonis.

Cap. XII. Qui ad ordines promoveri volunt, habeant beneficium ad alimoniam sufficiens, idque ad examinationem virorum proborum et juratorum.

Cap. XIII. Nulli tonsura detur, nisi idoneo, et ad sacros ordines postea probabiliter ascensuro. Quid opus enim mittere panem filiorum canibus (*Matth.* xv), et spiritalia mundi amatoribus?

Cap. XIV. In matrimonio imago exstat sacrosancti conjugii inter Christum et Ecclesiam enati (*Ephes.* v); ideoque vinculum est divinitus firmatum, quod multum confert ad felicitatem rei familiaris, ad pacem inter partes, et ad proles suscipiendas.

Cap. XV. Extrema unctio deferatur laboranti et petenti, eumque pastor in propria sæpius invisat, et pie tueatur, eum ad futuram gloriam animando, et dolore præparando.

Cap. XVI. De clericis. Luceant sicut stellæ et perpetua claritate in firmamento Ecclesiæ (*Dan.* 12). Non sint clerici nugaces, et sæcularibus immixti.

Cap. XVII. Nec mulieres alloquantur, aut domi retineant; vivant in communi, et ædes pauperi patentes inhabitent.

Cap. XVIII. Suffragia defunctorum omnino servari præcipimus, et ne missarum solemnia, præter fundatorum mentem, alio modo convertantur.

Cap. XIX. Sint episcopi fideles et assidui verbi Dei dispensatores. In hoc etiam eorum charitas dignoscitur, si gregem pascant exemplo et verbo.

Cap. XX. Festa absque omni opere forensi excolenda, et cum debita veneratione celebranda hæc sunt: Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Annuntiatio B. Mariæ, Resurrectio Domini cum die sequenti, Ascensio Domini, dies Pentecostes, Nativitas beati Joannis Baptistæ, apostolorum Petri et Pauli, Assumptio beatæ Mariæ, ejusdem Nativitas, Andreæ apostoli, et dies omnes Dominicales.

Cap. XXI. Ecclesiæ debite dotentur ad alimoniam pastoris et cleri, ut securius invigilent super gregem, et de ejus salute sint anxii et solliciti.

DE MINISTRIS REMENSIUM ECCLESIÆ

Quos inordinate Ebo episcopus invenit, et per deprecationem eorum, inspirante sancto Spiritu, hæc dictavit.

Præpositum decet cura interior ac exterior. Exterior in rebus et familia salvandis, atque secundum Deum gubernandis, summa cum intentione, et pietate, et benevolentia. Ibi etiam consistit omnis nutriendi industria, cuncta proficua ingenia laborandi in agris, in vineis, in silvis, in hortis, in diversis emptionum generibus provide procurandis. Insuper et de qualitate necessaria ædificiorum, sive quantitate. Interior vero sollicitudo ejus esse debere manifestum est dispensatio fratrum publica, honeste disposita in victu et potu, sive omni subsidio corporali qnod administrat divina pietas, sive per studium laboris ejus, sive de eleemosynis fidelium, necnon et de dono propriæ procurationis publicæ. Cui non minor patet etiam alia dispensatio necessaria in infirmis et senibus, pro diversitate uniuscujusque necessitatis. Sequitur autem hinc studium omnem ornatum corporalem ac spiritalem continens fratrum: corporalem primum in clausura, inde in refectorio, et in dormitorio, in cellario, in coquina, sive in cunctis habitatoribus necessariis, necnon in vasculis omnibus. Spiritalem vero zelum talis minister veræ religionis habere debet sanctæ conversationis nocte ac die canonicis partitis in horis. Correctionem morum per gravitatem levitatis motum deprehendens: vaniloquium secretis in locis et horis suo rigore omnino depellens: omnes negligentias omnium publice deprehensas in capitulo omnium fratrum judicio puniens his modis, id est, aut carcere, aut separatione mensæ, sive in omnium verborum diversitate. Cujus etiam prudentissima circumspectio decanis sibi suppositis invigilare debet, ne unus quidem, a maximo usque ad minimum, absque ejus conscientia et licentia unius diei spatio nequaquam ab officii sui loco desit.

Archidiaconi officium est, gradus ecclesiasticos summa cum providentia ætatum et meritorum ordinare: de tempore in tempore nominibus certis uniuscujusque officium de omni regione præfigere, subtiliterve merito probare, et gratiam sancti Spiritus unicuique investigando ministrare: in omnibus divinis officiis sanctæ Dei Ecclesiæ fideles ministros erudiendo et excolendo efficere: festivitatum omnium ac feriarum, necnon totius anni officia in canticis et lectionibus, non solum litteraturam corrigere, sed spiritalem intelligentiam omni clero in capitulo tradere, libertates liberorum cum testibus probare, alienorum servorum ad gradus venire volentium exigere, potestatem etiam habens libertatem ecclesiastica propria de familia facere, et alienis exigere.

Pro negligentia lectione aut officio gradus sui a diacono usque ad infimum excommunicare, etiam et juvenculos talibus pro excessibus verberibus arcere; verbum etiam faciendi ad populum in diebus festis providere et facere: et sic omnia per ordinem digne usque ad consecrationem presbyteri studiosissima intentione veræ religionis perducere. Vinctorum etiam publicæ civitatis ex carcere curam in festivitatibus solemnibus Domini gerere, id est, in Natale Domini, in Epiphania, in initio Quadragesimæ, media Quadragesima, in Palmis, in Sabbato sancto, et in die sancto Paschæ, similiter in Ascensione Domini, et in Pentecoste summa cum diligentia eos excipere, et eis obsequia benignitatis corporalis spiritalisque, ex divinis et humanis beneficiis refectionem benedictionis parare.

Chorepiscopi vero ministerium est, omnem sacerdotalem totius regionis sibi commissæ conversationem corrigere atque dirigere, id est, in conficiendis divinis sacramentis et baptisterio omnium intellectum aperiens evelare, populum regionis prædicare, confessiones exigere, pœnitentiam cum discretione caute imponere, hospitalitatem sectari, infirmos visitando obsequia benignitatis et benedictionis, et sanctæ unctionis impendere. Communioni sanctæ dignos fieri populos assidua commonitione exercere, mortuos cum commendationibus animæ, et orationibus dignis obsequiis sepulturæ venerabiliter tradere, pro vivis etiam ac defunctis totius Ecclesiæ filiis rationabili assiduitate exorare. Insuper vero omnia quæcunque intra ecclesiam et extra ecclesiam in claustro, et in omnibus habitationibus a maximo usque ad minimum quemcunque viderit negligere, secundum ecclesiasticum correptionis modum semper corripiat, et omnem veram religionem, prior ipse faciendo, omnes facere doceat. Et hunc modum nequaquam, nisi præcipiente episcopo, de causis subsequentibus excedat de omni jure consecrationis.

Episcopum vero civitatis propriæ disponere oportet de consecratione, de confirmatione, de reconciliatione, et de publico indicendo jejunio, aut aliud aliquid publici juris pro tempore digno Deo debito. Cujus officii summa speculationis hæc est, ut et subtilissime providendo insistat qualiter omnium officia studiosissime gubernando ad portum perfectionis dirigat: quibus in causis, nisi jussus, chorepiscopus nullatenus excedat (1).

(1) Quod præcessit opusculum Ebonis, ex sancti Remigii bibliotheca Remis exscripsimus, cum Joannis VIII epistola et decreto electionis Laudunensis, quæ infra sequentur. Proximam vero Notitiam de villa Novilliaco, cujus auctor Hincmarus ipse videtur, nobis communicavit humanissimus Nicolaus Faber ex bibliotheca, ut aiebat V. C, Claudii Puteani senatoris Parisiensis.

SEQUUNTUR GESTA

Quomodo D. Hincmarus villam Novilliacum apud D. Carolum imperatorem filium Ludovici imperatoris impetravit.

Defuncto Pippino rege VIII Kalend. Octobris (768) in monasterio sancti Dionysii, filii ejus Carolomannus et Carolus secundum dispositionem patris sui et consilium regni primorum diviserunt inter se regnum paternum, et elevati sunt in reges VII Id. Octobris, Carlomannus in Suessionis, et Carolus in Noviomo, sicut in Annali regum scriptum habemus.

Anno IV regni sui infirmatus est Carlomannus infirmitate qua et mortuus est in Salmunciaco, et ante obitum suum per præceptum regiæ suæ auctoritatis, quod habemus, tempore Tilpini archiepiscopi, tradidit villam Novilliacum cum omnibus ad se pertinentibus, pro animæ suæ remedio, et loco sepulturæ, ad ecclesiam Remensem S. Mariæ, et basilicam sancti Remigii in qua et sepultus est. Post cujus obitum Carolus frater ejus præcepto, quod habemus, suæ auctoritatis ipsam traditionem confirmavit.

Defuncto Tilpino archiepiscopo anno XXIII postquam Carlomannus Remensi ecclesiæ villam Novilliacum tradidit, tenuit D. rex Carolus Remense episcopium in suo dominio, et dedit villam Novilliacum in beneficio Auschero Saxoni, qui nonas et decimas ad partem Remensis Ecclesiæ de ipsa villa usque ad mortem suam persolvit: et defuncto domino Carolo, sed et ipso Auschero, postquam Carlomannus prælatam villam cum omni integritate Remensi Ecclesiæ tradidit, semper ipsa Ecclesia inde vestituram, sicut prædictum est, per annos XXXVII habuit. Post obitum domni Caroli, et defuncto ipso Auschero, domnus Ludovicus imperator donavit ipsam villam Novilliacum Donato in beneficio. Qui Donatus, interveniente Bigone, per subreptionem, quasi de fisco regis quasdam colonias de ipsa villa obtinuit in proprietatem per præceptum domni Ludovici imperatoris. Et quando Lotharius filius domni Ludovici imperatoris Cavillonem veniens, eam expugnavit, Donatus a villa super Matronam, quæ Pomarius vocatur, ab imperatore defecit, et illi mentitus ad Lotharium confugit, et veniente hostiliter imperatore Ludovico ad villam quæ Calcarius dicitur, Lotharius ad eum cum suis constrictus venit, et sacramentum ipse, et sui ab imperatore quæsitum illi juraverunt. Inter quos et Donatus de infidelitate ejus comprobatus, ipsi impe-

ratori quæsitum sacramentum juravit, et comitatum Mridunensem, et villam Novilliacum cum suis appendiciis imperator ab eo abstulit, et Athoni, qui fuerat ostiarius Caroli imperatoris in beneficium dedit. Donatus autem in vita imperatoris Ludovici nec comitatum recepit, nec de proprietate sua ullam firmitatem promeruit Post obitum domini Ludovici imperatoris, diviso regno inter fratres, et pace facta inter eos, et mortuo Athone, dedit Carolus (Calvus) Donato in beneficium Novilliacum. Processu denique temporis commendavit. Donatus filium suum Gozelum Carolo regi, cui in beneficium dedit Carolus villam Novilliacum cum appendiciis suis Deinde Landrada uxor Donati, sed et filii eorum, pergente Carolo rege ad obsidendos Normannos, qui in insula quæ Oscelsus dicitur, residebant, cum aliis defecerunt. Quorum honores et proprietates a Francis auferri, et fiscum redigi judicatæ sunt. Unde Landrada, et filii ejus eatenus auctoritatem Caroli regis non obtinuerunt. De quibus rebus anno xx regni sui Carolus villam fiscalem præcepto suo, quod habemus Orbacensi monasterio dedit.

Anno xxxii regni sui venit D. Carolus rex gloriosus in basilicam sancti Remigii, ubi ostendit ei locum sepulcri Carlomanni regis et præcepta ipsius Carlomanni et Caroli avi de villa Novilliaco, et auctores sacrorum canonum, qualiter damnent Spiritus sancti judicio eos qui eleemosynas defunctorum retinent, et ecclesiis tradere demorantur, qui ut infideles ab Ecclesia abjiciendi, et quasi egentum necatores, nec credentes judicium Dei, habendi judicantur. Et reddidit præcepto suæ auctoritatis, quod habemus, Remensi Ecclesiæ ipsam villam cum omnibus, ad se pertinentibus, quam tunc Bernaus post fratrem suum Rothanum in beneficio habebat.

Postea pervenit ad ejus notitiam quod quidam homines de ipsa villa Novilliaco per subreptionem, tam apud patrem suum, quam et apud eum res et mancipia in proprietatem obtenta tenerent, Landrada scilicet uxor quondam Donati Guntharinis, Hugo et Waltrudis, et Elampodus filius ejus, Rotbertus, et Boso, misit suos missos ad hoc inquirendum, et in quæstione facta, et veritate, sicut ei dictum fuerat, inventa, quoniam prædicti ad placitum non venerunt, sic ut banniti fuerunt, jussit ut præcepta Carlomanni et Caroli, sed et suum præceptum coram suis fidelibus in generali placito suo apud Duziacum in causis palatinis legerentur. Unde fideles ejus, tam comites quam vassi dominici, quorum nomina scripta habemus, sed et cæteri omnes qui adfuerunt, relectis eisdem præceptis judicaverunt, ut quicunque de rebus et mancipiis ipsius villæ Novilliaci, per cujuscunque præceptum, vel quocunque modo, post donationem Carlomanni, qui cum omnibus appendiciis suis, vel cum omni integritate, ipsam villam Novilliacum, sicut tunc in fisco erat, ad Ecclesiam Remensem tradidit, et post confirmationem fratris ejus Caroli in proprietatem obtinuit, si commutationem ostendere non posset, qualiter res, et mancipia de ipsa casa Dei juste et rationabiliter commutata fuissent, quia non de fisco regis, sed de ecclesiasticis rebus, et mancipiis per donationem obtinuit, ut ipsa res et mancipia, quæ de villa Novilliaco obtenta fuerunt, ad ipsam casam Dei restituerentur, sicut in præcepto restitutionis ipsius D. Caron, quod habemus, plenius continetur.

Sed quando D. Carolus Romam porrexit, et D. Ludovicus frater ejus ad Attiniacum venit, per quosdam ex nostris apud domnam Richildem reginam, et apud D. Ludovicum filium D. Caroli regis obtinuerunt Donati et Landradæ filii, ut villa Novilliacum cum suis appendiciis eis consignaretur, non attendentes quia sicut in capitulis Augustorum scriptum habetur, tales de regis proprietate, ut infideles judicandi sunt, et secundum leges ecclesiasticas de rebus ecclesiasticis sacrilegii judicantur

Reversus autem D. Carolus imperator Remos veniens, cum tale factum audivit, satis graviter tulit, et misit suos missos : qui scilicet dictam villam Remensi Ecclesiæ et advocato nostro restituerunt, sicut plenius scriptum habemus.

Hic sequebatur epistola hoc titulo : Joannis VIII papæ jussio de ordinando episcopo in Ecclesia Laudunensi vacante. *Quam quia scholiis nostris ad caput vicesimum secundum, libro tertio, inseruimus, hoc loco prætermittimus.*

DECRETUM CLERI LAUDUNENSIS

De Hedenulfo electo episcopo.

Domino reverendissimo et sanctissimo HINCMARO archiepiscopo, cæterisque nostræ diœceseos sanctis Patribus et episcopis, clerus Laudunensis cum totius parœciæ plebibus et sibi conjunctis præsulibus æternam in Domino Jesu Christo salutem, et pacem.

Canonicis regulis et apostolicis institutionibus statutum esse recolimus, ut quoties quælibet civitas ministerio pontificalis dignitatis caruerit, proprioque pastore vacaverit, cum decreto electionis, singulorum petentium manibus roborato, metropolitanum adire pontificem debeant, ac de substituendo in loco ejus qui decessit pastore petitione supplici commonere : quatenus et civitas sollicitudine pastorali destituta proprio recuperetur pontifice, et qui ordinandus est gratiosius possit accedere. Quia cui debet ab omnibus obediri, utique debet et ab omnibus

eligi: ne civitas non optatum episcopum, aut contemnat, aut oderit, et fiat minus religiosa quam convenit, cui non licet habere quem voluit. Hi vero qui ordinaturi sunt, in quem viderint, omnium vota propensius concurrere, promptius liberiusque illi manus imponere possunt.

Quapropter cum decreto nostræ electionis manibus singulorum nostro corroborato ad paternitatem vestram accedentes, Hedenulfum Ecclesiæ nostræ filium, et in Ecclesia nostra sub regentibus stipendiorum beneficiis ad omnes usque sacerdotii promotum vita et moribus, ac sancta conversatione idoneum approbamus, quem per licentiam vestram, favente Christianissimo imperatore Carolo, pari consensu et concordi devotione, atque unanimi voluntate eligimus, per manus vestras, ac cæterorum vestræ diœcesios sanctorum episcoporum consecrari, nobisque et Ecclesiæ nostræ doctorem atque pontificem institui imploramus, precamur, ac petimus. Eligimus autem eum nobis fore pastorem, quem apostolicæ formæ, qua episcopum ornatum B. Paulus esse debere demonstrat, congruere, et sacris non obviare canonibus, Christi gratia cooperante confidimus. Oramus sanctam paternitatem vestram nunc et semper in Christo bene valere.

Actum x Kalend. Aprilis, in basilica sanctæ Mariæ, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 877, regni domni Caroli imperatoris XXXVII, ac imperii I, indictione IX.

INCERTI, SED ANTIQUI SCRIPTORIS

Ejusdem Ecclesiæ Remensis canonici, qui Flodoardum breviaverit

APPENDICULA HISTORIÆ FLODOARDI

Hactenus de Remensibus archiepiscopis secundum traditionem Flodoardi, quomodo unus post alium surrexit, narrationem digessimus. Nunc vero de cæteris qui post Flodoardi decessum exstiterunt, secundum quod a majoribus audivimus, seu quod in antiquis chartis reperimus, opitulante Deo, prælibato operi adnectemus. Prælatus Artoldus, de cujus decessu in libro Flodoardi nihil habetur, abbatiam sancti Timothei, quæ usque ad illud tempus Remensium episcoporum exstiterat, sancto Remigio, de cujus cœnobio assumptus fuerat, contulit. Hic autem cum per triginta annos in multa adversitate, et aliquando in tranquillitate, Remensem diœcesim gubernasset, universæ carnis viam fine bono ingressus est. Quo defuncto, domnus Odalricus, vir nobilis et honestus, pontificale onus suscepit; de cujus operibus pauca apud nos monumenta habentur. Liquet tamen quia ipse Ecclesiæ Remensi villam Vindenissam dedit. Pro cujus largitione beneficii in conventu Remensi memoria ejus annualiter recolitur. Ipso etiam die, pro animæ ejus remedio, viginti quatuor pauperibus singuli panes, totidemque vini metretæ, singuli etiam denarii distribuuntur. Prædicta vero villa in terra comitis Regitestensis sita est, quam modo comes Gaufridus nomine, sub trecensu triginta solidorum tenet. Porro antecessorum suorum tempore, pro commutatione ejusdem villæ, plurima bona Ecclesiæ Remensi collata fuerunt, quod in subsequentibus plenius exponemus. At vero præfatus antistes Odalricus pro utilitate commissæ sibi Ecclesiæ fideliter laboravit, maximeque pro restitutione vallis Rodigensis, quam Hugo filius Rogeri comitis Ecclesiæ Remensi donaverat, sed quidam malefactores de stirpe ejus illam pervaserant, et hæreditatis jure illam sibi vindicare volebant. Quorum nisui venerabilis archipræsul Odalricus, ut vir nobilis et potens, viriliter restitit, et prædictam vallem ad jus Ecclesiæ Remensis liberam revocavit. Quod ut posterorum notitiæ manifestius fiat, prædictæ vallis donationem, et rei gestæ scriptum memoriale huic paginæ assignemus.

« Universis pene totius Franciæ primatibus liquet, Hugonem nobili prosapia genitum, in primo flore juventutis, cum sciret sibi supervenisse ab hoc sæculo diem egressionis, licet suæ conditionis plurimos invenire posset heredipetas, Deum toto mentis conamine, ejusque sanctos ex patrimonio fecisse hæredes. Qui in primo suæ dispositionis exordio beatæ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ, Dominæ ac dominatricis nostræ præsidium invocans, tradidit ad mensam fratrum, Deo ejusque intemeratæ Matri in Ecclesia Remensi devote famulantium, potestatem quamdam vallis Rodigensis a rivulo per medium decurrente vulgo nuncupatam, ut in eadem Ecclesia ipsius bonæ indolis viri haberetur memoria. Unde et post ejus exitum grandis altercatio habita est inter ipsam ecclesiam et quosdam præfati illustris viri parentum. Quibus vehementer resistente domino ac venerabili Odalrico antistite, eorum controversia ad nihilum redacta in nullo potuit proficere. Quapropter non immerito fieri debet censeri, si illius cujusquam propinquis petitionibus accommodatur auris. Idcirco notum sit omnibus præsentibus, scilicet ac futuris sanctæ Remensis Ecclesiæ canonicis, monachis, laicis, vel nobilibus, quia ipsius venerandi episcopi neptis, nomine Emma, adiens præsentiam prædictorum fratrum, petiit sibi dari eamdem potestatem sub censu decem solidorum denariorum in Assumptione S. Mariæ persolvendorum duobus necne filiis Arnulfo et Odalrico, ut quisquis eorum affectu dilectionis sibi vicinabilius obtemperaverit diebus vitæ suæ, in hæreditate succedere debeat, his ad indominatum prædictorum fratrum retentis, mansionile

Sevivaldi curtis nuncupato, cum silva et dimidio A brolio ad ipsum aspiciente : ita duntaxat,, ut porci in eodem mansionile degentium, et alii qui cum porcis canonicorum Remensium, qui sunt tamen familiarium eorum, illuc ducti fuerint, fructus sylvæ depascant, hominibus quoque extra potestatem degentibus : de reliquo vero licenter salva potestate faceret veluti de proprio. Cujus voluntas cum in nullo rationabiliter refragari posset, quod postulabat obtinuit. Factum vero litteris memoriæ tradidit. Actum Remis anno XIV Lothario rege, episcopatus domni Odalrici archiepiscopi sexto. Sancti Odalrici archiepiscopi, cujus licentia atque consensu hoc scriptum factum est, quo et ipse manu propria firmavit, manibusque nobilium virorum corroborari fecit. »

Præfato Odalrico post septem suscepti regiminis annos ad patres suos apposito, domnus Adelbero, B Henrici comitis frater de terra Lothariensium, ad pontificalem cathedram, favore et providentia Lotharii regis, assumptus est. Qui siquidem vir nobilis, honestate morum conspicuus, et ecclesiasticis disciplinis institutus, religionem Remensis Ecclesiæ nimis tepefactam in bonum reparavit statum, et utilitatibus inibi Deo servientium instantem operam dedit et impensam. Hic etiam Mosomense cænobium a priori dignitate prolapsum in monasticum ordinem reformavit, ejusdemque reformationis tenorem, ne per succedentia tempora immutaretur, hujusmodi auctoritatis suæ privilegio confirmavit.

Adalbero divina propitiante clementia sanctæ Remensis Ecclesiæ archiepiscopus. Notum fiat, etc. *Reliqua vide in Adalberone* Edit. Patrol.

Hujus etiam Adalberonis tempore de villa Vindenissa inter Manassen comitem et canonicos Remenses conventio talis facta fuit. C

« In nomine patris, et Filii, et Spiritus sancti. Notum fiat omnibus tam præsentibus, quam etiam futuris fidelibus, quod Manasses miles potestatem illam, quæ dicitur Vindenissa, a canonicis Remensis Ecclesiæ, favente quoque domno Adalberone archipontifice, totam sibi, suæque conjugi Oidelæ, exceptis etiam ecclesiis canonicorum usibus jure dominii reservatis, salva rerum commutatione, per precariam efficaciter obtinuerit. Dedit itaque contra idem Manasses competenti modo canonicorum parti quicquid possidebat in villa Tencauda, hoc est mansos IX et molendinum, et in Verniaco mansos VIII et dimidium, et in villa Colummis alias duas in comitatu Remensi. Aliam autem villam nomine Loeium, in qua continentur mansi VII et dimidius, et quarta una, excepto indominicato manso, et quarta pars D Ecclesiæ, pratum, molendinus, et silva cum mancipiis utriusque sexus numero LXXI in comitatu Catricensi super fluvium Bair. Sed et in villa quæ dicitur Eccleis, duas partes de ecclesia, et quidquid juris habetur in ea, mansi scilicet V pratum unum, cum terris et mancipiis utriusque sexus in comitatu Porcensi : ea videlicet ratione altrinsecus stabilita hujusmodi precaria, ut iidem canonici pro respectu, et vestitura Tencaudam et Varniacum manu sua teneant, cætero vero tam ipse, quam sua conjux prædicta, cum eadem potestate Vindenissa, in sua tantummodo vita libera facultate sibi teneant atque possideant. Ubi vero rebus humanis excesserint, totum illud ex integro prædium, precario datis scilicet rebus, inviolabili jure sorti canonicorum jugiter adhærentibus in manus eorum pro debito legibus ad possidendum redeat. Si quis vero, quod fore non creditur, precariam istam in posterum velletenus adversari tentaverit, illi temeritas et illa precaria constat inanis et irrita, et ne hæc eadem precaria, majorum auctoritate constituta legaliter, maneat stabilis et firma, tali videlicet conditione, ut ille Manasses omnes res illas e contra redditas jure quo eas stabiliter canonicis solidaverit : alioquin aut res similes reddat, aut Remensis Ecclesia quod suum est juste recipiat. Actum Remis in sede sua Idus Novembris, anno XX regnante domno Lothario rege Francorum ..., episcopatus autem domni Adalberonis IX. Dominus Adalbero archiepiscopus subscripsit, et firmavit. »

Alia quoque conventio de villa Virtutis inter Heribertum comitem et canonicos Remenses tempore præfati Adalberonis stabilita fuit, cujus memoria, ne senio temporum obliteraretur, tali scripto roborata fuit.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Leudo S. Remorum Ecclesiæ præpositus, omnisque ejusdem loci canonicorum congregatio. Nolumus latere omnium tam præsentium quam futurorum industriam, quoniam Heribertus comes nostræ humilitatis adiens conspectum, petiit dari a nobis sibi nostri juris eam quæ dicitur villa Virtutis, quam ipse sibi ex pervasione vindicabat : ea videlicet ratione, ut pro vestitu nobis ad præsens ex ea retineremus mansos duos ingenuiles et vestitos, et pro respectu annuatim persolvere libram unam denariorum Remensis monetæ festivitate sancti Remigii Kalend. Octobris in diebus tantum vitæ suæ, seclusis uxore sua, et infantibus, cunctisque hæredibus suis. Cujus petitioni faventes, cum omni consilio et voto, concessimus illi præfatam villam, secundum præscriptam ab eoque determinatam rationem. Quod si de censu negligens exstiterit, et emendare renuerit, usumfructum amittat. Et ut securius in diebus vitæ suæ præfatas res possidere valeat, post discessum vero ejus prænominatam villam cum omni integritate nostris usibus recipere valeamus, sancitum est non solum a nobis, verum etiam ab illo, ut super hoc negotio faceremus cum chirographo mentionis decretum, addentes insuper, ut si quælibet persona post vitæ suæ terminum aliquam nobis inferre conatus fuerit inquietudinem vel injustitiam, sub maledictionis, et anathematis excommunicatione insolubiliter adstrictus damnetur, fiat, fiat, fiat. S. signum Domini Adalberonis archiepiscopi confirmantis et consentientis. »

Cum igitur præmemoratus Adalbero Remensem diœcesim per decem et novem annos viriliter gubernasset, et honestæ conversationis ejus bona opinio circumquaque diffunderetur, ad ultimum confectus senio fine bono diem ultimum clausit, corpusque ejus in ecclesia majori, sub altari quod in honore sanctæ crucis consecratum est sepulturæ traditum fuit ; cujus epitaphium in tabulo ærea litteris aureis descriptum, tale adhuc permanet.

Contulerat natura parens, quæ summa putavit.
Ad meriti cumulum tibi, præsul Adalbero, cum te
Præstantem cunctis mortalibus abstulit orbi.
Quinta dies fundentis aquas cum pondere rerum.

Nec prætereundum reor quod omni anno dies defunctionis ejus venerabiliter recolitur, et eleemosyna panis, et vini copiosa pauperibus distribuitur, quæ

eleemosyna *Moslatum Adalberonis* nuncupatur. Sciendum quoque est quomodo illius eleemosynæ sumptus præparetur: videlicet de domo quæ vocatur Hospitale pauperum annonæ sextarii IV, de camera frumenti IV, de horreo indominicato annonæ modius unus, et vinum quod sufficiat.

Plura non erant in codice Igniacensi, unde hæc excerpta sunt.

FLODOARDI ANNALES.

(Pertz, *Monum. Germ. Hist.*)

DE LIBRO SUBSEQUENTI ADMONITIO AD LECTOREM.

Remensis Ecclesia quemadmodum sæculo nono Hincmarum archiepiscopum, ita decimo Flodoardum (1) presbyterum et Richerum monachum insignes historiarum scriptores edidit. Quorum ille anno 893 vel 894 (2) Sparnaco (3) villa diœcesis Remensis natus, et in schola Remensi a Fulcone restituta litteris imbutus, ab Herivæo archiepiscopo clero Ecclesiæ Remensis ascriptus, bonisque ditatus est (4). Circa quintum et vicesimum ætatis annum rebus publicis animum advertere cœpit (5), ut ex Annalium initio, quos inde ab anno 919 usque ad an. 966 produxit, conjicere licet. Certe ab eo inde tempore archiepiscopis Remensibus Herivæo, Seulfo et Artoldo valde acceptus fuit et rebus eorum gerendis adhibitus est. Anno 924 Seulfum comitatus, colloquio Rodulfi regis et Hugonis Provinciæ comitis cum Willelmo Aquitanorum principe in territorio Augustodunensi habito interfuit (6). Anno sequenti Seulfo vita defuncto, Herbertus Veromanduorum comes Hugonem filiolum successorem ei imposuit, omnesque qui conatibus suis tantum non suffragarentur, beneficiis possessionum ecclesiasticarum privavit (7). Quos inter et Flodoardus injuria affectus, adversas deinde partes secutus est, atque Artoldo archiepiscopo a Rodulfo rege in locum Seulfi subrogato adhæsit. Proximis annis carmine heroico Jesu Christi sanctorumque et Italiæ martyrum triumphos celebravit (8), additis pontificum Romanorum usque ad sua tempora gestis, eoque famam sibi apud exteros etiam comparavit, ita ut Ratherius Veronensis episcopus librum quem De exsilio suo scripserat, ei quoque judicandum transmitteret (9). Anno 936 vel proxime sequentibus (10), dubium an pro negotiis suis Ecclesiæve Remensis, Romam adiit, ubi a Leone VII papa benigne exceptus votique sui compos factus atque in presbyterum promotus est (11). In patriam redux operi heroico finem imposuit (12). Anno 940 mense Octobri orationis gratia sepulcrum sancti Martini visere disposuit, sed apud Heribertum comitem clam accusatus, quod contra eum vel filium ejus esset profecturus, cum Hugonis in partes transire renueret (13), ablatis rebus quas de episcopatu Remensi tenebat et ecclesia sua in Culmisciaco, custodiæ traditus est. Nec nisi post quinque menses, die 25 Martii an. 941, libertatem recuperavit. Tum in synodo Suessionensi ab Hugone principe Hugoni archiepiscopo commissus, ecclesiam aliam scilicet sanctæ Mariæ in Cortido, atque terram injuste ereptam recepit (14). Sed postea etiam Artoldo in sedem suam restituto fidus, eum in negotiis ecclesiæ agendis tam domi quam in conventibus principum et synodis adjuvit; cui rei eo magis idoneus videbatur, quod archivo ecclesiæ præpositus erat (15). Anno 948 synodo Ingelheimensi interfuit, ubi illustribus viris compluribus innotuit, eaque peracta, ex decreto regum cum Artoldo apud Rothbertum Trevirensem archiepiscopum per quatuor hebdomadas mansit, cum anno proxime præterito ab Artoldo missus (16), cum Ottone rege et Conrado duce Aquis pro rebus Ecclesiæ Remensis

(1) Flodoardus, haud Frodoardus, scribendus est ex epitaphio, tum ex codicibus nonnullis Historiæ Remensis, qui Flo.ardum abbreviant, codice optimo Annalium ad an. 963 Richero, et Kalendario vetere S. Mariæ Remensis; ipse avunculi matris suæ nomen (Hist. II, c. 3) Flotardum scribit. Cæterum Frodoardus plane idem, et utrumque ex Chlodowaldus corruptum est.

(2) Ex Annal. an. 962.

(3) Epitaph. Gallicum.

(4) Hist. Remens. IV, 13.

(5) Ita fortasse conjicio, etsi non scribendis Annalibus, at certe notandis rebus gestis circa annum 919 manum admovisse videatur.

(6) Ann. an. 924.

(7) Ann. an. 925.

(8) Codicem operis unum Roberto Trevirensi archiepiscopo tradidit, alterum ipse fortasse ecclesiæ S. Juliani Turonensis intulerat, in Actis SS. Maii VII p. 69, apud Arvernos, exstare dicitur.

(9) Folcuini Gesta abb. Laubiensium, c. 20.

(10) Leo enim a mense Januarii an. 936 usque ad Julium anni 939 sedit.

(11) Vide infra.

(12) Apud Mabillon, Acta SS. O. S. B. S. III, p. II, p. 596.

(13) Hist. Rem. IV, 28. Cf. Annales an. 940.

(14) Ib. IV, 28.

(15) Hist. R. II, 19.

(16) Hist. Rem. I, 20: « Easdem res domnus

in Vosago, a Ragenbaldo quodam pervasis, locatus fuisset. Media inter negotia historiam Ecclesiæ Remensis scribere aggressus, subsidiis undique congestis, præcipue vero chartis in archivo librisque in bibliotheca ecclesiæ asservatis, opus quatuor libris inde ab origine Remorum usque ad exitum anni 948 perduxit, atque flagitante Roberto Treverensi archiepiscopo recognitum hac ipsi dicavit epistola :

« Domino venerabili, » etc. (*Hanc epistolam habes supra Historiæ Ecclesiæ Remensis præfixam.*)

Libro primo historiam Ecclesiæ usque ad obitum et translationem sancti Remigii, secundo successores sancti Remigii usque ad Hincmarum, tertio res gestas et scripta Hincmari archiepiscopi recenset, quarto Fulconem, Herivæum, Seulfum et Artoldum usque ad synodum Ingelheimensem peractam scribit. Opus magno historiæ Galliæ, non solum ecclesiasticæ sed et civilis et litterariæ, commodo editum, cum, fontibus quibus auctor usus est deperditis, plurimas magni momenti notitias ibi tantum reperias ; præcipuam tamen ea ratione laudem sibi in historia Hincmari et Fulconis (17) vindicat, quorum rebus et scriptis recensendis præcipuam operam impendit; reliqua magnam partem et Annalibus suis repetita legimus. Quibus quidem inde ab eo tempore haud intermissam operam curamque adhibuit (18) ; mediasque inter res et in magna rerum per Gallias commotione oculatus testis, regnum, principum virorumque aut doctrina aut potestate per Galliam et Germaniam (19) illustrium commercio haud alienus, quæ veram sui ævi imaginem posteris redderent diligentissime enotavit, ea scilicet fide, qua virum pium, candidum et a violento partum studio alienum decet, qualem fuisse et stylo purus, simplex, gravis ornatus fastidio compto, arguit.

Perierat tamen Annalis in monasterio, quo se beneficio deposito monachus (20) moxque abbas (21) futurus detulerat. Ubi ejusmodi occupationibus senio diuque deditum cum anno 952 aut 953 (22) clerus et populus Noviomensis et Tornacensis episcopum sibi elegissent, regio tamen favore minime secuto, frustra renitente Flodoardo (23), alium cathedræ pecunia venali imposuit : qua de re ab Adaldago archiepiscopo Hammaburgensi litteris ad eum datis visitatus est. Ætatem igitur Ecclesiæ Remensis presbyter et prælatus penes Artoldum exegit, quo defuncto, et Hugone qui superstes erat excommunicato, anno 962 ipse cum cæteris ecclesiæ canonicis, rege Lothario cum regina matre et Brunone archiepiscopo Coloniensi faventibus, Odelricum, Hugonis cujusdam comitis filium, archiepiscopum elegit (24). Anno sequenti senio occupatum se sentiens (25), septuagenarius coram eodem prælaturæ ministerium abdicavit, et Flodoardum nepotem successorem in ea accepit. Quadriennio quo supervixit, ætate fractus et infirmitate attritus ut erat, vel annalibus suis paucas tantum lineas adjecit, et anno demum 966 « vir vitæ venerabilis, sanctitatis honore venerandus, castitatis splendore angelicus, fulgore sapientiæ cælicus, cæterarumque virtutum insignibus abundanter oppletus, dictator egregius, v Kalendas Aprilis terrenæ peregrinationis relinquens exsilia, civica ut credimus adeptus est jura. » Epitaphium ad finem codicis carminum, ab ipso fortasse compositum, ita habet :

Hic jacet indignus Flodoardus honore sacerdos,
Arbiter exspectans cœlicus ut redeat,

Artaldus episcopus dudum Conrado duci commiserat : quas ille Ragenbaldo cuidam suorum delegaverat. Qui Ragenbaldus earumdem rerum colonos valde affligebat. Ipsi vero pro afflictione sua sæpe ad sanctum Remigium clamabant, Remis venientes, et ipsius patroni sui patrocinia requirentes. Pro qua re nuper anno præterito, cum rege Othone et præfato duce locuti sumus, quando Aquis ad eumdem regem missi fuimus. Sed ut idem Ragenbaldus ab ipsarum rerum direptione desisteret, impetrare nequivimus. Unde contigit horno [*cod. ap. Colv.* hoc anno], ut dum quodam sabbato eosdem colonos ad opus quoddam peragendum congregatos haberet, præciperetque presbytero, ne signa vespertinalia usque prope noctem pulsaret, operique implendo insisteret, perculeretur percussore inviso. Qui dum requireret quis eum percussisset, omnesque se vidisse negarent, furiis exagitatus, sensum amisit, graviterque vexatus, spiritum exhalavit. Quo comperto, dux Conradus nimium territus ad sanctum Remigium venit, eique res ipsas reddidit, quas præmissus præsul Artaldus Hincmaro abbati ac cæteris monachis ad supplementum victus attribuit. »

(17) In litteris Fulconis ad Arnulfum imp. pro Carolo Simplice rege hæc etiam scripta refert IV, c. 5 : « Adnectit etiam, quod in omnibus pene gentibus notum fuerit, gentem Francorum reges ex successione habere consuevisse, proferens super hoc testimonium beati Gregorii papæ. Subjicit etiam ex libris Teutonicis de rege quodam, Hermenrico nomine, qui omnem progeniem suam morti destinaverit impiis consiliis cujusquam consiliarii sui, supplicatque ne sceleratis hic rex adquiescat consiliis, sed misereatur gentis hujus, et regio generi subveniat decidenti, satagens, ut in diebus suis dignitas successionis suæ roboretur, et hi qui ex alieno genere reges exstabant, vel existere cupiebant, non prævalerent contra eos, quibus ex genere honor regius debebatur. »

(18) Præcipue usque ad annum 954.

(19) Exempli gratia Rodulfo Treverensi, Adaldago Hammaburgensi archiepiscopo, Annone abbate Magdeburgense, postea episcopo Wormaciensi. De quo Hist Rem. I, 4, hæc refert : « Beati denique Timothei ossa, rex Otto, concedente Artaldo archiepiscopo, transferri fecit in Saxoniam, et monasterium monachorum in ejus instituit honore. In qua translatione multa mira feruntur ostensa. Nam ut Anno tunc abbas, nunc episcopus, mihi retulit, a quo eadem sacra pignora translata sunt, præter alia plura remedia, duodecim inter claudos et cæcos fuere curati Beatus quoque Apollinaris ossibus suis in Orbacense monasterium translatis, nonnullis inibi florere spectatur gratiarum insignibus. »

(20) Adaldagi litteræ apud Colvenerium in Hist. Remensi.

(21) Abbas fuisse videtur, an. 962 de prælatura deposita scribens.

(22) Vide Gall. Christ. edit. 2 episc. Noviomensis.

(23) Ex Adeldagi litteris.

(24) Ann. an. 962,

(25) Ib. an. 963.

Hoc sibi [illegible]
Sit [illegible]
Quem [illegible] spe future.
Expecte [illegible]
[illegible] Flodoardo [illegible]
[illegible] Amen.

Aliud ejus epitaphium lingua Gallica conscriptum (26), cujus auctor ex Annalibus an. 962, et appendice an. 966 hausit. Flodoardum etiam monachum et abbatem dicit, atque ab Agapito papa benedictum, id est abbatem benedictum, vel presbyterum consecratum; quod cum certe ante annum 946 locum habuisse constet, pro Agapito Leo VII intelligendus erit.

Et scriptis ejus Annales principem sibi inter Monumenta Germaniæ locum vindicant, eisque Historiæ Remensis locos, quibus eædem res aliis verbis efferuntur, illustrationis causa subjiciendos duximus, qua in re Colvenerii editione a Cl. Waitzio cum codice bibliothecæ Montispessulanæ n. 186 membr. sæc. XIII collata uti placuit, nam codex Paris. n. 5209 in capite 4 libri III subsistit.

Annales primum a Petro Pithœo inter SS. XII, Parisiis an. 1588 p. 147 sqq. iterum Francofurti an. 1594 impressos, p. 109 sqq., ope codicum duorum vulgati sunt. Unum eorum Divionensem, alterum antiquiorem vocat, quorum alteruter in codice unde Annales Fuldenses edidit, jam in Vaticano in bibl. Christinæ reginæ n. 994 asservato, exstabat, jam vero, Cl. Hagenordt referente, excisus est. Pithœi editionem Chesnius in SS. Franc. II, 590 sqq., adhibito codice Thuaneo, Chesnianam, Pithœana neglecta, Bouquet tom. VIII, 176 sqq., ex eodem, cui jam bibliothecæ regiæ Parisiensis sub n. 5354 idatus erat, et codice S. Victoris Parisiensis emendaverunt. Editio nostra his subsidiis nititur (27).

1) C. bibl. olim collegii Trecensis, jam in bibl. universitatis Montispessulanæ sub n. 151 asservatus, membr. in folio minori, sæculi XI, quem eumdem ac Divionensem Pithœi esse, lectiones, appendix et visiones Flothildæ operi præfixæ demonstrant. Eum in usum nostrum anno 1837 diligentissime contulit cum editis V. Cl. Georgius Waitz. Locum ei primum inter subsidia nostra adjudicandum censui. Habet enim textum, qualem Flodoardus usque ad obitum suum deduxerat, absque appendice; ideoque ex authentico derivatus esse videtur, quod lectionibus præterea in universum et textu continuo comprobatur,

cum reliqui codices omnes hinc inde lacunis iisdem deficiant et appendicem annorum 966, 976, 977, 978 exhibeant. Liber septem quaternionibus VI, VII, VIII, IX, X, XI, XII, signatis et octavo non signato constans codici jam majori impactus est, cujus pro paginis 27 et sequentibus numeratur. Exhibet primo p. 27 visiones Flothildæ a Pithœo p. 278 editas, p. 31 absque titulo Annales nostros, quorum annos quisque littera Græca, numerum quo ab anno 893 initio regni Caroli Simplicis, distat significante exempli gratia in fine anni 925 $\overline{\text{XI}}$, 926. $\overline{\text{XX}}$ et reliq. insignitur.

2) C. regius Parisiensis n. 5354 membr. sæc. XI in fol., *Incipit cronica Flodoardi presbyteri de gestis Normannorum* inscriptus (28), quem eximia diligentia in usum nostrum V. doctissimus Otto John. Ph. Dr. Kiloniensis vertit. Librum eumdem ac Chesnii Thuaneum esse judicaveris, nisi quod Thuani in eo nomen desideratur. Annalibus notitiam de obitu Caroli Calvi præmittit, ex libro quodam abbatiæ S. Faræ Meldensis descriptam, quæ tamen causa fuit, quod docti viri plures absque Flodoardum scribendi initium fecisse et annos operis ejus 878-918 desiderari statuerent. Quod quam veritati contrarium sit, tum ex ipsis codicibus tum ex Richero patet, qui Flodoardum ab an. 919 exscripsit (29). Notitiam istam hic inserimus :

« Anno 877 et indictione X, II Nonas [*Pithœus*, ind. XII, Nonas] Octobris, præcellentissimus imperator Karolus, sanctæ recordationis insignisque memoriæ, temporalem finiens cursum, feliciter, ut credimus, ad gaudia migravit æterna. Hic siquidem fuit serenissimi augusti Hludovici filius, ac nepos gloriosissimi cæsaris ejusdem nominis Karoli. Cujus celsitudinis atque dulcedinis nobilissima propinqua ejus, Bertrada abbatissa, cum omni congregatione sibi commissa supplicationibus devotissimis assidue memor, hanc memoriam litteris compendio comprehensam fecit describi, quæ in ejus anniversario annuatim recitaretur, ejusque memoria semper haberetur. »

Ex codice isto fluxit

2* C. bibliothecæ Albigensis chart. in fol. sæc. XVII. Inscribitur *Frodoardi presbyteri Annales*; 58 paginas explet; lectiones ejus momenti alicujus Waitzio flagitante enotatas urbis bibliothecarius transmisit. Exhibet annales annorum 919-966, adjecta appendice anni 966, quadem in codice 3 legimus.

3) Tertio loco laudanda venit editio Pithœi, una cum.

(26) A Colvenerio in codice historiæ Remensis repertum :

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] d'Agapit [illegible]
[illegible]
[illegible].

(27) Codex jam exustus bibl. Cott. Otho B III Chron. Frodoardi S. Albani a. Chr. n. ... 966 et Ragenaldi Andegav. — 1277 Smith *Cat. bibl. Cott.* p. 69, recentius opus ex Flodoardo haustum continuasse videtur.

(28) Scheda antiqua teste in hoc codice continentur : *Passio sancti* [illegible] *et sociorum ejus. Vita et transitus sancti* [illegible] *episcopi et confessoris. Cronica frodoardi presbiteri de gestis normannorum. Passio sanctorum pontificum* [illegible] *sociorumque ejus* [illegible] *Vita et conversatio karoli regis magni. Vita hludowici imperatoris. Vita* [illegible] *Expositio* [illegible] *in apocalipsin.* — Flodoardus fol. 21-41 habetur.

(29) Annum 917 perperam scribit Chron. Andegavense, apud Labbe I, p. 285.

3a) lectionibus codicis cujusdam in margine editionis Pithœanæ sigla M notati, et

3b) codice sancti Victoris Parisiensis, cujus lectiones apud Bouquetum propositæ hunc ei locum adsignant.

Usi sumus præterea scriptoribus, qui Flodoardum sæculo eodem et proxime sequentibus libris suis exceperunt, Richero et Hugone Flavinacensi (30), qui cum codice nostro 1 consentiunt, tum Balderico et Hugone Floriacensi, eorumque lectiones additionesve hinc inde adducendas duximus.

Anno incarnationis domini nostri Jhesu Christi.

DCCCCXIX.

cecidit Remis grando mirabilis, ovum gallinæ superans magnitudine; quæ vero distendebatur in latitudine, occupabat medium palmæ. Sed et grandior per alia quædam loca visa est cecidisse. Hoc anno nihil vini in pago Remense [1] nisi parum admodum fuit. Nortmanni [2] omnem Britanniam [3] in Cornu-Galliæ (31), in ora scilicet maritima, sitam depopulantur, proterunt atqne delent, abductis, venditis, ceterisque cunctis ejectis Brittonibus. Hungari [4] Italiam partemque [5] Franciæ, regnum scilicet Lotharii [6] (32), deprædantur. Anno Dominicæ incarnationis

DCCCCXX

pene * omnes Franciæ comites regem suum Karolum apud urbem Suessonicam [7], quia Haganonem consiliarium suum, quem de mediocribus potentem fecerat, dimittere nolebat, reliquerunt [8]. Heriveus autem, Remorum archiepiscopus, accipiens regem cum omnes eum deseruissent, duxit eum ad hospitia sua in villam [9] quæ dicitur Carcarisia [10], in crastinum vero venerunt in Crusniacum [11], Remensis episcopii villam, ibiqne manserunt, donec Remis venirent. Sicque deduxit eum per septem fere menses, usque quo illi suos principes, eumque suo restitueret regno. Postea profectus est archiepiscopus Heriveus super Mosam, propter quoddam castellum in terra sui episcopii situm, quod nominant Macerias [12] (33), recipiendum, quod tenebat Erlebaldus, comes pagi Castricensis (34), contra illum; quem tunc etiam habebat excommunicatum, propter illa quæ ipsius episcopatus familiæ frequentia ingerebat mala, propterque Altmontem (35), ecclesiæ Remensis, quod furtim irruperat, castrum. Archiepiscopus autem postquam præfatum castellum, id est Macerias, cum suis fidelibus per quattuor fere ebdomadas obsedisset, deserente tandem illud Erlebaldo, recepit, et dispositis inibi custodiis, reversus est Remis. Qui Erlebaldus profectus ad regem, qui tunc morabatur in pago Warmacensi contra Heinricum [13] principem Transrhenensem [14], ibi ab hostibus regis sibi [15] supervenientibus interfectus est.

* *Hist. Rem.* IV, 15. Cum pene cuncti Francorum optimates apud urbem Suessonicam a rege suo Karolo [Karlo c.] descivissent, propter Haganonem consiliarium suum, quem de mediocribus electum super omnes principes audiebat et honorabat, eum penitus reliquissent, hic pontifex fidelis et pius atque robustus in periculis semper existens, regem intrepidus ab eodem loco suscipiens, ad metatum suum deduxit; indeque secum ad urbem Remensem perduxit, et per septem fere menses eum prosecutus atque comitatus [contutatus c.] est, donec illi comites suos, eumdemque regno restituit.]

** *H. Rem.* IV. 16. Excommunicavit hic præsul Erlebaldum comitem Castricensis pagi, propter Remensis episcopii terram, quam pervaserat. Ibique munitionem quandam super Mosam construxerat, indeque frequentia ecclesiasticæ familiæ mala ingerebat. Insuper et castrum Altimontem furtim irruperat. Sed cum nec ita cessaret a malis quæ cœperat, pergit archiepiscopus cum suis ad capiendam munitionem, quam ille construxerat Maceriasque nominabat. Quam per quatuor pene ebdomadas obsidens, deserente tandem illam Erlebaldo, cepit, et depositis inibi custodiis Remis rediit. At Erlebaldus profectus ad regem, qui tunc morabatur in pago Warmacensi contra Heinricum principem Transrhenensem, ibidem ab hostibus regis sibi supervenientibus interemptus est. Quem tamen postmodum in synodo, quam apud Trosleium idem domnus archiepiscopus cum diœcesaneis suis habuit, intercedente rege et obnixe flagitante, a vinculo excommunicationis absolvit.

Hoc anno, sequenti quoque, agitatur inter Hilduinum episcopum et Richarium abbatem de episcopatu Tungrensi contentio. Siquidem rex illud episcopium [16] Richario, quia Hilduinus a se descivit, cui prius ipsum concesserat, dedit. Herimannus vero archiepiscopus Hilduinum ibi episcopum, eligente clero, ac populo favente, necnon Gisleberto, quem plurimi Lotharienses principem, relicto Karolo rege, delegerant [17] ordinavit. Karolus vero reversis ad se Lothariensibus et ipso Gisleberto, Richario abbati, non Hilduino episcopo, ipsum episcopatum consentiebat. Remis in monasterio sancti Petri (36) ad portam basilicarem cereus, quem ibi posuerant hi cives qui Romam ad visitanda apostolorum limina profecti fuerant, accensus est [18] etiam ter igne [19] cælesti. Ad

VARIÆ LECTIONES.

[1] remensi 2. 3. [2] *ita* 1. *scribere solet, sed et* nordmanni; 2. 3. *utrumque, Richerus* Nortmanni *plerumque.* [3] britanniam 2. *sæpius.* [4] hungarii 3. [5] partem 3. [6] lodharii 3. [7] suessionicam 1. *sæpius*; suessionem 3. [8] relinquerunt 2. [9] villa 2. 3. [10] carcasiria 2. 3. Carisia *Hugo Fl.* [11] crusiniacum 3. [12] macherias 2. 3a. *et ita infra,* [13] henricum 3. [14] transrenensem 2. 3. [15] sibi regis 3. [16] episcopum 2. [17] delegerent *corr.* delegerant 2. [18] *deest* 1. [19] igni 2. 3.

NOTÆ.

(30) Lectiones ejus *Hugo* V; Floriacensis, *Hugo Fl.* notamus.

(31) *Cornouville* in Britannia minori.

(32) Cf. Mabillon. Ann. Bened. lib XLII, n. 30.

(33) *Maisières.*

(34) In quo *Mézières* et *Douchéra.*

(35) Omont.

(36) Inferiori, ex Mabill. Ann. XLII, n. 41.

idem quoque monasterium quaedam puella advenerat nomine Osanna, de pago [20] Vonzinse [21] (37), carnem non comedens, neque panem ab annis jam duobus edere valens, cui multæ visiones ostendebantur. Hæc in ipsis diebus ebdomada plena jacuit immota, et sanguinem cum omnium admiratione [22] sudavit, ita ut frons ejus tota et facies usque ad collum operiretur sanguine; in qua vita vel tantum calor remanserat, halitu etiam tenuissimo spirante. Tunc quoque multa se vidisse perhibuit, ex quibus aliqua dixit, plurima vero [23] quæ viderat, se dicere non audere professa est. Tunc etiam circa Remensem urbem mel in spicis inventum [24], et flores quibusdam in arboribus, maturis vel collectis jam fructibus. Anno

DCCCCXXI.

incarnati Verbi Rodulfus episcopus montis Lauduni moritur; cui succedit Adelelmus, ejusdem loci thesaurarius [25], Remis a domno Heriveo episcopus ordinatus. Anglorum Romam proficiscentium plurimi inter angustias Alpium lapidibus a Sarracenis sunt obruti [26]. Synodus [27] apud Trosleium (38) habita, cui præsedit Heriveus archiepiscopus, præsente quoque Karolo rege; cujus obtentu Erlebaldus [28] ibi Castricensis absolvitur. Richardus [29] marchio de Burgundia obiit. Karolus rex in regnum Lotharii abiit [30], receptisque per vim quibusdam Ricuini infidelis sui præsidiis, et facta pactione usque ad missam sancti Martini cum Heinrico principe Transrhenensi [31] reversus est [32] in montem Lauduni. Tempestates hoc anno diversis in locis plurimæ, homines quoque fulmine exanimati, et domus incensæ. Æstus in æstate magnus, et fenum plurimum. Siccitas ingens tribus fere continuis mensibus, Julio, Augusto atque Septembri. Rotbertus comes Nortmannos, qui Ligerim fluvium occupaverant, per quinque menses obsedit, acceptisque [33] ab eis obsidibus, Brittanniam ipsis, quam vastaverant, cum Namnetico [34] pago concessit; qui fidem Christi cœperunt suscipere. Erluinus, Belvacensis episcopus, obiit. Karolus iterum pacem cum Heinrico firmat. Anno

DCCCCXXII.

Karolus regnum Lothariense [35] ob persecutionem Gisleberti et Ottonis rapinis, sacrilegiis atque incendiis, etiam in tempore quadragesimæ, sicut et tota hieme vastat. Richarius, qui Romam profectus fuerat propter episcopium Tungrense, reversus est, ordinatus a Johanne papa episcopus, Hilduino ab ipso papa excommunicato, qui etiam illo abierat episcopus. Dodo [36] episcopus de Tullo moritur; cui succedit [37] Gauzlinus [38]. Berengario Langobardorum [39] rege [40] regno ab optimatibus suis ob insolentiam ejus [41] deturbato, Rodulfus Cisalpinæ Galliæ rex ab ipsis in regnum admittitur; et Hungari, actione prædicti Berengarii, multis captis oppidis, Italiam depopulantur. Karolo denique Laudunum regresso, Hugo filius Rotberti post pascha supra [42] Vidulam [43] (39) venit, ubi apud villam Finimas [44] (40) Heriveí archiepiscopi fideles cum quibusdam Franciæ comitibus obvios habuit. Quo cum eidem super Axonam in pagum Laudunensem profecto, propter prædictum Haganonem, cui rex abbatiam Rothildis, amitæ [45] suæ, socrus autem Hugonis, dederat, nomine Golam [46] (41), Karolus cum Heriberto et Haganone clam Laudunum egressus, ob Haganonis amorem hujus causa timoris trans Mosam profectus est. Quem insecutus Hugo cum ceteris pugnatorum duobus millibus usque Mosam, Gislebertum Lothariensem obvium [47] habuit; cum quo a patre, qui eum prosequutus fuerat et super Axonam in pago Laudunensi sedebat, ad colloquium revocatus, revertitur. Quo comperto, Karolo Mosa retransmissa, cum nonnullis qui ad se venerant Lothariensibus, villas Remensis ecclesiæ deprædari necnon incendere cœpit. Altmontem quoque castrum bellando, non sine suorum clade [48], cepit atque diripuit. Rotbertus [49] igitur super Maternam fluvium Rodulfo filio Richardi, genero suo, procedit obviam; quem sequens [50] Karolus cum Lothariensibus, Maternam transiit, et castrum Sparnaci [51] (42) direptum est ab Haganonis complicibus. Rotbertus etiam, præfato Rodulfo cum Burgundionibus veniente, fluvium transiens subter Sparnacum, non longius tribus leucis ab exercitu Karoli castra metatus est; ubi una magis ebdomada consederunt utrique [52], ad colloquium ceteri [53] præter Haganonem [54] et Karolum venientes.

Hugo interea filius Richardi ad Rotbertum veniens, ducentos circiter ex his qui cum Haganone [55] erant obvios habuit, in villas episcopii Remensis abeuntes prædari; quibus captis, tribus tantum occisis, equos [56] cum armis abstulit et ad suos ignominia oneratos [57] remisit ceteros. Hinc Rotbertus apud Calmiciacum (43) et Karolus circa Remis [58] castra metati

VARIÆ LECTIONES.

[20] pago om., pagi 1. [21] voxinse 2. [22] omni adm. 2. 3. [23] *deest* 2. 3. [24] i. est 2. 3. [25] tesaurarius 2. [26] ie sunt 3. [27] sinodus 2. 3. [28] herlebaldus 2. 3. [29] ricardus 3. [30] habiit 2. [31] transrenensi 3. *sæpius*. [32] *deest* 2. [33] acceptisque 2. [34] nannetico 3. [35] lothariense 3. *sæpius*. [36] Rogo 3a. [37] successit 3. [38] gauzlinus 2. 3. gauzlinus successit, qui etiam ordinatus est 16. Kal. Aprilis *Hugo V*. [39] langobardorum 2. [40] imperatore 2. 3. [41] ob i. e. *deest* 2. 3. [42] super 2. 3. [43] uidolam 2. [44] finimas 3. [45] amicæ 2. 3a. [46] colam 2. B. [47] obvium *corr.* obvium 2. [48] c. s. 3. [49] robertus 3. *sæpius*. [50] sequi *alia linea* quens 1. [51] sparnaci 2. [52] *ibi in loco raso* 1. utrimque 2. 3. [53] *deest* 1. [54] aganonem 1. [55] haganonem 2. [56] equos 2. [57] honeratos 2. [58] remim 2.

NOTÆ.

(37) Circa Vouzy in Campania.
(38) Trosli ad Axonam, in pago Suessonico. Bouq.
(39) La Vêle, Axonam influens.
(40) *Fimes*.
(41) Videtur esse *Chelles*, haud procul Parisiis.
(42) *Epernay*.
(43) *Chermizy* aut *Chaumuzy*, prope Remos.

sunt ; ubi cum tribus continuis consedisset diebus, A una scilicet a civitate leuga, et nonnulli ex equis illorum caperentur a civibus Remorum, una tantum die, dominica videlicet pentecostes, contra urbem pugnarunt [59]. Ubi nonnullis occisis [60] ex Lothariensibus, vulneratisque plurimis, mox prælium diremit. Audito denique, quod hi qui cum Rotberto erant Laudunum captum haberent, et thesauros Haganonis [61], qui inibi erant, dispertiti essent, et unum de fratribus ejus ibi comprehendissent [62], Karolus cum Haganone Laudunum contendit. Lotharienses quidam regrediuntur ad sua ; quidam cum Karolo pergunt. Rotbertus super Axonam tentoria fixit. Karolus, abnegato sibi introitu Lauduni, resedit super fluvium Saram [63] (44), et Rotbertus castra metatus est super Aleam (45). Et cum cotidie copiis Rotberti B crescentibus, decrescerent Karoli, clam tandem secedens cum Haganone trans Mosam proficiscitur. Franci Rotbertum seniorem eliguut ipsique sese committunt. Rotbertus itaque rex Remis apud sanctum Remigium ab episcopis et primatibus regni constituitur. Heriveus [64] * Remorum archiepiscopus obiit tertia die post consecrationem [65] Rotberti regis, scilicet 6 Nonas Julii, quarto die antequam vicesimum secundum sui episcopatus expleret annum. Cui successit in episcopatum Seulfus, qui tunc urbis [65] ejusdem ministerio fungebatur archidiaconatus.

[* *Hist. Rem.* IV, 17 Excrescente denique discordia inter regem Karolum et Rotbertum, cum pene cuncti regni proceres ad constituendum regem C Rotbertum apud sanctum Remigium congregati essent, idem archiepiscopus, languore depressus, vita decessit, tertia die scilicet postquam Rotbertus rex factus fuerat,, quarto vero die antequam vicesimum secundum sui episcopatus expleret annum. Contigit autem (*deest. c*), ut ipsa die sui decessus plures qui advenerant episcopi Remensem ingrederentur urbem, quique funus ipsius dignis exsequiis celebrantes, cum maximo suorum sed et (*deest. c.*) exterorum luctu, decenti tradidere sepulturæ.]

Apud Cameracum [67] visi sunt [68] quasi tres soles apparere, vel sol tres orbes a se invicem distantes habere, item duo in cœlo spicula contra se utrimque propinquantia, donec nube [69] sunt cooperta, item duo stipites sibimet in cœlo propinquantes, quousque similiter operti sunt nube. Rotbertus filium suum Hugonem in regnum Lotharii mittit cum aliquo Francorum [70] agmine propter Capræmontem [71], Gisleberti castrum, obsidione liberandum, quod Karolus premebat obsessum. Quo comperto, Karolus obsidionem reliquit [72] et Hugo, acceptis obsidibus a quibusdam Lothariensium, ad patrem remeavit. Terræ motus in pago Cameracensi factus, ex quo domus inibi nonnullæ subversæ sunt. In pago quoque Parisiaco, in villa quæ dicitur Iesedis [73], multa miracula in ecclesia sancti Petri a quarto superiore anno, ex quo scilicet reliquiæ de barba ipsius apostoli illuc sunt relatæ, facta memorantur, ita ut inter cæcos et claudos [74] vel contractos amplius quam centum septuaginta sanitate [75] donati referantur. Dæmoniaci vero, quotquot illo adierunt, sano sensu, pulsis dæmonibus, redierunt, præter alia innumerabilia quæ ibidem sunt acta. Anno

DCCCCXXIII.

B Rotbertus in regnum Lothariense proficiscitur, locuturus cum Heinrico, qui ei obviam venit in pagum Ribuarium [76] super fluvium Ruram : ubi se invicem paverunt, et pacta amicitia, datisque ab alterutro muneribus, discesserunt. Ubi etiam quidam Lotharienses dederunt obsides, et inducias a Rotberto acceperunt usque in [77] Kalendas Octobris. Nortmanni [78] Aquitaniam Arveniamque deprædabantur [79] : contra quos Willelmus [80] dux Aquitaniorum [81] et Ragemundus pugnaverunt, et cæsa sunt ibi ex Nortmannis duodecim milia. Boso filius Richardi Ricuinum in lecto languentem occidit. Karolus cum suis Lothariensibus, inducias quas nuper a Rotberto acceperant [82] infringentibus, Mosam transiens, ad Atiniacum venit, et antequam Rotbertus suos fideles C adunare potuisset, super Axonam insperate [83], ubi Rotbertum sub urbe Suessonica sedere compererat, adiit. Et in crastinum, die dominica, hora jam sexta præterita, Francis dehinc illa die prælium non sperantibus, plurimis quoque prandentibus, Karolus Axonam [84] transiit, et super Rotbertum cum armatis Lothariensibus venit. Rotbertus [85] vero armatis his qui secum [86] erant, contra processit ; commissoque prælio, multis ex utraque parte cadentibus, Rotbertus quoque rex lanceis perfossus cecidit. Hi tamen, qui erant ex parte Rotberti, Hugo scilicet ipsius [87] filius, et Heribertus [88] cum ceteris, victoria potiti, Karolum cum Lothariensibus [89] in fugam verterunt ; sed ob mortem regis sui Rotberti eos D persequi destiterunt, campum vero obtinuerunt [90] spoliaque ab eis, maxime autem a [91] rusticanis et ex Suessonicæ urbis suburbio confluentibus, direpta sunt. Lotharienses denique, perditis multis angariis, quas Rothgarius [92] comes accipiens in Laudunum castrum

VARIÆ LECTIONES.

[59] pugnaverunt 3. [60] *deest* 1. [61] aganonis 1. [62] coup. 2. [63] isaram 2, [64] heinricus 2. [65] consecratione. 1. [66] e. urbis. 3. [67] camaracum 3. *et infra*, [68] visi sunt *desunt* 3. [69] *deest*. 1. [70] frangorum 1. [71] capræ mortem 1. [72] relinquid 2. relinquit 3. [73] gesēdis 2. gesedis 3 [74] claudus *corr.* claudos 1. [75] sanitatem 2. [76] ribuariarium 3 3. b. [77] *deest* 2. [78] normanni 1. [79] deprædantur 2. [80] willemus 1. *sæpius* [81] aquitanorum 2. [82] acceperat 2. [83] insperante 1. [84] axonem 3. [85] Rotbertus — processit *desunt* 3. [86] cum eo 2. [87] f. i. 2. 3. [88] H. comes Vermandensis *Hugo V.* et *Fl* [89] suis Lodh. 3, [90] opt. 2. [91] *deest* 2. 3. [92] rotgarius 2. 3.

NOTÆ.

(44, 45) *La Sère* et *l'Ale*, in pago Laudunensi, Isaram *la Fère* influentes.

abduxit, relictoque infra [illegible] regnum Franciæ Karolo, revertuntur ad eum. Karolus dehinc [illegible] Heribertum comitem [illegible], Seulfum archiepiscopum, ceterosque regni primates, multis legationibus ut ad se revertantur exorat; quod illi renuentes, pro Rodulfo [illegible] in Burgundiam transmiserunt, qui statim [illegible] cum multa militum manu illis accurrit. Audientesque Franci quod Karolus Nortmannos [illegible] ad se venire mandaverat, ne illi conjungerentur, inter Karolum atque Nortmannos super Isaram fluvium cum Rodulfo medii [illegible] resederunt. Tunque [104] Carolo trans Mosam refugiente, Rodulfum cuncti regem [105] eligunt. Rodulfus filius Richardi rex apud urbem Suessonicam [106] constituitur (46). Et Heribertus comes Bernardum, consobrinum suum, cum aliis legatis, consilium quod per illos agebatur, ut fertur, ignorantibus, ad Karolum dirigit. Qui ab eodem sacramentis persuasus, ad Heribertum cum paucis proficiscitur, quique eum in castello suo super Somnam apud Sanctum Quintinum (47) suscepit, indeque his qui cum eo venerant remissis, Karolum in quandam munitionem suam, quæ vocatur Castellum Theoderici (48), super Maternam fluvium deduci fecit, ibique illum, sub competentibus victui necessariis, sub custodia detinuit, et se ipse Rodulfum regem in Burgundiam prosecutus est.

Interea Ragenoldus, princeps Nortmannorum qui in fluvio Ligeri versabantur, Karoli frequentibus missis jampridem excitus, Franciam trans Isaram, conjunctis sibi pluribus ex Rodomo, deprædatur [107]. Cujus castris supervenientes fideles Heriberti qui per castella remanserant, adjunctis sibi Rodulfo privigno Rotgeri et Ingobranno [108] comitibus, prædam ingentem eripuerunt [109], et captivi mille ibidem liberati sunt. Quo cognito, Ragenoldus exagitatus furore, in pagum Atrebatensem prædatum progreditur; cui obvius factus comes Adelelmus, sexcentos ex eis stravit, ceteris fuga prolapsis. Cum quibus Ragenoldus ad munitionem suam properat refugus, indeque quantas potest exercere non desinit prædas et incendia. Quibus auditis tandem rex [illegible] Rodulfus ab [illegible] Hugone filio Rotberti accitus, de Burgundia venit ad Compendium [illegible] super Isaram; et audito quod Nortmanni [illegible] pagum Belvacensem deprædabantur, illo transit cum Seulfo archiepiscopo et Heriberto comite aliisque quibusdam et electis viris bellicis. Ita [110] (49), fluvio transito, ingressus est terram, quæ dudum Nortmannis ad fidem Christi venientibus, ut hanc fidem colerent et pacem haberent, fuerat data. Eadem quoque tempore rex cum Francis, data ipsi [111] Nortmanni pacem quam pepigerant, propter promissionem Karoli, qui eis latitudinem terræ pollicitus fuerat, infregerunt [112], cædibus et igne devastat. His vero rebus [113] cum instaret, legati adsunt Lothariensium, se seque ipsi subdere spondentium. Quorum legatione revocatus ab hac devastatione, cum primatum qui secum aderant consilio Lothariensibus obviam pergit, Hugone et Heriberto comitibus ad præsidium patriæ trans Isaram relictis. Lotharienses illi obviam juxta Mosomum veniunt, et uxor ipsius nomine Emma, regis Rotberti filia, Remis interim ab Seulfo archipræsule consecratur regina. Rodulfus a plurimis Lothariensium susceptus in regno, petitur a Wigerico Metensium [114] episcopo, receptum ire quoddam castrum in pagum Elisatium nomine Zabernum (50). Ubi toto pene demoratus autumno [115], castellanis [116], qui Transrhenenses erant, auxilium ab Heinrico frustra expectantibus, tandem obsidibus ab eis acceptis, Laudunum ad uxorem sua revertitur. Interea Nortmannis quosdam pagos nostros trans Isaram, et nostratibus eorum terram deprædantibus, crebris alternatim directis legationibus, pacem Heriberto comiti et Seulfo archiepiscopo pollicentur, ceterisque Francis qui cum ipsis contra Nortmannos sedebant, si tamen eis terra daretur, quam spaciosam petebant ultra Sequanam. Rodulfo interea rege, ut dictum est, Laudunum reverso, obsides illi mittunt, et inducias ab eo usque ad medium Maium accipiunt.

Dum hæc geruntur, Heinricus, invitantibus se Gisleberto comite et Rotgerio Trevirorum præsule, qui needum se Rodulfo subdiderant, Rhenum [117] transmisisse regnumque Lotharii deprædari nuntiatur [118]. Depopulatus est autem quod inter Rhenum et Mosellam interjacet, pecorum jumentorumque abductione [119] ac ceterarum opum exhausta, cum plurimorum quoque juventutis captivitate. Quique, audito quod Rodulfus exercitum [120] non modo e Francia, quin ex omni congerat [121] Burgundia, in suo se regno recepit, datis induciis Lothariensibus usque kalendas Octobris anni sequentis [122]. Otto [123] tantum ex

VARIÆ LECTIONES.

[illegible] in 2. [illegible] 1. [illegible] comitem 1. [illegible] R. Richardi Justitiarii filio. *Hugo V.* Richardi R. magni principis filio *Hugo Fl.* [illegible] 2. 3. [illegible] normannos 2 [illegible] 3. [illegible] medii [illegible] 1. [104] Tuncque 2. 3. [105] [illegible] 2. 3. [106] S. in monasterio Sancti Medardi [illegible]. Nec apud Richerum neque apud Hugonem V. habentur. [illegible] prædantur 2. 3. [illegible] ingrobranno 2. [illegible] eripuerunt 1. [illegible] 1. [illegible] compendio 1. [109] normanni 2. [110] Ita 2. 3 a. [111] ipsius 1. [112] infringere 1. [113] [illegible] 2. [114] metensium 2. [115] autumno [illegible] autumno 1. autumno 2. [116] castellanis qui 3 [illegible]. [117] renum 2. [illegible]. [118] nuntiantur [illegible] 1. 2. nuntiatur 3. [119] abductione 2. [120] exercitus 3. [121] congerat 2. 3. [122] [illegible] 2. 3. [123] otho 3.

NOTÆ.

(46) Hugo Flav. ita pergit: *Et Boso frater ejus rex Galliæ superioris, quæ nunc Burgundia dicitur, constitutus est,* i. e. Burgundiæ superioris, et Hugo Capeto [illegible] Burgundiæ inferioris.

(47) Saint-Quentin.

(48) Château-Thierry.

(49) Epte, medio spatio inter Parisios et Rodomum Sequanam illabens.

(50) Zabern.

his qui se Rodulfo commiserant, ad Heinricum defecit. Wigericus [124] episcopus Zabernam ut recepit, evertit. Camaracus inde proviso conflagravit incendio. Alter Rodulfus Cisalpinæ Galliæ rex, quem Italici abjecto [125] rege suo Berengario in [126] regnum receperant, cum ipso Berengario conflixit, eumque devicit; ubi mille quingenti viri cecidisse dicuntur. Seulfo archiepiscopo archiepiscopalis infula, quæ pallium nominatur, ab Johanne [127] papa transmittitur. Multitudo Anglorum limina sancti Petri orationis gratia petentium inter Alpes a Sarracenis [128] trucidatur [129]. Dado Virdunensium episcopus obiit (51), et episcopatus ejus Hugoni ab Rodulfo rege conceditur, quique presbyter Remis ab [130] Seulfo archiepiscopo [131] consecratur. Anno

DCCCCXXIV.

incipiente, fit exactio per Frantiam [132] pecuniæ collaticiæ, quæ Nortmannis pacto pacis daretur; et Rodulfus rex profectionem parabat in Aquitaniam, quia Willelmus [133], ejusdem regionis princeps, subdi sibi differebat. Qui comperto quod Rodulfus in Aquitaniam cum hostili manu properaret, ei obviam super Ligerim venit, et intercurrentibus alternatim legatis tandem ad colloquium super ipsum flumen Ligerim infra pagum Augustidunensem [134] convenere. Ubi tota die immorati [135], Rodulfus ex hac, Willelmus ex illa fluminis ora, nuntiis utrimque progredientibus, sicque die consumpta, flumen tandem Willelmus transiens, ad Rodulfum jam noctu pervenit, et equo desiliens, ad regem equo [136] insidentem pedibus accessit: quem postquam rex osculatus est, utrimque discessum. In crastino ad regem regreditur Willelmus, et octo dierum acceptis induciis, post finitam ebdomadam sese regi committit. Et rex illi Biturigensem [137] pagum restituit, quem illi nuper, auxilio fretus Rotberti necdum tamen regis, vi dempserat [138] cum civitate Biturigis. Heriberto denique Peronam [139], et Hugoni filio Rotberti Cinomannis dedit. Seulfus quoque archiepiscopus [140] terram sancti Remigii conjacentem in Lugdunensi [141] provincia, de qua Heriveus episcopus nihil habuerat, ab Hugone de Vienna (52), qui eidem [142] colloquio intererat, reimpetravit [143]. Inde reversi circa quoddam castellum veniunt, quod dicitur Mons sancti Johannis. Hoc Ragenardus [144] invaserat, et [145] retinebat. Hostio tamen regis solum suorum, Walonis et Gisleberti, ceterorumque quos rex ad id expugnandum miserat, obsidem regi filium suum transmisit. Quem rex, exoratus a propinquis Ragenardi [146] et Hugone fratre suo, reddi jussit, et Ragenardo inducias dedit, ceterosque omnes qui cum Ragenardo erant, obstrictos [147] sacramento reliquit. Interea Gislebertum [148] Berengarius, qui sororem ipsius uxorem [149] habebat, comprehendit [150], quemque oblatis obsidibus [151] scilicet pro eo filiis Ragenarii, fratris ipsius [152] Gisleberti, dimisit. Idem vero Gislebertus dimissus, terram Berengarii Ragenariique fratris sui et Isaac comitis deprædationibus plurimis vastat. Post hæc regi Rodulfo [153] legatos, ut ab eo reciperetur, dirigit. Quod rex fidelium suorum consilio, ipsius abominatus [154] perjuria et instabilitatem, facere contempsit.

Hungari ductu regis Berengarii, quem Langobardi [155] reppulerant [156], Italiam depopulantur; Papiam quoque, urbem populosissimam [157] atque opulentissimam, igne succendunt; ubi opes periere innumerabiles; ecclesiæ 44 [158] succensæ, urbis ipsius episcopus cum episcopo Vercellensi, qui secum erat, igne fumoque necatur; atque ex illa pene innumerabili multitudine ducenti tantum superfuisse memorantur, qui ex reliquiis urbis incensæ, quas inter cineres legerant, argenti modios [159] octo dederunt Hungaris, vitam murosque civitatis vacuæ redimentes. His expletis, Hungari per abrupta [160] transeuntes Alpium juga, veniunt in Galliam. Rodulfus [161], Cilsapinæ rex [162] Galliæ, et Hugo Viennensis Hungaros [163] inter angustias collium Alpinorum [164] claudunt; unde inopinato loco per devia montis evadentes, Gothiam [165] impetunt; quos insequentes prædicti duces, sternunt ex eis quos reperire [166] poterant. Interea Berengarius, Italiæ rex, a suis interimitur [167].

Rodulfus rex Franciæ placitum tenuit [168] apud Atiniacum. Tunc inde profectionem [169] parans in regnum Lotharii, gravissimo languore [270] corripitur; cujus vi recidiva, dum jam convalescere putabatur,

VARIÆ LECTIONES,

[124] uuigerius 1. uuitgericus 1. wilgericus 3. [125] accepto 3a. [126] i. r. r. c. i. B. *desunt* 2. [127] iohhanne 1. [128] saracenis 1. 3. [129] trucidantur 2 [130] a 1. [131] episcopo 1. [132] franciam 2. 8. *sæpius*. [133] uuillemus 1. *sæpius*, [134] augustidinensem 1. [135] inmorati 2, [136] æquo 2. [137] bituricensem 2. [138] denserat 1. [139] perronam 2, parronam 3. paronam *Hugo Fl*, [140] episcopus 3. [141] ludunensi 2. [142] eodem 2. [143] reimperavit 1. [144] raienardus 2. *constanter*. ragenardus 3. [145] ac 2. 3, [146] raginardi 3. [147] obstricto 2 [148] gislebertus *corr.* — um 1. [149] *deest* 3 [150] conp. 2, [151] obs. obl. 2. [152] fratri sui 2. [153] radulfo 3. [154] abhom 2. [155] lamgobardi 2. [156] pepulerant 2 3. [157] *voci* populosissimum *superscribitur* de 2 [158] XLIII. 3. [159] md. 1. [160] abruta 1. [161] G. quos R. 2. 3. [162] c. G. r, 2, [163] *deest* 2. 3. [164] alpinarum 1.3 [165] Tolosanam provintiam petere compulerunt. Ibi autem ibidem Dei omnipotentia prepediti, dissenteria et varia clade postmodum periere *Hugo Flor.*; cf. *finem hujus anni.* [166] repperire 2. [167] interemitur *corr.* interemitur 1. *Codex* 2. *hoc loco sententias infra scriptas* Normanni cum Francis pacem *usque* pacto pacis eis concessæ *et* Hungari qui Gothiam *usque* esse consumpti *inserit*; *quæ uncis inclusa hoc loco servat* 3. [168] *deest* 2. habuit 3. [169] profectione 1. [170] langore 2

NOTÆ.

(51) Hugo pergit; « Exactis in episcopatu 37 annis, et inter sepulcra prædecessorum suorum episcoporum in ecclesia sancti Vitoni condignam sepulturam meruit. »

(52) Postea Italiæ rege.

opprimitur, et pene desperatus a pluribus, Remis ad sanctum Remigium se deferre petiit [171]. Ubi nonnulla [172] dona largitus, cæterum, præter uxoris partem, quidquid [173] sibi thesaurorum superevat, per monasteria Franciæ Burgundiæque dividit; et quatuor ebdomadibus apud sanctum Remigium demoratus, tandem redintegrata sanitate, Suessonicam petit urbem [174], indeque regreditur in [175] Burgundiam. Heinricus æque in pago Sarmatarum [176] debilis valetudine corporis tota detinetur æstate. Interim contentio [177] inter Gislebertum et Ragenerum [178], fratrem ejus, nec minor inter Bosonem et Othonem [179], oritur, incendiis ac deprædationibus utrobique patratur. Nortmanni cum Francis pacem firmant sacramentis per Hugonem [180] et Heribertum comites, Seulfum quoque archiepiscopum; absente [181] rege Rodulfo, ejus tamen consensu, terra illis aucta, Cenomannis et Bajocas pacto pacis eis concessis. Isaac quoque comes quoddam castellum Stephani Cameracensis episcopi hostili infestatione comprehendens, incendit. Præsidii etiam Heriberti turris super Maternam fluvium ubi Karolus custodiebatur, subitaneo conflagravit incendio. Ragenoldus [182] cum suis Nortmannis, qui nondum possessionem intra Gallias acceperant, terram Hugonis inter Ligerim et Sequanam depopulatur. Synodus episcoporum Remensis diœceseos apud Trosleium Octobri mense habita, Seulfo archiepiscopo præsidente, in qua Isaac comes ad emendationem et satisfactionem venit, pro his quæ prave adversus ecclesiam Cameracensem perpetraverat, et vadiatus argenti libris [183] centum, pacatur cum Stephano præfatæ urbis episcopo, præsente satagente, *Hist. Rem.*, Heriberto et pluribus Franciæ comitibus.

Rodulfus rex castellum montis sanctæ Johannis, id Ragenardo invito licet deserente, recepit, sicque Franciam repetit [184]. Willelmus et Hugo Rotberti [185] filius cum Ragenoldo de sua terra securitatem [186] paciscuntur, et Ragenoldus cum suis Nortmannis in Burgundiam proficiscitur. Illuminationes candelarum hoc anno multæ per diversa Franciæ loca, orto repente lumine, factæ, et visiones sanctorum cuidam presbytero nomine Ebrulfo in villa Mosomo provinciæ commanenti [187] ostensæ [188]. Remis in ecclesia sanctæ Mariæ sollempnitate omnium sanctorum quidam diu contractus, cujus coxæ cruribus inhæserant [189] junctæ poplitum [190] nervis ita retractis, virtute divina sanatus et erectus [191] est. Hungari qui Gothiam vastabant, pestem quamdam perpessi, capitum inflatione ac dissenteria pene cuncti, paucis evadentibus, nuntiantur esse consumpti. Anno

DCCCCXXV

redintegrante, Ragnoldus [192] cum suis Nortmannis Burgundiam depopulabatur [193]. Cum quo Warnerius et Manasses comites, Ansegisus et Gotselinus [194] præsules, congressi apud montem Calaum [195], Nortmannorum plusquam octingentos sternunt. Warnerius comes ibi, equo [196] cui sedebat occiso, captus et interemptus est, et Ansegisus Trecasinæ [197] urbis episcopus vulneratus [198]. Quo Rodulfus rex comperto, in Burgundiam cum quibusdam ex Francia militibus scilicet Remensis ecclesiæ et Abbone [199] Suessonensi episcopo, paucis etiam aliis secum comitantibus, proficiscitur, Heriberto quoque comite se prosequente. Collectaque ex Burgundia militum manu non parva, venit usque ad castra Nortmannorum super Sequanam; ibique ab his [200] qui ex Francia perrexerant pedestri pugna certatum ad castra. Videntes vero, quod illi qui erant cum rege, pars scilicet exercitus maxima, neque castra invadere neque [201] equis desilire temptarent, compulsis in castra Nortmannis qui fecerant [202] ad repugnandum [203] egressi, quibusdam [204] quoque prostratis, a castrorum pervasione discedunt, castraque duobus vel tribus milibus a Nortmannorum castris metantur in girum, Hugone Rotberti filio econtra supra [205] Sequanam hac ex parte castra metato. Ubi propinquiorem castrorum obsidionem procrastinantibus Francis et de die in diem differentibus [206], naves a Parisio venturas expectando, eruptione clam facta, quorundam nostrorum velut fertur assensu, Nortmanni [207] sua castra linquentes, et saltum quendam iter suum tutandi gratia petentes, evadunt; nostrorum vero quique regrediuntur ad sua. Jejuniis itaque ceptis quadragesimalibus, Heribertus, cum Gisleberto indeque cum Hugone locutus, regem accersit [208] ex Burgundia; qui festinanter adveniens, Camaracum Lothariensibus atque Gisleberto proficiscitur obviam. Quique hoc placitum omittentes, super Mosam ad eum veniunt, sicque Gislebertus et Otto [209] efficiuntur.

Nortmanni de Rodomo fœdus quod olim pepigerant irrumpentes, pagum Belvacensem atque Ambianensem depopulantur. Ambianis civitas male proviso confugientium igne succensa est; sic et Atrabatis subito exorto conflagravit incendio. Nortmanni usque ad Noviomagum prædatum veniunt, et suburbana succendunt. Castellani [210] cum suburbanis egredientes, Nortmannos repellunt, sternunt quos poterant, partem suburbii liberant. Bajocenses interim terram Nortmannorum ultra Sequanam deprædantur. Quo comperto Parisiaci [211], et ipsi quoque [212] cum qui-

VARIÆ LECTIONES.

[171] fecit 2. 3. [172] non nulla 3a. [173] quicquid 2. 3. [174] civitatem 2. [175] *lineæ superscriptum* 1. [176] parmatarum 2. [177] contemptio 2. [178] ragenarium 2. 3. [179] ottonem 3. [180] hugone 1. [181] absente 1. [182] raimoldus 1. ragenoldus 2. ragenoldus 3. [183] libras 3a. [184] repetiit 3. [185] f. R. 2. 3. [186] *deest* 2. 3. [187] commanenti 1. [188] hostense 2. [189] inheserent 1. inhæserant 3. [190] popliter *corr.* poplitem 1. [191] ereptus 3. [192] ragenoldus 3. [193] depopulatur 2. [194] gotselinus 1. gotselmus 2. gozelinus 3. [195] calaun 3. [196] equo 2. [197] trecassinæ 3. [198] v. est 2. [199] abbone *corr.* abbone 1. [200] iis 2. 3. aliis 3a. [201] nec. 1. [202] fugerant 3. [203] pugnandum 2. 3. [204] qui *erasum* 1. [205] super 2. 3. [206] proferentibus 2. [207] nortmannorum 1. [208] accersivit 2. 3. [209] ... *superscripto* 1. 2. [210] castellani 2. [211] *ita* 1, *distinguit*. [212] *deest* 1.

busdam fidelibus Hugonis filii Rotberti, et quorundam castellorum oppidanis, partem quamdam [213] pagi Rotomagensis [214], qui possidebatur a Nortmannis cis Sequanam, depopulati sunt, villis succensis, pecoribus abductis, nonnullis etiam Nortmannorum interfectis. Heribertus comes interea cum paucis Francorum, quia parum adhuc herbæ inveniebatur equis [215], transitum Nortmannis prohibendi gratia, super Isaram residebat. Nortmanni terræ suæ cognita vastatione, in sua festinant [216] redire. Heinricus denique Rhenum transiens, oppidum quoddam nomine Tulpiacum (53), quod Gisleberti fideles tutabantur, vi cœpit, nec diu demoratus infra regnum Lotharii, ad sua trans Rhenum regreditur, obsidibus a Gisleberto acceptis. Hilgaudus comes et ceteri maritimi Franci loca sibi vicina nuper a Nortmannis possessa pervadentes, devastant.

Rodulfus interea de Burgundia revertitur in Franciam, et ut se ad bellum contra Nortmannos præparent [217] Francis banno denuntiat. Heribertus igitur expeditione cœpta contra Nortmannos cum militibus Remensis ecclesiæ, Arnulfus quoque comes [218] et ceteri maritimi Franci præsidium quoddam Nortmannorum aggrediuntur, quo etiam Rollo princeps eorum mille Nortmannos præter ipsius inhabitatores oppidi ex Rodomo transmiserat. Idem vero castrum secus mare situm vocabatur Auga (54); quod circumdantes Franci, vallum, quo pro antemurali cingebatur, irrumpunt, murumque infringentes conscendunt; et oppido pugnando potiti, mares cunctos interimunt, munitionem succendunt. Nonnulli tamen evadentes, finitimam quandam occupant insulam, quam adgredientes [219] Franci, majore licet mora quam oppidum cœperant, capiunt. Quod videntes Nortmanni, qui armis vitam pro posse tutabantur, postquam spem vitæ amisissent, quidam, ut enatarunt, jugulati sunt. Et alii quidem Francorum necabantur gladiis, alii propriis se oppetebant [220] telis. Sicque omnibus prostratis, et præda non modica direpta, Franci revertuntur ad sua. Rodulfus autem rex cum Hugone et Burgundionibus in pago Belvacensi sedebat.

Per idem tempus Seulfus Remorum archiepiscopus * obiit, expletis in episcopatu annis tribus et [221]

[*Hist. Rem.* IV, 19, 20. Fertur autem veneno potatus a domesticis vel familiaribus Heriberti comitis vitam finisse. Nec mora, post obitum ipsius Heribertus comes Remis venit, advocans Abbonem episcopum Suessonicum, et Bovonem Catalaunicum. Quibus sibi junctis, tractans super electione rectoris hujus Remensis ecclesiæ, tam clericos quam laicos ad voluntatem suam intendere fecit. Sequentes igitur ejus consilium, ne forte per extraneas personas episcopatus divideretur, eligunt filium ipsius, nomine Hugonem, admodum parvulum, qui nec adhuc quinquennii tempus explesset. Quo se pariter ad regem properant, ejus auctoritatis impetrandæ gratia. Rodulfus igitur rex, hac electione comperta, prælatos ex episcoporum consilio Remensem episcopatum commisit Heriberto, æquitatis censura dispensandum atque regendum ab ipso. Qui etiam legatos cum litteris eum Abbone præsule Romam mittere satagit. Cujus electionis decretum scriptis firmatum et ... papæ super ea petentes Johannes itaque papa, interveniente Abbone præsule, petitioni eorum consensum præbens, episcopium Remense Abboni episcopo delegat, quæ sunt episcopalis ministerii ab ipso in eodem episcopio tractanda ac peragenda decernens. Heribertus itaque comes potestate potitus Remensis episcopii, injuste privavit tam me, qui non interfui ejus præsumptæ electioni, quam nonnullos alios, et clericos et laicos, beneficiis possessionum ecclesiasticarum, quibus a præcedentibus episcopis munerati videbamur ob ... dationis gratia. Quæ pro libitu suæ voluntatis, quibus sibi placuit, et impertivit. Nec longum postea, tumultu infra claustrum canonicorum inter clericos exorto, supervenientibus quibusdam militibus cum armis, duo interempti sunt ibidem clerici, quorum alter diaconus, alter habebatur subdiaconus.]

diebus quinque. Heribertus comes Remis venit, et vassalos ipsius ecclesiæ sed et clericos de electione rectoris ad suum consilium intendere fecit. Hugo filius Rotberti pactum securitatis accipit [222] a Nortmannis, terra filiorum Balduini, Rodulfi quoque de Gaugeio atque Hilgaudi [223] extra securitatem relicta. Episcopatus Remensis Heriberto [224] comiti commissus est sub [225] obtentu filii sui Hugonis, admodum parvuli, necdum, ceu ferebatur, quinquennis. Abbo episcopus Romam petit cum legatis Heriberti comitis. Heinrico cuncti se Lotharienses committunt; et ipse Bernuino, Dadonis [226] episcopi nepoti, episcopium Virdunense concedit, qui et expulso Hugone presbytero, cui Rodulfus illud dederat, ibidem ordinatur episcopus (55). Annus

DCCCCXXVI.

incipiebat, et Rodulfus rex cum Heriberto comite et quibusdam maritimis Francis Nortmannos in pago Atrabatensi quodam saltu coartatos obsidebat, cum repente post aliquot dies noctu eruptione cœpta, Nortmanni castra regis aggrediuntur; ibique regi, ne a Nortmannis comprehenderetur, succursum ab Heriberto, succensisque casis [227] quibusdam, pugnatum ad castra. Nortmanni tandem a castrorum pervasione repulsi, recedunt; rex ibi vulneratus et Hilgaudus comes interemptus est; Nortmanni mille et centum dicuntur ibidem occisi. Sicque Rodulfus Laudunum revertitur, et Nortmanni usque in pagum Porcensem (56) silvestria [228] loca deprædantur. Hungari quoque Rheno [229] transmeato usque in pagum

VARIÆ LECTIONES.

[213] quendam 2. [214] rothomag. 3 [215] aquis 2. [216] festinanter 2. festinanter rediere 3. [217] præparant *corr.* præparent 2, præpararent 3. [218] *deest* 1. [219] aggr. 2. [220] oppetebat 2. [221] *deest* 1. [222] accepit 2. [223] hilgaldi 3. [224] herberto 1. [225] sed *corr.* sub 1. [226] dadanis 2. [227] *deest* 2. [228] silvestra 2. [229] *deest* 2.

NOTÆ.

(53) *Zulpich.*

(54) *Eu,* inter *Dieppe* et *Abbeville.*

(55) Hugo addit: *Abhinc Virdunum et aliæ civitates a regno Francorum defecerunt.*

(56) In Campania, in quo, exempli gratia, *Chateau-Porcien* in præfectura Ardennensi.

Vonzinsem ²³⁰ prædis incendiisque devastant. Luna quartadecima, sabbato sancto paschæ ²³¹, die Kalendarum Aprilium, passa ²³² defectum, et in pallorem conversa est, quadam tamen rubea particula, velut ²³³ esset secunda; nocte vero jam completa, in sanguineum tota mutata ²³⁴ est colorem ²³⁵. Corpus sancti Remigii et aliorum quorumdam sanctorum pignora Hungarorum metu Remis a suis monasteriis sunt delata, inter quæ sanctæ quoque Walburgis ²³⁶ reliquiæ, ad quas nonnulla exercebantur ²³⁷ miracula. Exactis paucis diebus, Nortmannis pactio pacis danda publice fit per Franciam atque Burgundiam. Data igitur pecunia, pax utrimque est ²³⁸ cum juramentis ²³⁹ firmata. Hinc exercitus Franciæ Burgundiæque cum Rodulfo rege et Heriberto comite proficiscitur super Ligerim, et acceptis obsidibus ab urbe Nivernensi, quam frater Willelmi contra regem tuebatur, in Aquitaniam ad persequendum Willelmum, qui a rege forte desciverat, transeunt insequunturque fugitantem ²⁴⁰, donec rumor infestationis Hungarorum, quod iterum jam Rhenum transissent, exercitum in Franciam repedare coegit.

Hugo filius Bertæ, rex Romæ super Italiam constituitur, expulso Rodulfo Cisalpinæ Galliæ rege, qui regnum illud pervaserat, et altera femina vivente uxore sua se copulaverat; occiso quoque a filiis Bertæ Burcardo ²⁴¹ Alamannorum principe, ipsius Rodulfi socero, qui Alpes cum ipso transmeaverat, Italiæ ²⁴² regnum petiit recuperandi gratia. Hugo presbiter expulsus Verduno, defungitur. Eberardus quidam ²⁴³ Transrhenensis in regnum Lotharii mittitur ab Heinrico, justitiam faciendi causa, et Lotharienses inter se pace consociat. Rodulfus comes, filius Heilgaudis ²⁴⁴, obiit. Non multo post etiam Rotgarius ²⁴⁵ vitricus ²⁴⁶ ejus, comes Laudunensis pagi, decessit. Hugo filius Rotberti filiam Edwardi ²⁴⁷ regis Anglorum, sororem conjugis Karoli, duxit uxorem. Anno

DCCCCXXVII.

Inter Rodulfum regem et Heribertum comitem pro Laudunensi comitatu, quem Heribertus Odoni filio suo dari petebat, concedente illum rege cuidam filiorum Rotgarii nomine Rotgario ²⁴⁸, simultas exorta est ²⁴⁹. Acies igneæ Remis in cœlo mense Martio mane quadam die dominica visæ; cui signo pestis e vestigio successit, quasi febris et tussis, quæ mixta quoque ²⁵⁰ mortalitate in cunctas Germaniæ Galliæque gentes irrepsit. Wigericus Mettensis ²⁵¹ antistes defungitur. Heribertus comes legatos suos trans Rhenum dirigit ad Heinricum, quibus reversis, evocatur ad colloquium Heinrici per eosdem ²⁵², ad quod ²⁵³ properans, cum Hugone Rotberti filio pace firmata, muneribus Heinricum honorat et honoratur ab illo. Ibi etiam Heinricus episcopium ²⁵⁴ Mettensium, contempta electione ipsorum, cuidam, ut ferebatur, Dei servo dedit, cognomento Bennoni.

Hugo filius Rotberti et Heribertus comes contra Nortmannos pergunt, qui super fluvium Ligerim morabantur. Tempestas maxima pagum Laudunensem concussit et Suessonicum, qua domus eversæ arboresque multæ fuerunt evulsæ, homines exanimati per loca diversa quamplures ²⁵⁵. Willelmus Aquitanorum princeps obiit. Nortmanni de Ligeri postquam obsessi sunt ebdomadibus quinque ab Heriberto et ²⁵⁶ Hugone, datis receptisque obsidibus et concesso sibi pago Nannetico, pacem pepigere Francis. Synodus sex episcoporum apud Trosleium habita, contradicente rege Rodulfo, per missos Heriberti comitis, et mandante illi ut synodum differret, sibique obvium ad Compendium ²⁵⁷ veniret. Quod ille agere renuit ²⁵⁸; synodo vero interfuit. Ubi Herluinus comes ad pœnitentiam venit pro uxore, quam duxerat alia vivente. Post absolutionem synodi Heribertus comes Laudunum ingredi voluit; prævenit autem eum Rodulfus rex, missis illo militibus ad custodiam loci; ipse denuo ²⁵⁹ subsecutus, idem castellum ingressus est. At Heribertus Karolum de custodia ejecit, secumque in pagum Veromandinsem ²⁶⁰, scilicet ad Sanctum Quintinum deduxit ²⁶¹, Rodulfus vero in Burgundiam revertitur, Rotgarii ²⁶² filiis cum uxore sua ad custodiam Lauduni relictis; qui egredientes, loca quæque devastant ²⁶³ circa Codiciacum (57), episcopii Remensis castrum. Karolus igitur cum Heriberto colloquium petit Nortmannorum ad ²⁶⁴ castellum quod Auga ²⁶⁵ vocatur, ibique se filius Rollonis Karolo committit ²⁶⁶, et amicitiam firmat cum Heriberto. Metus interea falsi rumoris Hungarorum et fugæ per regnum Lothariense agitantur et Franciam. Anno

DCCCCXXVIII

inchoante, in ipsis solemniis ²⁶⁷ ortus ²⁶⁸ Christi, Rodulfus de Burgundia cum hostili Burgundionum manu venit in Franciam prædando, et etiam loca quædam incendendo. Cui Hugo filius Rotberti obviam properat, venientesque super Isaram, inter

* VARIÆ LECTIONES.

²³⁰ vulnasem 2. vuiisem 3. ²³¹ desunt 1. 2. ²³² in cod. 1 est superscriptum. ²³³ veluti 3. ²³⁴ immutata 2. ²³⁵ deest 2. ²³⁶ walburgis 2. 3. gulburgis Hugo Fl. ²³⁷ sæpe fiunt Hugo Fl. ²³⁸ deest 1. ²³⁹ c. j. desunt 1. ²⁴⁰ fugientem 2. 3. ²⁴¹ berhardo 3. ²⁴² italia 2. italiam 3. ²⁴³ quoque 2. 3. ²⁴⁴ heriondis 2. heilgaudis 3. 1 b. ²⁴⁵ rotgardus 1. ²⁴⁶ vitricus 2. ²⁴⁷ eaduardi 2. ²⁴⁸ rotgario 1. rotgarin 2. ²⁴⁹ exoritur 2. 3. ²⁵⁰ deest 1. ²⁵¹ mettensis 3. et infra. ²⁵² pro eodem 3. ²⁵³ quos 1. ²⁵⁴ episcopium 2. ²⁵⁵ plures 1. ²⁵⁶ deest 2. ²⁵⁷ compendium 2. ²⁵⁸ renuit 2. ²⁵⁹ demque 2. 3. ²⁶⁰ veromandissem 2. ²⁶¹ deduxit 2. 3. ²⁶² rotgerii 1. ²⁶³ devastavit 2. ²⁶⁴ ad c. q. A. v. in margine 2. ²⁶⁵ Auga Hugo Fl. ²⁶⁶ committit 2. ²⁶⁷ solemnis 1. ²⁶⁸ ortum 1.

NOTÆ.

57) Coucy.

Rodulfum et Heribertum comitem sequester et medius fuit, et ab Heriberto obsides accepit, donec iterum ad denominatum placitum convenirent. Quo facto, Rodulfus in Burgundiam revertitur, non valens suadere conjugi suæ Lauduno discedere. At Heribertus comes Remis cum Karolo venit, indeque litteras mittit Romam Johanni papæ, significans ei [269] de restitutione et honore Karoli, ut ille sibi etiam sub excommunicationis interminatione mandaverat se pro viribus decertare. Rodulfus rex et Heribertus comes iterum ad placitum jam infra quadragesimam veniunt. Regina uxor Rodulfi Laudunum relinquit [270], et in Burgundiam redit. Heribertus comes Lauduno potitur, et exinde placitum cum Nortmannis habuit, ipseque [271] et Hugo [272] amicitiam [273] cum eis pepigerunt. Filius tamen Heriberti Odo, quem Rollo habebat obsidem, non redditur illi, donec se committit Karolo pater cum aliis quibusdam Franciæ comitibus et episcopis. Tempestates variæ diversis locis effusæ [274]. Otgorius Ambianensium præsul, vir sanctus et plenus dierum, obiit; cujus vita usque ad annos centum et amplius protelata [275] refertur. Heribertus comes quandam munitionem filiorum Rotgarii [276], quam dicunt Moritaniam [277] (58), super Scaldum fluvium [278] vi cepit et diruit. Interea missus Heriberti comitis Roma revertitur, nuntians Johannem papam a Widone, fratre Hugonis [279] regis, propter simultatem quandam inter illos exortam retrusum [280] in carcerem.

Odalricus [281] Aquensis (59) quidam episcopus *

[* *Hist. Rem.* IV, 22. Episcopus, qui ob persecutionem Sarracenorum a sede sua recesserat.]

in æcclesia Remensi [282] recipitur ab Heriberto comite ad celebrandum episcopale duntaxat ministerium vice Hugonis, ipsius comitis filii adhuc parvuli, conceditur que ipsi Odalrico abbatia tantum sancti Timothei cum præbenda canonica. Heinricus, Germaniæ [283] princeps, cum multitudine Germanorum Rhenum transiit, et supra Mosam veniens, obsidet quoddam castrum Bosonis comitis nomine Durofostum (60), pro eo quod Boso ad legem venire nolebat de quibusdam abbatiis et terra [284] episcopatuum [285], quam potestatis auctoritate ceperat, et pertinaciter Heinrici præcepta spernens detinebat; mittensque ad Bosonem, pacem spondet, si ad se veniat. Qui acceptis obsidibus pacto securitatis ab Heinrico, venit ad eum, eique fidelitatem et pacem regno juramento promittit, terram quam vi ceperat reddit, data sibi alia recompensationis [286] gratia; pariterque tam ipse quam Ragenarius cum Gisleberto et ceteris Lothariensibus. Hugo et Heribertus ad Heinricum [287] colloquii causa proficiscuntur, indeque revertentes obviam pergunt regi Rodulfo. Rursusque Heribertus se illi committit, iterum redacto sub custodia Karolo; deinde cum Rodulfo proficiscitur in Burgundiam obviam Hugoni Italiæ regi. Vindemiæ pene peraguntur intra mensem Augustum. Hugo rex habens colloquium cum Rodulfo, dedit Heriberto comiti provinciam Viennensem [288] vice filii sui Odonis. Benno Mettensis [289] episcopus, insidiis appetitus, eviratus luminibusque privatus est. Rodulfus rex Remis veniens, pacem fecit cum Karolo*, reddens illi [290] Atiniacum, muneribusque honorans illum. Anno

[* *Ibid.* Karolo, humilians se ante ipsius præsentiam et reddens, etc.]

DCCCCXXIX

Heribertus et Hugo comites contra Bosonem, Rodulfi regis fratrem, proficiscuntur, propter quosdam Rothildis alodes nuper defunctæ, quos a Bosone pervasos repetebat Hugo, gener ipsius Rothildis. At Heribertus comes Victoriacum (61), Bosonis castellum cepit, et posthac [291] inducias dant Bosoni usque ad finem Maii mensis. Boso ad Heinricum profectus, pacem publice [292] jurare compellitur. Deroldus medicus episcopatum Ambianensem [293] adipiscitur, Albero Mettensem; Bennoni quadam abbatia concessa sustentationis tenore [294]. Heribertus et Hugo Monasteriolum (62), castellum Erluini [295], filii Hilgandi comitis, obsident, tandemque acceptis obsidibus revertuntur. Johannes papa, dum a quadam potenti femina cognomine Marocia principatu privatus sub custodia detineretur, ut quidam vi, ut plures astruunt, actus angore, defungitur. Karolus quoque rex [296] apud Perronam [297] obiit. Simultas inter Hugonem et Heribertum comites exoritur, recepto Herluino ab Hugone cum terra sua, et Hilduino*,

[* *H. R.* IV, 23. Necnon et Arnaldo]

qui erat Hugonis, ab Heriberto. Viæ Alpium a Sarracenis obsessæ, a quibus multi Romam proficisci volentes, impediti revertuntur. Anno

DCCCCXXX

Rodulfus rex Nortmannos de Ligeri, qui Aquitaniam deprædationibus [298] infestabant, in pago Lemovicino [299]* uno prœlio pene delevit, et Aquitanos

[* *H. R.* IV 23. C. sancti Remigii municipium.]

sibi subditos fecit. Heribertus Arnoldum [300], qui

VARIÆ LECTIONES.

[269] *deest* 1. [270] reliquit 3. *corr.* relinquit 2 [271] ipse 2. [272] H. filius Rotberti 3. [273] amicitiamque 2. [274] effulsere 2. [275] prolata 2. 3 [276] lotgarii 2. lotharii 3 *errore typorum.* [277] moritamam 1. [278] *deest* 2. [279] lihugonis 2. [280] reclusum 3 [281] Odolricus *corr.* odalricus 1. [282] remensis 2. [283] germanicus 3. [284] *deest* 1 [285] episcopii 3 [286] reconp. 2 [287] heinrico 2. [288] viensem 2. 3 a [289] metensis 3. *sæpius.* [290] ei 2. [291] post hæc 2. 3. [292] *deest* 1. [293] ambianensis 1. [294] s. t. c. 3. [295] herluini 2. 3. [296] *deest* 3. [297] parronam 1. parronam. *Hugo V.* [298] deprædationis 2. [299] lemocino 2 *idem superscripto* ui 1. [300] harnoldum 2 arnulfum 3. b.

NOTÆ.

(58) *Mortaigne.*
(59) In Wasconia. BOUQUET.
(60) Reginoni *Durfos*; an *Delft?*
(61) *Vitry en Pertois.*
(62) *Montreuil*, a meridie Bononiæ ad Marc.

erat Hugonis, recepit. Diversi motus agitantur bellorum per Franciam inter Hugonem et Heribertum. Rodulfus rex in Franciam veniens, pacem inter eos atque [301] Bosonem multo labore per diversa placita componit, et Heribertus Victoriacum [302] Bosoni reddit. Adelelmo Laudunensium præsule defuncto, Gozpertus [303] nepos ejus episcopium [304] adipiscitur. Heribertus Ansellum Bosonis vassallum, qui Victoriacum [305] tenebat, cum ipso castello recipit, et Codiciacum illi cum alia terra concedit. Rodulfo rege in Burgundiam regresso, Lotharienses in Franciam cum Gisleberto obviam Hugoni [306] veniunt, et oppidum quoddam nomine Duagium (63), quod Arnulfus tenebat, obsidione capiunt. Interea homines Bosonis Victoriacum proditione recipiunt, Mosomum fraude pervadunt. Boso, relictis quantulamcumque fidelibus suis ad custodiam Mosomi, proficiscitur ad obsidionem castri [illegible]. At Heribertus, a quibusdam Mosomensibus [307] evocatus, supervenit insperatus, transmeansque Mosam vadis munimentis, et intrans oppidum, porta liberius a custodibus (*H. R.*, civibus) aperta, vassallos Bosonis, qui ibi [308] relicti ad munimen loci fuerant, omnes capit. Remis* infra et circa ecclesiam sanctæ Mariæ lumen magnum aquilonari et orientali parte paulo ante initium diei apparuit. Anno

(* *Ibid.* Eodem tempore ante natalem Domini Remis, etc. — apparens ad australem partem pertransisse visum est.)

DCCCCXXXI.

Rodulfus rex [309] Viennam profectus, Karolo [310] Constantino, Ludowici [311] Orbi [312] filio, qui eam tenebat, subjectionem pollicitante, revertitur, et Turonum ad sanctum Martinum orationis gratia proficiscitur. Lotharienses obsidentes Duagium [313] capiunt, et Hugo illud Rotgario filio Rotgarii concedit. Heribertus vero castrum sancti Quintini Arnulfo pro eo reddit [314]. Græci Sarracenos [315] per mare insequentes usque [316] in Fraxinidum saltum, ubi erat refugium ipsorum, et unde egredientes Italiam sedulis prædabantur incursibus, Alpibus etiam occupatis, cædes fere proprie internecione [317] prosternunt, quidam [318] residentes Alpibus Italicos. Die purificationis beatæ Dei genitricis Mariæ [319], Remis in ecclesia ipsius quidam canonicorum famulus, custos ecclesiæ sancti Dyonisii et sancti Tedulfi, subito perculsus, contractus obrigant nervis [320] tam manuum quam pedum, caputque sibi pavimento ita visum est adhæsisse lapidi, quo paulo post resoluto, tam manibus quam cruribus rigore constrictis, defertur immobilis [321]; atque post quinta die demum [322] missa et resolvuntur ad salutem, et similiter ad missam quinquagesimæ. Cui res similis die circumcisionis Domini ante quinque annos in eadem acciderat ecclesia, et resolutus ibidem post triginta dies [323] in purificationis fuerat solemnitate.

Rotbertus, archiepiscopus [324] Turonensis ecclesiæ Roma remeans, sub Alpibus nocte infra tentoria cum comitantibus secum interimitur a latronibus. Gislebertus, filius Manasse, a rege Rodulfo descivit [325] propter Avalonnum [326] (64) castrum, quod ab eo Emma regina abstulerat, simulque recedit Richardus [327], filius Warnarii [328] ob eamdem rationem. Item inter Gislebertum Lotharienseum et Bosonem simultas exoritur, pacato Bosone cum Heriberto; castrumque Bosonis Durofostum a Gisleberto capitur, itemque sub ipsis diebus Moritania [329], munitio filiorum Rotgarii, ab Arnulfo filio Balduini. Et Heribertus amicitiam Gisleberti Lothariensis accipit. Boso, relicto Heriberto, ad Rodulfum regem vadit; indeque rediens, Catalaunum [330] castrum vi cepit, exussit atque subvertit, ob inimicitias Bovonis episcopi, cujus homines quosdam Bosonis membris [331] truncaverant.

Rodulfus rex in Franciam revertitur, et Heriberto comite ab illo deficiente, rex, juncto sibi Hugone, quoddam castrum [332] Heriberti, Dominicum [333] (65) nomine, capit ac diruit; deinde Atrabatem obsidet. Heribertus comes, adjunctis sibi per [334] Gislebertum ducem Lothariensibus, contra regem vadit; pactisque induciis usque Kalendas Octobris, utrimque disceditur. Interim quidam fidelium Heriberti, Remensi [335] ex urbe profecti, quoddam Hugonis castrum super Vidulam situm [336], nomine Brainam (66), et [337] quod ipse Hugo ab episcopo Rotomagensi tulerat, capiunt atque subvertunt. Rodulfus rex litteras Remensis mittit ad clerum et populum pro agenda electione præsulis; ad quæ illi respondebant, se id agere non posse, salvo suo electo, et electione manente quam fecerant. Heribertus comes ad Heinricum proficiscitur, eique sese committit; et [338] exercitus regis atque Hugonis Laudunensem et Remensem pagum deprædantur. Rodulfus rex pergens ad Attinia-

VARIÆ LECTIONES.

[301] a inter 1. 2. [302] victuriacum 2. [303] gozbertus 2. 3. [304] e. n. ejus a 2. [305] uicturiacum 2. *construxer.* [306] v. h. 2. 3. [307] passim manentibus 2. [308] q. i. *desunt* 2. [309] *deest* 3. *Itidem* viennam. [310] karolo 2. 3. [311] ita 1. 2. ugdovici 3. [312] orbe 2. 3. [313] duagium 3. [314] reddidit 2. 3. [315] saracenos 3. [316] *deest* 3. [317] internetione 2. internitione 3. [318] qui eam 2. quidam eum A. r. 1. 3. [319] *deest* 2. [320] perculsus, contracta obrigant nervo 2. [321] immobilis 1. [322] m. et d. r. 2. [323] *deest* 2. [324] episcopus 2. 3. [325] descivit 2. 3. [326] avalonnum 3. [327] richardus 2. 3. [328] nuerrani 2. 3. [329] mauritania 1. [330] catalaunum 1. [331] membra 2. [332] castellum 2. 3. *Hugo Fl.* [333] ... 1. et *Hugo Fl.* dominicum 2. dominicum 3. [334] p. G. d. *desunt, alia pagina incipiente* 1. [335] remensis 2. [336] *deest* 3. [337] *deest* 2. 3. [338] *deest* 2.

NOTÆ.

(63) *Douay.*
(64) *Avallon.*
(65) *Doulens.*
(66) *Braine-sur-Vesle.*

cum [339], Hugonem ad Heinricum mittit ; a quo Heinricus acceptis obsidibus [340], et pacta securitate, trans Rhenum recedit. Interea Brittones, qui remanserant Nortmannis in Cornu [341] Galliæ subditi, consurgentes adversus eos qui se obtinuerant, in ipsis solemniis [342] sancti Michahelis omnes interemisse dicuntur qui inter eos morabantur Nortmannos, cæso primum duce illorum nomine Felecam [343].

Rodulfus rex cum Hugone et Bosone ceterisque suis Remorum obsident [344] urbem ; quam tertia tandem ebdomada post obsidionem ingressus [345], aperientibus sibi eis qui erant in civitate*, ordinari facit

[* *H. R.* IV. 24. Sibi militibus ecclesiæ. Conjunctis igitur sibi nonnullis episcopis ex Francia vel Burgundia facit ordinari in hac sede præsulem, etc.]

ibi præsulem Artoldum [346] monachum ex cœnobio sancti Remigii, qui jam pridem, ipso tamen anno, reliquerat Heribertum et transierat ad Hugonem. Bovonem quoque Catalaunensem episcopum, qui a se desciverat cum Heriberto, rex capiens, tradidit [347] custodiendum Hugoni, et episcopatum ipsius [348] Miloni clerico tribuit [349] ; sicque pergens Laudunum, obsidet inibi Heribertum, qui ibidem sese concluserat cum suis. Nec diu persistens, locum petit egrediendi : datoque sibi spatio, recedit, dimissa uxore sua in arce, quam infra Laudunum ipse construxerat. Ad quam postea capiendam majoris laboris et moræ [350] opus regi fuit ; qua vix tandem potitus [351], in Burgundiam revertitur, Aquitanis discordantibus obviam proficiscens. Incon Nortmannus, qui morabatur in Ligeri, cum suis Brittanniam pervadit; victisque [et pervasis [352]] et cæsis [vel ejectis [353]] Brittonibus, regione potitur. Anno

DCCCCXXXII

rex Rodulfus in Burgundiam reversus, quædam castella Gisleberti et Richardi, qui a se desciverant [354], receptat. Airardus Noviomensis [355] episcopus defungitur, et quidam clericus ejus urbis, qui fieri cupiebat episcopus, Adelelmum comitem noctu in civitate [356], latenter muro conscenso, recipit ; a quo mane loci milites urbe propulsi, collecta secum nonnulla suburbanorum manu, civitatem aggrediuntur, annitentibusque qui infra muros remanserant civibus, quidam exusta porta, quidam per ecclesiæ fenestram ingrediuntur, Adelelmus in ecclesiam confugiens, secus altare cum quibusdam qui secum introierant interemptus est, et cives urbem recipiunt. Heribertus comes, Hammo [357] (67) castro recepto, Ebrardum [358] fratrem Erluini [359], qui illud tenebat, capit. Rodulfus rex cum Hugone locutus, Bovonem episcopum in gratiam recepit, eique suum, Catalaunense scilicet, episcopium reddit. Waltbertus [360], Corbeiensis abbas, Noviomensibus ordinatur episcopus. Rodulfus rex, Gisleberto recepto, a Burgundia revertitur in Franciam, ibique abbatia [361] sancti Medardi, quam Heribertus tenebat, potitus, regreditur in Burgundiam.

Hugo Ambianensem cum quibusdam episcopis Franciæ obsidens civitatem, quam tenebant fideles Heriberti, crebroque quatiens bello sumptis tandem relinquit [362] obsidibus, et obsidione castrum circumdat sancti Quintini Milo, qui Catalaunense deprædabatur episcopium, excommunicatur ab Artoldo [363] archiepiscopo ceterisque Remensis diœceseos episcopis. Hugo castellum sancti Quintini postquam duobus mensibus obsederat, oppidanorum tandem deditione capit. In crastinum postquam illud ingressus est, unus [364] contractus in æcclesia ipsa erigitur. Ragemundus et Ermingaudus [365], principes [366] Gothiæ, regi se Rodulfo committunt ; Lupus quoque Acinarius [367], Vasco qui equum ferebatur habere annorum plus quam centum, adhuc tamen validissimum. Gislebertus cum Lothariensibus, invitante se Hugone, Perronam [368] obsidet : ubi congressione frequenti plures occiduntur Lotharienses : reliqui munitionem capere non valentes recedunt, locuto prius Gisleberto duce cum Rodulfo [369] rege, mediante Hugone. Rodulfus rex cum Hugone Hammum [370] castellum Heriberti obsidet, acceptisque obsidibus ita relinquit. Cozperto [371] Laudunensium præsule defuncto, Ingramnus, [372] decanus monasterii sancti Medardi, episcopus Lauduni ordinatur. Boso frater regis [373], et Bernuinus episcopus Virdunensis, incendiis inter se deprædationibusque bachantur [374]. Heribertus trans Rhenum ad Heinricum proficiscitur. Anno

DCCCCXXXIII

missi Remensis æcclesiæ, Giso et Amalricus [375], Roma redeuntes, palleum [376] Artoldo præsuli deferunt, nuntiantque, Johannem papam, filium Mariæ, quæ et Marocia [377] dicitur, sub custodia detineri a fratre suo nomine Albrico, qui matrem quoque suam Marociam clausam servabat, et Romam contra Hugonem regem tenebat. Hungari se in tres partes dividunt ; quorum pars una Italiam petit, alia terram [378] Heinrici trans Rhenum invadit. Contra quos pro-

VARIÆ LECTIONES.

[339] atimacum 1. [340] obsidibus 2. [341] corna 1. [342] solempniis 2. *constanter*. [343] f. n. 2. [344] obsidet 2. [345] o. a. s, e. q. e. i, c. ingressus o. 2. 3. [346] artaldum 2. [347] tradit 2. 3. [348] i. e. 2. 3. [349] tradidit 2. 3. [350] morte 2, [351] potius 2. [352] et pervasis *desunt* 1, [353] (ejectis 3.) v. e. *desunt* 1 [354] desciuerat 1. 3. [355] inoviomensis 2, [356] ciuitatem 2 [357] hamme 2. 3. [358] hebrardum 2. 3 [359] herluini 2. 3. [360] uualbertus 2. 3. [361] abacia 2. [362] reliquid 2. [363] artaldo 2. *sæpius*, 3. *semper fere*. [364] c. u. 2. [365] Raimundus et Herminigaldus. *Hugo Fl.* [366] princeps 3 a. [367] lacinarius 1 [368] parronam 1. peronam 3. [369] r. R. 2 3. [370] hamum 3. [371] gozberto 2. 3. [372] ingrannus 2. 3. [373] r. rex Galliæ quæ comata dicitur. *Hugo Vird* [374] bacchantur 2. 3. b. quam ob rem urbs ipsa multum fuit afflicta. *Hugo Vird.* [375] ahnalricus 2. almalricus 3. [376] pallium 2. 3. [377] matrocia 2. [378] terra 2.

NOTÆ.

(67) *Ham en Picardie.*

Henricus rex cum Bajoariis et Saxonibus ceterisque quibusdam sibi subjectis gentibus, omnes usque ad internecionem sternit, quorum triginta sex millia cæsa referuntur, præter eos quos absorbuit fluvius et qui vivi capti sunt. Richarius, episcopus Tungrensis, quoddam castellum Bernardi comitis, quod ipse Bernardus apud Harvias (68) in pago Porcense construxerat, evertit, eo quod in suæ ecclesiæ terra situm esset. Vienna Rodulfo regi, tradentibus eam his qui eam tenebant, deditur. Willelmus, princeps Nortmannorum, eidem regi se committit; cui etiam rex dat terram Brittonum in ora maritima sitam. Rodulfus rex munitionem Heriberti, quæ dicitur Castellum-Theoderici, obsidet ebdomadas sex. Postea Walo, qui custodiebat illud, reginæ Emmæ se committit, ejusdemque fidei vel potestati castrum dimittitur. Waldricus episcopus Autissiodorensis obiit, et Wido, ejusdem loci archidiaconus, episcopium adipiscitur. Synodus inter obsidentium prædictum præsidium celebratur, congregatis nonnullis Franciæ vel Burgundiæ præsulibus, cui præsederant domnus Artoldus antistes Remensis, et domnus Teutolus Turonensis episcopus. Tunc quoque domnus Artoldus Hildegarium ordinat episcopum urbis Belvacensis.

Odo filius Heriberti Hammum præsidium tenens, pagum Suessonicum atque Noviomensem prædis incendiisque proterit. Heribertus, pater ejus, ad sanctum Quintinum clam veniens, tertia die postquam venit, castrum pugnando cepit, oppidanis non repugnantibus, solis tantum custodibus Hugonis obnitentibus, quos capiens Heribertus, accepto ab eis sacramento, dimisit ibi, relictis etiam ex suis ad oppidi tutelam compluribus. Quod audiens Hugo, mox adveniens castrum recipit, et quemdam nobilem clericum nomine Trudoinum ab Heriberto ibi dimissum apprehendens, suspendit cum quibusdam aliis; nonnullis vero aliis membra diversa debilitat. Indeque proficiscens cum domno Artoldo episcopo, munitionem nomine Roiagum (69), tradentibus eam Heriberti custodibus, sine difficultate capit. Hugo rex Italiæ Romam obsidet. Et Sarraceni meatus Alpium occupant, et vicina quæque loca deprædantur. Artoldus archiepiscopus Fulbertum urbi Cameracensi præsulem ordinat. Heribertus Castrum Theoderici super Maternam fluvium positum, tradentibus illud sibi quibusdam quos ibi ad custodiam Walo reliquerat, recipit, dispositisque recedit custodibus. Quod audiens Hugo, idem castrum quantotius obsidere procurat. Anno

DCCCCXXXIV

obsidentibus prædictam munitionem rege Rodulfo et Hugone comite, quarto tandem mense, ascendente noctu muros, custodibus dormientibus, Walone cum suis, pars oppidi capitur, arx tamen tutior ab Heriberti militibus retinetur. At regis militibus insistentibus, non multo post obsides dedunt et ab obsidione disceditur. Remis in ecclesiæ beatæ Dei [400] genitricis Mariæ solemnitate annuntiationis Domini, dum sacra missarum ab Artoldo præsule inibi celebrarentur, quidam juvenis, contractis poplitum nervis, tepore solitus, repente resolutis extendentibusque se genuum crurumque compagibus, assurgit, reptemptatoque gressu jam diu oblita repetit vestigia. Item in ecclesia sancti Hilarii ante portam Martis cæcus quidam nomine Paulus illuminatur, ammonitus prius in somnis, ut ad ipsum locum veniret, ibique lumen recipere deberet.

Rex iterum cum Hugone, neglectis ab Heriberto quos sibi dederant obsidibus, omissam repetit obsidionem. Heinricus Gislebertum et Eburardum cum episcopis regni Lothariensis ad Rodulfum regem pro Heriberto dirigit; redditoque regi Castello-Theoderici, Hammus atque Perrona Heriberto conceduntur usque Kalendas Octobris. Arnulfus de Flandris filiam Heriberti, olim sibi juramentis alterutro datis depactam, sumit uxorem. Heribertus per Veromandensem pagum messes eorum qui se reliquerant vel quibus Hugo ipsam terram dederat colligens, Perronam deduci facit. Igneæ Remis in cœlo acies visæ sunt discurrere, et quasi serpens igneus, et quædam jacula ferri pridie Idus Octobris mane ante lucis exortum. Mox subsecuta est pestis, diversis afficiens humana corpora morbis. Diaconus quidam Virdunensis nomine Adelmarus langore depressus, spiritum visus est amisisse; sed antequam feretro imponeretur, reversus, ita surrexit validus ut sibi nihil videretur ægritudinis fuisse perpessus. Qui se diversa suppliciorum vel refrigerii loca vidisse testatur, seque ipsum loco pœnali deputatum, Dei vero genitricis precibus, beato quoque Martino intercedente, ad agendam pœnitentiam præsenti vitæ redditum (70). Gislebertus cum Lotha-

VARIÆ LECTIONES.

omnibus 2 3. internicionem 2. 3. deest 1 2; sed XXXVI legendum esse, haud dubium erit. richerus 1. ricarius 3. arcleias 2 3. s. in 2 3. teoderici 1. 3. wallo 3. autissiodorensis 2. deest 2. ... 3. teutolo 2. 3b. teudolus 3. teutilo, Hist. Rem. ordinavit 3. accepit ... accepto 1. trudoinum 2. deest 1. suspendio necat 2. 3. atque 2 3. teoderici 1 ... quantocius 2. obsidentibus 2. regis 3. deest 3. adnuntiationis 3. sacrarum 2. 3. recepit 2. recipit 3. ... 1. 2. ... viderant 2. munitionem 2 3a. eubrardum 3. parrona 1. ... veromandensem 2. 3. parronam 1. barronam 3. deest 2. virdunensi 2. 3. perpessum 1. se 1. perpessum Hugo V. loca 2.

NOTÆ.

(68) Arches.
(69) Roye.

(70) Hugo Virid. pergit: « Quamobrem hujus exemplo provocati quidem canonicorum beatæ Ma-

riensibus in Franciam Heriberti [415] venit auxilio [416], velut oppidum sancti Quintini obsessurus. Sed antequam ad illud perveniret, missi Hugonis ei venientes obviam, pacem inter Hugonem et Heribertum, dato utrimque jurejurando, usque ad Maium mensem pepigerunt; et Lotharienses regrediuntur ad [417] sua. Religio regulæ monachorum in quibusdam monasteriis per regnum Lothariense reparatur. Et Emma regina defungitur. Anno

DCCCCXXXV.

Rodulfus rex quoddam castrum Gosfridi [418] vocabulo Viriliacum, quod contra eum quidam Aquitanorum tenebant, obsidens cepit, et Gosfrido reddidit; indeque in Franciam remeavit, et Gosfridum trans Rhenum ad Heinricum direxit. Hoc rege Lauduni degente, tumultus ipso die sancto paschæ inter regios et episcopi milites exoritur; ubi nonnulli non modo laici, sed etiam clerici quidam vulnerati vel interempti sunt. Unde rex placitum Suessonis cum regni primatibus habuit; deinde locutus cum missis Heinrici, ad ejus properat colloquium, ubi etiam Rodulfus rex Jurensis interfuit; pactaque inter ipsos amicitia, etiam Heribertum cum Hugone pacarunt, redditis quibusdam suis eidem Heriberto possessionibus. Sed et Heinricus, Bosone recepto, terram quam prius habuerat ei ex magna parte restituit. Hungari per Burgundiam diffunduntur prædisque incendiis ac cædibus, non tamen diu, debachati, comperto Rodulfi regis adventu, in Italiam transmeant (71). Artoldus archiepiscopus Wifredum [419] quendam monachum Tarwanensi [420] ordinat æcclesiæ præsulem.

Rodulfus rex Divionum castrum, quem Boso comes ceperat ejusque complices retinebant, obsidet. Lotharienses cum quibusdam comitibus ex [421] Saxonia, Heriberti scilicet amicis, quasi ad colloquium Hugonis cum multo exercitu conveniunt [422]. Sed quia Hugo castellum sancti Quintini Heriberto renuit reddere, ipsam munitionem obsident, belloque pressam tutantium tandem redditione recipiunt atque subvertunt; parantesque Laudunum [423] obsidere, mandato [424] Rodulfi regis in propria revertuntur. Interea Boso frater regis [425] Rodulfi in expeditione obsidionis castro [426] sancti Quintini moritur, et delatus ad sanctum Remigium sepelitur. Rodulfus rex gravi per totum autumnum [illegible] ægritudine. Nortmanni qui pagum Biturigensem [427] deprædabantur, a Biturgensibus et Turonensibus bello aggressi perimuntur. Synodus septem episcoporum apud sanctum Macram (72), domno Artoldo archiepiscopo [428] præsidente, celebratur, in qua prælatorum et ecclesiasticarum rerum pervasores ad correptionem [429] venire vocantur. Anno

DCCCCXXXVI.

Ingrannus [430] Laudunensis ecclesiæ [431] episcopus obiit. Sub eodem [432] fere tempore rex Rodulfus defungitur, sepeliturque Senonis apud [433] sanctam Columbam, cujus æcclesia [illegible] quorumdam paulo ante fuerat succensa. Brittones a transmarinis regionibus Alstani regis præsidio revertentes [434], terram suam repetunt. Hugo comes trans mare mittit pro accersiendo ad apicem regni suscipiendum Ludowico [435] Karoli filio, quem rex Alstanus, avunculus ipsius, accepto prius jurejurando a Francorum legatis, in Franciam cum quibusdam episcopis et aliis fidelibus suis dirigit. Cui Hugo et ceteri Francorum proceres obviam profecti, mox navim egresso [436] in ipsis littoreis harenis apud Bononiam sese commitunt, ut erat utrimque depactum. Indeque ab ipsis Laudunum deductus, ac regali benedictione ditatus, unguitur [437] atque coronatur a domno Artoldo archiepiscopo, præsentibus regni principibus, cum episcopis viginti et amplius. Episcopatus Laudunensis datur Rodulfo, ejusdem loci presbytero, a civibus concorditer electo, quique a domno Artoldo consecratur [438] episcopus *.

[* H. R. IV, 26. Sed et per alias Remensis dioceseos sedes, excepta Catalaunensi et Ambianensi, diversos ordinavit episcopos.]

Rex et Hugo in Burgundiam pergunt, et urbem Lingonum [439], quam Hugo [440] frater regis Rodulfi ceperat, obsident; fugientibusque his qui eam custodire videbantur, sine bello recipiunt. Acceptisque obsidibus ab episcopis Burgundiæ vel primatibus, Parisius veniunt. Heinrico rege sub isdem [441] diebus

VARIÆ LECTIONES.

[415] heriberto 2. 3. [416] in a. 2. [417] in 2. [418] gosfredi *corr.* gosfridi 1, [419] umtredum 1. [420] tarvianensem 2. [421] e 3. [422] veniunt 2. 3. [423] laudum 2. [424] mandatum 2. mandatu 3. [425] R. r. 2. 3. [426] *deest* 2. [427] bituricensem 3. [428] *deest* 1. [429] correptionem 2. 3. [430] ingrannus 2. 3. [431] *deest* 1. [432] hisdem 2. iisdem 3. [433] ad 2. 3. [434] revertuntur *et pagina sequenti* revertentes 1. [435] ludauvico 2. luduvico 3. [436] ingresso 3. [437] ungitur 2. 3. [438] e c. 3. [439] lingonum 2. Hugo Capito. *Hugo V.* [441] iisdem 3.

NOTÆ.

riæ Virdunensis sæculum deseruere, et quia in eadem civitate congregatio monachorum nulla erat — in ecclesia enim sancti Petri et sancti Vitoni clerici deserviebant — Tullum petiere et in monasterio sancti Apri mutato habitu sæculum deserere et Christo domino incorporari ut membra fidelia capiti studuere. Quæ res maximo erat mœrori pontifici, canonicis quoque residuis et proceribus populi, quia optarent eos potius in eodem militare episcopio quam ad aliud demigrare. Bonis tamen et laudabilibus eorum studiis et exemplis religio regulæ monachorum et fervor ordinis in eodem cœnobio et in quibusdam aliis per regnum Lothariense reparatur. »

(71) Hugo Vird. pergit: « Herveo episcopo decedente, Romundus sub Rodulfo rege substituitur, qui Colticensem abbatiam destruens, Colticas castrum ædificavit et Curensem, similiter Petræ pertusum exstruxit, et filiis et filiabus suis bona ecclesiarum et castra quæ fecerat dedit. Hic post multa mala patrata a sancto Georgio flagellatus interiit. »

(72) *Fimes.*

aberant, contentio de regno inter illos ipsos agitatur; rerum tandem summa sub [illegible] comite Othoni[442] obvenit. Luna quartadecima sanguineo colore obducta 2 Nonas Septembris noctu[443] [illegible] videbatur illustrari. Johanne papa fratre Alberici[444] patricii[445] defuncto, Leo quidam Dei servus Romae papa constituitur. Hugo rex Italiae[446] Romam obsidens capere affectat; exercitu[447] suo fame et equorum interitu [illegible], pacem tandem cum Alberico, dans ei filiam suam conjugem, ab obsidione discedit, raptisque quibusdam fratris sui[448] Bosonis honoribus, ut fertur, insidias, eumdem fratrem suum dolo cepit atque in custodia misit. Sarraceni in Alamanniam praedatum pergunt, et revertentes multos Romam petentes interficiunt. Hugo[449] filius Rotberti cum Hugone filio Richardi, dispertita inter se Burgundia, pacem facit. Adelelmus Silvanectensium praesul obiit. Anno

DCCCCXXXVII.

Silvanectensium praesul ordinatur Bernuinus ex monachis sancti Crispini. Walberto[450] quoque Noviomagensium praesule defuncto (74), monachus Transmarus[451], monasterii sancti Vedasti praepositus [illegible]. Ludowicus rex ab Hugonis principis se procuratione separans, matrem suam Laudunum recepit. Hugo cum Heriberto pacatur[452]. Heribertus castellum quod dicitur Theodericum, Walone sibi aperiente, recipiens, ipsum Walonem, cum jam suus esset effectus, in vincula conjecit. [illegible] et Hungarorum persecutio ab eadem parte per Franciam [illegible] est; quae villas et agros depopulati, domos ecclesiasque conflagrant, captivorum abducta multitudo. Nonnullas tamen ecclesias, quibus appropiantes, non valuere succendere, [illegible] sanctae Mariae[453] [illegible] quae parietibus paene ipsius adhaerebant, cremata, succendere nequiverunt. In ecclesia[454] sancti[455] Basoli cum quidam Hungarorum ascendere super altare voluisset [illegible] manum apposuisset, ipsa manus ejus altaris adhaesit lapidi[456], nec eam quivit avelli. Deinde ceteris Hungaris [illegible] saxum circa ipsum [illegible] molientibus, partem lapidis, qui manui ejus adhaeserat, in admirationem omnium praeferre[457] coactus est ethnicus.

* Flodoardus in Hist. Remensi lib. II, cap. 3, haec narrat: « Quando nuper [illegible] Galliarum patriam, peccatis nostris exigentibus, Hungarorum gladiis depraedandae sunt traditae, quidam barbarorum sancti Basoli monasterium ingressi, dum clerici jam cum patroni sui pigneribus ad civitatem confugissent, [illegible]. Quorum quidam in summum [illegible] fastigium [illegible] metalla, [illegible] subito [illegible] ad terram corruit [illegible]. Alius vero super aram [illegible] in honore sancti Martini consecratam, [illegible] dum manum super cornu altaris apposuisset, ipsa manus ejus ita adhaesit marmori, ut nullo modo ab eo posset avelli. Et quia his cum eo [illegible], partem lapidis circa manum ipsius [illegible] abscindentes, cum secum particulam marmoris, quae manui ejus adhaeserat, [illegible] deduxerunt. Qui etiam, ut captivi qui reversi sunt referunt, usque ad terram suam, arente jam brachio, hunc lapidem ferens, et Basoli virtute laetum proclamans, reversus est. »

Quidam presbyter de Bovonis curte — sic enim villa vocatur ejus ecclesiae — nomine Adalgarius, captus est ab eis, et abductus usque in pagum Biturigensem[458]. Qui cum esset in vinculis et compedibus ferreis, noctu visio cuidam concaptivae[459] apparuit; jussumque est ei[460] ut diceret eidem presbytero, quatenus fugam caperet, ut se resolutum videret; pariterque cum visione catena ipsius reserata est. At ille mortem metuens, quam barbarus ei saepe minabatur[461], si eum de fuga forte reprehendisset, catena sibi pedes revinciens, et seram quae exsilierat[462] a compede requirens, iterum munire sibi sera studuit vincula, non ausus evadere fuga. Nocte altera iterum visio praememoratae facta est[463] captivae, quae presbyterum[464] ad ineundam fugam roboravit[465], iterumque vincula ipsius resoluta sunt. Animatus ad id tunc tandem presbiter fugam petiit, et in palude quadam diebus aliquibus latens, ubi praeterisse barbaros comperit, patriam tunc demum repetiit. Is nobis retulit quod viderit in hac captivitate quemdam [illegible] coenobii monachum nomine Hucbaldum (74), quem frequenter ethnici trucidare voluerant, nec carnem ejus incidere potuerunt; Deum ergo eum esse dicebant[466]. Quidam, ut hic presbyter refert, nudum eum vidit in medio positum, et sagittis undique appetitum, nec summo tenus saltem cute praecisa vulneratum. Resiliebant enim ab ejus corpore, ut ab [illegible], relisae sagittae, nec signum ictus ullum[467] ejus apparebat in cute. Sed et gladio eum omni conatu cum nudum se vidisse percuti dicit, ac nihilominus caro ipsius intemerata permansit.

VARIAE LECTIONES.

[illegible] 2 [444] albrici 2. 3. [445] deest 3. [446] i. r. 3. [447] s. e. 3. [448] [illegible] deest 1. [449] Hugo Magnus cum Huggone Capeto B. 1. Hugo V. [450] walberto 2 [illegible] 3. [451] [illegible] 3. [452] paratur 2. 3. [453] [illegible] 2. 3. [454] ecclesiam 3. [455] beati 2. 3. [456] lapidibus 3. [457] [illegible] 3. Hugo V. [458] biturigensem 2. [459] captivae super lineam 1. concaptivo 3. [460] deest 3. [461] [illegible] 1. [462] [illegible] 1. [463] deest 2. [464] presbitero ad ineundam 1. [465] roboravit 2. [466] [illegible] Britones, [illegible] deest 2 [illegible] V. [467] ullus corr. ullum 1.

NOTAE.

(74) [illegible] Kal. Januarii, ex syllabo Corbeiensium abbatum, quo ex [illegible] Walbertus ad sedem Noviomagensem assumptus fuerat. Bouq.

(74) Eadem Flodoardus Hist. Rem. II, 10, narrat.

Brittones, ad sua loca post diutinam regressi peregrinationem, cum Nortmannis, qui terram ipsorum contiguam sibi pervaserant, frequentibus dimicant præliis, superiores pluribus existentes, et loca pervasa recipientes. Rodulfus, Jurensis ac Cisalpinæ Galliæ rex, obiit ; cui filius parvus Chonradus [468] in regno succedit. Abbo Suessorum præsul defungitur: et Wido filius Fulconis [469] Andegavensis, sancti Martini Turonensis canonicus, ejus episcopatu potitur. Anno

DCCCCXXXVIII

rex Ludowicus quoddam castrum nomine Montiniacum (75), quod quidam Serlus latrocinia exercens tenebat, vi cepit ; ipsum vero [470] Serlum per deprecationem domni Artoldi archiepiscopi vita donavit, et oppidum evertit. Heribertum per deprecationem Hugonis ad pacem recepit. Tusciacum (76) super Mosam, cum villis aliis ad ipsam pertinentibus, quas pater ipsius matri ejus dotis jure dederat, quasque Rotgarius [471] comes tenebat, ipso reddente recepit, dum eas hostili manu repetiit. Inde revertens Corbenacum (77) castellum, quod pater ejus sancto Remigio tradiderat quodque pervaserat Heribertus, rex sibi [472] a monachis commissum [473] per vim recepit, et homines Heriberti, qui erant in eo, comprehensos, rogante domno Artoldo archiepiscopo, abire permisit. Hugo princeps, filius Rotberti, sororem Othonis regis Transrhenensis, filiam Heinrici [474], ducit uxorem. Ludowicus rex maritima loca petens, castrum quoddam portumque [475] supra mare, quem [476] dicunt Guisum (78), restaurare nisus est. Dumque cum Arnulfo moratur, homines Heriberti quoddam castrum Remensis æcclesiæ, quod vocant Causostem (79), super Maternam fluvium, ab Artoldo præsule constructum, prodente Wilperto [477] quodam capiunt, et Rægibertum [478] *, qui eidem castro præerat, secum abducunt [479], villasque circumpositas crebris deprædantur infestationibus.

[* *H R.* IV, 26. Ragenbertum Artoldi præsulis consobrinum.]

Interea rex Ludowicus [480] evocatus ab Artoldo archiepiscopo [481] regreditur, ingressusque Laudunum, arcem novam nuper [482] inibi ab Heriberto [483] ædificatam obsidet ; multisque machinis suffosso [484] eversoque muro, cum magno tandem capit labore. Inde ad colloquium proficiscitur Hugonis, fratris quondam Rodulfi regis, Odone filio Heriberti, qui se illi nuperrime [485] commiserat, ad Lauduni tutelam relicto. Præmissus vero Hugo ad regem venit [486], et amicitiam ei sacramento promittit. Gislebertus cum Lothariensibus Hugoni et Heriberto veniunt in adjutorium contra regem Ludowicum, castrumque Petræpontem (80) vi capiunt. Arnulfus comes et Heribertus inter regem Ludowicum et Hugonem dilationem accipiunt, pacem sacramento pacientes usque ad finem Januarii mensis [487]. Nec mora Ludowicus [488] rex consilio [489] Odonis [490] et Gerardi, qui dimiserant Rodulfum episcopum Laudunensem et transierant ad Hugonem, res vel thesauros Lauduni repertos diripit atque dispertit. Anno

DCCCCXXXIX

Ludowicus [491] rex Hugoni filio Richardi, proficiscitur obviam : cum quo de Burgundia revertens, pergit contra Hugonem filium Rotberti, et Willelmum [492] Nortmannorum principem. Qui quoniam villas nuper Arnulfi comitis quasdam prædis incendiisque [493] vastaverat, excommunicatur ab episcopis qui erant cum rege, simul cum Heriberto [494], qui oppida quædam villasque sancti Remigii pervasas pertinaciter detinebat. Hugo datis obsidibus pacem paciscitur usque Kalendas Junii. Lotharienses Othonem regem suum [495] deserunt, et ad Ludowicum regem veniunt, qui eos recipere distulit ob amicitiam, quæ inter eos, legatis ipsius Othonis et Arnulfo comite mediante, depacta erat. Castellum Erluini [496] maritimum, quod vocatur Monasteriolum, comes Arnulfus, tradente quodam proditore, cepit, et uxorem ipsius Erluini [497] trans mare cum filiis ad Alstanum [498] regem mittit. Nec longum, collecta Nortmannorum non modica manu, Erluinus castrum pugnando recepit ; et ex militibus Arnulfi, quos intus invenit, nonnullos interemit, quosdam vero propter uxorem recipiendam reservavit. Lotharienses iterum veniunt ad regem Ludowicum ; et proceres ipsius regni, Gislebertus scilicet dux, et Otho, Isaac atque Theodericus [499], comites, eidem [505] se regi committunt ; episcopi vero [500], quoniam rex Otho [500] eorum secum detinebat obsidatum, Ludowico regi se committere differunt. Otho rex, Rheno transmisso, regnum Lothariense perlustrat, et incendiis prædisque plura loca devastat.

Anglorum classis ab Alstano, rege suo, in auxilium Ludowici regis transmissa, mare [501] transito, loca quæque Morinorum mari deprædatur contigua ; nulloque negotio propter quod venerant peracto, remenso [502] mari, propria repetunt loca. Otho rex

VARIÆ LECTIONES.

[468] conradus 2. 3. [469] folconis 2. [470] quoque *corr.* uero 1. [471] rotgerius 1. [472] s. r. 2 [473] commissam 1 [474] henrici 3. [475] castrumque 2. 3. [476] quod 2. 3 [477] willberto 3. 3 b. [478] ragebertum 2. 3. [479] adducunt 2, [480] L. r. 2. 3. [481] episcopo 2. [482] quam nuper. 1 [483] a. h. i. 3 [484] effosso 1 suffosso 2. [485] nuper 3. [486] uenerat 3. [487] *deest* 2. [488] loduuicus 3. [489] *deest* 2. [490] hodouuini 2 3 [491] Ludovicus 3. *sæpius*. [492] uuilelmi 2. [493] p et incendiis quas 2. [494] herito 3 a. [495] s r. 2. 3. [496] *in marg.* 1. Bernuinus Virdunensis episcopus obiit. *Hugo V. desunt* 2. [497] herluini 2. *sæpius*, 3. *constanter*. [498] alstannum 3. [499] teodericus 1. *sæpius*, [500] *deest* 2. [501] mari 2. 3. [502] remo 2.

NOTÆ

(75) *Montigny* in pago Suessionensi.
(76) *Tulley.*
(77) *Corbeny.*
(78) *Wissant* ab occidente Caleti.
(79) *La Chaussée ?*
(80) *Pierrepont* in pago Laudunensi.

colloquium habent cum Hugone et Heriberto, Arnulfo et Willelmo Nortmannorum principe; et acceptis ab eis pacti sacramentis, trans Rhenum regreditur.

Rex interea Ludowicus Virdunensem [503] pagum petit, ubi quidam regni Lothariensis episcopi sui efficiuntur. Indeque in pagum proficiscitur Elisatium, locutusque cum Hugone Cisalpino, et quibusdam ad se venientibus receptis Lothariensibus, nonnullis quoque Othonis regis fidelibus trans Rhenum fugatis, Laudunum revertitur, et Rodulfum, Laudunensem [504] episcopum, prodiditionis insimulatum castro ejicit; sed et homines ipsius rebus episcopii privat, et easdem res suis hominibus confert. Gislebertus dux Lothariensium, trans Rhenum profectus prædatum, Saxonibus se dum revertitur insequentibus, in Rhenum fertur desiluisse [505] cum equo; ibique vi exæstuans undarum, postea reperiri non potuit, ut fertur. Quidam tamen ferunt, quod a piscatoribus sit repertus et necatus, atque propter spoliorum ipsius ornamenta celatus.

Ludowicus rex in regnum Lothariense regressus, relictam Gisleberti Gerbergam duxit [506] uxorem, Othonis scilicet regis sororem (81). Collecta diversorum hominum quæ Romam petebat, a Sarracenis [507] pervasa et interempta est. Brittones cum Normannis confligentes victoria potiuntur, et quoddam Nortmannorum castellum cepisse feruntur. Quidam homines Arnulfi terram Erluini deprædantes, ab eodem Erluino perempti sunt. Otho rex in [508] regnum Lothariense regrediens, pene cunctos ad se redire cœpit [509] Lotharienses. Hugo Albus ad ejus proficiscitur cum Heriberto colloquium, et revertentes, loca quædam fidelium Remensis ecclesiæ deprædantur incenduntque comminuta [510]. Anno [511]

DCCCCXL.

rex Ludowicus [512] abiit obviam Willelmo principi Nortmannorum; qui venit ad eum in pago Ambianensi, et se illi commisit. At ille dedit ei terram, quam pater ejus Karolus Nortmannis concesserat, indeque perrexit contra Hugonem [513]. Quo ad se venire detrectante, revertitur Laudunum. Dedit autem rex Artoldo archiepiscopo [514], ac per eum ecclesiæ [515] Remensi, per præceptionis regiæ paginam Remensis urbis monetam jure perpetuo possidendam; sed omnem comitatum Remensem eidem contulit ecclesiæ. Artoldus archiepiscopus Causostem munitionem obsidet, quam quinto tandem die, Ludowico rege illuc veniente, hi qui erant intus reddentes deserunt, nec longum, subversa funditus, ab his qui ceperant dissipatur. Missi Hugonis ad regem veniunt, et de pace cum eis rex inter Artoldum præsulem et Heribertum loquitur studet. Deinde ad castrum quoddam, quod Heriveus, nepos Herivei quondam episcopi [516], super fluvium Maternam tenebat, unde et villas episcopii Remensis circumquaque positas deprædabatur, proficiscitur cum Artoldo archiepiscopo. Nec mora, obsidibus acceptis [517] ab ipso Heriveo, revertitur Remis; pergensque in crastinum ad sanctum Remigium, sese ipsius sancti committit intercessionibus, promittens vadibus libram argenti se daturum singulis annis [518], monachis quoque ejusdem loci præceptum de eodem castello dedit immunitatis. Hugo [519] princeps filius Rotberti, junctis sibi quibusdam episcopis tam Franciæ quam Burgundiæ, cum Heriberto comite et Willelmo Nortmannorum principe Remensem obsidet urbem; sextaque [520] obsidionis die, deserente omni pene militari manu Artoldum archiepiscopum, et ad Heribertum transeunte, idem comes Heribertus urbem [521] ingreditur. Artoldus præsul ad sanctum Remigium evocatione procerum et episcoporum projectus, persuasus est vel conterritus a principibus, episcopii se procuratione vel potestate abdicare, concessaque sibi abbatia sancti Basoli et Avennaco [522] (82) monasterio, ad sanctum Basolum commoraturus [523] abscessit *. Hugo et Heribertus locuti

[* *H. R.* IV, 28: Post annos octo et menses septem (*al.* VI) in episcopatu exactos, etc.]

cum quibusdam Lothariensibus, ad obsidionem Lauduni cum Willelmo proficiscuntur [524], relicto Remis Hugone diacono Heriberti filio, jampridem ad episcopatum [525] ipsius urbis evocato [526] *.

[* *H. R.* IV, 28: Qui quoque tertia postquam regressus est mense presbiter a Widone Suessonico præsule ordinatus est, expletis postquam fuerat electus annis quindecim, quos Autissiodori commorans egerat, litterarum studiis occupatus, apud Widonem ipsius urbis antistitem, a quo et diaconus ordinatus fuerat. Nam ceteros inferiores gradus ab Abbone Suessonico præsule Remis acceperat.]

Ludowicus rex post sex vel septem ebdomadas a Burgundia rediens, assumpto secum Artoldo archiepiscopo, cum propinquis ipsius pariter cum eo comitantibus, quorum beneficia Heribertus comes abstulerat, in Remensem venit Campaniam; trans-

VARIÆ LECTIONES.

[503] Virid. 2. 3. [504] *ita* 2. *et Richerus*; uirdunensem 1. [505] dissiluisse 2. [506] ducit 2. 3. [507] saracenis 3. sarrac. [508] *deest* 1. [509] cœpit 2. [510] *in textu, alia tamen manu* 1. *habet*: attauda. *tunc numerus Græcus* MZ (47) mal. [511] *hæc solus* 1. *habet in margine*: Berengarius Virdunensis episcopus consecratur ab Artoldo Remensi archiepiscopo. *Apud Hugonem Virid. hæc fusius narrantur.* [512] Iudouuicus 3. [513] c. h. p. 3. [514] episcopo 2. *itemque infra.* [515] *deest* 2. [516] archiepiscopi 2. 3. [517] a. o. 2. 3. [518] a. s. 2. 3. [519] Hugo comes cognomento Hugo Magnus. *Hugo* V. [520] sexta 2. 3. [521] *deest* 3. [522] alvennaco 3. [523] commoratus 3. [524] p. c. W. 2. 3. [525] ab episcopatu 2. [526] electo 1.

NOTÆ.

(81) Hugo Virid. addit: Ducatum Otho (et Gisleberti filios) suscepit.

(82) Saint-Basle et Avenay.

itoque fluvio Axona, Laudunum contendit. Quo comperto, Hugo et Heribertus, relicta obsidione Lauduni, noctu ad munitionem Petræpontem depróperant; indeque Othoni regi obviam proficiscuntur. Cui conjuncti ad Attiniacum eum perducunt, ibique cum Rotgario comite ipsi Othoni [527] sese committunt. Ludowicus rex ingressus Laudunum, victui suis [528] providet necessaria [529]: sicque cum Hugone Nigro et Willelmo Pictavensi Burgundiam repetit. Otho (83) rex Heinrico, fratri suo, regnum Lothariense committit. Tumque cum diversarum gentium, quas secum adduxerat [530], multitudine post Ludowicum in Burgundiam proficiscitur, habens secum Conradum, filium Rodulfi regis Jurensis, quem jam dudum dolo captum sibique adductum retinebat; castraque metatus supra [531] Sequanam, obsides ab Hugone Nigro accepit, cum juramento ne esset nocumento Hugoni vel Heriberto, qui se [532] subdiderant eidem Othoni [533] Quo facto, revertitur ad sua. Hugo filius Heriberti Remis a Widone Suessonico præsule presbiter ordinatur. Ludowicus rex Laudunum redit. Ego denique disponens orationis gratia sepulcrum sancti Martini visere, retentus sum ab Heriberto comite, cum me quibusdam accusantibus apud eum, quod sui causa nocumenti vellem proficisci vel filii sui [534] *. Fecitque me sub custodia detineri, ablatis

[* *H. R.* iv, 28. Et quia renutabam me huic electo nostro committere, nesciens utrum Deo placeret eum præsulem nostrum fore Sicque, etc.]

a me rebus quas de episcopatu tenebam, cum æcclesia quam regebam in Culmisciaco (84), sicque plenis quinque mensibus * sum detentus. Rex Ludowicus Petræpontem munitionem bello aggressus est, et obsidibus acceptis, recessit ab ea. Deinde in regnum Lothariense cum Artoldo archiepiscopo et aliis fidelibus suis profectus est. Otho quoque rex, Rheno transito, adversus eum venit; sed ab eorum fidelibus inter eos induciæ determinatæ sunt.

[* *H. R.* iv, 28. Apud fratres nostros, ipso comite jubente, sub custodia partim libera sum detentus. Contigit autem mihi, domina mea beata Dei genitrice intercedente, ut ipsa die conceptionis et passionis Domini nostri Jesu Christi absolverera custodia, et die tertia scilicet 6 Kal. Aprilis, qua Dominus a mortuis resurrexit, egressus ipse cum præfato electo nostro ad urbem Suessonicam profectus sum. Ubi convenientes episcopi hujus diocesos cum principibus Hugone ac Heriberto tractarunt quid eis esset agendum super episcopali hujus Hugonis ordinatione, sicque decreverunt, petentibus quibusdam filiis ecclesiæ Remensis, tam clericis, quam laicis, eum ordinandum, asserentibus fautoribus ipsius, quod Artoldus nequaquam electus, sed per violentiam fuerit intromissus, seseque episcopali abdicaverit ditione. Ibi ergo Hugo princeps tunc me per manum accipiens, huic Hugoni nepoti suo ad benefaciendum commisit: quique mihi ecclesiam sanctæ Mariæ dedit in Colrido sitam, terram quoque, quam pater suus mihi abstulerat, reddidit, et aliam in prædicta villa superadjecit.]

Puella quædam parvula de villa quæ dicitur Lavenna, nomine Flothildis, visiones sanctorum manifeste vigilansque et in spiritu videre assueverat [535], ac quædam futura prædicebat (85). Quæ post sequentem annum in ipsa natalis Domini nocte decessit. Hoc anno acies diversorum colorum in cælo visæ sunt mense Decembrio [536] nocte dominica. Collecta Transmarinorum, sed et Gallorum, quæ Romam petebat, revertitur, occisis eorum nonnullis a Sarracenis; nec potuit Alpes transire propter Sarracenos, qui vicum monasterii sancti Mauricii occupaverant, Anno

DCCCCXLI.

Gerlanus Senonensis archiepiscopus urbe sua depellitur a Frotmundo, quem Hugo Albus [537] eidem civitati præfecerat, culpato Gerlando quod Waloni faverit, homini Heriberti comitis, qui Frotmundum vel suos a præfata expulerat urbe. Heribertus comes synodum convocavit ad determinandam controversiam inter filium ipsius Hugonem [538] et Artoldum archiepiscopum; sed impediente Hugone, atque satagente ne forte ad fidelitatem et auxilium Ludowici regis congregarentur, omisere conventum. Rex Ludowicus Burgundiam petens, comperit Rotgarium [539], comitem prope se forte metatum; quem aggressus, comprehendit cum his qui cum eo erant super fluvium Maternam, secumque in Burgundiam duxit. Hugo et Heribertus comites episcopos convocant Remensis dioceseos. Qui convenientes apud Suessionem in ecclesia sanctorum Crispini et Crispiniani tractant de statu Remensis episcopii, definientes [540], conquerentibus clericis atque nobilibus laicis diu pastore sedem ipsam vacare, ut [541] quoniam Artoldus episcopus juraverat quod numquam se de ipso episcopatu intromitteret [542], ad ipsius gubernationem reverti non deberet, Hugo vero, filius Heriberti comitis, qui prius ad ipsum episcopatum fuerat evocatus [543], clero populoque petente ordinaretur episcopus. Ibique [544] me Hugo primum de exilio jussu suo evocat. Indeque Remos adeuntes episcopi, eumdem electum nostrum [545] præsulem consecrant apud sanctum Remigium. Rotgarius comes datis obsidibus, dimittitur a rege Ludowico. Duagium castellum reddens Arnoldo. Monasterium sancti Theoderici divinis

VARIÆ LECTIONES.

527 odoni 3. 528 sui 2. 529 necessariis sique 3. 530 abduxerat 2. 3. 531 super 2. 3. 532 *deest* 2. 533 oddoni 2. 3. 534 vel f. s, v. p. 2. 2. 535 asse uenit 2. asseverat 3. 536 decembri 2. 3, 537 abbas 3. 538 *deest* 1. et H. 3. 539 rotgerium 1. 540 definiuntque 2. 3 541 *deest* 4. 542 intermitteret 1. *Hugo* V. 543 electus *corr.* evocatus 1. 544 Ibique — evocat. *desunt* 2. 2a. 3b. 545 *deest* 2, 3, p. c. 3.

NOTÆ

(83) Hugo Floriacensis his præmittit; « Otho Transrhenensis regnum Lothariense a Ludowico suscepit, » etc.

(84) *Cormicy.*

(85) Visiones eæ in codice 1 leguntur.

illustratur miraculis. Crux major ecclesiae Remensis auro cooperta gemmisque pretiosis ornata, ab eadem furum aufertur audacia. Canonici Montisfalconis (86) oppressione Vidonensis episcopi peregrinati, deserentes coenobium suum, corpus sancti Balsemii patroni sui deferunt Remis.

Ludowicus rex Burgundiam petens Rotgarium comitem cum Hugone Nigro ac Gisleberto pacificavit, indeque Laudunum remeans, Arnoldum cum Landrico, fratre ipsius, eodem castro proditionis manifestatos expulit, et Rotgario Laudunensem comitatum dedit; compertoque quod Hugo Albus ad obsidendum Laudunum properaret, Burgundiae partes cum Artoldo episcopo et Rotgario comite repetit. Quo circa Viriacum castrum deversante, Hugo et Heribertus Laudunum obsident. Susceptis autem secum rex quos undecumque colligere potuit, in pagum Porcensem venit. Quo audito, Hugo et Heribertus, sciliet quod rex eis appropinquaret, obsidione relicta properant contra, et incaute regis invadentes exercitum, nonnullis sternunt, reliquos in fugam vertunt. Rex ipse cum paucis eductus a suis, et existimare se bello consortes, vix evasit, Artoldo episcopo et comite Rotgario comitantibus eum. Artoldus episcopus, perditis rebus quas ibi habuerat, ad Hugonem ac Heribertum accessit (H. R. IV, 29, add. ...) ; et datis sacramentis, jam ab eo Avenaco cum villa Vendonissa, et pacta pace cum Hugone praesule, ad sanctum Basolum illic habitaturus devenit. Hugo et Heribertus obsidionem Lauduni relinquunt. Ludowico regi filius nascitur, et praemissi comites cum Willelmo heretice, mox Laudunum repetunt obsidionem, proditionem castri sibi fieri rati; nulloque quod arbitrati fuerant, patrato negotio, revertuntur in sua. Ludowicus rex a Karolo Constantino in Vienna recipitur; et Aquitani ad eum veniunt, illumque suscipiunt. Hugo et Heribertus, Willelmus et Arnulfus simul loquuntur; et Heribertus inde ad Othonem regem trans Rhenum proficiscitur. Anno

DCCCCXLII.

Ludowicus rex, Erimatis sibi Aquitanis, Laudunum revertitur, nec diu commoratus, non obtenta pace, in Burgundiam remeat. Legatus Stephani papae, nomine Damasus, episcopus Romae ob hanc legationem peragendam ordinatus, in Franciam venit, afferens litteras apostolicae sedis ad principes regni cunctosque Franciae vel Burgundiae habitatores, ut recipiant regem suum Ludowicum, quod si egerint, et cum amplius hostili gladio persequi fuerint, excommunicationis depromentium intersignatione. Pro qua re collegiatis episcopi Remensis dioceseos cum Heriberto comite, deprecati sunt eum, ut intercederet apud Hugonem principem pro susceptione regis. Praeterea quidam Romae reperti et interfecti sunt; quidam rebus propriis privati ... depellantur. Legati Remensis ecclesiae Romam regressi, pallium detulerunt Hugoni episcopo a Stephano papa transmissum. Cum quibus pariter et legatio venit principibus regni, ut Ludowicum regem recipiant, et sic legatos suos Romam dirigant; quod si usque ad nativitatem Domini facere non procuraverint, excommunicandos tunc fore se noverint. Domnus Odo abbas pro pace agendi inter Hugonem regem Italiae et Albericum Romanum patricium apud eumdem regem laborabat. Idem vero rex Hugo Saracenos de Fraxinido castro suis finibus depellere conabatur. Rotgarius comes apud Willelmum Nortmannorum principem functus legatione pro Ludowico rege, ibidem defunctus est. Willelmus regem Ludowicum regaliter in Rodomo suscepit. Item Willelmus Pictavensis et Britones cum suis principibus ad regem venerunt. Cum his ergo rex super Isaram venit. Hugo vero et Heribertus cum Othone duce Lothariensium, destructis pontibus et ablatis navibus, cum his quoque quos habere poterant, ex altera parte fluminis consederunt; et agitata inter eos per internuntios controversia, dantur tandem induciae a medio Septembri usque ad medium Novembrem, et obsides accipiuntur utrimque, a rege quidem filius Heriberti minor. Qui etiam rex, tam quoque Willelmus, sed et Hugo, mittunt obsides Othoni regi per Othonem ducem. Fames magna per totam Franciam et Burgundiam, mortalitas quoque maxima boum grassata est in tantum, ut valde pauca hujusmodi animalia in his remanserint terris.

Ludowicus rex Othoni regi obviam proficiscitur, et amicabiliter se mutuo suscipientes, amicitiam suam firmant conditionibus; multumque de pace inter regem Ludowicum et Hugonem laborans Otho, Hugonem tandem ad eumdem regem convertit. Heribertus etiam pariter cum aequivoco filio suo ipsius regis Ludowici efficitur. Revertente rege, Remensis dioceseos episcopi ad eum veniunt; et ipse Rodulfum quoque Laudunensem recepit, ac eidem restituit episcopium. Domnus Odo venerabilis abbas, multorum restaurator monasteriorum sanctaeque regulae reparator, Turonis obiit, et sepultus est apud sanctum Julianum (87). Anno

VARIAE LECTIONES.

... ut communicent p. Hugo V. ... coigeros 1. ... altariacum 2. victuriacum 3. ... et 2. 3. ... ad regem 2. ... suscepit 3. ... revertitur 3. ... depromens 2. 3. ... praesulis 1. ... Laudunum 3. ... Rodulfum 2. ... deest 2. ... 2. 3. ... mutuo 3. ... q. ... 3. ... ibi 2. 3. Hugo V. L. ... 1. Hugo V. sed cf. infra a. 945.

NOTAE.

(86) Montfaucon.

(87) Hugo Virid. addit: a Et successit ei ...

DCCCCXLIII.

Arnulfus comes Willelmum, Nortmannorum principem, ad colloquium evocatum, dolo perimi fecit [563]. Rex Ludowicus filio ipsius Willelmi, nato [564] de concubina Brittanna, terram Nortmannorum dedit ; et quidam principes ipsius se regi committunt, quidam vero Hugoni duci. Heribertus comes obiit, quem sepelierunt apud sanctum Quintinum filii sui [565] : et audientes Rodulfum, filium Rodulfi de Gaugliaco [566] (88), quasi ad invadendam terram patris eorum advenisse, aggressi eundem interemerunt. Quo audito, rex Ludowicus valde tristis efficitur. Artoldus episcopus, relicto cœnobio sancti Basoli, ad regem profectus est. At ille promittit ei se redditurum Remensem episcopatum : quique assumptis secum fratribus suis, et aliis quibusdam qui abjecti fuerant ab episcopatu Remensi, Altmontem castrum occupant [567]. Cum quibus rex Ludowicus [568] etiam Mosomam aggressus [569], repellitur a fidelibus Hugonis episcopi, quibusdam suorum interemptis ; suburbanas tamen domos quasdam ipsius castri succendit, in quibus multum congestarum periit frugum.

Hugo [570] dux Francorum crebras agit cum Nortmannis, qui pagani advenerant, vel ad paganismum revertebantur, congressiones ; a quibus peditum ipsius christianorum multitudo interimitur. At ipse nonnullis quoque Nortmannorum interfectis, ceterisque actis in fugam, castrum [571] Ebroas [572] (89), faventibus sibi qui tenebant illud [573] Nortmannorum christianis, obtinet. Lndowicus Rodomum repetens, Turmodum [574] Nortmannum, qui ad idololatriam gentilemque ritum reversus, ad hæc [575] etiam filium Willelmi aliosque cogebat, regique insidiabatur, simul [576] cum Setrico rege pagano, congressus cum eis interemit [577] ; et Erluino Rodomum committens, revertitur ad Compendium, ubi eum expectabat Hugo dux cum nepotibus suis, Heriberti filiis, de quibus recipiendis frequens agitabatur intentio. Quorum rex primum tunc Hugonem episcopum, mediatoribus Othone duce Lothariensium et Adelberone præsule, Hugone quoque duce præcipue insistente, recepit, eo tenore, ut abbatiæ, quas dimiserat [578] ad regem profectus, Artoldo [579] episcopo restituerentur : aliud etiam episcopium ipsi provideretur ; fratribus quoque et propinquis ejus honores, quos ex episcopatu Remensi habuerant, redderentur. Postea ceteri quoque filii Heriberti comitis recipiuntur a rege. Item rex Ludowicus [580] Rodomum [581] profectus, Ebroas [582] ab Hugone duce receptus, et apud Parisium, depressus infirmitate, pene [583] tota decubuit [584] ægrotus æstate.

Hugo præsul Ambliducum (90) castrum cepit [585] atque combussit ; quod Rotbertus et Rodulfus fratres Remis expulsi tenebant [586], unde et deprædationes per episcopium Remense faciebant. Erluinus cum Arnulfo congressus, victoriaque potitus, eum quoque, qui Willelmum Nortmannorum principem interemerat, occidit, et amputatis manibus [587] ipsius, Rodomum transmisit. Item prælatus Hugo episcopus Altmontem [588] munitionem obsidet, quam tenebat Dodo frater Artoldi episcopi ; tandemque accepto parvulo filio ipsius [589] obside, discedit, rege quoque mandante. Hugo dux filiam regis ex lavacro sancto suscepit, et rex ei ducatum Franciæ delegavit, omnemque Burgundiam ipsius ditioni subjecit. Idem vero Hugo Arnulfum cum rege pacificavit, cui rex infensus erat ob necem Willelmi. Oddo [590] rex quosdam fideles Ludowici, qui sibi insidiabantur, comprehensos [591] in custodia misit ; unde inter ipsos reges exoritur scandalum. Anno

DCCCCXLIV

Ludowicus rex in Aquitaniam proficiscitur cum regina [592] Gerberga, et locutus cum Regimundo [593], Gothorum principe, ceterisque proceribus Aquitanorum, revertitur in Franciam. Castrum quoddam vocabulo Montiniacum, in pago Suessonico situm, quod [594] erat ex abbatia sancti Crispini, quam dudum receperat [595], reddentibus eam sibi filiis Heriberti, et Ragenoldo dederat, proditione quorundam oppidanorum fideles regis ceperunt, occiso Andrea quodam, qui illud tenebat ad fidelitatem filiorum Heriberti, sed et proditore ab Andrea perempto. Ambianensem quoque urbem, quam tenebat Odo [596] filius Heriberti, favente Deroldo episcopo, et tradentibus ipsius episcopi fidelibus, domestici regis recipiunt. Ex quibus ita gestis exoritur iterum discordia inter regem et filios Heriberti. Otho dux Lothariensium vita decessit. Hugo dux Francorum cum Nortmannis pactum firmat [597], datis utrimque et acceptis obsidibus ; indeque profectionem parat cum filiis Heriberti, obviam profecturus Oddoni [598] regi in regnum Lotharii. Sed idem rex adventum suum differens, Herimannum quondam ducem cum ingenti dirigit exercitu. Ludowicus rex, pace facta inter Erluinum et Ernulfum, castrum Ambianen-

VARIÆ LECTIONES.

[563] et Richardus primus successit, qui Normaniam dono regis Ludovici obtinuit *Hugo V.* [564] natum 1. 3. [565] ipsius 2. [566] gaugiaco 2, 3. [567] occupat 2. 3. *H. R.* [568] lodhunicus 3. [569] agressus 3. [570] H. Magnus *Hugo V.* [571] urbem 2. 3. [572] ebroicas 2. 3. [573] *deest* 2. [574] trumonum 3. h. [575] adhuc 3. [576] simulque 3, [577] interimit 2. 3. [578] relinquerat 2. reliquerat 3. [579] altoldo 1. [580] l. r. 2. 3. [581] rodomo 3. [587] ebroicas 2 3, [583] poene 1. [584] decumbit 2, [585] c. castrum 2. 3. [586] detinebant 2. 3. *H. R.* [587] amputatas manus 2. 3. [588] almontem 3, [589] i. f, 2. 3. [590] Odo 2. 3, 3b. [591] comprehendit et in 2.3. [582] regina — cum *desunt* 3b. [593] ragimundo 2.3. 3b. [594] *deest* 2. [595] perceperat .2 præceperat 3. [596] hodo 2. [597] p. f. c. N. 2. 3. [598] othoni 2. odoni 3.

NOTÆ.

(88) *Gouy* in pago Bracbantensi. Bouq.

(89) *Évreux.*

(90 *Ambli* ad flumen Barum, qui Mosam infra *Sedan* influit.

suam eidem Erluino dedit. Filii Heriberti quamdam munitionem Rodulfi, cujusdam fidelis Ludowici regis, nomine Clastrum, sitam in pago Veromandense, proditione capiunt. Et eodem Rodulfo clam evadente, thesauros ipsius invadunt atque diripiunt, munitionemque vacuam derelinquunt.

Hugo dux colloquium Hermanni petit, qui missus erat obsidere castella Ragnarii ac Rodulfi fratrum, Ludowici regis fidelium; qui resistenti Hermanno præsidium non habentes, ventum datis muneribus multis, ab Oddone rege deposcunt. Is equidem palatium Aquis deveniens, cum Lothariensibus colloquium habuit. Ubi missi regis Ludowici, sed et Hugonis ducis legati ad eum venerunt. Qui legatos regis honorifice suscipiens, legatis aversatur [illegible], donec Manasses quidam, missus Hugonis, videns legatos Ludowici valde legationi suæ adversos existere, mandata quædam sibi ab hoc rege data nuper ad quem Oddonem [illegible], quæ prius aperire noluerat, in medium protulit, pandens exprobrationes non modicas quas sibi rex Ludowicus Oddoni regi perferre præceperat, quod scilicet perjurus esset Oddo de juramentis quæ Ludowico juraverat, adjectis et alia indecora nonnulla. Quibus admodum permotus Oddo, missos Ludowici, quia verbis Manassæ contradicere non valebant, abjiciens, legatos Hugonis honorabiliter habuit, omnesque suos fideles ab auxilio seu participatione Ludowici sese submovere præcepit.

In Transrhenensibus Germaniæ regionibus quidam homo erat, cui manus dextra [illegible], et post annos quatuordecim, sicut asserunt qui eum noverunt, subito dum noctu dormiret, ei ex integro restaurata est. In eisdem partibus per quosdam pagos ignei globi ferri [614] videbantur in aere, quique nonnullas illic circumvolantes incenderunt domos ac villas, a quibusdam vero [illegible], crucibus oppositis, cum benedictione episcopali et aqua benedicta repellebantur. Regis milites episcopatum Remensem deprædantur, et filii Heriberti abbatiam sancti Crispini, Ragenoldus quoque abbatiam sancti Medardi; atque alterutris debacchantur rapinis atque deprædationibus. Tempestas nimia facta est in pago Parisiaco, et turbo vehementissimus, quo parietes cujusdam domus antiquissimæ, qui validissimo constructi cemento in monte qui dicitur Mortyrum (91) diu perstiterant immoti, funditus sunt eversi. Feruntur autem dæmones tunc ibi sub equitum specie visi, qui ecclesiam quamdam, quæ proxime stabat, destruentes, ejus trabes immotis parietibus incusserint ac sic conquassaverint; vineas quoque ejusdem montis ipsi evulserunt, et omnia sata vastaverint.

Subsecuta mox Brittonum pervasio, qui discordia inter se principum Berengarii et Alani divisi, a Nortmannis, cum quibus pactum inierant, pervasi et magna sunt cæde attriti. Civitas etiam Dolus nomine capta, et episcopus ejusdem confugientium in ecclesiam multitudinum stipatione oppressus enecatus est. Reparantes denique Brittones validum certamen ineunt, in quo superiores Nortmanni extitisse visi sunt. Tertia tandem congressione facta, magna ex utraque parte cecidit multitudo; victoria vero potiti Nortmanni, Brittones usque ad internecionem cædunt et a terra ipsorum dispergunt. Ipsique Nortmanni, qui nuper a transmarinis advenerant regionibus, eorum terras invadunt.

Ludowicus rex in terram Nortmannorum proficiscitur cum Arnulfo et Erluino et quibusdam episcopis Franciæ ac Burgundiæ. Arnulfus itaque præcedens regem, quosdam Nortmannorum, qui custodias observabant apud Arcas (92), fudit, et regi transitum præparavit; sicque rex Rodomum perveniens, a Nortmannis in urbe suscipitur; quibusdam tamen potentibus qui eum nolebant recipere, ceteris omnibus sibi subjugatis. Hugo dux cum suis et quibusdam Burgundiæ proceribus trans Sequanam faciens iter, Bajocas usque pervenit, et civitatem obsedit, quam rex ei dederat, si eum ad subiciendam sibi hanc Nortmannorum gentem adjuvaret. Receptus autem rex a Nortmannis, mandat duci, ut a præfatæ civitatis obsidione discedat. Quo discedente, rex in eam ingreditur; unde et discordiæ fomes inter regem concitatur et ducem; sed et pro eo quod rex obsides ab Ebroicensibus, qui Hugoni subditi erant, accepit, quos eidem duci reddere noluit. Anno

DCCCCXLV

adhuc rege Ludowico apud Rodomum degente, Gerberga regina filium Lauduni peperit, qui Karolus ad catezizandum vocitatus est. Revertens rex Laudunum et cum Arnulfo locutus, dispositis quibusdam rebus, Rodomum regreditur. At Bernardus Silvanectensis comes et Tetbaldus Turonicus cum Heriberto castellum regis Montiniacum paschæ diebus aggressi, capiunt, incendunt [635], diruunt. Idem quoque Bernardus venatores et canes regis cave-

VARIÆ LECTIONES

[illegible] rodulfi 2. 3. [illegible] veromandense corr. veromandense 1. [illegible] rodulfo 2. [illegible] ragenaro 3. [illegible] ad eumdem regem 2. 3. [illegible] adversabatur 2. 3. [illegible] desunt 3. [illegible] 2. 3. [illegible] [illegible] participationem 1. [illegible] abscideret 2. 3. [illegible] noctu 2. 3. [illegible] restituta 3. [illegible] iisdem 3. [illegible] 2. 3. [illegible] nonnullas 1. [illegible] et 2. 3. [illegible] ex corr. a 1. [illegible] crucibus 2. [illegible] quæ 2. [illegible] constructa 2. [illegible] quamdam 2. [illegible] p. m. 2. 3. [illegible] incusserunt — intorserunt — evulserunt — vastaverunt 3. [illegible] desunt 3. [illegible] 1. [illegible] deest 2. [illegible] 2. 3. [illegible] venerant 3. [illegible] terram 2. 3. [illegible] 2. 3. [illegible] catezizandum corr. catecizandum 1. [illegible] vocatus 2. 3. [illegible] deest 2. 3. [illegible] 2. 3.

NOTÆ.

(91) *Montmartre.*

(92) *Arques.*

dens, equos eorum vel quæque sibi visa sunt, aufert ; Compendium etiam, regalis sedis oppidum, pervadit cum quibusdam villis eidem sedi subjectis. Rex Ludowicus, collecto secum Nortmannorum exercitu, Veromandinsem [636] pagum deprædatur, assumptoque cum ipsis [637] Erluino cum parte [638] militum Arnulfi, sed et Artoldo episcopo cum his, dudum [639] qui Remis ejecti fuerant; comitibus quoque Bernardo ac Theoderico [640] nepote ipsius, Remorum obsidet urbem. Vastantur circumquaque segetes, villæque diripiuntur et partim exuruntur, necnon æcclesiæ plures effringuntur. Quoties [641] pugnatum ad portas vel circa murum, vulnerati ex utraque parte non pauci, quidam etiam interempti sunt. Hugo denique dux prœliatus cum Nortmannis, qui fines suos ingressi fuerant, eos non modica cæde [642] fudit, et a terminis suis ejecit ; post hæc Remis ad regem mittit, dans obsides, ut Rageneldus ex parte regis ad colloquium sibi occurrat. Quo abeunte, tractat cum eo, uti rex obsides ab Hugone episcopo accipiat, et ab obsidione Remensi discedat ; quatenus [643] idem præsul denominato placito ad reddendam rationem de omnibus, quæ rex ab eo quæsierat [644], accedat. Quibus hoc sibi tenore datis, rex ab obsidione recedit post quintam decimam, quo civitas obsessa fuerat, diem. Igitur circa missam sancti Johannis Hugo dux placitum cum rege per sequestres [255] habuit, in quo nihil certi [646] de pace inter ipsos componenda gestum, nisi tantum quod [647] inducias ad invicem sibi dederunt [648] usque ad medium mensem Augustum.

His ita gestis, rex Ludowicus, assumpto Erluino et quibusdam domesticis suis secum, Rodomum petit. Domnus Theotilo [649] venerandus urbis Turonicæ præsul obiit, qui dum de pace inter regem et principes componenda certaret, hisque studiis occupatus a Lauduno rediret, ægritudine corporis in ipso deprimitur itinere. Cumque ultimum jam exhalaret [650] spiritum, apparuit signum quoddam luminis per æra discurrens, cubitum longitudinis habere visum ; cujus lumine ad depellendas noctis tenebras sufficienter perfuncti sunt [651], qui funus ejus deducebant ; talique potiti solamine per milia fere, ceu fertur, ducenta. Turonicam usque corpus ejus perferunt urbem. Quodque in monasterio sancti Juliani, quod idem vir sanctus summa instituerat religione, juxta sepulcrum domni Odonis reverenter humatur, et exinde ipsum templum divinis illustrari [652] miraculis declaratur.

Dum rex Ludowicus [613] moraretur Rodomi, Hagroldus [654] Nortmannus, qui Bajocis præerat, mandat ei, quod ad eum venturus esset condicto tempore vel loco, si rex ad illum locum accederet. Veniente denique rege cum paucis ad locum denominatum, Hagroldus cum multitudine Nortmannorum armatus advenit [655], invadensque socios regis, pene cunctos interemit [656]. Rex solus fugam iniit, prosequente se quodam Nortmanno [657] sibi fideli. Cum quo [658] Rodomum veniens, comprehensus est [659] ab aliis Nortmannis quos sibi fideles esse putabat, et sub custodia detentus, Hugo quoque, rex Italiæ, regno depulsus a suis, et filius ipsius in regnum receptus [660] est. Hugo præsul Altmontem castrum obsidens, post septem ferme [661] obsidionis ebdomadas recepit, reddente illud Dodone [662] [H. R. IV, 31, D domni Artoldi fratre], tali sub tenore, ut filium ipsius et filium fratris sui suscipiens idem archiepiscopus [663], concederet eis terram patrum suorum. Hugone duce de regis ereptione laborante, Nortmanni filios ipsius regis dari sibi obsides quærunt, nec aliter regem se dimissuros asserunt. Mittitur igitur [664] ad reginam pro pueris ; illa minorem mittens, majorem fatetur se non esse missuram. Datur igitur minor, et ut rex dimittatur, Wido [665] Suessorum episcopus sese obsidem tradit. Dimissus itaque rex a Nortmannis, suscipitur ab Hugone principe ; quique committens eum Tetbaldo [666-667], cuidam suorum, proficiscitur Othoni regi obviam. Qui rex nolens loqui cum eo, mittit ad eum Conradum ducem Lothariensium, Cum quo locutus Hugo infensus Othoni regi revertitur. Richario Tungrensium præsule defuncto, idem episcopium rex Otho Hugoni, abbati monasterii sancti Maximini, nolenti atque refugienti dedit, eumque ordinari fecit episcopum ; et ita remeat trans Rhenum.

In pago Parisiacensi, necnon etiam per diversos [668] circumquaque pagos, hominum diversa membra ignis plaga pervaduntur ; quæque [sensim [669]] exusta consumebantur, donec mors tandem finiret supplicia. Quorum quidam, nonnulla sanctorum loca petentes, evasere tormenta ; plures tamen Parisius in æcclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ sanati sunt, adeo ut quotquot illo pervenire potuerint, asserantur ab hac peste salvati ; quos Hugo quoque dux stipendiis aluit cotidianis. Horum dum quidam vellent ad propria redire, extincto refervescunt incendio, regressique ad æcclesiam liberantur [670]. Anno

DCCCCXLVI

quidam motus inter filios Heriberti comitis [671] agitantur pro hereditatum distributione suarum. Qui

VARIÆ LECTIONES.

[636] veromandensem 1. [637] illis 2. 3. [638] patre 2. [639] q,d. 2. 3, *H. R.* [640] teoderico 2. [641] Quotiens 2. [642] clade 3. [643] quatenus 2. 3 [644] quæsierit 2, *H. R.* [245] sequestros 2. [646] certe 1. certum 2. 3. [647] *deest* 2. [648] *deest* 2. [649] testilo 2. [650] exalaret 2. 3. [651] *superscr.* 1. *deest.* 2 [652] inlustrare 2. [653] lodhunicus 3. [654] haigroldus 2. 3. *et infra* [655] venit, *corr.* advenit 1, advenerat 2. [656] interimit 3. [657] N, (normanno) 3. q. 2. 3. [358] cumque 2. [659] *deest* 3. [660] susceptus 2. 3. cui successit Lotharius filius ejus *Hugo V.* [261] formæ *corr.* fermæ 2. [662] odone 2. 3. [663] episcopus 2. 3. [664] *deest* 2. [665] vindo 3. [626-667] Tetbaudo Carnotensium comiti *Hugo V.* [668] diversas *corr.* diversos 1. divisos 2. 3. [669] *deest.* 1. [670] liberentur *corr.* liberantur 2. [671] *deest.* 2. 3.

tamen, Hugone principe avunculo ipsorum mediante, pacantur, divisis sibi, prout eis competens visum est, rebus. Hugo rex Italiæ a suis in regnum recipitur. Edmundus Anglorum rex legatos ad Hugonem principem pro restitutione Ludowici regis dirigit; et idem princeps proinde conventus publicos cum nepotibus suis aliisque regni primatibus agit. Marinus papa decessit, cui successit Agapitus; et pax inter Albericum patricium et Hugonem regem [Italiæ] depaciscitur. Hugo dux Francorum, ascito secum Hugone [Nigro] filio Richardi, ceterisque regni primatibus, Ludowicum regem qui fere per annum sub custodia detinebatur apud Tetbaldum comitem, in regnum restituit; recepto Lauduno castro, quod regina Gerberga tenebat, et eidem Tetbaldo commisso. Qui dux Hugo renovans regi Ludowico regium honorem vel nomen, ei [673] sese cum ceteris regni committit primoribus. Edmundus rex transmarinus defungitur; uxor quoque regis Othonis, soror ipsius Edmundi, decessit.

Regina Gerberga nuper ad Othonem regem, fratrem suum, legationem direxerat, auxilium deposcens ab eo. Qui maximum colligens ex omnibus regnis suis exercitum, venit in Franciam, Conradum quoque secum habens, Cisalpinæ Galliæ regem. Quibus rex Ludowicus obviam profectus, satis amicabiliter et honorifice suscipitur ab eis; sicque pariter Laudunum venientes, considerataque castri firmitate, deverterunt ab eo, Remensem aggredientes urbem, quam cingentes obsidione, ingenti vallarunt exercitu. Videns autem præsul Hugo, obsidionem se tolerare non posse, neque tantæ resistere multitudini, locutus est cum quibusdam principibus qui videbantur sibi esse amici, videlicet cum Arnulfo, qui ejus sororem, et Udone, qui amitam ipsius habebat uxorem, sed et cum Heriberto Udonis fratre; quæsivit ab eis, quid sibi foret agendum. Qui tale consilium dederunt ei, ut egrederetur cum suis et relinqueret urbem, quia id dispositum a regibus erat, ut omnimodis expelleretur, neque intervenire possent apud reges pro ipso, quin eruerentur ei oculi si urbem vi capi contigisset. Quo consilio percepto ac suis intimato, post tertiam obsidionis diem cum pene cunctis qui secum tunc aderant militibus egressus est. Sicque reges cum episcopis et principibus ingredientes urbem, domnum Artoldum præsulem, qui dudum fuerat ejectus, iterum intronizari fecerunt; quem Rotbertus Treverensis archiepiscopus et Fredericus Moguntinensis accipientes utraque manu eidem sedi restituerunt. Deinde relinquentes Gerbergam reginam Remis, ipsi reges cum exercitibus suis terram Hugonis aggrediuntur; et urbem Silvanectensium obsidentes, ut viderunt munitissimam, nec eam valentes expugnare, cæsis quibusdam suorum, discesserunt. Sicque trans Sequanam contendentes, loca quæque præter civitates gravibus atterunt deprædationibus, terramque Nortmannorum peragentes, loca pleraque devastant, indeque remeantes, regrediuntur in sua. Deroldus Ambianensium præsul vita decessit. Anno

DCCCCXLVII.

Hugo princeps, moto exercitu, in Arnulfi terram proficiscitur, obsidetque quasdam munitiones ipsius; nulloque patrato prout speravit negotio, revertitur in sua. Rex quoque Ludowicus cum quibusdam Lothariensibus Mosomum, quod Hugo præsul ejectus a Remis tenebat, obsedit; sed nec ipse quippiam pro votis efficiens, recedentibus tandem post mensem Lothariensibus, ipse Remos [693] regreditur. Bovo Catalaunensis episcopus obiit; eligentque sibi Catalaunenses quendam nobilem adolescentem clericum, nomine Gibuinum. Ludowicus rex Aquis pascha cum Othone rege celebrat, et regiis ab eo honoratur muneribus. Hugo princeps a quibusdam præsumptiose persuasus, Remensem cum Hugone præsule, quasi mox capturus, aggreditur urbem; frustratoque voto, resistentibus fidelibus regis et Artoldi archiepiscopi, octavo postquam advenerant die, inde recedunt. Hugo præsul, annitente avunculo suo Hugone, ordinat Ambianis episcopum Tetbaldum quendam, ecclesiæ Suessonicæ clericum. Ludowicus rex, expetente Arnulfo comite, Atrabatem proficiscitur cum Artoldo episcopo, indeque cum Arnulfo ad obsidendum Monasteriolum, castrum Rotgarii [700] filii Erluini, progrediuntur; postque laborem inefficacem, pluriumque [701] mortes suorum, spe privati regrediuntur ad propria. Tempestas magna Remis effusa est per unius omne noctis spatium cum coruscationibus continuis et terræ motu, adeo ut parietes [illegible] ruerent et domus nonnullæ subverterentur.

Conventus placiti regum Ludowici et Othonis super Charam (93) fluvium instante mense Augusto celebratur, Hugone principe circa Mosomum et Duodeciacum (94) castra metato; ubi res litis inter Artoldum et Hugonem Remensis ecclesiæ præsules ab episcopis auditur. Et quia synodus tunc convocata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus

VARIÆ LECTIONES.

[672] avunculo 2. [673] et 1. [674] [illegible] 2. [675] h. p. 2. 3. *H. R.* [676] oddone 1. uniddone 2. [677] amitam 2. [678] heriberto 2. 3. [679] uniddonis 2. [680] quid *corr.*, quod 2. [681] egrederentur 2. [682] [illegible] 2. [683] [illegible] 1. [684] magontiacensis 2. [685] quia [illegible] *Hugo V.* [686] [illegible] 1. [687] [illegible] 2. [688] [illegible] 2. [689] prædationibus 3. [690] revertentes 2. [691] regredientur *corr.* regrediuntur 2. [692] illa 1. [693] decedit 3. [694] mosomum 3. [695] [illegible] 1. [illegible] 2. 3. *H. R.* [696] retinebat 2. 3. *H. R.* [697] remis *corr.* remus 1. [698] [illegible] ab eo 2. 3. [699] obiit 2. 3. [700] rotgerii 1. [701] pluriumque *corr.* plurimque 2. [702] [illegible] 2.

NOTÆ.

(93) *Cher.* (94) *Douzy.*

autem circa medium mensem Novembrem habenda [703] denuntiatur. Interim vero sedes Remensis Artoldo conceditur, Hugo alter præsul in Mosomo commanere permittitur. Treugæ vel induciæ belli inter regem Ludowicum et Hugonem principem usque ad synodi tempus, Othone rege mediante, disponuntur. Heriveus, nepos herivei quondam archiepiscopi, habens munitionem quam ædificaverat circa Maternam fluvium villas circumquaque [704] deprædabatur Remensis episcopii: excommunicatus ab Artoldo præsule pro his quas invaserat ecclesiæ rebus. Contra cujus prædones egressi quadam die Ragenaldus [705] comes et Dodo, frater [et fratres. *H. R.*] ipsius præsulis, cum quibusdam militibus [706] æcclesiæ, ipsos grassatores in fugam agunt. Quo audito, idem Heriveus [707], armatis his quos secum habebat militibus a munitione sua egressus contra nostros [708] ad pugnam, et congressus cum eis, interemptus est cum suorum quibusdam [709]; ceteri omnes in fugam versi sunt, vulneratis ex utraque parte nonnullis. Corpus ejusdem Remos a victoribus perlatum est. Hugo præsul assumens [secum [710]] Tetbaldum de Lauduno* cum aliis nonnullis malefactoribus, in Culmisciacum [711] (95) ceterasque contiguas villas tempore vindemiæ venit; qui omne pene vinum ex his colligentes, in diversos pagos abducunt.

[* *H. R* IV, 33. T. de Monteacuto (*deest tamen in cod. Montispessulani*) sororis suæ maritum.]

Synodus prædicta [712] Virduni habita est, præsidente Rotberto Treverensi præsule, cum Artoldo Remensi [713], Odalrico [714] Aquensi, Adalberone [715] Mettensi, Gosleno [716] Tullensi, Hildebaldo Transrhenensi [717], Israhele Brittone, præsente [718] Brunone abbate (96) fratre regis Othonis, Agenoldo (97) quoque et Odilone [719] (98), cum aliis quibusdam venerandis abbatibus (99). Ad quam Hugo episcopus evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum episcopis, Adalberone et Gusleno, venire noluit. Universa vero synodus domno Artoldo [720] Remense tenendum adjudicavit episcopium. Indicitur iterum synodus Idus Januarii habenda [721]. Anno

DCCCCXLVIII.

synodus prædicta celebratur in ecclesia sancti Petri, ante prospectum castri Mosomi, a domno Rotberto ceterisque Trevirensis [722] dioceseos episcopis et aliquibus Remensis. Veniens autem illuc Hugo præsul, et locutus cum Rotberto, synodum noluit ingredi. Litteras vero quasdam ex nomine Agapiti papæ misit ad episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes; hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remense redderetur episcopium. Quibus lectis, memorati episcopi consilium cum abbatibus et ceteris sapientibus qui aderant, responderunt, non esse dignum vel congruum, ut mandatum legationis apostolicæ, quam dudum Rotbertus archiepiscopus, deferente Frederico præsule Moguntiacensi [723], coram regibus et episcopis tam Galliæ quam Germaniæ susceperat, et partem jam præceptionis ipsius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas insidiator Artoldi præsulis exhibebat; imo quod regulariter cœptum fuerat, canonice pertractaretur. Sicque præceptum est, ut recitaretur capitulum 19 Cartaginensis concilii de accusato et accusatore. Quo recitato, judicatum est, secundum diffinitionem [724] ipsius capituli, ut Artoldo præsule retinente communionem et parrochiam [725] Remensem, Hugo, qui ad duas [726] jam synodos evocatus venire contempserat, a communione et regimine Remensis episcopii abstineret, donec ad universalem [727] synodum, quæ indicebatur Kalendas Augusti, sese purgaturus occurreret. Ipsumque capitulum mox in carta describi fecerunt episcopi coram se, subnectentes hanc etiam denuntiationem suam, et eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eandem cartam Rotberto præsuli remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum judicio nequaquam obœditurus esset. Arnulfus comes castrum Monasteriolum, favente Hngone principe, capit. Interea proclamationis litteræ a domno Artoldo diriguntur ad sedem Romanam. Domnus igitur Agapitus papa vicariumisuum Marinum episcopum mittit ad Othonem regem propter evocandam et aggregandam generalem synodum. Litteræ quoque ipsius papæ mittuntur ab urbe Romana specialim quibusdam episeopis Galliæ Germaniæque, vocantes eos ad eandem [728] synodum. Quæ synodus aggregata [729] est ex præcepto præfati papæ in Engulenhein [730] palatio regali, in æcclesia beati Remigii honore dicata, 7 [731] Id. Junii [732], causa videlicet maximarum dissensionum, quæ agitabantur inter regem Ludowi-

VARIÆ LECTIONES.

703 abenda 2. 704 circumquique 3. *infra* ad artaldo *typorum errore*. 705 ragenoldus 2 2. 706 a. m. 2. 3. 707 herviveus 3. 708 nos 2. 709 q. s. 2. 3. 710 *deest* 1. 711 colmiseiacum 1. 712 S. denunciata circa medium mensis novembris Virduni *Hugo V*. 713 R. Berengario Virdunensi, O. *Hugo V*. 714 odolrico 2. 3. *Hugo Fl*, 715 adhelberone 2. 3. alberone *Hugo Fl*. 716 goslino 2. 3. *ita et infra*. 717 t. Mirnegardo Werdensi 3; *et Hildebaldus vere Mimigardevordensis episcopus erat*. 718 brittone præsente Brunone 1. *Hugo V*. 719 oddone Cluniacensi abbate *Hugo Fl*. 720 *deest*. 1. 721 *deest* 1. 722 trevereusis 2. 3, 723 mogenciacensis 1, magoni. 2. magone. 3. 724 def 3. 725 parch. 1 paroch. 3. 726 duos s. i. 2. 727 anniversalem 1. 728 *deest* 3. 729 congregata 730 eungulenhein 1. eglehem 3. 731 *deest* 1. *Legitur etiam apud Hugonem V*. 732 In a. 948. ind. 6. tertio papatus domni Agapeti anno, regni regis Othonis 13, Ludowici quoque 13 *Hugo V*.

NOTÆ.

(95) *Cormicy*.
(96) Laureshamensi.
(97) Gorziensi.
(98) Stabulensi.
(99) Hugo V, addit: « Synodus autem hæc ob hoc Virduni denuntiata fuit, ut sic saltem interesset conventui episcoporum præfatus Virdunensis Beringarius, cujus tanta esset auctoritas, ut improbari videretur, quod constantissimæ nobilitatis ejus authentica præsentia non roboraretur.

cum et Hugonem principem; inter Artoldum quoque Remorum archiepiscopum [733] et Hugonem illicite substitutum eidem urbi præsulem; quæ dissensiones omne perturbaverant regnum Francorum. Ad quam synodum celebrandam, adveniente prædicto Marino sedis apostolicæ vicario, convenerunt [734] etiam Germaniæ præsules cum quibusdam Galliarum episcopis, Rotbertus [735] videlicet Treverensis [736] archiepiscopus, Artoldus [737] Remensis, Fredericus Mogontiacensis [738], Wicfredus [739] Coloniensis, Adaldagus [740] Hammaburgensis, Hildeboldus [741] Mimegardevurdensis [742], Gosleuus [743] Tullensis, Adalbero [744] Mettensis, Berengarius [745] Virdunensis, Fulbertus Camaracensis, Rodulfus Laudunensis [746], Richarius Warmacensis, Reinboldus [747] Spirensis, Poppo [748] Wirtsiburgensis [749], Counradus [750] Constantiensis, Odelricus Augustensis, Thethardus [751] Hildinesheimensis [752], Bernardus Alfurtestedensis [753], Dodo [754] Poderbrunnensis [755], Farabertus [756] Tungrensis, Liopticus Ribenensis, Michahel Radispotensis, Doddo Osnebruggensis [757], Evera Mindensis, Baldricus Trajectensis, Heroldus Saltburgensis [758], Adalbertus Batavensis, Starchandus Eistetensis [759], Horath Sleoswicensis [760], Wichardus [761] Basiliensis, Liefdac Ripuensis [762]. Residentibus his præsulibus in ecclesia prædicti loci, post præmissas [763] preces secundum ordinem celebrandi concilii, et post lectiones sacræ auctoritatis, ingressis gloriosis regibus Othone ac Ludowico, et simul residentibus, post allocutionem præfati Marini sedis apostolicæ legati, exurgens Ludowicus rex e latere et consessu [764] domni regis Othonis, proclamationis suæ querimoniam propalavit coram præmisso Romanæ sedis vicario ceterisque consedentibus [765] episcopis, referens qualiter accersitus fuerit a transmarinis regionibus per legatos Hugonis ceterorumque Franciæ principum ad suscipiendum suæ paternæ hereditatis regnum, cunctorumque votis et acclamationibus [766] procerum militiæque Francorum sublimatus et consecratus sit ad apicem regalis monarchiæ obtinendam; postea vero ejectus sit a præfato Hugone, et dolis appetitus ac comprehensus, per annum integrum sub custodia fuerit ab eo detentus, nec aliter ejus absolutio potuerit obtineri [767], nisi Laudunum castrum, quod solum tunc regina Gerberga cum fidelibus suis ex omnibus suis regiis sedibus retinebat, Hugone illud occupante, dimitteret. De his omnibus malis, quæ post regni susceptionem passus fuerat, si quis diceret, quod sui facinoris causa eidem fuissent illata, inde se [768] juxta synodale judicium et regis Othonis præceptionem purgaret, vel certamine singulari defenderet.

Deinde surgens Artoldus archiepiscopus, protulit secundum jussionem papæ Romani, quam ei delegaverat, litis initium atque tenorem, quæ versabatur inter ipsum et Hugonem, subrogatum sibi ecclesiæ Remensis antistitem. Post quarum litterarum (100) recitationem, et earum propter reges (101) juxta Teutiscam [769] linguam interpretationem, ingressus synodum quidam Sigiboldus [770] præmissi Hugonis clericus, attulit litteras quas Roma detulerat, quasque jam in alio synodo Mosomi [771] propalaverat, asserens easdem litteras sibi Romæ ab ipso, qui aderat, Marino vicario datas. Qui Marinus proferens litteras, quas idem Sigiboldus Romam detulerat [772], præcepit eas coram synodo recitari. In quarum recitatione repertum est, prout ipsæ litteræ fatebantur, quod Wido episcopus Suessonicus, Hildegarius quoque Belvacensis, Rodulfus Laudunensis, ceterique cuncti Remensis diœceseos episcopi easdem litteras ad sedem delegaverunt [773] apostolicam pro restauratione Hugonis in sede Remensi et expulsione Artoldi. Post quarum lectionem exurgentes Artoldus præsul et præfatus Rodulfus, qui in eisdem litteris nominabatur, Fulbertus quoque Camaracensis antistes, easdem litteras refutarunt, astruentes, quod eas antea numquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione consensum præbuerint. Quibus dum [774] idem [775] clericus contraire non posset, licet in eos calumniis obstrepens [776], præcepit domnus Marinus, suggerens universæ [777] synodo, ut sibi consilium et rectum judicium proferrent super hujusmodi calumniatore [778] et

VARIÆ LECTIONES.

[733] remensem epsc. 1. 2. 3. remensem archiepisc. *Hugo* V. [734] convenerunt 32 episcopi Galliæ et Germaniæ, quos dignos judicavimus subter annotare *Hugo* V. [735] robertus 2ᵃ. [736] trever. 2. 3, *sæpius*. [737] artoldus 2ᵃ. [738] magont. 2, 3. [739] wifredus 2ᵃ. [740] adeldacus 2. 3. adelbatus 2ᵃ. [741] hildebaldus 2. 3. hildebaldus 2ᵃ. [742] mimigernonevedensis 1. mimegrnofordensis 2. 3. mimagarnoivedensis *Hugo* V. [743] gosuinus 2. gosunus 2ᵃ. [744] adelbero 2. 3. aldebero 2ᵃ. [745] berengarius 2ᵃ. [746] laudunensis 3. [747] reinboldus 2. raimboldus 3. rambaldus 2ᵃ. [748] popo 2ᵃ. [749] wirtib. 2. wirtb. 3. wirtib. *Hugo* V. [750] ita 2; 1. cuonradus, conradus 2ᵃ. [751] tethardus 2ᵃ. 3. *Hugo* V. [752] hildinesheimensis 1. hildinesheimensis 2. 3. hildinesheimensis *Hugo* V. [753] aifurcestensis 2. [754] dodo 2ᵃ. [755] poderbrunensis 2. poderburnensis 3. [756] Liopt. B. Michael B. Farab. T. 2, Michael, Ri. Far. T., Liop. Rib. 3. [757] dodo osnebrugensis 2. 3. [758] saleb. 1. salb. 3. [759] staetensis 1. [illegible] 2. [illegible] 3. [760] leouwicensis 3. horatus 1. 2ᵃ. [761] wichardus 3. [762] Liedac 1. *Hugo* V. liedac ripuensis 3. [763] missas 2. [764] consensu 2. [765] consid. 2. 3. [766] clamat. 2. 3. [767] optineri 2. [768] dant 2. [769] teutiscam 1. teutiscam 2. 3. [770] sygibaldus 2. sigibaldus *H. B. Bald.* [771] mosomi 1. [772] tulerat 2. 3. [773] delegaverant 3. [774] cum 3. [775] isdem 2. calumpniis obstr. 2. [777] universo 2. [778] calumpni 1. 2. *constitutor*

NOTÆ.

(100) Mon. Germ., Leg. II, 21. *Patrolog.* tom. CXXXVIII, inter Othonis Magni Constitutiones ecclesiasticas. Acta synodi Ingelheim.)

(101) Igitur et Ludowicus linguam Teutiscam calleba(t).

calumniatorum in episcopos delatore. At illi postquam delator publice confutatus est talia detulisse, lectis capitulis de hujuscemodi [779] calumniatoribus, judicant et unanimiter censent, eum qui fuerat hunc honore privari debere ac secundum capitulorum tenorem in exilium detrudi. Diaconatus igitur quo fungebatur ministerio multatus, a conspectu synodi reprobatus abscessit. Artoldo vero præsuli, qui omnibus se synodis præsentabilem fecerat, non refugiens synodale judicium, episcopium Remense juxta canonum instituta et sanctorum Patrum decreta omnino retinendum atque disponendum, decernunt, laudant atque corroborant.

Secunda consessionis die, post recitatas divinæ auctoritatis lectiones et Marini vicarii allocutionem, suggessit domnus Rotbertus Trevirensis archiepiscopus, ut, quoniam juxta sacræ legis instituta restauratum atque restitutum fuerat Remense Artoldo præsuli episcopium, in ejusdem sedis invasorem synodale perageretur judicium. Præcepit itaque Marinus vicarius, ut canonicam super hac præsumptione synodus proferret sententiam. Jubentur ergo sanctæ legis catholica recitari capitula, quibus recitatis, secundum sacrorum instituta canonum, et sanctorum decreta Patrum, Sixti, Alexandri, Innocentii, Zosimi, Bonefacii, Cælestini, Leonis, Symmachi [780], ceterorumque sanctorum æcclesiæ Dei doctorum, excommunicaverunt et ab æcclesiæ Dei gremio reppulerunt prædictum Hugonem Remensis ecclesiæ pervasorem, donec ad pœnitentiam et dignam satisfactionem venire procuret [781]. Ceteris quoque diebus synodi tractata [782] sunt quædam necessaria de incestis conjugiis, et æcclesiis, quæ presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, imo vendebantur, indebite et auferebantur a laicis illicite [783]; prohibitumque [784] ac statutum, ne id omnino præsumeretur ab aliquo. Sed et de aliis æcclesiæ Dei utilitatibus tractata sunt et diffinita [785] nonnulla.

Interea rex Ludowicus deprecatur regem Othonem [786], ut subsidium sibi ferat contra Hugonem et ceteros inimicos suos. Qui petita concedens, jubet ut Chonradus dux cum exercitu Lothariensium in ejus [787] pergat auxilium; interim vero dum congregetur exercitus, rex Ludowicus cum ipso duce maneat, et episcopi Artoldus atque Rodulfus, qui erant cum rege, ne quid in via paterentur adversi, degerent cum Lothariensibus episcopis. Mansimus itaque cum Rotberto Trevirensi, Rodulfus Laudunensis cum Adalberone [788] Mettensi, ebdomadas fere quattuor.

Exercitu denique collecto, Lotharienses episcopi Mosomum petunt, ipsumque obsidentes castrum atque oppugnantes, milites qui erant illic cum Hugone ad deditionem compellunt, et acceptis ab eis [789] obsidibus, pergunt obviam Ludowico regi et Chonrado [790] duci ingredienti Laudunensem pagum. Obsident igitur ibi duces et exercitus quandam munitionem, quam ædificaverat et tenebat Tetbaldus in loco qui dicitur Mons acutus [791] (102), qui et Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam oppidum expugnantes [792], tandem non sine mora capiunt, indeque Laudunum adeunt. Et in æcclesia sancti Vincentii congregati episcopi, prædictum Tetbaldum excommunicant, Hugonem vero principem vocant litteris ex parte Marini legati apostolicæ sedis et sua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem et episcopos egerat. Wido denique, Suessonicæ sedis episcopus, ad regem Ludowicum veniens, eidem sese committit, pacaturque cum Artoldo archiepiscopo, satisfaciens illi pro ordinatione Hugonis. Chonradus quoque dux filiam Ludowici regis sacro de fonte suscepit. Sicque recepto Mosomo castro et everso, Lotharienses revertuntur in sua.

Igitur Hugo nullam moram faciens, collecta suorum multa Nortmannorumque manu, Suessonicam aggreditur [793] urbem, et obsidens oppugnat [794], cæditque nonnullos: injectis etiam ignibus domum patris æcclesiæ succendit, simulque claustra canonicorum et partem civitatis. Nec tamen ipsam capere valens, urbem reliquit, et ad quandam munitionem, quam Ragenoldus comes Ludowici super Axonam [795] fluvium in loco qui dicitur Rauciacus (103) ædificabat, devenit, ipsumque adhuc inperfectam castris vallavit [796]. Sed nec ipsam cepit; villas tamen Remensis æcclesiæ castris suis contiguas devastavit. Plures quoque colonorum prædones ipsius interemerunt, violantes [796] æcclesias, et in tantum debacchantes, ut in Culmisciaco vico tam infra quam circa æcclesiam fere quadraginta [797] homines interfecerunt [798] ipsumque templum omnibus pene rebus [799] expoliaverunt. Multis ergo [800] flagitiis tunc perpetratis, Hugo tandem cum suis regreditur grassatoribus. Itaque milites, qui hactenus cum Hugone fuerant excommunicato, ad Artoldum præsulem revertuntur; qui nonnullos eorum, redditis eis rebus quas habuerant, recepit [801], quosdam vero abjecit. Post hæc Treviros proficiscitur ad synodum cum episcopis Widone [802] Suessonico, Rodulfo Laudunensi, et Wicfredo [803] Morinensi. Quo pervenientes, Marinum sese præstolantem rep-

VARIÆ LECTIONES

[779] hujusmodi 2. [780] simmachi 2. 2. [781] veniret 2. *Hugo* V. v. procuraret 3. *H. R.* [782] tracta 1. [783] inl. 2, [784] que *deest* 2, [785] definita 3. [786] othonem 2. 3. *sæpius*, [787] ejusdem 2. [788] adhelberone 2. 3. [789] ab eis; *desunt* 3. [790] conrado 2. 3. *semper*, [791] munitionem quæ dicitur Mons acutus ante Laudunum cadit *Hugo* V. [792] expugnentes 2. [793] adgr 2. 3. [794] oppugnabat 2. [795] axonem 2. [796] vallantes 1. [797] quadringentos *H. R.* IV. 36. quadringenta *cod. Montispess.* [798] interficerent 2. 3. interfecerint *H. R.* [799] t. r, penitus e 2. 3. *H. R.* [800] Multisque f. 2. 3. [801] recipit q. v, reicit 2. 3b. [802] *deest* 2. 3. [803] vincfredo 3

NOTÆ.

(102) *Montatau.*

(103) *Roucy.*

perunt [804] cum Rotberto archiepiscopo, ceterorum vero Lothariensium vel Germanorum præsulem illic invenire nequeunt. Considerantibus igitur illis, sciscitari Marinus vicarius cœpit [805], quid egisset post præmissam synodum Hugo princeps erga ipsum vel regem Ludowicum. At illi retulerunt super memorata, quæ ipsis et æcclesiis eorum intulerat, mala. Requirit ergo de vocatione ipsius principis Marinus, utrum perlatæ fuissent ei litteræ vocationis, quas ei perferendas delegaverat. Cui respondetur ab Artaldo archiepiscopo, quod quædam earum perlatæ sint [806], quædam vero perferri nequiverint [807], tamen gerulo ab ipsius grassatoribus interceptæ; vocatus tamen fuerit [808] tam litteris quam quibusdam internuntiis. Requiritur itaque, si adsit aliquis ex parte ipsius legatus. Ubi cum nullus fuisset inventus, decernitur expectandum, si forte adventurus esset in crastinum. Quod cum minime contigisset, et omnes qui aderant [809], tam clerici quam illustres [810] laici, eum excommunicandum esse acclamarent [811], dilatus ab episcopis hanc excommunicationem adhuc differendam usque ad [812] diem synodi tertium. Tractatur autem de episcopis, qui vocati fuerant et venire distulerant, vel his qui ordinationi Hugonis partibus assistebant. Et Wido quidem, [813] Suessonicus se culpabilem, prostratus coram Marino vicario et Artoldo archiepiscopo, confitetur. Intercedentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto et Artoldo archiepiscopis, absolvi ab hac noxa meretur. Wicfridus Morinensis omnino ab eadem ordinatione reperitur. Adest Transmari [814], Noviomensis episcopi, legatus quidam presbiter, asserens eundem præsulem ita gravi languore [815] detentum, ut ad eandem [816] synodum venire non valuerit; id quoque nostrates, qui aderant, attestantur [817] episcopi.

Tertia tandem die, insistente præcipue Liudulfo [818] legato et capellano regis Othonis, quoniam idem rex ut omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo comes, inimicus Ludowici regis pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis; eo tamen modo, donec resipiscat, et ad satisfactionem coram Marino vicario vel episcopis quibus injuriam fecit, deveniat; quod si facere contempserit, Romam pro absolutione sui proficiscatur. Excommunicantur et duo pseudo-episcopi, ab Hugone damnato ordinati, Tetbaldus et Ivo [819], prior post expulsionem ipsius in Ambianensi urbe, alter post damnationem ejusdem Hugonis in Silvanectensi, ab ipso [820] constituti. Excommunicatur etiam quidam clericus Laudunensis nomine Adelelmus, quem accusavit Rodulfus episcopus [821] suus, eo quod Tetbaldum excommunicatum in æcclesiam introduxerit. Vocatur Hildegarius, Belvacensis episcopus, litteris præfati Marini, ut [822] veniat coram ipso, vel eat Romam, rationem redditurus coram domno papa pro illicita ordinatione prædictorum pseudoepiscoporum, cui interfuerat. Vocatur et Heribertus, Heriberti comitis filius, ad satisfactionem venire pro malis, quæ contra episcopos agebat.

His ita gestis, episcopi revertuntur in sua. Liudulfus [823] autem capellanus Othonis Marinum vicarium deducit ad regem suum in Saxoniam, ubi consecraturus erat [824] æcclesiam Vuldensis monasterii. Post cujus consecrationem idem [825] Marinus, exacta hieme, Romam revertitur. Hoc anno defunguntur episcopi Geruncus Biturigensis [826] et Rodulfus Laudunensis. Nascitur regi Ludowico filius, quem præsul Artoldus de sacro fonte suscepit, patris ei nomen imponens [827]. Anno

DCCCCXLIX [828].

Laudunenses, qui fidelitati [829] Ludowici regis attendebant, eligunt sibi præsulem Roriconem diaconem, ipsius regis fratrem, quemque consecrat Artoldus archiepiscopus Remis. Qui tamen non receptus Lauduno, apud Petræpontem munitionem resedit. Ambianenses Tetbaldum, quem eis Hugo constituerat episcopum, exosi, castrum Arnulfo comiti produnt, qui advocans regem Ludowicum, oppidum ipsum cepit, Tetbaldum expulit, et Ragembaldum illuc Atrabatensem [830] quendam monachum, quem idem [831] Ambianenses prius sibi delegerant [832], introduxit; quique Remos a rege perductus, ordinatur episcopus ab Artoldo archiepiscopo. Altmontem munitionem, quam tenebat Dodo, frater domni Artoldi episcopi, milites Remensis æcclesiæ, qui recepti non fuerant ab ipso præsule, furtiva capiunt proditione; et advocantes Hugonem excommunicatum, in oppido [833] suscipiunt, indeque per villas episcopi circumpositas rapinis desæviunt. Imminente denique paschali sollemnitate, Gerberga regina proficiscitur ad fratrem suum Ottonem regem, et Aquisgrani palatio [834] pascha cum ipso celebrat. Ibi tunc diversarum gentium affuere legationes, Græcorum scilicet, Italicorum, Anglorum, et aliorum quorundam populorum.

Regressa Remos regina cum fraterni [835] auxilii pollicitatione, rex Ludowicus Laudunum improvisus [836] aggreditur, et noctu muro latenter a suis ascenso, disruptisque portarum seris, oppidum ingreditur, captisque custodes, præter eos qui turrim (104) regiæ domus conscenderant, quam ipse ad portam castri fundaverat. Hanc itaque capere non valens, a

VARIÆ LECTIONES.

[804] repperunt 3. [805] c. m. s. 2. 3. *H. R.* [806] sunt 3. [807] non potuerunt 3. [808] fuerat corr. fuerit 1. [809] adderant corr. aderant 2. [810] dicti 1. 3. [811] acclamare 2. adclamarent 3. [812] in 3. [813] quidam 2. 3. [814] transmarini 2. 3. [815] languore 2. [816] eandem corr. eundem 2. [817] adfert 2. 3. [818] Liudolfo 2. 3. [819] tan 1. 2. [820] ea 2. 3. [821] Ivon 2. [822] a 2. 3. [823] Leudulphus 1. Liud. 2. Lud. 3. [824] fuerat 2. 3. [825] dicat 1. [826] Hildebertus 2. [827] *Hæc usque Historia Remensis* IV, 37. [828] nongentesimo quadragesimo octavo 3. [829] satellitio corr. fidelitati 1. [830] attrab. 3. [831] idem 2. [832] delegaverant 2. [833] oppidum 2. 3. [834] palatii 1. [835] fratre in 1. [836] improvisans 2.

NOTÆ.

(104) Vidi eam adhuc anno 1827 mense Maio præsens; jam vero haud amplius exstat in utilitatem publicam, ut dicunt, demolita.

civitate secludit, ducto intrinsecus muro. Quo comperto Hugo [837] comes illo cum suis proficiscitur, et rex Chonradi [838] Lothariensium ducis auxilium, missa legatione, petit Hugo vero appropians turri, ante portam metatur, et introducens in arcem custodes cum sufficiente victu, recedit a monte. Rex igitur obviam pergit Chonrado et ipse dux cum rege locutus, indutias belli disponit inter ipsum et Hugonem usque ad mensem Augustum, dum rex idem locuturus pergat ad regem Ottonem. Cum quo postquam locutus est, Remos revertitur ; ubi Adalbertus filius Heriberti ad eum veniens, ipsius efficitur. Ragenaldus [839] comes, junctis sibi quibusdam fidelibus Artoldi præsulis, munitionem quandam construit in fluvio Materna, scilicet apud Maroilum [840] (105). Codiciacum castrum domno Artoldo præsuli redditur ab his qui custodiebant illud ex parte Hugonis comitis vel Tetbaldi, quique se committunt eidem archiepiscopo. Altmontem præsidium, quod ingressus cum suis tenebat Hugo quondam episcopus, obsident Dodo, frater domni Artoldi, cum fidelibus ipsius et Theodericus comes, et ante portam ipsius castri castra sibi constituunt atque præmuniunt.

Hugo comes collecta suorum multa Nortmannorumque manu, Laudunum adit, et suos qui arcis [841] domum tenebant educit, aliosque cnm sufficiente victu custodes introducit. Et profectus hinc in pagum Porticensem, supra Caldionem [842] castra metatur, indeque ad regem Ludowicum Remis degentem quasi pacis petendæ gratia mittit ; insperatusque interim Laudunum [843] agressus capere nisus est, frustratoque [844] consilio revertitur in sua. Rex vero, evocato Arnulfo atque [845] quibusdam Lothariensium, post eum proficiscitur usque in pagum Silvanectensem, Arnulfus itaque suburbium civitatis ipsius igne succendit, et sic ad propria regrediuntur. Hugo igitur, non modico [846] tam suorum quam Nortmannorum collecto exercitu, in pagum Suessonicum venit, et missis ad regem episcopis, Widone [847] Antisioderensi [848], et Ansegiso Trecassino [849], Ragenaldum [850] comitem sibi accersiit ; et ita, dato alterutrum [851] jurejurando, treugæ sunt acceptæ usque octavas [852] paschæ. Nec longum post, rex cum Arnulfo locutus est. Ragenaldus comes castrum quondam Herivei, videlicet Castellionem, conscenso [853] noctu muro capit ; et Dodo, frater domni Artoldi, tertia dein [854] die Altmontem simili pene modo recepit [855].

Agapitus papa synodum habuit apud sanctum Petrum, in qua dampnationem Hugonis episcopi apud Ingulenheim factam confirmavit, excomunicans etiam Hugonem principem, donec Ludowico regi satisfaciat [856]. Bernardus quidam partium Hugonis, habens castellum super Isaram fluvium nomine Colnacum [857] (106), se cum ipso castello committit Adalberto comiti [858]. Quædam æcclesia in honore sanctæ Mariæ dicata super Arnam rivum, claris illustratur miraculis, et sanitatum præsidiis. Item altera æcclesia in ipsius honore super Pidum rivulum [859] sita, pene simili respendet intela. Anno

DCCCCL

rex Ludowicus ad Ottonem regem proficiscitur trans Mosellam, consilium quærens et auxilium ab eo de pace fienda inter se et Hugonem. Qui promittit se missurum ei ducem Chonradum cum Lothariensibus ad id exsequendum, Qui dux veniens cum episcopis quibusdam et comitibus, locutus est cum Hugone de paciscenda pace : quodque apud ipsum invenit, Ludowico regi renuntiavit. Sicque ad Ottonem rediit [860], dimissis apud Ludowicum quibusdam comitibus, qui voluntatem regis Hugoni significent Itaque rex Ludowicus et Hugo princeps super Maternam fluvium pacem facturi cum suis deveniunt Et residentes isti ex hac parte fluvii, illi ex altera, legatos invicem sibi [861] mittunt ; et mediantibus atque [862] sequestris Chonrado duce, Hugone Nigro, Adalberone [863] quoque ac Fulberto episcopis, Hugo ad regem venit et suus efficitur, pacaturque cum Arnulfo comite et Ragenoldo atque [864] Artoldo archiepiscopo, reddens regi [865] turrim Lauduni.

Post hæc iterum Hugo [866] colloquium cum rege apud Compendium habuit, ubi datur episcopatus Noviomensis Rodulfo, archidiaconatus ejusdem æcclesiæ ministerio fungenti, quem ipsi Noviomenses [867] sibi delegerant [868] dari præsulem. Nec longum post tempore [869] Hugo cum exercitu Ambianensem petit urbem, ibique in turri, quam Ragembalbus [870] episcopus tenebat, recipitur [871] ; alteram vero turrim, quam Arnulfi comitis homines custodiebant, obsidet, rege Lauduni ægritudine decubante. Otto rex, qui quandam Wenedorum [872] magnam obsederat urbem, nomine Proadem [873] (107), regem ipsorum in subjectionem recipit ; sed et Hungaros sibi subditos facit. Homines Ragenoldi comitis quandam munitionem Rodomensis æcclesiæ su-

VARIÆ LECTIONES.

837 H. 1. 838 contra 2. 3a. 839 ragenoldus 2. 3. 840 marcilum 1. maroilium 3, 841 archis 2. 3. 842 caudionem 2. 843 laudum 2. 844 frustroque *corr.* frustratoque 1. 845 et 2, 3, 846 n, m. *desunt* 2. 847 vindone 3. 848 antisioderensi 2. autisiodorensi 3. 849 trecasino 2. 3. 850 ragenoldum 2. 3. *ita et infra.* 851 alterutrim 3. 852 octabas 2, 853 consensu 2. 854 deinde 2. 3. 855 recipit. 2. 3. 856 satisfociant 8. 857 calnacum 2. 3. 858 A. c. *desunt* 1. 859 riuolum 2. 3, 860 redit 2; 3, 861 s. i. 1. 3. 862 ipsis 2. 863 adelb. 2. 3. 864 *deest* 2. 865 *ita* 1, 2, 3, 866 c. b· 2, 3 867 nouiomensis 2 868 deligerant 2. 869 *deest* 2. 3. 870 ragenb, 3. 871 recipit 1. 872 wined. 1. 873 praidam 2 2a, praidem 3 3b

NOTÆ.

(105) *Mareuil.*
(106) *Chauny.*
(107) Pragam.

per fluvium Vidulam [874] situm, quam vocant Brainam [875], furtivo capiunt ingressu. Unde iratus Hugo princeps, ad regem mittit; et rex illo profectus, eosdem invasores expellit inde, et [876] ipsum castrum praedictis reddit custodibus. Deinde colloquium petit Hugonis; quod dum haberet [877], custodes castri Codiciaci, qui desciverant a domno Artoldo praesule, Tetbaldum comitem in ipso recipiunt oppido. Quare rursus rex rogat Hugonem, ut reddat ipsum sibi municipium, sed quoniam id [878] obtinere non potuit [879], Tetbaldo comite omnimodis [880] obsistente, infensus Laudunum, Hugone inconsulto, recessit [881]. Tetbaldus a Codiciaco [882] plures eorum, quos intus invenerat, expulit. Domnus Artoldus praelatum Rodulfum, Noviomensium electum, Remis ordinat episcopum. Berengarius quidam princeps Italiae, veneno, ut ferunt, necato Lothario rege, Hugonis filio, rex efficitur Italiae. Anno

DCCCCLI

Ludowicus rex Aquitaniam cum exercitu petit [883], sed antequam eamdem ingrederetur provinciam, Karlus Constantinus, Viennae princeps, et Stephanus Arvernorum praesul ad eum venientes, sui efficiuntur; idem vero episcopus opimis eum honorat muneribus. Willelmus quoque Pictavensis obviam [884] ei fuit. Dumque moratur Aquitaniam rex intrare, gravi corripitur infirmitate; quem suscipiens Letaldus [885], quidam Burgundiae comes, qui tunc etiam suus noviter effectus erat, utiliter eum in ipsa aegritudine observavit. Reparatis igitur sibi viribus, rex in Franciam regreditur. Interea Fredericus [886] Adalberonis episcopi frater, qui filiam Hugonis principis sibi desponderat, in hoc regnum veniens, munitionem in loco qui dicitur Fanis [887] (108), inconsultu rege vel regina construere coepit, et loca circumposita crebris depraedationibus diripit. Pro qua re valde molestus rex Ludowicus, legationem suam dirigit ad Ottonem. Hugo princeps ad eundem regem Ottonem, invitatus ad ipsum [888], vadens, dona illi praemisit leones, et ipse mox subsecutus [889], honorifice ab eodem in diebus paschae susceptus est, decenterque habitus ab eo, per ipsos paschalis sollemnitatis dies exultantes Aquis cum ipso [890] manet, multisque donis optime ab eo muneratus revertitur, deducente se duce Chonrado usque ad fluvium Maternam. Qui dux Chonradus quibusdam infensus [891] Lothariensibus, turres quorumdam deicit, et quosdam Virdunensium honoribus privat; Ragenarii [892] vero comitis quoddam [893] castellum capit, cetera ipsius obsidere [894] facit. Legati regis Ludowici ab Ottone regressi, nuntiant, nolle minime prohibere Ottonem regem, ne Fredericus vel aliquis suorum alicui [895] munitionem in hoc regno habeat, nisi consensum regis Ludowici super hoc sibi obtinere queat.

Hungari ab Italia transcensis [896] Alpibus egressi, Aquitaniam ingressi sunt, ibique tota pene demorati aestate, multis hanc regionem rapinis et internecionibus [897] attriverunt; sicque per Italiam reversi sunt in terram suam. Ludowicus rex munitionem quandam nomine Brenam, quam quidam praedones, Gotbertus scilicet ac frater ejus Angilbertus, munierant [898], obsidet, penuriaque famis oppressam, capit tandem [899] ac diruit; unde reversus, ad colloquium Arnulfi et Hugonis proficiscitur. At Hugo, quoniam infensus erat Arnulfo propter castrum Monasteriolum et terram quondam Erluini, quam idem Arnulfus occupaverat, ad ipsum colloquium venire noluit; sed ipsam terram ingressus cum Rotgario, Erluini filio, quoddam castrum obsedit. Rex autem, petente [900] Arnulfo, ad eum misit, ipsamque obsidionem resolvi fecit, induciasque vel treugas (inter ipsos [901]) usque ad Kalendas Decembris accepit.

Ottogeba [902] regina, mater Ludowici regis, egressa Laudano, conducentibus se quibusdam tam Heriberti quam Adalberti fratris ipsius hominibus, ad Heribertum proficiscitur; qui suscipiens eam, ducit in conjugem. Unde rex Ludowicus iratus, abbatiam sanctae Mariae, quam ipsa Lauduni tenebat, recepit, et Gerbergae uxori suae dedit; fiscum [903] quoque Atoniacam suo dominio subdidit. Otto rex Italiam adiit; ad cujus adventum Berengario Longobardorum [904] rege ab urbe Papia fugiente, ipse Otto eandem ingreditur urbem, uxoremque quoque Lotharii regis defuncti, filii Hugonis, sororem Chonradi regis Jurensis, sibi conjugem duxit [905]. Sarraceni meatum Alpium obsidentes, a viatoribus Romam petentibus tributum accipiunt, et sic eos transire permittunt. Anno

DCCCCLII

Otto [906] rex legationem pro susceptione sui Romam dirigit, qua non obtenta, cum uxore in sua regreditur, dimissis ad custodiam Papiae quibusdam ex suis. Ludowicus cum Gerberga regina Laudunum repetit [907]. Berengarius rex ad Chonradum ducem, qui Papiae remanserat, venit; a quo in fide ipsius susceptus, ad Ottonem perducitur. Quem ille

VARIÆ LECTIONES.

[874] vidullam 2; indellam 3. [875] brainam 1. [876] *deest* 2. 3. [877] haberetur 2. 3. [878] *deest* 3. [879] n. p. ob. 2. 3. [880] modis omnibus 2. [881] recessit T a C., et p. 1. [882] codiaco 1. 2? [883] peciit 2. petiit 3. [884] obvius 3. 2. [885] letoldus 2. letoldus 3. [886] Fredericus Adelb. 3. [887] Banis 3. [888] i. ab eo 2. 3. [889] secutus 2. 3. [890] eo 2. 3. [891] infensis 2. [892] ragenarii 2. 3. [893] quondam 2. [894] obsideri 2. 3. [895] villam 3. [896] transcensis 3. [897] interminationibus 2. 3. [898] munerant 2. [899] t. c. 2. 3. [900] potente 2. [901] *desunt* 1. [902] *ita* 1. Ethgiva *Richer.* gerberga 2. 2a, 3. [903] f. q. A. s. d. s. *desunt* 2, 3b. [904] languob. 2. [905] duxit 2. 3. [906] ottho 3. *saepius.* [907] recepit 3.

NOTÆ.

(108) *Fanis* prope Barrum.

benigne suscipiens, concessis eidem rebus, prout sibi visum fuit, quibusdam in Italia 908 pacifice redire permisit; ipse quoque Otto (109) post celebrationem paschæ Papiam regreditur. Hugo comes cum suis super Maternam fluvium venit; cui occurrit dux Chonradus cum quibusdam Lothariensibus; obsidentque pariter munitionem apud Maroilum 909, quam Ragenaldus 910 comes cum hominibus domni Artoldi præsulis intra ipsum fluvium nuper construxerat; instructisque multis undique machinis, fortiter opprimunt; tandemque non sine suorum damno capiunt atque succendunt, his 911, qui intus erant ad fidem Chonradi egressis. Nepotes Hugonis, Heribertus et Rotbertus 912, interim in loco qui dicitur Mons-Felicis sibi munitionem instruunt; sicque tam Hugo quam Chonradus revertuntur in sua. Nec mora, rex Ludowicus et Artoldus archiepiscopus cum 913 Ragenaldo comite projecti super Maternam fluvium, munitionem, quam præfati principes succenderant, restruunt, custodesque ibi plures instituunt. Inde rex cum Ragenaldo proficiscitur in partes Victuriaci 914 castri, quod tenebat Walterius quidam, qui nuper a rege defecerat, et cum ipso castro se Heriberto subdiderat. Cujus villas deprædationibus incendiisque devastant, necnon Pontigonem fiscum, quem Heribertus invaserat; aliamque munitionem rex contra Victuriacum instruit, et quosdam sibi fideles ex paribus 915 Walterii ad custodiam inibi 916 dimittit; ipsamque munitionem Odalrico abbati cuidam ex Burgundia committit; et sic Laudunum repetit. Nec mora, Remos cum regina revertitur. Artoldus archiepiscopus in monasterio sancti Basoli monachos mittit, expulsis clericis qui serviebant ibi 917, committens illud Hincmaro et Rotmaro abbatibus. Anno

DCCCCLIII

incipiente, Hugo princeps legatos mittit ad regem Ludowicum pro pace ac 918 concordia inter ipsos firmanda, petens ut regina Gerberga suum petat colloquium 919; quod et fecit, muneribusque ab eodem 920 honorata Remos rediit; obtinuitque Hugo a rege, ut munitio, quæ contra Victuriacum castrum constructa fuerat, solveretur. Placitum ergo concordiæ ac pacis rex et Hugo mediante quadragesima inire Suessionis. Exoritur interea inter Ottonem regem et Liudulfum filium ejus, Chonradum quoque ducem et quosdam regni ipsius primates, discordia. Nato siquidem regi filio ex moderna conjuge, ferebatur eidem puero rex regnum suum promittere, quod olim, priusquam Italiam peteret, Liudulfo delegaverat, et magnates suos eidem promittere fidelitatem jurejurando fecerat. Rex igitur Chonradum 921 a ducatu Lothariensium removet, et Chonradus quærebat ut regem caperet. Quo comperto rex 922 caute se agere cœpit, de interitu vero Chonradi quærere; Chonradus autem oppida sua munit. At Ragenarius 923, et jam dudum inimicus, quoddam ipsius munitissimum obsidet 924 castrum. Collecta 925 ergo 926 Chonradus quanta potuit militum manu, ad resolvendam properat obsidionem. Quibus mutuo congressis et pluribus utrimque peremptis 927, Chonradus in fugam vertitur 928, et urbem 929 Mogontiam 930 ingreditur.

Interea Gerberga regina Lauduni geminos est enixa, quorum unus Karolus, alter vocatus est Heinricus; sed Heinricus mox 931 post baptismum defunctus est. Synodus quinque episcoporum apud sanctum Theodericum in territorio Remensi celebratur, Artoldo archiepiscopo præsidente. Ad quam vocatus Ragenaldus comes ob res ecclesiasticas ab eo pervasas, venire noluit, sed deprecatus est regem, ne excommunicaretur, ut ad synodum mitteret; cujus excommunicatio, rege petente, tunc intermissa est. Otto rex urbem Mogontiam, ubi Chonradus se receperat, obsidet; tandemque post duos fere menses cum egresso ad se Chonrado locutus, et obsidibus ab eo acceptis, trans Rhenum regreditur. Nec mora, Chonradus, dimisso Magontiæ militum suorum præsidio, Mettensem appetit urbem, quam mox furtiva pervadit irreptione 932. Otto rex vocatus a fratre Heinrico, Bajoariam 933 petit, quam filius ejus Liudulfus, captis quibusdam urbibus, devastabat. Chonradus Mettensem 934 quoque urbem, post non modicam ipsius deprædationem, hortatu 935, ceu fertur, Agenoldi abbatis reliquit. Wicfredus Coloniensis antistes defungitur, et Bruno, frater regis Ottonis, inibi pontifex ordinatur; cui etiam rex Otto regnum Lothariense committit. Anno

DCCCCLIV 936

præmemoratus Chonradus, pacto cum Hungaris inito, eos per regnum Lothariense deducit, usque in terram Ragenarii 937 scilicet, æmuli sui, atque Brunonis episcopi; nimiaque 938 peracta deprædatione, cum præda magna captivorumque multitudine regnum ingrediuntur Ludowici. Sicque per pagos 939 Veromandensem, Laudunensem atque Remensem, Catalaunensem quoque transeuntes, Burgundiam intrant. Quorum non parva manus tam

VARIÆ LECTIONES.

908 quibusdam, in Italiam p. 2. 909 maroillum 3. 910 ragenoldus 2. 3. *sæpius.* 911 iis 2. 3. 912 robertus 2. 913 p. c. c. r. 2. 3. 914 Wicturiaci 2. 915 *ita* 1. 2. 3. partibus *du Chesne. Bouq.* 916 ibi 3. 917 illi 1. 918 et 3. 919 alloquium 1. 920 eo 2, 3. 921 c. si a 2. 922 *deest* 2. 923 regen. *corr.* ragen, 2. 924 o. m. 2. 3. 925 Collecte 2. 926 igitur 2, 3. 927 interemptis 2. 3. 928 versus est 2. 3. 929 in urbem 3. 930 maguntiam 2. 3, *constanter.* 931 *deest* 2 932 inrept, 2. 3. 933 baioriam 2. 934 metensium 3. 935 ortatu 2. 936 Anno LIIII post nongentesimum 1. 937 ragnari 1. 938 niminiaque 3. *typorum errore.* 939 pagum 2.

NOTÆ.

(109) De Berengario Flodoardus cogitasse videtur: Otto hoc anno minime in Italiam venit.

prœliis quam morbis interiit; ceteri per Italiam revertuntur in sua. Ludowicus, filius regis, Lauduni defungitur. Ludowicus rex regressus Lauduno, Remensem, veluti ibi moraturus, repetit urbem. Antequam vero ad Axonam fluvium perveniret, apparuit ei quasi lupus præcedens; quem admisso insecutus equo, prolabitur, graviterque attritus Remis defertur, et protracto langore decubans, elefantiosi peste perfunditur. Quo morbo confectus, diem clausit extremum, sepultusque est apud sanctum Remigium. Gerberga regina mittit ad Hugonem, ejus consilium et auxilium petens. Quam ille ad colloquium accersit, et venientem honorifice suscipit atque consolatur; et de provectione filii ejus in regnum pollicetur. Liudulfus, expulso Heinrico patruo suo, terris Bajoariæ munitur principatum. Lotharienses tam Chonradi ducis infestationibus, quam mutuis inter se deprædationibus lacerantur. Fulcharius, decanus monasterii sancti Medardi, Noviomensium Remis ordinatur episcopus. Fredericus, frater Adalberonis episcopi, Hugonis principis filiam ducit uxorem. Rauciacum, munitionem Ragenaldi, Heribertus comes per quosdam satellites suos furtiva pervadit irruptione.

Lotharius puer, filius Ludowici, apud sanctum Remigium rex consecratur ab Artoldo archiepiscopo, favente Hugone principe, ac Brunone archiepiscopo ceterisque præsulibus ac proceribus Franciæ, Burgundiæ atque Aquitaniæ. Burgundia quoque et Aquitania Hugoni dantur ab ipso. Castrum Rauciacum Ragenaldo redditur, datis quibusdam villis Heriberto ex parte Ragenaldi. Et regina Gerberga cum filio rege Laudunum revertitur. Nec longum post milites Ragenaldi quandam munitionem Heriberti, quæ dicitur Mons-Felicis, trans Maternam fluvium clandestina irruptione capiunt. Heribertus igitur et Robertus frater ejus eandem munitionem obsident, et Heribertus legatos Remis ad Ragenaldum mittit, pro reddendo sibi oppido. Abnuit Ragenaldus, nisi ab obsidione discedatur, et ad examinis rationem conveniant pro subreptis mutuo sibi castris. Quo facto, villas recepit ab Heriberto, quas pro prædicto castro dederat, et oppidum Montis-Felicis Heriberto reddit. Albrico patricio Romanorum defuncto, filius ejus Octavianus, cum esset clericus, principatum adeptus est; qui postea, defuncto Agapito, suggerentibus sibi Romanis, papa Urbis efficitur. Anno

DCCCCLV

rex Otto Hungaris de locis suis prœliatum progredientibus obviam profectus, pugnavit cum eis, et vicit, nec eos ingredi regna sua permisit. Hugo princeps Gerbergam reginam cum filio suo rege Lothario Parisius honorifice ad pascha suscipiens, decenter secum per plures detinuit dies; inde cum ipso rege in Aquitaniam profectus, urbem Pictavim petiit. Willelmum vero ibi non invenerunt, ipsam tamen urbem obsident, diuque in eadem obsidione residentes nihil proficiunt; castrum tamen sanctæ Radegundis urbi contiguum Ragenaldus comes clandestina irruptione cepit, atque succensum est; tandem post duos menses, exercitu victus indigentia fatigato, ab obsidione disceditur. Willelmus collecto exercitu suo, exercitum regis insequitur. Quo audito, rex et Hugo contra redeunt. Quorum multitudine comminus visa, Willelmus in fugam vertitur. Quem regiæ acies insecutæ, multos Aquitanorum interimunt, nonnullos nobilium vivos capiunt. Willelmus cum paucis vix evasit.

Hungari cum inmensis copiis et ingenti multitudine Bajoariam ingrediuntur, volentes venire in Franciam. Contra quos Otto rex cum Burislao, Sarmatarum (110) principe, et Chonrado jam sibi pacificato pugnavit (111); et eosdem Hungaros interimens, cunctos pene delevit. Chonradus autem, qui valde fortiter ea die pugnaverat, et regem præcipue de victoria confortaverat, ibidem peremptus est. Post hoc bellum pugnavit rex Otto cum duobus Sarmatarum regibus; et suffragante sibi Burislao rege, quem dudum sibi subdiderat, victoria potitus est. Fulchario episcopo defuncto, tandem post quinque menses Hadulfus quidam, Laudunensis clericus, a Noviomensibus electus, ab Artoldo, Roricone ac Gibuino Remis ordinatur episcopus. Anno

DCCCCLVI

rex Otto placitum habuit apud Engulenheim cum Lothariensibus, a quibus et obsides accepit de cunctis pene ipsorum oppidis. Item aliud placitum ab eo post pascha Coloniæ habitum est; ubi non paucos a Lothariensibus thesauros accepit. Moxque pestilentia super Germaniam omnemque Galliam effusa, interiere nonnulli, plures gravi sunt langore confecti. Rotbertus Trevirensis episcopus, et Baldericus (112), et duo alii episcopi ex ea peste sine mora defuncti sunt. Lotharius rex munitionem quandam super Charum fluvium, quam Ragenarius comes Ursioni cuidam Remensis ec-

VARIÆ LECTIONES.

[illegible] velud 2. veluti m. 3. [illegible] repetiit 2. 3. [illegible] axonem 2. 3. [illegible] languore 2. [illegible] *ita* 2 *et Richer.* elefantie 1. elephantiasis 3. [illegible] in 2. 3. [illegible] patrio 1. [illegible] fulcarius 2. 3. fulcanus 3a. [illegible] ordinatus 3. [illegible] adeoli 2. 3. [illegible] invenit 3. [illegible] rex 2. 3. [illegible] *deest* 2 *abest et apud Richerum.* [illegible] *deest* 1. [illegible] clamdestina 2. [illegible] irrepcione 1. 3. [illegible] subreetis 1. [illegible] predicto 2. [illegible] patriciatum *Hugo Fl.* [illegible] aquitaniam 2. [illegible] clam destinat 2. [illegible] irrep. 2. 3. [illegible] et 3. [illegible] evadit 2. 3. [illegible] *deest* 2. [illegible] et 3. [illegible] engulehem 2. engulheim 3. [illegible] ab 2. [illegible] e. Ragnarius et 3. *sed vox deest in* 1. 2. [illegible] baldricas 2. 2. [illegible] ac 2. [illegible] carum 2. 3. [illegible] ragnarius *supra* 1. ingenarius 3.

NOTÆ.

(110) Bohemorum.

(111) Diem quarto Idus Augusti alicui Hugo V. notavit.

(112) Leodiensis.

A clesiæ militi abstulerat, pugnando recepit; et infantes Ragenarii ac milites quosdam ibidem inventos secum abduxit; ipsumque castrum direptum incendit. Hugo princeps obiit. Gerberga regina colloquium habuit cum Brunone fratre suo, ubi prædicto Ragenario sui milites et infantes redduntur; reginæ vero possessiones, quas illi quondam Gislebertus dux dotis nomine dederat, restituuntur. Episcopatus Trevirensis cuidam Haynrico [973], regis Ottonis propinquo, datur. Fulbertus Camaracensis episcopus defungitur; et ipsum episcopium cuidam Berengario Transrhenensi clerico tribuitur, nepoti Bovonis, Catalaunensis [974] quondam episcopi, quique Remis ordinatur ab Artoldo archiepiscopo [975]. Anno

DCCCCLVII

B quadam nocte in mense Januario illustrata est æcclesia Remensis sanctæ Dei genitricis repente paulo post mediam noctem [976] magno splendore præsente domno Artoldo archiepiscopo, ammirante [977] quoque pariter Withardo custode. Lotharius rex in superiorem profectus est Burgundiam. Bellorum tumultus agitantur inter Brunonem, ex præsule ducem, et Ragenarium comitem ceterosque Lotharienses; item in Francia inter Balduinum filium Arnulfi et Rotgarium quondam Erluini ob castrum Ambianense [978]. Rotbertus filius Heriberti se Lothario regi committit. Lotharius rex cum matre [979] et amita [980] sua, relicta Hugonis [981], obviam pergit in pagum Camaracensem avunculo suo Brunoni. Videns vero Ragenarius, non posse se venienti resistere multitudini, C ad Brunonem venit [982]. At quia quæsitos dare noluit obsides, eum [983] Bruno comprehendens, sub custodia secum deduxit: nec multo post trans Rhenum in exilium misit. Liudulfus Ottonis filius, qui pene totam obtinuerat Italiam, obiit, sepeliturque Magontiæ apud sanctum Albanum. Anno

DCCCCLVIII

castrum Codiciscum quidam fideles Artoldi præsulis clandestina capiunt irruptione [984]. Harduinus subjectus Tetbaldi, cui Tetbaldus idem commiserat castrum, videns oppidum captum, confugit [985] cum suis in arcem. Erat autem turris illa firmissima. Ad quam expugnandam veniens rex Lotharius cum domno Artoldo et nonnullis aliis episcopis atque comitibus, per duas fere hanc obsidet ebdomadas; D tandem nepotibus Harduini [986] acceptis obsidibus, ab obsidione disceditur. Tum Tetbaldus adveniens, oppido non recipitur, reversusque per pagum Laudunensem et Suessonicum rapinis desæviens, in sua regreditur. Homines Tetbaldi munitionem [quandam [987]], quæ vocatur Fara, tradentibus eam sibi quibusdam proditoribus, capiunt. Ad quam obsidendam Rorico præsul Laudunensis, cum militibus

A æcclesiæ Remensis et aliis, quoscumque asciscí potuit, amicis advocat. Rege tandem Lothario adveniente, mediantibus Heriberto ac Rotberto fratribus, castrum prænominatum Tetbaldi redditur. Otto rex bellum [988] adversus Sclavos habuit [989]. Bruno Coloniensis archiepiscopus cum exercitu Lothariensium per Franciam proficiscitur in Burgundiam, locuturus cum sororibus ac nepotibus suis. Anno

DCCCCLIX

Bruno iterum [990] in Franciam venit, et apud Compendium cum regina sorore ac nepotibus suis discordantibus pro quibusdam castris, quæ rex Lotharius ex Burgundia receperat, colloquium habuit; obsidibusque datis, pacem inter ipsos usque ad [991] futurum placitum [992] pepigit. Lotharius rex cum B matre regina Coloniam proficiscitur [993] in diebus paschæ, moraturus hac festivitate cum avunculo suo Brunone. Dataque ibi securitate de regno Lothariense, et quibusdam acceptis ab avunculo donis, Laudunum revertitur. Lotharienses a duce Brunone [994] desciscunt, suadente quodam Immone, qui ejus pridem consiliarius extiterat et ab eo nuper recesserat, propter oppida quædam ipsorum novitia, quæ idem dux everti præcipiebat, aliaque onera ipsis [995] insueta, quæ illis imponere velle ferebatur. Quibus postmodum evocatis [996], Fredericum quendam comitem eis vice sua præfecit. Arnulfus comes Remis venit, et æcclesiam sanctæ Mariæ non modico argenti pondere muneravit; unde arcæ, quibus sancti Calisti [997] sanctique Nicasii ac sanctæ Eutro- C piæ membra ceterorumque sanctorum quorundam pignera continentur, ornatæ vel coopertæ [998] sunt. Sed et quendam evangeliorum hujus æcclesiæ librum auro argentoque decoravit; monasterio quoque [999] sancti Remigii dona contulit. Castrum Divionem [1000] Rotbertus comes invadit, regis expulsis fidelibus. Quapropter accitus [1001] Bruno regis ac reginæ petitione, in Burgundiam venit cum [1002] Lothariensibus aliisque sibi subditis populis; idemque castrum, sed et Trecas civitatem quem præfatus potiebatur Rotbertus, obsidione vallat. Anno

DCCCCLX

apud Almontem castrum proditores quidam deprehensi sunt a Manasse, nepote domni Artoldi præsu- D lis, ac damnati suspendio; inter quos etiam presbiter quidam. Munitio quam vocant Macerias [1003], sita [1004] supra Mosam infra terram Remensis æcclesiæ, Artoldo archiepiscopo redditur [coram [1005] Frederico Lothariensium duce] a Lantberto, qui eam tenere prohibebatur. Richardus filius Willelmi, Nortmannorum principis [1006], filiam Hugonis, Transsequani [1007] quondam principis, ducit [1008] uxorem. Divionem quandam munitionem, quam regis Lo-

VARIÆ LECTIONES.

973 hayrico 1. *cf*, *Hugo* V., hainrico 2. heinrico 3. 974 catalaunensi 2. 975 episcopo 2. 3. 976 media nocte 2. 977 adm. 2. 3. 978 ambianensem 1. 979 m. sua 2, 3. 980 amica 3ª. 981 hugoni 1. 3. 982 v. ad B. 2. 983 *deest* 2. 984 irreptione 2. inruptione 3. 985 c. s. conf. 2. 3. 986 arduini 2. 2. 987 *deest* 1. 988 *deest* 2, 3. 989 habiit 2. 990 etiam 2. 3. 991 in 3. 992 f. tempus placiti 2. 3. 993 p—r. i. d, paschæ m. 1. 994 B. d, 2. 3. 995 illis 2. 996 revocatis. 2. 3. 997 calixti 3. 998 comptæ 1. 999 monasterioque 2, 1000 divionum 2. 3. 1001 accinctus 3. 1002 *deest.* 2. 1003 materias 2. 1004 sitam 3. 1005 c. F. L. d. *desunt* 1. 1006 princeps 2, 3. 1007 trans Sequanam 2. 3. 1008 duxit 3.

tharii fideles tenebant, Rotbertus frater Heriberti, infidelem regis se faciens, dolo ingressus invadit, regiis expulsis custodibus. Ad quam recipiendam rex cum matre regina profectus, ipsum obsidet [1008] castrum. Bruno [1009] præsul cum Lothariensibus et aliis sibi subditis illuc adveniens, obsides a Rotberto accepit, quos regi tradidit. Quorum unus, Odelrici [1010] comitis filius, proditor comprobatus et judicatus atque decollatus est, alter vivus retentus. Otto et Hugo, filii Hugonis, mediante avunculo ipsorum Brunone, ad regem veniunt ac sui efficiuntur; quorum Hugonem rex ducem constituit, addito illi pago Pictavensi ad terram quam pater ipsius tenuerat; concessa Ottoni Burgundia. Audiens autem Bruno, quosdam adversum se Lothariensium insurgere, illo cum festinatione regreditur, rege ad obsidionem cum suis consobrinis dimisso. Quidam Brunonis hostium, Rotbertus nomine, Namurum [1011] (113) castrum muniebat; alter Immo munitionem quam dicunt Capræmontem. Ad cujus obsidionem properans [1012] Bruno, loca circumquaque rebus exhausta [1013] repperit; sicque alimentis [1014] abundantem obsidet hostem. Datis ergo treugis, Coloniam ingreditur. Rex quoque Lotharius, Divionis [1015] munitione recepta, intromissisque custodibus suis, Laudunum reversus est. Anno

DCCCCLXI [1016]

Wido præsul Autissiodorensis [1017] obiit. Otto filius **Hugonis quondam principis ad regem Lotharium in ipsis festi paschalis diebus Laudunum venit**, sed et nonnulli tam Franciæ quam Burgundiæ proceres [1018]. Placitum regale diversorumque [1019] conventus principum Suessionis habetur; ad quod impediendum, si fieri posset, Richardus, filius Willelmi Nortmanni, accedens, a fidelibus regis quibusdam perventus, et interemptis suorum nonnullis in fugam conversus [1020] est. Hugo, filius Rotgarii quondam comitis, adolescens [1021] defungitur, et apud sanctum Remigium sepelitur. Artoldus Remensis archiepiscopus decessit [1022] pridie kalend. Octobris. Lotharius rex cum matre Gerberga [1023] regina et quibusdam Franciæ proceribus **Burgundiam petiit**; quo quidam ex Aquitania [1024] præsules ac primates ad eum venerunt. Anno

DCCCCLXII

Gerberga regina fratris Brunonis colloquium petiit [1025], eique hic frater ejus, ne Hugoni Remense redderet [1026] episcopium, prout fratres ipsius [1027] petebant (114), suggessit. Otto rex Romam pacifice adiit, et amabiliter exceptus, atque honore illic imperiali sublimatus est. Quod Berengarius Italiæ rex indigne ferens, regiones, quas regere debebat, incendere atque vastare cœpit. Rex Lotharius locutus cum Hugone consobrino suo, petitus est ab eo, ut prælato Hugoni Remensem restituat episcopatum; indeque inducias paciscuntur usque ad medium mensis Aprilis. Synodus tredecim episcoporum in pago Meldensi super Maternam fluvium, ex Remensi videlicet ac Senonensi diœcesi, celebratur, præsidente Senonensi præsule, satagentibus quibusdam episcopis, ut Hugoni sæpedicto Remense redderetur [1028] episcopium. Renitentibus autem præcipue Roricone Laudunensi et Gibuino Catalaunensi præsulibus, et asserentibus, quod a tot episcopis excommunicatus a minore numero absolvi non poterat [1029], ita relinquitur usque ad interrogationem papæ Romani. Die [1030] nativitatis dominæ nostræ **Dei genitricis dæmoniacus quidam, servus Gerbergæ** reginæ, nudus accurrens per mediam æcclesiam usque ad altare, ibidem prostratus jacuit ut mortuus, **tandem [1031] a nequam spiritu surgens purgatus** est. Ipsa die quidam cæcus nomine Harbertus [1032] ibidem est illuminatus [1033].

Rex [1034] **Lotharius cum Arnulfo principe locutus**, pacem fecit inter ipsum et nepotem ipsius omonimum [1035] ejus; quem infensum [hic comes [1036]] habebat ob necem fratris ejusdem quem de infidelitate [1037] sua [1038] deprehensum idem comes interimi fecerat. Tunc ipse princeps omnem terram suam in manu regis dedit, ita tamen ut ipse [1039] in vita sua inde honoratus existeret. Tetbaldus quidam [1040] cum Nortmannis confligens, victus est ab eis, et fuga dilapsus evasit. Qui seniorem suum Hugonem proinde infensum [1041] habens, ad regem venit; a quo, sed et a regina Gerberga [1042], benigne susceptus, et miti consolatione refocillatus, abscessit. Vulfaldus [1043], abbas monasterii sancti Benedicti, præsul efficitur urbis [1044] Carnotensis. Legatio veniens a [1045] Johanne papa, intimat præfatum Hugonem quondam episcopum tam ab ipso papa quam ab omni Romana synodo excommunicatum, sed et [1046] ab alia synodo apud Papiam cele-

VARIÆ LECTIONES.

[1008] *deest* 1. [1009] castrum bruno 1. [1010] odalrici 2. 3. [1011] *ita* 1. mannvium 2. 3. manarium 2ᵃ. [1012] circumperans 2. 3. [1013] exausta 2. [1014] ab a! 2. 3. [1015] divione 2. [1016] post nongentesimum sexagesimo primo 1. 2. 3. [1017] autisiodor. 2. antisiodor. 3. [1018] *deest* 1. [1019] diversarum *corr.* diversorum 1. [1020] versus 2. 3. [1021] *deest* 3. [1022] recessit 2. [1023] *deest* 1. [1024] aquitaniam 3. [1025] perrit 2 *et infra.* [1026] redderetur 2. 3. [1027] frater ejus petebat 2. 3. [1028] redderetur R. 2. 3. [1029] potuerat 2. [1030] Die — illuminatus *in fine anni habentur* 2. 2ᵃ. 3. [1031] t. sp. s. purg. est immundo 2. 3 b. [1032] herbertus 2 herrbertus 3. [1033] In 1. 2. 3. [1034] *deest* 2. [1035] omonimum 1. [1036] *desunt* 1. [1037] infirmitate 2. 3. [1038] *deest* 2. 3. [1039] d. ut i. ipse 2. [1040] quidem 2. 3. [1041] offensum 2. 3. [1042] g. r. 2. 3. [1043] vulfoldus 2. 3. [1044] *deest* 2. 3. [1045] ab 2. 3. [1046] *deest* 2.

NOTÆ.

(113) *Namur.*

(114) Scilicet Hugonis, heriberti filii.

brata. Cujus legationis redditi certiores per Brunonem archiepiscopum, elegimus ad episcopatum [1047] Remensem Odelricum [1048] illustrem clericum, Hugonis cujusdam comitis filium, favente Lothario rege cum regina matre præfatoque Brunone. Quique Remis ordinatur ab episcopis Widone Suessonico, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, Hadulfo Noviomensi, Wicfredo Virdunensi. Anno

DCCCCLXIII.

Odelricus [1049] Remensis archiepiscopus proceres Franciæ, qui possessiones quasdam Remensis æcclesiæ occupaverant, vocari fecit. Ego vero, fractus ætate et attritus infirmitate, ministerium [1050] abdicavi prælaturæ coram eodem præsule. Quique me hoc absolvens jugo, imposuit illud per electionem fratrum nostrorum [1051] nepoti meo Flodoardo [1052], septuagesimo ætatis meæ anno. Catalaunensem urbem, præsule Gibuino egresso, Heribertus et Rotbertus fratres obsident; explicitisque tandem [1053] nundinis, igne succendunt; milites vero in [1054] turre quadam [1055] loci conscensa liberantur. Anno

DCCCCLXIV.

hiemps [1056] magna et aspera valde fuit [1057] usque Kalendas Februarii [1057*] mensis. Domnus præsul Odelricus Tetbaldum quendam procerem excommunicat [1058] propter castrum Codiciacum et quædam prædia sancti Remigii, quæ improbe obtinuerat et pertinaciter retinebat. Heribertus comes villam Sparnacum ei reddit, et amiciciam præfati præsulis impetravit; ceteras quoque villas [1059] Remensis æcclesiæ, quas occupaverat, eidem pontifici repetenti [1060] non ambigit reddere. Anno

DCCCCLXV.

Otto filius Hugonis, qui Burgundiæ præerat, obiit, et rectores ejusdem [terræ [1061]] ad [1062] Hugonem et Oddonem [1063] clericum fratres ipsius, sese convertunt. Arnulfo quoque principe decedente, terram illius rex Lotharius ingreditur, et proceres ipsius provintiæ, mediante Roricone præsule Laudunensi, eidem subiciuntur regi. Quo Laudunum repetente [1064], mater ipsius Gerberga regina cum filio Karolo puero ibidem remansit. Odelricus archiepiscopus Sparnacum ab [1065] Heriberto recepit, et Codiciacum a Tetbaldo; quemque [1066] a vinculo [1067] excommunicationis absolvit; et filio ipsius, qui eidem se commiserat, ipsum concessit castrnm.

Otto imperator ab urbe Roma regrediens, Coloniam venit, ibique Gerbergam reginam sororem suam, cum [1068] filiis Lothario rege Karoloque puero ad se venientem, excepit; et cum eis aliisque multis proceribus placitum magnum habuit. Qui Romæ, Octaviano papa, a quo fuerat susceptus et ad imperii regenda gubernacula benedictus, ab Urbe digresso, et sæpe illum revocante imperatore, a quo, quia de lubricitate sua corripiebatur, reverti nolente, congregata synodo, Johanem (115) illustrem quendam ejusdem æcclesiæ clericum per electionem Romanorum papam ordinari fecit. Sed eo Papiam regrediente [1069], Octavianus a Romanis recipitur; nec multo post vita decessit, Johanne vero cum imperatore demorante Papiæ. Romani quendam Benedictum ipsius æcclesiæ scriniarium eligunt atque pontificem sibi ordinari faciunt, qui in Johannis electione consenserat [1070] et eidem subditus extiterat. Imperator Otto Romam reversus, convocata magna synodo, et [1071] Johanne in sede sua restituto, Benedictum [1072], episcoporum [1073] totius synodi judicio depositum, abduxit [1074] secum et in Saxoniam direxit. Anno

DCCCCLXVI.

Lotharius rex uxorem accepit Emmam, filiam..... (116) regis quondam Italici [1075]. Odelricus archiepiscopus Ragenaldum comitem excommunicat pro villis æcclesiæ Remensis, quas pertinaciter retinebat [1076]. Et ipse comes loca quædam ejusdem episcopii cum suis pervadens, rapinis incendiisque devastat.

Addit codex 1.

Eodem tempore directæ sunt litteræ a quodam comite duci Aquitanorum, hæc continentes *Duci Aquitanorum G Raynaldus comes Partinensis, quicquid quilibet bonus æstimat primum. De collocutione nostra et de profectione, de qua me monuisti, contradicto omnino. Nam ætas et alia impedimenta officiunt itineri nostro. Sed de genealogia seu de parentela, qua me præsente narrare volebas, quod inde novi,*

Addit codex 2.

Ipso anno vir vitæ venerabilis, et Remensis æcclesiæ presbiter, nomine Frodoardus, sanctitatis honore [1077] venerandus, castitatis splendore angelicus fulgore sapientiæ cælicus [1078] cæterarumque virtutum insignibus abundanter [1079] opletns, præcedentis libelli aliorumque librorum dictator egregius; quinto [1080] Kalenda Aprilis [4081] terrenæ peregrinationis relinquens exilia, civica, ut credis

VARIÆ LECTIONES.

[1047] episcopum 2. 3. [1048] odelricum *corr.* odelrico 1. odalricum 2. 3. [1049] odalricus 2. 3. [1050] ministerio me 2. 3. [1105] meorum 3 [1052] frodoardo 2. 3. [1953] *deest* 2. [1054] v. i. *desunt* 2. 3. [1055] I. q. 2. 3. [1056] hyemps 2. [1057] *deest* 2. [1053*] februarii 2. 3. [1653] excommunicavit 2. [1059] *deest* 1. [1060] reposcenti 3b. [1061] *deest* 1. [1062] et 2. [1063] odonem 2 3. [1064] repedante *corr.* repetente 2. [1065] *deest* 2. [1077] quoque 1. [1067] auunculo *corr.* a uinculo 1. [1068] et 1. [1069] ingr. 2 3. [1070] consens 2. [1071] *deest* 3. [1072] B. quia patris cubile ascenderat *Hugo V.* [1073] episcopum 2. 3. [1074] s. adduxit 2. s.abduxit 3. [1075] Italiæ 3b. [1076] detinebat 2. 3. [1077] h. s. 3. [1078] cælitus 3. [1079] habund. 3. [1080] quinta 3. [1081] apriles 3.

NOTÆ.

(115) Leonem VIII. Hugo V. magis errat, Joannem XII tunc constitutum esse asserens.

(416) Lotharii, Hugonis filii.

litterulis non suo ordine... Mathilde et Alberada quæ fuerunt barbaræ. De Mathilde genuerit Raulfus rex, et Mathildis nomen ejus. De Alberada Ermentrudis. De Mathilde filia Mathildis Berta. De Ermentrude Agnes. De Berta Conradus Gesmurus. De Agnete Wido [956].

mus adeptus est (pro) Mars et meminit tremulam pluviam ... trat ... rix destina Kalendas Augusti mundi [957]. Hoc 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975.

Anno 976 destruxit Adelbero, nomine non merito archiepiscopus, arcuatum opus, quod erat secus valvas ecclesiæ sanctæ Mariæ Remensis; supra quod altare sancti Salvatoris habebatur, et tectus auro opere erant posita. Et in ipso tempore quadragesimæ [958], majoris ebdomadæ feria quarta, tertia decima Kalendas Maii indictione [959] quarta, circa medium diem, bellum agitur inter Karolum, regis Lotharii fratrem (145), et Godefridum atque Arnulfum, Lotharienses comites. In quo bello ceciderunt ex parte Karoli de primoribus Rainardus de Longia, qui erat miles Hugonis ducis, et Heribertus [960], fidelis Karoli et alii; ex parte vero Godefridi multo plures; et ipse Godefridus lancea perfossus ad terram cecidit; tandem a suis pro mili... satiatus deportatusque est, qui postea per spatia temporum vixit, sed numquam pristinæ sanitati plenissime restitutus fuit. Arnulfus quippe, ut ferunt nonnulli, fugam tamdiu arripere. ... quousque in propria veniens quiescere quivit. Ipso in anno tertia decima Kalendas Januarii ... Remensis ecclesiæ, qui erat langore [961] paralisi [962] correptus, post multas ac debitas Deo pro ipsa infirmitate redditas gratias, vita decessit, videlicet vigilia sancti Thomæ apostoli post laudes Dei matutinales. Ipso autem circa mensem Augustum septem denariis emebatur vini modius.

Anno 977 Adalbero [963] juvenis, qui erat ex Lotharii ... regis, Rorionis episcopo successit tali modo. Septima decima [964] Kalendas Februarii, in natale sancti Marcelli papæ, donum episcopii Laudunensis ecclesiæ in ipsa accepit ecclesia Lotharii regis largitione. Deinde nonas [965] Kalendas Aprilis, vigilia videlicet annuntiationis dominicæ, presbiter est [966] ordinatus in præsepia sanctæ Mariæ ecclesia ab archiepiscopo Adalberone Remis. Denique [967] postea Kalendas Aprilis episcopus est ordinatus dominico palmarum die. Exin Laudunum rediens, sacrum chrisma sacravit ecclesiastico more, die vero paschæ primum [968] in propria sedit sede. Hadulfus Noviomensis episcopus, nativitate sancti Johannis Baptistæ, ... paralisi pessime percussus, ... Johannis Baptistæ, quæ tunc temporis dominica erat, dit die, spiritum exhalavit [969]. Ipso anno tempore vindemiæ magna fuit copia vini, in tantum ut non amplius pro uno vini [970] modio venditores nisi aut quinque aut quattuor seu tres [971] denarios ab emptoribus accipiebant.

Anno 978 vir Domini Malcallanus [972], natione Hibernensis, in vigilia sancti Vincentii levitæ et martyris vitam transitoriam, quam habebat exosam [973], deseruit, et cum Deo vivo, cui [974] indesinenter dum adhuc viveret servivit [975], vivere feliciter inchoavit. Qui præfatus abbas in [976] corpore humatus, quiescit in ecclesia sancti Michaelis archangeli; cujus abbatiam, dum corporaliter in hoc seculo vivens mansit [977], pio moderamine rexit.

Explicit.

VARIÆ LECTIONES

[956] *Hæc denuo ... quæ* ... 1. [957] *Hæc deficit codd.* 2 a. [958] quadragesimo 3. [959] indictione 3. [960] d, Aledo 3. [961] languore 2. [962] paralisis 3. [963] Adalberto 2. adelbero 3. [964] septime decimo 3. b. [965] nonas 3. nonas 3. b. [966] *deest* 3. [967] Remis denique 3. [968] prima 2. 3 b. [969] exalavit 2. [970] vini uno 2. [971] quatuor 4. 3. [972] Malcallinus 3. malcanus 3 b. [973] exosam 2. [974] cum Domino cujus 3. [975] serviverat 3. [976] *deest* 2. [977] *a.* mansit 2.

NOTÆ

(145) Filium Ludovici, fratrem Lotharii regum.

—

FLODAORDI

CANONICI REMENSIS

OPUSCULA METRICA

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA.

(143) Codex Mazarinus signatus L o. 2004, chartaceus in-4º, sæculi XVI ineuntis, olim cœnobii Carmelitarum discalceatorum Paris. 2º Cod. biblioth., S. Genovefæ Paris., membran., in-4º, sæculi X, notatus 4 Y, charactere scriptus grandi et nitido. Initio et in fine mancus est; incipit: *Primitus nostris*, vers. 8 cap. 1 lib. I De triumphis Christi sanctorumque Palæstinæ; desinit *ad ista hæc*, vers. 184 cap. 1 lib. V De triumphis Christi apud Italiam. Initio hæc leguntur recentius assuta: *Anno MDCCXLVI membranaceum hunc codicem, primæ Christianæ pietatis fragrantem odore, egregio prisci characteris apice spectatissimum, ab atavis, ut nobilitate generis sic virtute et doctrina insignibus, hereditario jure sibi transmissum D. Franciscus de Martigny, Laudunensis, vir moribus antiquis (quod rarum) et singularis annorum 86 (utinam plurium!) numero venerandus, sponte largitur canonicis regularibus protoregalis basilicæ S. Genovefæ Parisiensis in perenne grati animi erga regni patronam monumentum. Is, S. Leodegarii Suessionensis sub eorumdem canonicorum regimine parochianus altare parochiali ministerio destinatum ex ligneo marmoreum et quatuor statuis elegantibus ornatum, sex altaris candelabra mediamque Crucifixi effigiem ex ære argentea ipsaque affabre elaborata, vestes sacras in solemnioribus sanctuarii et chori officiis adhibendas, ex vulgaribus magnificas, fieri propriis curavit impensis.*

INVOCATIO

Lux immensa Deus, mundum fulgore serenans,
Ætheraque æternæ collustrans lucis amœno,
Sidereo astriferum pingis qui lumine cœlum:
Qui mare, qui terras diva ratione coerces,
Aera plumigeris exponis, nautibus æquor;
Graminibus silvisque virentia rura venustans,
Diversi generis formæque animantibus imples:
Queis hominis cunctoque orbi præponis honorem,
Quem signare tui statuisti lumine vultus,
Inspirans animam cœlestis imagine comptam
Splendoris, superæque infundens stemmata lucis,
Secernis sensu reliquis animalibus alto.
Quem desciscentem tenebris a lumine summo.
Tartareis addictum umbris et ad ima volutum,
Per veram, testem (144) radiantem lumine lucem,
Perque pios comites cœli candore nitentes,
Ad verum revocas lumen vitamque perennem
Præcipui divina raptum ditione triumphi
Sensibus inde meis, vero de lumine lumen,
Illustrans animos, tua dicere carmine nitor
Celsa tropæa, quibus servos super astra decoras
Flamine corda replens, almo tu dirige sensu,
A Da votis celebrare tuos modulisque triumphos
Queis cœlo terraque tui comuntur alumni,
Virtutum pennis astrorum celsa petentes,
Luceque cœlesti rimantur cæca profundi:
Flores qui rutilos fructusque dedere beatos,
Sordida dum gregibus removes animalia mundis,
Quos validæ pietas fidei super omnia mundi
Regna levat, cœlique altis in sedibus aptat,
Nectare quæ divo gaudent ac lumine summo,
Sæculaque irradiant verbis palmisque coruscis.
Non ego cuncta meo conor concludere cantu
Quæ maris exsuperant undas et sidera cœli;
Læta sed ingrediens aliquos decerpere flores
Tendo vireta quibus nexum volo pingere sertum;
Ut dum bella cano celebresque retexo coronas
Quorum digna tropæa humili describere voto
Nitor, eis valeam sævum auxiliantibus hostem
Vincere serpentisque dolo evadere vafri,
Livida sic possim lacrymis commissa piare,
B Fletibus ut Stygias merear restingere flammas;
Vellereque indutus, vacuatis sordibus. albo
Purgantis mundum dextris admittier Agni.

DE TRIUMPHIS CHRISTI SANCTORUMQUE PALÆSTINÆ
LIBRI TRES.

INCIPIT LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

De locis corporali Christi præsentia insignitis (145).

Bethlem regiparens, Davidis origine clara,
Regum regis ovans rutilo sed clarior ortu,
Quæ Christi cunas meruisti visere primas,
Prima Deum cernens humano corpore tectum,

(144) Litteræ vocis hujus in ms. intricatissimæ. Superscriptum *testem*, sed sine sensu.

(145) Greg. Turon., lib. II De gloria martyrum, cap. 1.

Angelicis doctis monitu pastoribus. In te
Cœlorum sacratus panis quo vivere gaudent
Agmina celsa poli, gaudet quo vivere mundus.
(146) Primitiis nostris, in te salvatio nostra
Visa, monente astro, donataque munere digno.
Hosque fides toto ut maneat devotior ævo,
Virginis ex haustu sacrati hæc ipsa Mariæ
Stella nitens puteo signatur fonte sacri,
Omnibus haud passim, mundis modo conspicua, cætera
Quæ tenebrosa diu, quæ perfida corda gerebas.
Cœli lumen humi latitans Ægypte reservas.
Nazara, magnifico felix splendescis alumno
Qui terrena fovens, cœlestia luce serenat,
Humanasque animas supero fulgore decorans
De propria virtute sui bona cuncta ministrat.
Quæ pridem tenebris errans, Galilæa, jacebas,
Suscipis progressum lumen de limine verum.
Tu quoque, digna Cana, grato lætare decore
Quo validum vini concepit lympha saporem.
Undarum contactus medicamine Genesarethes
Morborum ægrotans, pulso dat munere lætus.
Villa Capharnaum, virtutum munere pinguis,
Divinis larum late respergis odorem,
Quo variis properant gentes regionibus illi
Et flumen vitæ sensu capiare fideli
Sidonis Tyrique viri, Syrique coloni,
Plebs Judæaque Samaritanaque catervæ.
Bethania tellus, gemina virtute refulges :
Aret qua sterilis, surgit de morte fidelis.
O Solymæ nomen, quoniam te carmine pangam !

A O Jerusalem, pacis quæ visio dicta
Pacificum regem spectas ! Quid munia pacis
Audis, proprii contraria moribus, audens
Auctorem pacis, qui conciliare superis
Hos petit humanos, præsumis dare? Perdita quærens
Terribili spectas morientem possimus vultu.
Quid paveficis motu fugiunt elementa videre!
Terra tremit, radios condit sol luce fugatâ,
Saxa crepant, monumenta patent, sunt carbasa pessum ;
Durior et saxis miseris fera scindere corda !
Funditus eversum, quo prodente reatu
Novimus, et dignas solvisse piamine pœnas.
At nunc in melius reparata nitens, pretiosa
Ligna crucis servas, et celsa tropæa resignas,
B Dum jam Christiferum placuimus honore sepulcrum,
Unde inferna petens portas confregit Averni
Agnus, et exsurgens tumulo spolia larga reduxit.
Inclyta qua niveo tellus radiata decore,
Corporis ac summi tactus oppleta vigore,
Hausta replet varie mundum splendore medelæ :
Morbida membra levans, atque atra venena repellens.
Quare nunc magis es toto venerabilis orbe
Quam quondam unius curans solemnia gentis,
Mons alter, mons exsultans, mons pinguis olivæ,
Immarcescibili retinens vestigia feno
Felix, quæ Domini, Patris solium subeuntis,
Impressere pedes, cœli convexa petentes.

CAPUT II.

De ecclesia beatæ Mariæ (147).

Felix o vallis Josaphat, quæ membra beatæ
Virginis atque Dei genitricis habere locata
Digna reperta quidem, sed non abscondere mundi
Digna diu stellam, divini luminis arcem,
Lux coruscantem, quam splendida lilia vallant,
Humano generi, rutilans quæ janua cœlis
Effulsit, cœlique palatia celsa reclusit.
Constantino solum cujus fabricante parandum,
Traditur hoc vastas illum applicuisse columnas
Aptandas operi, tum nisibus ordine plures
Artifices traxisse dies, nulla arte juvante.
Cessato tandem ingenii conamine cuncto,
Virgo benigna docet qua sint virtute locandæ :
Admonet ædiculam, post irrita cœpta soporum,
C Arti quid jungat, divinis terrea cedant :
A ferulis pueros tres evocet, hacque juvetur
Innocua annitente manu ; superetque laborem.
Mature surgens monitus ille edere curat
Pusiolosque scholâ tres accivit, atque probetur
Simplicitate Deum gaudere, patratur in hora
His quod multa virum manus arte moraque nequivit,
Alma quidem puero quæ præbuit ubera Christo,
Sola Dei genitrix, et virgo puerpera sola,
Quæ cœli texit regis puerilia membra,
Parvorum tutrix et simplicitatis amatrix
Exstitit, exemplisque probat se noscere parvos.
D

CAPUT III.

De puero ab igne liberato (147*).

Sic puerum tremido rogo Babylonis adeptum,
Quem pater, sævitiisque ferisque ferocior ira,
Ignibus injectum superantibus urere flammis,
Fabri pellit patrem clausit, flagranti camino,
Commentum patriis vetuit fornacibus uri :
Qui deus, natus genitus, omni conservatur orbe,
Mollibus ut plumis, roseis discumbere prompte
Cernitur, et raptus populi stipante corona,
Quæritur ut tanto tam vasta incendia salvus ?
Illa, inquit, mulier cathedra quæ sedet in aula
Qua semper parvum, puerum sinu gestat,
Pallio me contexit ne tangeret ignis.

(146) Hic incipit codex nos. bibliothecæ S. Genovefæ Parisiensis.

(147) Greg. Turon. ubi supra, cap. 9.
(147*) Greg. Turon. ubi supra, cap. 10.

CAPUT IV.

De beneficiis quibusdam parvulis per beatam Mariam (148).

Colligit hæc parvos hac simplicitate nitentes,
Quos ubicunque tegens, mundo solatur in omni
E quibus in Solyma plures tutatur ; egentes
Confovet ac vitæ suffragia præstat alumnis :
Et stipis indigois victus solamina confert :
Horrea vel solito replens cumulamine fruges,
Sacra vel aureolis onerans altaria massis.

CAPUT V.

De quodam pignora Dei Genitricis ferente (149).

Ipsius hinc quidam sumens pia pignora, morbo
Lepræ exutus aquis Christi baptismate sacri
(Sæpe quibus tali plures a labe levantur),
Dum repetit patriam, deserti interna latrones
Perscrutans patitur, gerulus nudatur amictu,
Munera capsa tegens rapitur, fulvumque putata
Occultare dolum, spem fracta intercipit auri ;
Moxque pyra accensa flammis inventa retrudunt,
Prosiliuntque flagris captum, plerumque relinquunt,
Vix ille exsurgens, cinerum ut residua recepta
Respicit, incensis [illegible] [illegible] prunis,
Nescia fervoris, pretiosa jacere talenta,
Ipsaque despecto renitentia tegmina fumo ;
Non sensisse ignes, omnem sprevisse vaporem.
Immemor hinc pœnæ gaudens data præmia tollit.
Lætus iter carpit, cœpto in sua tramite ducat.

CAPUT VI.

De fluentis Jordanicis (150).

Vulnera prædictis qua plura lavantur in undis
Corporis atque animæ, mulier quas mœnibus olim
Hiericunteis nimiis addicta piaclis,
Solemni de more petens, permista piorum
Agminibus, fluctus dum nititur amnis inire,
Aversi fugiunt, liquido renuente fluento,
Tam diri infando sceleris contamine tangi.
Improba cedentes sequitur per limpida lymphas
Marmora, sacratas contingere nec valet undas,
Ulteriora petens amnis, linquensque meatum.
Mirari præstat populos edisserat actus
Conscia flagilii rogitant, serit illa patrata
Expositæ narrans partus edente reatu
Admissa octonæ sibi parricidia prolis.
Cujus dum plebes scelera expurgarier orat,
Affusa hæc precibus, facinus ne duplicet efflat,

CAPUT VII.

De sancto Joanne Baptist.

Vates quo nemo in muliebria pignora major,
Hic undis primus docuit peccata lavari ;
Ablutorem orbis dignus quoque tingere lymphis,
Insuper assertis gaudens se impendere veri,
Relliquias qui almi spargit dum corporis orbi,
Panditur egregiis mundum lustrare tropæis.
Urbs ab Alexandro ducens clarissima nomen,
Et caput Ægypti, spectabilis æquore magno,
Clarior ejus adest membris, ubi prædita fulget :
Ossa Palæstinæ cujus collecta Sebastæ,
Ignibus erepta, et Solymis perlata Philippo,
Patris Athanasii sunt hoc legata fidei.
At caput herois positum Phœnicide messe
Festivi cultus claro celebratur honore.

CAPUT VIII.

De apostolicis Petro et Paulo.

Roma, caput præstans orbis præclara triumphis,
Jam mage celsa fide Christi præclarier esse
Cœpisti, fidei patronis fulta beatæ,
Cœli clavigero pastorum principe Petro
Doctrinæque typo, doctorum præduce Paulo.
Hebræis quorum præceptor deditur alter,
Absolvens verboque ligans se judice mentes,
Arbiter Ecclesiæ, dictat ceu Spiritus illi
Discretis pœnas meritis, vel præmia reddens.
Muneris hinc proprii fur labitur, uxor et hærens,
Simon fraude perit, Thabitas de funere surgit,
Surgit et Æneas, et non numeranda caterva,
Alter arat verboque replet gentilia corda
Quem vertens cœlo alloquitur divina potestas,
Prorisiensque poli cupidum ad fastigia tollit:
Et docet in cœlis, terrenas unde doceret,
Pasceret ac mentes, sacri qui semina verbi
Orbe serit toto, sanat quoque corpore multos,
Et juvenem de morte levat, sed plurima corda.
Hi te sublimis cœli super astra ferentes,
Instrumenta ferunt de te per climata mundi
Militibus pacis, per quæ victoria surgit.
Quorum, Petre, crucem, gladium, pie Paule, Neronis
Passi, præcelsas meruistis in æthere sedes.

(148) Greg. Turon. ubi supra, cap. 11.
(149) Greg. Turon, ubi supra, cap. 17.
(150) Greg. Turon. ubi supra, cap. 88.

CAPUT IX.

De Jacobo fratre Domini.

Ælia nunc, Jerusalem, quæ versa vocaris
Jam renovata, crucisque gerens miranda tropæa
Christi, servorumque ejus venerare sepulcra,
Quorum post Dominum Jacobus ille regmina pri-mus
Continuit fidei, legitur qui frater Iesu
Sacratum sese servans, Justus cognomine dictus,
A Electus a sociis te primus episcopus ornans,
Arentes plebis qui pectora fonte rigando,
Luminis e cœlis tenebrarum nigrantia corda,
Dum docet excelsa super astra sedere magistrum,
Pinnaculis templi dejectus et fuste ictus,
Excipitur cœlo, populo quoque teste beatus.

CAPUT X.

De sancto Joanne apostolo.

Sic Ephesum Christo dilecti membra Joannis
Extollunt, cujus superat facundia mundum.
Qui casto adolescens [illegible] velleris Agnum
Zebedæo patre dimisso, cum fratre secutus,
Inter reliquos speciali jungitur unus
Affectu, capiens æterno dogmata vitæ
Fonte, super pectus dignus recubare Magistri.
In cruce confixus matri, quem mandat, adesse
Virgo sacer sacræ custos ut virginis exstet.
Quique fide fortis violentos passus agones
Exsilio truncis didicit mysteria cœli,
B Ore tonans, animam regnis, dat membra quieti.

CAPUT XI.

De Jacobo fratre ejusdem Joannis.

At fratris Jacobi, Gallæcia, corpore fulges,
Quæ caput extremum locuples Hispania finem
Præcipui pastoris erat qui fidus alumnus,
Nam vidit Dominum qualem per sæcula videbit:
Excellens adeo meritis, ut tertius esse
Ipse mereretur testis, cum gloria Christi
Clarificum propriæ lucis monstrare nitorem
Discipulis vellet, quibus hæc spectare dedisset,
Pollicitus mortem non his prius esse videndam,
Quam daret his lumen venturi cernere regni.
Hunc gladio Solymis, Herodes sæve, necasti,
Sed metas orbis, te damnato, ille decorat.

CAPUT XII.

De sancto Andrea.

Andreas, pollens opere et sermone virilis,
Splendoremque valens divinæ visere lucis,
Inter discipulos continebat mente Joannis
Audit ut Christum ut peccamina tollere mundi
Hunc mox est pedibus modo non, quin corde secu-tus,
Repperit et verum lucem, flammante lucerna,
C Ad quem germanum deducit amore colendum.
Hic Scythiæ populis ubi dulcia verba salutis
Tradidit, exemplum sequitur quoque Morte Magi-stri,
Dum crucis amplexus votis est cordis adeptus.
Ossa beata Patris retinebat Achaica cujus,
Constantinopolis quæ nunc veneranter honorat.

CAPUT XIII.

De sancto Matthæo.

Justitiæ donante Dei, Matthæe, refulges,
Quem de publicola avarum, de divite largum,
De exactore pium Dominus dedit esse datorem,
Et de jure fori pari tollit ætheris [illegible]
Primus Evangelicum grato sermone paterno
Scribis, ut [illegible] servile [illegible] artes.
Quem tua [illegible] cœlestis gloria [illegible]
Te monstrans hominis, celsum super æthera trans-fert,
Qui pastor [illegible], ideam tenebris auferre parando,
Æthiopum gentem, peccato et corpore nigram,
Candorem nitidum docuisti sumere Christi,
D Martyrii palmam cœlique merens honorem.

CAPUT XIV.

De sancto Philippo.

Excellens tumulo Hierapolis ornata Philippi,
Qui Verbi Patrem, vero de lumine quærens,
Discere promeruit Genitum Genitoris habere
Fulgorem, pariter lumen de luce micando,
Virtutemque Patris Nati virtute videre,
Atque Patrem in Nato, Natumque in Patre manere,
Et cum Nato, Patrem quoque [illegible] videri.
Hancque fidem Scythiæ populis spargens pius un-dique
Barbaricas largo doctrinæ semine terras.
Hinc post conversas gentes, quas ordine sacro
Disposuit, [illegible] Asiæ pia dogmata vitæ,
Prodigiis [illegible] cœlis [illegible].

CAPUT XV.

De sancto Thoma.

Thomas, qui Didymus, latus inscrutatur apertum
In cruce confixi mucrone satellitis Agni:
Quo dubitante, fides nobis firmatur herilis,
Lege necis Christum vitæ remeasse soluta;
Dumque cicatrices digiti moderamine tractat,
Maxima sanantur dubitantis vulnere cordis,
A Omnis et in nostra curatur mente cicatrix,
Dum patuit Christum vera cum carne redisse.
Hunc ubi jam Parthis ac Medis semina verbi
Respergit, pro rege suo videt India passum,
Unde probo studio translatum plebis Edessæ
Fertur corpus humo cœlo mens inditur alto.

CAPUT XVI.

De sancto Bartholomæo.

Suspendentis aquas natum quem gratia fecit,
Bartholomæe sacer, veræ tu vitis haberis
Fructificus palmes, huic indiscissus adhærens
Fecundosque ferens apto pro tempore botros,
Unde merum fidei longe lateque propinans,
Hoc sobriis large tribuis; quod et India sumpsit,
In qua glorificum pro Christi nomine cursum
Consummans gladio, cœli secreta petisti.
Insula, quam Liparim dictam Siculi maris undæ
Dant, tua suscepit terra Gangetide membra,
Insignes valida referenti a morte triumphos,
Quæ Beneventanam tutantur tegmine plebem.

CAPUT XVII.

De sanctis Simone et Juda.

Simon Zelotes, Chananæus idemque vocate,
Scilicet hoc vico ducens cognomen, aquarum
In quo materies, in vini versa vigorem,
Ostendit Christum rerum Dominum esse potentem.
Ægyptus, veterum sacris maculata deorum,
Tetra dente capit vim Verbi jure perennis.
At Juda Jacobi, Tadeus quoque qui vocitaris
(Longe ab eo distans Dominum qui prodidit orbis),
Lebbæum sed enim memorante corde vocatum,
Corculus in nostra latum quod voce sonabit,
Luminis aspersisti inter duo flumina semen
De medio patriæ fluviorum nomen habenti.
B A pastore bono vereque potente magistro
Ambo doctrinæ capientes munera sacræ,
Sal terræ facti, stolidas condire parati
Mentes, lux dicti, tenebras depellere docti.
Quas ubi diversis regionibus ore fugastis,
Persidis ingressi penetralis regna minacis,
Sicut oves prompti in medio properare luporum,
Astu serpentis cum simplicitate columbæ
Callentes, qui plura Deo dum lucra parastis,
Innumero Christi populo pia sub juga ducto,
Martyrii demum digno certamine cursum
Explentes, animas cœlo datis, ossa sepulcris.

CAPUT XVIII.

De sancto Matthia.

Matthia numero splendes electe replendo,
Anteferens justo, Domini quem gratia sanxit,
Sorte ministerii dignum, quo gaudia pacis
Proferres mundo, duodenæ sedis adeptus
In cœlis apicem, cecidit qua proditor atrox
Auctoris, propriæ quoque perditionis amator.
C Spiritus irradiat sanctus te pignore donans
Muneris excelsi et supere charismate firmans,
Ut testis Domini factus de morte triumpho,
Visa feras oculis passim miracula Christi,
Utque vocas cœlis Judææ gentis alumnos,
Cœlestis solii provectus honore quiescis.

CAPUT XIX.

De cœteris Christi testitbus.

Culmen apostolici transegimus ordinis altum,
Eximios modica titulos recinente Camena,
Nomina signantes duodeno singula versu.
At nunc militiam cœli fideique tropæa,
Multiplices palmas infinibilesque coronas,
Arte quidem nostra multo majora canamns,
Et quæ Mæonium valeant evincere vatem
Materia, quin et nostrum superare Maronem,
Bella tamen quæ quis gessit detexere nostri
Non est propositi, cum nec numerare queamus *
Vel loca præ stricto sat erit meminisse relatu
Quædam athletarum Domini celeberrima bustis;
Inter quæ reliquis venerabili Ælia præstat
Mirifico Regis monumento cuncta regentis.

CAPUT XX.

De David, Simeone et Anna.

Hic citharista catus mitis, pius atque fidelis,
Rex David, cujus voluit de semine Christus,
Jure pudicitiæ sacrans sibi Virginis alvum,
Sumere mortales humani corporis artus,
In mausolæo legitur locuplete locatus;
D Sed Domino Phlegetontæas referente rapinas
Raptus, et ætherea donatus creditur aula.
Hic etiam plures, quos sæcula prisca tulerunt,
Illustres positi reges sanctique prophetæ.
Hic Symeon justus, celso qui Flamine clarus,

Responsum capit, haud unquam se morte obiturum
Auctorem donec meruisset cernere vitæ :
Quo viso petit absolvi sibi vincula carnis,
Non metuens mortem, dignus qui visere vitam ;
Non mortis horrens umbram, qui noscere lucem,
Paceque conspecta, cupiunt requiescere membra.
Hæc Phanuel proles, viduis quoque forma salutis
Anna prophetissa, tribu quæ nascitur Aser :
A Sedula quæ templo degens, jejunia ducens
Crebra, Deumque rogans, servit cui nocte dieque
Dona prophetiæ cœli charismata sumpsit :
Emmanuel natum non solum digna tueri
Vaticinans, in eo meruit quia lumina ferre,
Hunc multis positum prædicens esse ruinæ,
Continuans quod et adventus surrectio multis.

CAPUT XXI.

De sancto Stephano.

Istic præcipuis quoque consummantur agones
Militibus, quorum Stephanus certamine primo
Post Christum letha liventia tela triumphans,
Nominis hinc proprii fertur cepisse coronam
Tempore quo Dominus dirum cruce vicerat hostem.
Nam dum levitas sacris assistere mensis
Cœtus apostolicus, septem quos Spiritus almus
Exornat, statuit, divino numine lectus
His inclytus locuples præponitur archidiacon
Mox imbrem sermonis agens, virtute coruscat,
Prodigiisque novis populo nova fulgura monstrat.
Quem contra Synagoga crepans Satanæ blateratu,
Bellabat rabido, libertinique remissi,
Atque nothi Cyrenenses fervore perusti,
Turba et Alexandrinorum Ciliciesque procaces,
Aut Asiæ reliqui. Sed non superare sophiam
Flaminis aut sancti potuerunt sistere rivos.
Captum concilio statuunt et magna queruntur,
Mutandas legis Moysi quod traditiones
Dixerit ab Jesu, templi accelerante ruinam.
In quorum medio velut angelus ore coruscus
Voce tonans patria, sic lumine fulgidus infit :
« Patres atque viri fratres, mea sumite verba.
Majestate Deus radians apparuit olim
Abrahæ nostro, placito sibi carne parenti,
Præcipiens olli : Terra discede paterna
Approperans aliis, tibi quæ monstravero, regnis.
Chaldæa egrediens habitavit denuo Charran ;
Post obitumque patris hæc hunc deduxit in arva.
Nec dedit hinc ipsi quantum pedis abdere passus
Quit ; tamen hæc ejus soboli tradenda spopondit,
Cum senior fessus carnali prole careret.
Sed tua progenies alienis accola (dixit)
Regibus existet, graviter tractata per annos
Ferme quadringentos, famulatu pessime pressa,
Exiet atque loco mihi postmodo serviet isto,
Judicio gentem cui servierit quoque subdam.
Post testamentorum circumcisio sumpto,
Procreat inde senex Isaac, quo natus Iacob
Bis sex progenerat præclaro sanguine patres,
Invidiæ Joseph quos vendere livor adegit.
Hic Pharon ingreditur, Domino comitante superno,
Omnibus eripuit salvans qui pressibus illum ;
Per quem mox sapiens Pharaoni et gratus habetur ;
Hunc qui proficiens regno præponit et aulæ.
Ægyptum inde onerosa fames Chanaanque premebat ;
Excitat hæc primum patres angustia nostros,
Vendi ibi comperto frumenta videre Canopum.
Hanc quoque dum repetunt, Joseph patet agnitus [illis
Quæ postquam Phario regi perlata feruntur,
Patrem cum generis turba sibi poscit Ioseph
Ad quem cum decies septenis quinque jugatis
Descendit propriæ stirpis animabus Iacob.
Qui postquam vita defungitur ipse, patresque
Bis seni Sichem lati positique sepulcro
Abraham pretio quod sumpserat Emor in empto.
Tempore promissi properante quod ipse professu
Abrahæ fuerat Dominus, plebs crevit et ingens
Efficitur populus, donec rex nescius horum
Eminet Ægypto, circumveniensque colonos
B Addicit, diro proprios exponere letho
Compellens genitos. Moyses tunc natus et inde
Mensibus est patria latitans tribus abditus hosti
Gratus at Altithrono fluvii dum traditur ulvæ,
Regigena raptus, totus vice prolis amatus,
Artibus excellet Phariis, virtutis et actu
Lustra gerens octo, meditatur visere fratres.
Pelleumque virum Hebræo vim tendere cernens
Percutit, atque suos retur sensisse propinquos,
His per eum Dominus vellet quia ferre salutem.
Quos imprudentes odio rixaque furentes
Corripiens, audit, Princeps, aut arbiter ut sis
Quis dedit, et nostras valeas finire querelas ?
Mene ut heri Pharium jugulo plectere colonum ?
Territus his Moyses disponitur advena terræ,
C Aufugiens Madian, binos est qua pignore mactus.
Quadraginta annis illi hac tellure peractis,
Angelus hic flagrante rubi monstratur in igne.
Quo mirante facem scrutari remque parante
Vox facta est : « Ego sum patrum Deus ipse tuorum. »
Attonitus Moyses non audet cernere contra.
Cui Dominus : « Pedibus tibi calceamenta resolve,
Nam locus in quo stas constat quia terra sacrata est.
Verbera dura mei populi, Pelusia regna
Quem retinent, vidi, gemitum quia auribus hausi
Descendique tegendo illos quo missus abibis. »
Hic Moyses, sibi prælatum quem ferre negarunt,
Principis atque Redemptoris vice mittitur illis,
Cœlicola simul ostenso, comitante per ignem.
His signis educit eos per rura Syenes,
D Inque mari Rubro rutilans et in invia sicca
Lustris octo prophetavit quoque, quo Deus (aiens)
Temporibus vestris de fratribus excitet unum.

Tanquam me vatem, vos observabitis ipsum.
Nempe erat Ecclesiæ princeps deserta tenentis
Angelico super alta Sina solamine fultus.
Sumpsit enim vitæ nobis dare verba, sed ejus
Nolebant jussis nostri se subdere patres,
Cordibus aversi duris, Aaronque jubentes :
« Fac nobis quos nos volumus præcedere divos,
Dux noster Moyses ubi sit nescire fatemur. »
Tum bove conflato sacra libant more profano,
In factis manuum lætati corde suarum ;
Militiasque dedit Deus hos servire polorum,
Ut Scriptura prophetarum sic patribus infit :
Dum deserta terebatis loca, victima nunquid
A vobis oblata mihi ? Domus arsit Jacob
Sumpsistisque Moloch tentoria, sidera Rempha,
Quas vos constat adorandas sculpsisse figuras.
Quocirca ejiciam vos mœnia trans Babylonis.
Aulæum fuerat patribus per devia nostris
Quod Deus ostenso docuit paradigmate Moysem.
Hoc quoque cum Jesum nostri induxere parentes
In terram, gentes, quam possedere, superno
Expulsæ nutu, mansitque in tempora David,
Qui gratus Domino petiit reperiret ut ædem
Ipse Deo Jacob, Salomon struxit cui templum,
Sed non excelsum manibus lita delubra claudunt
Os vatis velut ipse sui testatur adimplens
Sedes est cœlum, basis est mihi terra pedalis,
Quamque domum mihi condetis, loca quæve ma-
[nendi ?
Non mea celsa manus plasmans hæc omnia fecit ?
Spiritui quoque vos almo contraire studetis
Auribus incircumcisis, cervice procaci,
Ut vestri ante patres jugulando sæpe prophetas.
Infesti cunctis ; prænuntia verba locutis
Adventus justi quem proditione necastis ;
Angelico legem quos percepisse relatu
Constat, eam vere nec custodisse probatur
Martyris his verbis ingratis auribus haustis
Viscera dissiliunt, rumpuntur corda furore,
Stridula pressorum resonant crepitacula dentum.
At martyr sanctus, præcelso Flamine plenus,
Suscipiens cœlos, divinum cernit honorem.
Et stantem a dextris æterni Patris Iesum.
Sicque ait : « En video cæli mihi culmen apertum
Atque hominis Natum Virtutis dextra tenentem. »
Auribus obstructis illi aera vocibus implent,
Unanimesque petunt Stephanum simul impete torvo
Urbeque propellunt lapidantque rei venerandum,
Dira manus mitem, trux blandum, sæva benignum.
Saxoso martyr venerabilis imbre petitus
Invocat ; « Hanc animam, Jesu Domine, accipe, »
[clamans.
Et positis genibus magna cum voce precatur :
« Ne statuas illis, Deus, hoc sibi crimen inuri. »
Quo dicto somnum pacis petit in nece fortem
Invictumque tenens animum, quo concio victa est.
Hoc vincens lapides, quoque pro lapidantibus orans.
Nec potuere preces casso cecidisse profatu
Martyris, ad solium sed conscendisse sciuntur

A Omnipotentis [illegible], dum [illegible] mente [illegible]
In [illegible] sanctis qui [illegible] esse
Non timuit, [illegible] nomine, corde :
De Saulo Paulum, patientem de cruce [illegible]
[illegible] Stephani [illegible] hostes,
Atque [illegible] profusas ;
[illegible] princeps qui rure locavit
Ossa [illegible], cujus servantur agello,
Donec Christicolas [illegible] tribulatio pressit
Postmodo septeno regnabat Honorius anno
Et [illegible] Lucianus in æde cubabat :
Montis in excessu facto [illegible] cernitur esse
Procerus placidusque senex, vultuque decorus,
Barba promissa, candenti tectus amictu,
Cujus in extremo radiabant margine pulchra
B Contextæque cruces, auro pro limite limbi.
Quique pedes caligis decoris munitus honesti
Atque caducæo præsignis ductilis auri,
Leniter attingens hunc, quo se Gamalielem
Prodidit, egregius fuerat cui Paulus alumnus ;
Addens, post aliquas cœpit quas ferre loquelas :
« Cautela tumulos summa tu perfode nostros,
Et patefac humili squalentia rure sepulcra. »
Hoc quærente simul quorum tumulata jacerent
Corpora : « Domnus, ait, Stephanus hic primus ha-
[betur
Pro Christo Solymi lapidum quem cæde necarunt,
Quique sacerdotum jussu dimissus edendus
Est canibus dirisque feris qua Cedar abitur.
C Quod vetuit cui morte fidem servasse patebat
Ast ego sanctorum cœtum turbamque fidelem
Asciscens, suasi nostro ferretur agello.
Quoque patrum sueto positus sepelitur honore.
Quem simul attiguum invenies retinere locellum
Nicodemus meus ille nepos est, Christus Iesus
Flamine quem sancto docuit, lymphaque renasci,
Quodque sibi Petro, mox atque Joanne peractum,
Unde sacerdotum proceres, indigna frementes,
Irati hunc removent primatu, tradere morti
Connisi ; texit sed cum reverentia nostri.
Urbe tamen pulsi rapitur convulsa supellex,
Quem quoque semianimem linquunt cruciatibus
[actum.
Hunc ego suscipiens adhiberi mando medelam :
D Qui tunc curatus paulo inde superstes habetur
Defunctumque pedes ad primi martyris addo.
Tertius ille mihi retinens commune sepulcrum
Filius est Abibas meus, almo fonte renatus.
Mecum vicenum vitæ dum provehit annum,
Prædictis Christi famulis sacra dantibus illi,
Doctus hic assidue cum Paulo sacra vacabat
In templo meditans, ac lumine legis abundans.
Liber eo solitum vitio cui subdere sese
Est genus humanum, tectus virtute superna,
Cœlibis et vitæ locuples in pace quievit.
Cum primogenito conjux mea credere Christo
Vitantes, alio positi tumulantur in arvo.
Sarcophagos horum quare spectabis inanes
Nobiscum meriti quia non requiescere visi. »

Hoc cogitante loci nomen quo quæreret illos,
Infit : « Agro in nostro quem nunc sermone Syrorum
More beatorum [illegible] possessio [illegible]. »
Visio cui [illegible] iterumque iterumque videtur
Presbytero, [illegible] Solymorum pergit ad urbem,
Pontifici monitus referens hæc cuncta Joanni,
Qui [illegible] Dominum lacrymis benedicit ovanter.
Advenit et patres [illegible] [illegible] almos,
Quis dum monstrato [illegible] in aggere [illegible],
Terra tremore crepat, spiransque fragrantia surgit
[illegible] qui forte aderant [illegible] nequivit.
Se paradysiaco gaudentes nectare pasci.
Cujus odoris opem varios suppresse levari
E morbis decies septem [illegible] resultant
Hoc habuit testes opus, cum Patre notato,
Præsul Eleutherius [illegible], Eustoniusque Sebaste, B
A Condigna sorte sibi [illegible] catervis.
Qui post [illegible] pretiosa ossa [illegible],
Obstructo [illegible], propriis redière cathedris.
Ossa beata [illegible] non tempore multo
Post reversa sibi, primus quo ad sacra minister.
Arida tum squallebat humus, [illegible] arvis,
Vi, sine [illegible] lymphæ, [illegible] caloris,
[illegible] repente poli [illegible] [illegible]
[illegible], subitoque polo demittitur imber
[illegible] [illegible] ut flumine [illegible]
Martyris [illegible] [illegible] campos.
Hujus per varias [illegible] pignora terras,
Prodita quæ [illegible] passim [illegible] operis,
Quorum multa quidem, sancte Augustine, fateris,
Plurima quæ fiunt vel facta fuere [illegible].

CAPUT XXII.

De sancto Simeone et reliquis Æliæ præsulibus.

Post Jacobum Simeon Solymorum ad sacra levatur,
Auditor Domini dictus quoque, carne propinquus,
Filius ut Cleophæ, sancti qui frater Joseph,
Virginis æternæ sponsi et [illegible] matris.
Hic Symeon [illegible] senio, quo tempore princeps
Trajanus gladio Christi vexabat ovile,
Verberibus multis Christi sub nomine tritus,
Centum et viginti postquam transegerat annos,
Martyrio rutilat moriens, crucis hostia factus
Judice cum reliquis animum mirante vigere
Tam valido firmum, senior grandævus ut hujus
Supplicii prompte cruciatum ferre [illegible].
Pontifices Solymis claruit [illegible] denique [illegible] :
Mox post hunc Justus, Zachæus [illegible], inde Tobias,
Benjamin sextus, tum septimus esse Joannes
Fertur, Matthias post hunc, sequiturque Philippus.
Succedit Seneca Justus, post deinde Levi :
Hinc Ephrem, Joseph, finis horum quoque Judas.
Judæa memorantur ibi, qui plebe probati
Præpositi Christique fidem tenuisse benigni :
Quorum Matthias, stabili certamine pugnans,
Multaque pro Christi passus pietate quievit,
Cujus plena fide narrantur plurima gesta.
At, Jerusalem, postquam renovata renides
Judæis patria pulsis, sibi et urbe negata,
Et jam non illis licitum tua visere rura,
[illegible] procul vel prospectare paternam
Gentibus admissis, pacem servantibus in te,
Ælia, Romulei cognomine dicta tyranni,
Pastoris Christi famulis habitatio læta
Post prælibatos te Marcus episcopus ornat
Gentilibus e nostris primus te præsul adeptus,
C Martyrii palma claro qui dignus agone.
Succedit Marco Cassianus, Publius illi :
Maximus hinc sequitur, Julianus, Gaius, et alter
Julianus, Capitoque, Valens et Dolichianus.

CAPUT XXIII.

De sanctis Narcisso et Alexandro.

Post quos Narcissus, redolens flos atque decorus,
[illegible] Solymæ [illegible] odorem,
Cujus mira satis et plurima gesta renident ;
[illegible] pinguis qui [illegible] olivo.
Namque olei quondam [illegible] liquore
Lampadis exhaustæ cum lumine linqueret ignis :
[illegible] famulis [illegible],
[illegible] jamjam [illegible],
[illegible] populo [illegible] claro
[illegible] : [illegible] Narcissus [illegible] alte,
Imperat e puteis latices sibi ferre ministris,
Quos [illegible] [illegible] internus.
[illegible] subito [illegible] virtute [illegible]
[illegible] contraria flammæ,
[illegible] lymphæ [illegible] pingui
Palloremque et [illegible] mutasse colore,
[illegible] sibi [illegible] sumpsisse vigorem,
Adversosque faces flammarum alimenta dedisse
Quis solet exstingui ; [illegible] gaudente foveri.
Luminis hic splendor solito tum clarior arsit,
Largius [illegible] Christi bonitate nitore ;
Atque [illegible] fratres [illegible] hujus
Pignora [illegible] tanti servare liquoris
F. (160*).
Denique Narcissi dum mens immobilis instat,
Ac justi rectique tenax et tota resistit,
Quidam falsiloqui viliatæ mentis homulli,
Judice justitiæ dignas perferre timentes
Criminibus pœnas, præsumunt fingere fœdum
[illegible] viro [illegible] sancto.
Hinc auditores [illegible] testesque [illegible].
D [illegible] participes et juramenta [illegible]
[illegible] ignis [illegible],
[illegible] ne [illegible].

(160*) [illegible]

Luminibus jurat, fiat ne tertius absens.
His adversus eum se vera tulisse ligantes.
Crederet assertis quamvis tunc nemo fidelis,
Quod vitam atque pudicitiam quam duxerat annis
Narcissus primis constaret noscere pluris
Ipse tamen non ferre valens tam dicta probrosa
Tamque profana vacare, legens deserta petivit,
Et secreta colens latuit compluribus annis,
Semotam sophicamque gerens sine turbine vitam
At non ille oculus complectens omnia visu
Adversus pœnas in tempore longa moratur:
Imo per hæc quæ sancierant mox digna rependit,
Qui sanctum flagrante doli pepulere veneno,
Arbitrio dum quis proprio sibi lecta capessit,
Primus enim, tacitæ scintilla tempore noctis
Succendente domum, ustos simul arsit in ignes;
Ast alium morbus pedibus pervadit ab imis
Ad summum, scanditque caput decretus eodem,
His ita consumptis, cernens at tertius altum
Haud latuisse dolos Dominum, se vulgus aperte
Projicit in medium, retegens ex ordine probrum,
Sic facinus nitens lacrymis immane piare,
Fletibus afflictam fusis ulciscitur artem,
Dum ducta luctu residet caligine cæcus,
Narcisso interea latebræ secreta fovente
Allegitur sacris præsul cognomine Dius,
Quem raptum sequitur Germano, Gordius illum.
Hinc velut horrida post gelidæ spiramina brumæ
Affectus, zephiro terris afflante solutis,
Purpureus viridi surgens flos gramine vernat,
Haud aliter subiens, divo ut redivivus honore
Redditur Ecclesiæ Narcissus, itemque rogatur
Præsideat populo divinaque munia tractet,
Ast ægro fessus senio, dum commoda plebis
Omnia ferre nequit, cœlesti numine ducto
A Sedis Alexandro secum sacra culmina confert,
Cappadocum gentis moderans qui jura sacerdos,
Spectandi loca sancta avidus, hanc ut petit urbem,
Esse revelatur plebique senique tenendus.
Excita sicque die plebs quo cognoverat illum
Adfore venturum, properans se mœnibus offert
Obvia danda viro; vox intonat ecce repente
Cœlitus attacta, cunctis capientibus aure:
« Sumite pontificem vestris quem destinat aris
Omnipotens. » Ubi summa patet manifesta voluntas
Contiguis patribus sancto et seniore, repente
Communi voto populi concorditer actum
Suscipiunt, cogunt, retinent, venerantur, honorant.
Denique Narcissus, sursum certaminis explens,
Post centum bis et octonos quos vixerat annos,
B Urbis Alexandro tutandæ jure relicto
Ad Dominum pergens, meritorum munere gaudet.
Naviter advigilans successor munia tractat,
Condecorans data, dum Decius fervente procella
Sævit, ovile Dei disperdere turbine tentans.
Nempe ut canitie splendens renitebat amœna,
Cæsaream ductus crudelis lege tyranni,
Nomine pro Domini lætatur carcere trudi;
Afflictusque diu sacros consummat agones
Martyriique capit, Christo tribuente, coronam.
Eusebius, fultum, cujus se bibliotheca [151],
Materiam sumpsisse docet præclara notandi
Ecclesiæ Christi titulis quæ gesta feruntur.
Presbyter hujus Alexandri venerandus ab ipso
Clemens Ecclesiæ transmittitur Antiochenæ.
C Quem quoque præceptor virtutum laudibus ornans,
Esse sacerdotem allegat probitate beatum,
Commendans radiante senem pietate probatum;
Cujus apud Solymos præsentia munere Christi
Detegata Dei populum firmaverat auctum.

CAPUT XXIV.

De Macario, Maximo et Cyrico, episcopis.

Pontifices post hoc Solymæ virtute nitentes,
Dogmate præclari, statuuntur in ordine plures.
Quorum Macarius, pretiosi notio ligni
Dum crucis inventæ populo dubitante, vacillat,
Quærere comproperat epiramine membra relicta,
Apponitque cruces pariter, quas forte repertas
Constabat: spretis sed eis immota manebant;
Tacta vigor cruce vivifica mox intimus intrat,
Inque repentinos reparata resuscitat actus.
Maximns illorum consors ac miles herilis
Pro pietate fideqne Dei, qui poplite lævo
Succiso instabat, dextro quoque lumine dempto,
Hac magnæ fidei gaudens insigne gerebat.
Martyr Cyriacus, quique et cognomine Judas,
Hic pœnas quondam varias multasque triumphans,
Post manuum segmenta, ignes et pocula plumbi,
Postque triumphatum, candentiaque æra, grabatum,
Virgarum plagas, adipisque salisque calores
Exstinctos precibus, colubros oleique vapores,
Pectore defixus, contoque interna petitus,
Victricem palmam rutilat constanter adeptus,
Alter Macarius Hermonem in sacra secutus
Nomine fertur, ut hoc dignus virtutibus altus;
Dogmatis egregius nitet hic splendore Cyrillus,
Pro fidei sceptris certamina plurima passus,
Sæpe quidem pulsus, sed sede insignius auctus;
Quem mira sequitur fultus probitate Joannes.
Præterea plures, quorum qui nomina novit
Vel numerum, scit cuncta Deus, hac urbe triumphant
Vel patria sancti. Cunctos quis dicere possit
D Quos hic discipuli Christi tinxere lavacro,
Inque fide recta meruere, ac culmine vitæ,
Dum legitur sanctus quadam tria millia Petrus
Consecrasse die, quadam post millia quinque,
Millia tum quorum nobis neque cognita summa.

(151) Vide Eusebii Historiam ecclesiasticam, libri VI cap. 11.

CAPUT XXV.

De Hesychio et Philagrio.

Presbyter Hesychius, veteris qui mystica legis
Sacrorumque umbras ad fulgida lumina raptans,
In vinum transfundit aquas, ubi dignius usquam
Si qua præcipue vigeant remota notaret.
Hic inter populos superno splendore nitebat
Philagrius; manuum quærens alimenta labore :
Atque libenter inops et paupertatis amicus.
Qui quondam invento solidorum dite crumeno
Restat et exspectat passus dum damna recurrat.
Aurum restituit flenti, partemque precanti
Sumeret oblatas, nummorum de mille nec unum
A Attrectat laudisque simul præconia lasso
Aufugit, ac strictis cœlestia competit alis.
Justinus nitido radians splendore sophiæ
Editur, hac ortus Joseph regione parente
Qui sancta valide pro relligione laborans,
Augustis libros, pietatis honore politos,
Haud ceraris erudiens tradens, spectante senatu
Opprobrium, divina ferens, humana refellens :
Judæos, gentesque, hæresesque, et falsa triumphans
Spectatusque palam Jesum decorare magistrum
Exsultat celebrem Christo fudisse cruorem.

CAPUT XXVI.

De Maria Magdalena, Lazaro et Joseph Justo.

Pluribus hæc tellus hunc priscæ legis alumnis,
Inde novæ rutilat, Christique gratis salvat.
Hac quoque Magdalene regione Maria renidet,
Dæmonibus pulsis, Jesus qua Flaminis almi
Ut ferventer amet patet esse capacem.
Cujus ita Christo placuit devotio pura,
Ut Stygiis illum redeuntem prima videret ;
Et claustris Erebi, violenta lege soluta,
Hic prope Bethaniam tibi, Lazare sancte, sepulcrum,
Unde quater deno postquam te sole retentat,
Mors superis, Domino parens, tremefacta remisit
Hic domus ecclesia est tua sanctarumque sororum.
Joseph, qui Justus, patria hac consummat agonem,
Quem Christi comites Judæ vice sorte legendum
Dignus apostolico censent quia jure nitebat.
B Interno tamen arbitrio sors legerit etsi
Matthiam, officium Joseph nihilominus implet
Doctrinæ sanctæ, supero succensus amore.
Unde furens Judæorum vesana caterva
Multis hunc agitat probris ; ferturque fidei
Potatus titulo nil triste tulisse veneno;
Hicque Deo demum supplet vincente triumphum.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

CAPUT PRIMUM.

De vindicta Christi sub Vespasiano.

Plurima præterea Solymæ celebrata tropæa
Diversis minuere modis. Hinc gentibus olim.
Depulsis vario sub tempore, et urbe subacta,
Judæis crebro bellorum turbine tectis,
Justorum meritis prælatis culmine regni
Sacra lege Dei, claris et ab hoste quietis
Contemptis afflictis captis, et ab hoste necatis
Extrusisque solo, templo litisque perustis :
Corruptis peregrinatis, patriaque receptis
Post etiam varia bellorum strage levatis,
Atque reservatis donec divina propago
Emmanuel surgit de lumine, virgine feta
In quam præcipites lapidem offendere ruinæ ;
Surgere nec properant, veniam dum sumere vitant
Per comites Christi, quibus allegata reatus
Crimina, dilatus fere quadraginta per annos
Vindictæ gladius venit superveniens ut ictus,
Majestate Dei spretæ subit alto digna.
Præcesserant tamen exordia portenta futurum,
Prodigiisque datis terrentur hinc animæ.
Stella quidem, frameæ similis, flammisque per annum
Impendens totum per æthera traditur orbi,
Pestiferæque trucis flammæ ardentes cometæ.
Denique sui celebrare parant solemnia Paschæ,
Paulo post mediam fanum lux fulgida noctem
Circumdans, in utroque vagans, horrore coruscat.
Quod rebus quidam auspicium replicare secundis :
Ast alii, quorum potuit mens sanior esse,
C Infausta memorant turbatam luce quietem.
Pluribus inde motis lethalia signa trahebant
Qui moniti temnunt lacrymis punire patrata,
Et dedignantur scelerum deflere piacla,
His etiam festis vitulam mactare ministris
Applicitis, dum cervici vibrata securis
Defigenda micat, peperit, sacra ponderis hujus
Immutata docens arcanis legibus, agnam.
Quem mater renuens balantem agnoscere partum,
Legis dura sacris juga, mitibus æmula monstrat,
Ac tenebris proprio gladiis pellenda sacello.
Interior templi quæ respiciebat Eoum
Janua dote gravis, solido cooperta metallo,
Ponderis eximii, bis denis mota ministris
Quæ claudebatur vix impellentibus æra,
D Conatu summo patefacta, recluditur ultro,
Vectibus atque seris ferri penetrantibus alte
Dum munita foret medio sub tempore noctis.
Postque diem festum parvo volvente dierum
Curriculo, noctu, nondum cedentibus umbris,

Per cœlum currus equitesque volare videntur :
Nubibus armatæ sese immiscere cohortes,
Agminibus subitis circumdare in aere muros,
Festo etiam dicto de quinquaginta diebus
More sacerdotes solito caligine noctis
Dum templum introeunt, strepitus sensere sonantes ;
Mox etiam subito voces hausere profantes
Terribili crepitu : « Migremus sedibus istis. »
Festo post alio virides habitare tabernas
Cum solitum genus hoc hominum, quidam ecce repente
Rusticus exclamat turbans in pace quietos :
« Solis ab egressu vox, vox a limite solis,
Vox a quadrifido ventorum turbinis ortu !
Vox supra Solymam, vox supra mœnia templi ;
Vox supra sponsos, sponsasque, superque popellum. »
Ante annum belli quartum qui nocte dieque
Sedulus has omnes peragrat cum voce plateas,
Omnia primates indigne infausta ferentes
Correptum juvenem multa vibice flagellant,
Ille nihil pro se reddens, has edere voces
Non cessat, quem Romani vi numinis actum
Cernentes, subigunt censori : attritus ab ipso
Verbere crudeli, flagris sulcatur ad ossa ;
Nec lacrymas fudit precibusque serena rogavit ;
Quin voces ipsas per singula verbera promens,
Adjungit : « Væ ! væ Solymæ ! » plangore misello.
Hunc virtute sua mittens curare, furentem
Ilicet insequitur plebes scelerata furendo.
Appliciti sacris capiunt nam famina libris
Ortum gente sua, rex qui imperet orbi ;
Quod dum despiciunt concessum credere Christo,
Sequo legunt fieri auctores tam regminis alti,
Unde vocabantur veram comprendere vitam,
Irde ruunt dignæque petunt vestigia mortis.
Ac dominos contra quorum munimine tuti
Esse videbantur furiis coguntur in enses,
Et qui cœlestem Dominum impugnasse probantur
Terrigenas dominos simul expugnare laborant.
Unde modis variis, cœloque soloque petuntur,
Sed signis prius ostensis quis saxea possent
Deposito tandem mollescere corda rigore :
Durior at saxis propere tradenda supremis
Incorrecta molis dirorum mens fera mansit.
Christi autem famuli Solymæ qui tempus in ipsum
Restituerant moniti, a Domino responsa receptant
Egressi mox urbe rea, Jordanis et undis
Transmissis, castro secedunt Pella vocato.
Eductis sævo mortis discrimine sanctis,
Undique multa premunt sceleratam cladibus urbem
Igne, fame, gladio, latronibus, obsidione :
Omnia jam cujus pariter peritura videntur
Inclyta cum templo quod et exsecratio fœda
Pollueret, sacris olim prædicta prophetis
Patres cum genitis, uxores cumque maritis
Dispereunt sine fine, mali discretio nulla,
Parvis ac senibus, pueris miseratio nulla,
Nulla senectuti : numerum superaverat orcus.

Romanis siquidem turmis quassantibus urbem
Non magis exterius quam grassatoribus intus
Interimebantur, quibus urbs addicta labescit ;
Nec minus hos magis exterius quam pressit suorum,
Qui victus usquam si quid residere repertum
Actutum, invadunt properant rapere vel armis.
Si qui usquam reliqui locupletes forte videntur,
Crimine transfugii confecto, morte premuntur.
Incessitque nimis simul ac temeraria turba
Scrutantesque domos, abscondita farra capessunt,
Custodesque necant, quasi reperire negatur.
Inventos tamen excruciant quasi condita servent,
Indiciumque cibi capiunt quia vivere cernunt,
Quos, alimenta nisi tegerent, periisse retractant.
Jam marcore famis quos extabescere visunt,
Temnunt hos nimio perituros ense ferire.
Multi secretis sese penetralibus addunt
Omnis cum proprio superantis pignore victus
Quidam etiam crudas gaudent absumere fruges :
Ignibus abripiunt alii male tosta vorantes.
Nec tamen hæc tuti bello interiore carentes,
Mutua dum modicæ sibimet retinacula vitæ
Usque adimunt patribus geniti, genitisque parentes :
Arrosus subito rapitur cibus ore paterno,
Morsibus attritæ gnatorum dentibus escæ.
Sed neque prædones istos edisse latebat
Indicio sumpto, mox ostia clausa videntes,
Præcipitesque ruunt, revocantque a faucibus escas
Verberibusque senes subigunt, matresque prehensas
Passo crine trahunt, hærentes panis ofellæ :
Elidunt pueros nulli miseratio fertur
Quos vero absumpsisse cibos sentiscere quibant
Hos contra truciore via sævire juvabat :
Namque verecundas obturant obice portas,
Secessusque alvi sudibus terebrantur acutis,
Ut panem miseris promant ciathumque farinæ.
Dispereunt cives, superant prædonibus escæ ;
Esuriensque miser saturo tortore necatus :
Et merito positi summo in discrimine lethi
Latrones tolerant qui delegere latronem (152).
Ereptant aliqui frutices, herbasque legendo
Occurrunt queis hostiles fugisse catenas
Contigerat ; fomenta manu collecta revellunt,
Nil adjurati reddunt pro munere summo :
Id reputant miseros impune ut pergere mittant,
Inque fuga ne forte locus queat esse salutis,
Inveniunt hostes nummos sub tegmine quosdam
Deportare, aliquot aurum glutisse prehendunt
Obtruncant igitur progressos mœnibus omnes
Parcitur haud ulli, loculus dum creditur auri.
Ast ubi perfugis restat spes nulla salutis,
Intra septa fames excrescens cuncta tenebat,
Omnem devastans urbem, viventia sternens,
Fusa jacent imis penetralibus abdita claustris
Feminei sexus simul et puerilia membra,
In mediisque fame seniorum absumpta plateis :
At juvenes omnisque virum robustior ætas
Ut simulacra viis pallentes omnibus errant :

(152) Barabbam scilicet,

Et quocunque loci gressum sibi pestis adeunt
Clade ruunt, quorum sepelire cadavera morbus
Ac numerus prohibent. Quidam super antra sepulcri
Emittunt animas, alios sepelire parantes.
Exspirant alii tantis (?), tantos dum tenera ducunt,
Nec tumulis alios dant, nec tumulantur ab ullo.
Nec de morte sonat planctus, nam vindicat omne
Jus sibi perniciès oculis quoque dempsit humores.
Subdiderant urbem jam vasta silentia totam,
Atque loci faciem mortis contexerat umbra;
Sola viget gravior poenis manus omnibus istis
Prædonum, post cuncta etiam spoliare sepulcra
Qui leitum durant, gladiisque cadavera truncant;
Spirantes perimunt, solosque ferire recusant,
Semineces leguis perniciosos poscere dextras,
Optantesque valent supremo fenore ferrum.
Fetore a cum jam nequeunt tolerare ægrorum (153),
Communi mandant terræ dare corpora sumptu
(154) Viscere mox surgit morientum copia sumptum.
Corpora præcipitant muris, valli antra replentur
Circumiens Titus, cernensque cadavere ductum
Circulum appleri fossam, taboque rigari
Humano terram, gemitus cum voce tetendit
Ad cœlum palmas, testem vocat astra sedentem;
Non opus esse suum, multa non extremæ in istis
Omnia ferialis rabies suadebat in escam:
Hæc etiam quorum multis animalibus esum
Vescendi removens habitum natura negavit,
Mandere eos, mores superans, fortuna coegi
Nec loris tandem, cingulis, vel calceamentis
Abstinuere, fores equidem velamine tendant,
Dentibus hi subegant feni stramenta vetusti;
Ore terunt quidam vaccæ mucimine ventris;
Sordida quisquilias etiam spargamina vendunt.
Insuper, horrendum dictu! reprobabile cunctis,
Admissum facinus cœlis, colubrisque ferisque.

Infandis mulier partus ut membra voraret,
Viscera visceribus propriis et propria condens
His attrita malis tandem capitur scelerata.
Urbs, flammisque datur pœnis ultricibus acta
Quique salutarem Dominum Vatemque crucifigi
Præsumpsere manu, Paschæ dum festa teruntur,
Carcere ceu quodam ultrici virtute coacti,
Regno omni, pereunt Paschæ dum festa coluntur
Tricies illorum perhibent centena fuisse
Millia, quorum absumpsit fame gladioque furentum
Undecies centum miserorum millia tradunt
Hinc possessores alterna cæde necantur.
Electi juvenes currum stipare triumphi
Ducuntur patris et geniti, qui vindice cœlo
Tempores Patris et Geniti stravere profanos
Nec reperitur ad id tempus decus usque triumphi
Nobile, tum pater et gnatus simul urbe recepti
Sunt usque triumphantis gestamine currus,
Christi ut vindictæ decus hoc ornetur honore.
Judæi, variis tum conditionibus acti,
Subduntur: reliqui multi servire metallis
Addicti, rictus aut saturare ferarum,
Nonnulli gladiatorum munere periere:
Venduntur plures, pueri inberbesque, vel omnes
Octavus decimus quos non exceperat annus
Diversisque relegati regionibus orbis
Omnibus ostendunt populis quam magne pianti
Pondera culparum pariter meruisset ut omnis
Exstingui populus, gens et tam magna perire;
Reliquiæ vendi, mundi per climata spargi.
Angelico denique carens tutamine templum
Polluitur, quatitur, vastatur et igne crematur.
Sermo Dei super hoc dictus completur et omnis
Divino Dominus Jesus quem flamine prompsit
Dum sceleris merito perituram plangeret urbem:
Ecclesia Christi clare rutilante, tenebræ
Tolluntur templique vetus depellitur umbra.

CAPUT II.

De restauratione templi cassata.

Defuge quod Christi Julianus apostata priscam
Restitui indigenis longo post tempore mandat
In speciem, solito Judæis more colendam.
Accelerarunt illi cunctis regionibus acti,
Ceu doctarentur divo præcone vocati,
Conveniunt, temploque locum excipere parando.
Sumptus eis vires privatus, publicus usum,
Accumulat, geritur properandi instantia cœpti
Insultare igitur nostros, ceu tempora regni
Reddita sustulerint; verbis terrere minaci,
Promere sævitiam, tumidum ostentare furorem,
Cunctaque cum fastu in nostros agitare superbo
Jam fundamentis patefactis terra vacabat,
Sponte replens fossas, et erant tamen omnia præsto,
Saxa, bases, gypsum, calces, cæmenta, columnæ;
Nil deerat, poterent nova fundamenta, vetustis
Quin deturbatis, quum sit lex nata referre),
Præsule tunc Solymæ licet obnitente Cyrillo
Qui Danielis, homo ut prudens, oracula rimans,
Verborum memor Domini, non id potis esse
Testatur lapidi ut lapis hic aptetur ab ipsis
Utque probaretur res, exspectatio facta
Nox operis spatium captandi sola trahebat,
En subito exoritur motæ concussio terræ.
Jactantur procul hinc lapides, fundamina late
Sparguntur rapidoque ruunt sita mœnia lapsu:
Dissiliunt cæmenta, volantque per aera calces
Porticibus patulis recubabat multa fabrorum
Turba profanorum, sua condere fana parantium.
Parietibus lapsis quos attrivere ruina.
At reliqui mortem qui se effugisse putabant,
Quæsitum properant, orta jam luce, peremptos.
Interius latitans secreta domuncula quædam
Instrumenta operi servabat commoda sumpto.
Ex hac progrediens globus igneus, atque plateam
Percurrens, quæsitores elaudit silentus

(153) Id est mortuorum, a ... enim a ...

(154) Cod. Marc. ... habet ... sumptu.

Judæos bivos esse palam sors ultima fecit
Hoc iterum repetens, iterumque hoc, atque fre-
[quenter
Per totam globus ille diem ferventius urget,
Audacis populi temeraria cœpta coercens.
Ingenti domum perhibent, formidine vecti,
Inviti Christum verum, Dominumque, Deumque.
Et ne forte dato tractent hæc edita casu,
Stemma crucis cœlo radians rutilante renidet,
A Exuviis infidorum quoque nocte sequenti
Crux expressa patet, muro inculcata nigello,
Perfidus enisu probet ut non posse repelli.
Tandem horum fultrixque manus sic territa cedit
Dignius ipsa tuens antiquis cultibus isti
Signa crucis, Christique novum rutilare triumphum
Urbe salutifera, lumen quæ gentibus offert.
Inde nitore jugi mundi per regna coruscans.

CAPUT III.

De abductione et relatione sanctæ crucis.

Quamvis huc quondam, sceleris cogente reatu
Persarum ductor, dum circumquaque jacentes
Proterit ense plagas, crudele induxerit agmen,
Templa solo sternens, loca cædibus alma profanans :
Ornamenta ferens cum quis vexilla beatæ
Prædatus crucis, adducit, rutiloque metalli
Luce throno sociat. Mentitus jura Tonantis
Sceptra indigna parat, modico deus æthere visus,
Strenuus at princeps Romani militis, usus
Vi belli, fultusque Dei tutamine veri,
Agmina semiviri frangit, penetralia rumpit,
Inclusum ære deum mortalem cæde recludit.
Addictos subigit cuneos ac diva reducit
B Signa, dato cujus gaudet virtute tropæo,
Et Solymam revehit, Cœlis divina patrantur.
Prisca novis reparata nitent miracula votis
Mortuus ad vitam vitæ per ligna recurrit.
Quattuor assiliunt, longo languore soluti.
Purgati numero leprosi corpora pleno
Munda notant, ter quinque vident magnolla cæci :
Dæmones expulsi numerosa habitacula linquunt
Pluribus et plures morbi fugere relictis,
Romulidum exsultat ductor largasque profundit
Pronus opes, fabricis reparans sacraria dignis.
Exhortansque patres, decernit agenda quotannis
Festa crncis, celebresque dein veneramur honores,

CAPUT IV.

De tabella imaginis Christi.

Gens inimica tamen cæcis garrire susurris
Haudquaquam in devictorum superata quiescit.
Quos delictum oris sternique superbia cordis,
Quomodo dum nequeunt Christo, sibi spicula figunt,
Ac vetus ostentant odium æternumque furorem :
Quis licet indiciis atri sævire veneni
Æmolus inviso semper novus hostis honore
Flammmatur, quærit quanam furere arte sinatur.
Tabescit decore Ecclesiæ livetque nitore,
Sic horum quidam tabulam effigiata gerentem
Ora Redemptoris, digna splendere nitela
Mœnibus aspiciens aulæ, diro uritur igne,
Nigra venena coquens, properansque furore silenti
Clam nocte armatus petit illita schemata telo;
C Parjete deverrens titulum, quem vestis opertum
Tegmine ferre domum præsumit et urere tractat.
Lumine at applicito, madidum se sanguine cernens,
Stigmate diffuso, præ quo terebrata tabella
Furta pavens abicit, vitat latebrisque recondit;
Territus ostento fugitat, tractare nec audet.
Mane Dei populus subiens penetralia cernit
Ædis abesse decus, vestigiaque acta cruore
Deprendens sequitur, furisque mapalia nactus
Intima sollicite tugurii scrutatur opaci :
Cella monile refert, caute discussa negantis,
Grassatore fero saxorum nube petito
Redditur ecclesiæ celebris titulatio famæ.

CAPUT V.

De parvulis ab Herode necatis.

Ephrata carpophoros, tellus uberrima, salve.
Salve, fertilitas cujus Deus, inclyta Bethlem,
Laude tua dignare rudem, præconibus impar
Non modo qui magnis, puero quin cernor iniquus.
Sophronio nec adhuc pollenti strage Serapis.
In te rege poli nato, terrestria regna
Terrentur, celebri cœlestia luce coruscant.
Cœlicolæ gaudent, hostilia regna pavescunt.
Cœli pace piis missa, fera corda tremiscunt,
Et pacem turbare parant non pacis amici.
Herodes illum succedere posse veretur,
Qui cunctis prior est populis et regibus orbis.
Omnia perpetuo disponens culmina nutu.
Compertoque tibi magno qui rex siet arto,
D Perdere sceptra timens, cœli ardet perdere regem ;
Æquævosque necat, ratus hunc simul arte ne-
[candum,
In te jam nullo cunis infaute relicto.
Attamen ante venit nisus sapientia summa
Hostemque afficiens, alter dum volvitur annus.
Ulcere petifero, meritis cruciamine digno
Exstinguit, sumptæque patrat mysteria carnis
Ante statum mundi quæ præfiniverat olim.
Istorum sed quis numerum censere valebit.
Quorum tunc maduit Bethlemitica terra cruore,
Funere nascentis complent qui munia regis,
Libantes Christo teneræ primordia vitæ.
Ipsius haud verbis facti sed sanguine testes,

Quos amiserunt lugentia pectora matrum
Ac susceperunt lætantia regna polorum
A Et qui non norant animas cui morte dicarent,
Hunc modo perpetui cernunt Agnumque sequuntur.

CAPUT VI.

De sancto Georgio monacho.

Asseritur monachus hac urbe Georgius ortus,
Egenis se miro cohibens abstemius arcto,
Corduba quem Solymis egressum ad dogmata sumpsit;
Nobilibusque auctum sociis terrena prementem
Atque diu optatum vidit captare triumphum.

CAPUT VII.

De sancto Hieronymo.

Hac tellure pios constat splendescere plures
Sanctorum, volens terras quas sanctas adire,
Huc se Hieronymus mœstorum contulit amans,
Eusebio patre, Stridonis qui mœnibus ortus,
Dalmatiæque et Pannoniæ qua finis utrique,
Romulea Christi vestem suscepit in urbe:
Grammaticus doctus Græcis hic atque Latinis.
Inde sequens monachi cultum normamque probati
Presbyter effectus, laudatur præsul dignus.
Mox illi insidiæ quo pro livore parantur
Maxime multorum solitus quod pungere culpas
Scribendo, scelerum ea vitiorum pandere furta.
At vitans in se furias incendere, cedit;
Sicque domum linquens, cognatos atque parentes,
Egressus Roma, Solymam dum pergit ad urbem,
Nec carere nequit cultæ sale bibliothecæ,
Rhetorico vigil hanc nimioque ardore volutans,
Tullius hinc placet, assidua quem mente retractat.
C Illecebris mensæ captus dum luditur hujus
Peste salutifera febriumque invaditur æstu.
Concutitur torpente gelu et rabido uritur igne,
Cum subito raptus, perducitur ante tribunal
Judicis, immenso radians ubi lumine fulgor
Astantumque nitor prostrati dempserat ausum.
Vixque oculis aciem superne sustollere sedit,
Christicolam memorat, rogitatus conditionem,
Mentiris quæsitor ait: « Ciceronis alumnus,
Non Christi es, cor ubi tuus et thesaurus habetur. »
Deficit his memorique magis consumitur actu
Quam rigido cœli fuerat quo verbera jussus.
Inter flagra tamen « Domine, miserere, serebat. »
Hæc ubi vox tristi testum plangore crepabat,
D Tandem assistentes genibus se advolvere summi
Censoris, veniam orantes juvenilibus annis,
Digna pati edentes post si pagana requiret.
Concessum jura, jurareque summa paratus
Mittitur atque sub hac sibi conditione reversus,
Perfusos lacrymis oculos, mirante tumultu,
Evigilans aperit, somnum si dicere fas est.
Verbere quo tritus duro sensisse dolores
Testatur, passus, scapulis quoque livor inustis.
Hinc tanto divina legit pietatis amore,
Quanto non studio mortalia legerat ante.
His refici fervens, subiit Byzantia tecta
Gregorii Nazanzeni, tunc dogmate clara.
Cui se ceu docilis supplex summisit alumnus;
Scripturæque sacræ dapibus satiatus ab ipso,
Hinc Syriam lætus desertaque rura petivit,
Simplicis evectus pennis ad celsa columbæ
B Mollibus, elongatus sequitur loca sole perusta,
Ni summis socium monachis, frustrata colonis
Quattuor hac annis vasta regione peractis,
Ut prudens animal, Christi ad præsepe recurrit,
Et se mansurum Domini ad cunabula legit
Hic orans, meditans, precibus studiisque vacabat,
Jejunansque diem noctis ducebat ad ortum.
Illicet huc multi fama ductantur ad ipsum
Indolis egregiæ juvenes sanctique sodales;
Jamque adventantum comitumque frequentia cellam
Hospitibusque locum capiendis edere cogit.
Discipuli casti nam relligionis amore
Hunc adeunt Patrem, jussis servire parati;
Cujus dilectam sibimet sapientia sedem
Struxerat in laribus, ceu Bibliothecæ revelat
C Quam summo excoluit studio magnoque labore:
Expediet qui enim quonam molimine linguam
Hebraicam didicit, Chaldæaque verba prehendit;
Nisibus hæc quantis vel quo sudore pararit:
Quantaque sustinuit quotis desperat et audet,
Postquam cessarat, reducem renovare palæstram:
Corporis ut domuit motus, incendia fugit;
Ut levis ætatis juveniles vicerit æstus,
Armatusque fide, fidensque juvamine Christi,
Hebrææ canonem Scripturæ vertere nostrum
Nisus in eloquium, quo vina recentia prelo
Mox educta suo, proprium servare saporem
Jam sine labe queant, perpuræ tradita testæ.
Luce prophetali Romana volumina lustrat
Commentatus et hæc dictis, fere cuncta resolvit
D Præterea multis procudit opuscula multa,
Exhortans solusque pios reprobansque malignos;
Abdita discutiens, sanctorum gesta retexens:
Historiæ Chronicon scriptorum nomina pandens:
Catholicos armans, debellans falsa sequentes.
Sex datus his studiis et quinquaginta per annos,
Consevit rationis humo sacra semina verbi.
Jamque fatigato marcent dum corpore vires,
Spiritus invictæ diffundit robore menti;
Utque monasterii valeat disponere jura,
Funiculo trabe suspenso diffessa resurgit
Sollicitus senior stratis attollere membra
Tandem accepta Deo linquens retinacula carnis
Septembri octavo, post nonaginta, capitam
Obtinuit requiem, frugem fructumque laboris.

Inde petens cælos, petiit qua lux mera terras ;
Quaque pius Dominus humilis descendit ad ima,
A Inde bonus servus cælum conscendit ad alta

CAPUT VIII

De sancta Paula (155).

Hieronymi certus Paulæ Eustochiove tenetur
Scriptorum haudquaquam numerus, nam plurima [constant
Istius. Hic Paulæ vitam depromit et actus.
Nobilis hæc genere, sed nobilior probitate ;
Divite clara penu, sed egens præclarior ultro
Posthabuit Romam Bethlem; laquearia gemmis
Fulgida dejecti mutavit cespite tecti.
Quam genuere pater sumens Agamemnone magno
Progeniem, stravit longo qui Pergama bello,
Stemmata Scipiadum ducens ab origine mater :
Toxotio conjuncta viro, qui sanguis Iuli,
Fœdere connubii quino quem pignore compsit.
Hunc ita defunctum dolet, ut ut prope facta sequatur
Libera, sed pacto vinclisque exempta jugalis,
Hic se servitio Christi devinxit, ut ipsa
Funera carnalis reputes optasse mariti.
Dumque expendit opes, adimens patrimonia gnatis,
Quos tamen attollit, locupletans munere divo,
Pauperibus tota succurrere dum studet urbe,
Pontifices celsos meruit spectare ministrans,
Urbis ad Antiochi Paulinum nomine dictæ,
Sanctum et Epiphanium Salaminæ, hoc hospite [digna,
Jussio quos Romam tunc imperialis adegit.
Quorum accensa piis animum virtutibus ardens,
Visere vult eremum, meditatur linquere Romam.
Jam genitos, famulos possessaque mente revellens,
Cogita omnimodis mundi se absolvere vinclis.
Frigora post tandem, dum fit mare navibus aptum,
Præsulibus proprias sedes repetentibus, almo
Prosequitur voto, charis cum fratre propinquis
Insuper ad portum gnatis comitantibus ipsam,
Qui pietate piam certantes vincere matrem.
Quos superat pietate Dei famulamque probando
Se Christi, nescit carnalia fenora ventris.
Carbasa complerant venti puppimque ferebat
Impetus alarum, pernicis rertio lintris,
Parvus Toxotius, palmas in littore tendens,
Fletibus et Rufina madens retinere laborant
Viscera temnentem terrena, superna petentem
Culmina, lege Dei naturæ jura negantem.
His sed opes linquens onerat jam libera pergit
Eustochio contenta sua, quæ consola tanti
Et comes incœpti, votis accendia [illegible],
Exposita solo permulcet pectora matris
Interea cursu celeri ratis æquora findens
Appulit exsilium Domitillæ ubi Flavia passa
B Cujus martyrii cellas venerata [illegible]
Læta salum segnis properantia cuncta videntur,
Adriacisque undis, inter Scyllam atque Charybdim,
Se credens subit ut per mitia stagna Methonem
Hic refovens pelago tabentia membra reflexo ;
Moxque inter Maleam volitans interque Cytheram
Cycladas et crebris sulcat freta consita terris.
Postqus Rhodum et Lyciam Cypri divertit in oras,
Sanctus Epiphanius genibus se forte petentem
Hanc cernens, Christi ut membrum sublime rece- [pit :
Lustratisque monasteriis solatia præstans.
Illa brevi spatio spectatur ab urbe Seleuci.
Antiochi scandens et ab hac ita mœnia visit.
Hic quoque Paulini modicum dilectio sancta
C Detinet hanc : hyemis, fidei fervore calente,
Sed medio non mittit iter, quin pergit asello,
Dura sedens, lenis quam olim lectica vehebat.
Transgreditur Syriæ Cœles, Phœnicis et arva
Tum Beritho, veterique means Sidone relicta.
Eliæ turrim, quæ littore parva Sareptæ
Permanet, ingreditur, Dominum virtutis adorans
Hospitis hic viduæ, per quem de morte levatur
Cœlicolæ vatis precibus dudum unica proles.
Perque Tyri gradiens Pauli doctoris arenas
Defixis sacras genibus, perducitur Acho [Acco],
Nomine mutato quam nunc Ptolemaida dicunt.
Sanguine Josiæ sic permadefacta Mageddo
Rura, Palæstinos gaudens pertransit in agros,
Urbis Dor quondam celebris mirata ruinas,
Quæ post Stratonis renitet cognomine turris.
D Hanc prior Herodes Augusti Cæsaris auget
Culmine, Cæsaream Ramano a principe dictam.

CAPUT IX.

De sancto Cornelio centurione.

In qua sollicite scrutans loca Paula sacrata
Repperit ecclesiam Christi, Cornelius olim
Ædem quam coluit privato jure manendi,
Luce Dei dignus necdum baptismate lotus,
Cœlite teste, preces cujus referuntur ad aures
Ascendisse Dei, miseratio gratia subisse
Ante thronum Domini, sublectæ præstita plebi.
At patet acceptor judex non esse supernus
Personarum inter nihil atque salute direptum
Hebraicam nostramve fidem pietate nitentem,
Gentibus et cunctis reserari limina cœli,
Vimque pati donoque Dei violenter adiri.
Nulla dabantur huic miracula, semina vitæ
Nulla serebantur terrenæ aspergine linguæ ;
Aspirante tamen Christo, cui corda beare
Jus manet, orat ait dignus habeatur ut astris ;
Accersit monitus doctorem, dogmata quærit,
Sacro fonte carens, jam purificatus haberi

(155) Vide S. Hieronymi epistolam 108, ad Eustochium

Funditur, accipiens superi charismata doni;
Spiritus hunc implens cum dignum munere monstrat,
Cui sumptum ire parum vitæ sic munera ...;
At venit alterius clarus invitat amicos
Participesque sui plures studet addere doni,
Officii præbens præsagia clara futuri
Atque viam, nec adhuc ductus, doctoris adeptans,
Seque caput Petro sanctum ... lavacrum,
Ordine mutato, post pugnam Flammis alui;

A Dumque pia plebem monitis hortatur ubicunque
Multiplicare pasci, de auctoritate sacerdos
Efficitur, remansque datus hac præsul in urbe,
Qua perplures rapit animarum augmenta parando
Provexit, vitaque in fine quievit.
Fanova conscensu ... non parva caterve;
Unde sui nomen quoque præsulis digna laboris
... præmia ... sortitur honorem.

CAPUT X.

De sancto Philippo diacono.

Sedentes istic perinstrat Paulo Philippi
Levitæ, ex septem qui munia clara sacrorum
Cum Stephano carpere, aris, qua lege minister
Editus, æterni non cessat semina verbi
Spargere per populos, et oves ad ovile vocare,
Plurima signa gerens, vividam luce coruscans,
Dæmonas expellens, paralytica corpora curans,
Restituens gressum claudis et lumina cæcis.
Ille Samariæ ... Simon ...
..., monuit, Simonemque veneno fugavit.
Angelico ductu præmonitus, ... pergit ad austrum,
Æthiopemque tuens eunuchum sacra legentem,
Divino monitu carpendo ... atque
Sollicito studio ... aperitio legis
Dum veteres ... aquæ, fons panditur ortus
Esse novus potu quo postera ... rigantur;
Mutavitque atram, tinctus baptismate, pellem
Hic niger eunuchus gentilia corda figurans.
Bethsura est vicus Solymis qua pergitur Hebron
B In quo fons cujus ... elutus undis
Candida perfecte meruit consortia vitæ.
Spiritus abripiens alias transferre Philippum
Destinat, Azotis reliquitque, ubi verba salutis
Disserit ... urbem dum transit ad istam
Ædificans in qua mentes requievit, et ejus
Tres juxta genitæ, cum virginitatis honore
Sortitæ tumulos; Ephesina quarta residet;
Spiritu ipse propheticæ quas munere sanctus
Implens, illecebris diri servavit ab anguis
Ætherisque choris cœli super astra jugavit.

CAPUT XI.

De sancto Procopio.

Urbem hanc Procopius legitur decorasse triumpho,
Scythopoli prius ornata verbo atque vigore;
Nocte dieque Deo qui stat dans cultibus almis,
Viscera ... parito,
Corda saginabat dapibus replendo supernis
Insuper internos interna externaque bella
Adverso vibrans hostes superabat abactos.
Hoc quoque ductus primo ad responsa fidelis,
Fortis, et inventus sapiens, constansque probatus,
C Iratoque probis Fabiano judice dictis,
Mucronem excipiens certamina fine venustat.

CAPUT XII.

De Prisco, Malcho et Alexandro.

Præterea celebres hic consummasse triumphos
Athletæ fortes pretiosa morte leguntur.
Quorum tres valida juvenes virtute nitentes,
Priscus, Malchus, Alexander, simul urbe sub ista
Degentes quadam vitæ ruralis ...
Intenti studiis, dum tempore Valeriani
Istic conspiciunt fidei certamina pugnas,
Divino accensi pariter virtutis amore,
Turpes segnitie sese carpere notant;
Quod cum cœlestes caperentur in Urbe coronæ,
Ipsi non caperent, irent, peterent reperentque,
Ignavam sed humi gererent torpore quietem:
Digna Deus ... superna.
Arma quibus ... verbis, proruunt in Urbem
Approperant ... et adorto judice crudum
Incusant rigide quod sanguine sæviat almo.
Actutum mentis quam digna ... respondens
« Subjicitote feris, inquit; quibus haud placet istud
Profluat ut nostro sanguis mucrone piorum; »
Rictibus horrendis mox allegantur edendi
Abrahæque sinu correpti ex ore ferarum
D Perpetuas prompta merantur morte coronas.

CAPUT XIII.

De sancto Marino.

Quidam erat hic opibus pollens et honore, Marinus
Nomine, militiæ splendens insignibus, atque
Prosapia clarus, Solymorum e civibus unus.
Militiæ dum luce gradus hunc debitus ordo
... adit, invidiæ stimulus petit ecce sodalem
Exclamatque gradum hunc non posse subire Marinum
Invisa Christi qui religione premantur.
Quæsitus ... sit a quæstore Marinus
Illico Christicolam viva se voce fatetur.
Christi se vere famulum legibus edens
Conceduntur ei tres quis deliberet horæ,
Dis libare velit, perimat vocamine Christi.

Protinus egressum Teotignus episcopus armans,
Ducit in ecclesiam, fidei sermonibus auget,
Tandemque attollens, altaris ad intima transfert;
Quo præcinctus erat gladium proponit, et offert
Inde Evangelium, rogitans quid mallet eorum
Cumque manum prompte divina ad jura tulisset,
Præsul ait: « Quod cœpisti jam perfice, fili:
Vitam contemnens fragilem, sperato manentem;
Pergito confidens, oblatam prende coronam,
Qua redimire pium Dominus caput eligit altus »
Regrediens [illegible], repetit præcone tribunal
Instante, dicto sibi tempore, silens, recurrens
Nec [illegible] moras sibi præsidis reddat;
Verba sed exprimens certo se robore fixum
Non cogitatos, sed confirmatum esse paterna
Lege, Dei putans hominis quam jussa timenda.
Sic plecti jugulo tali pro famine jussus,
Majoris super astra gradum mox sumit honoris,

CAPUT XIV.

De sancto Asterio.

Asterius quidam præsens erat, urbis alumnus
Romæ, patricius, natu, splendore senator,
Ornatus meritis, opibus feliciter utens,
Nobilitate vigens, regali stemmate pollens,
At super hæc fidei Christi præcelsus amore.
Is prætaxati dum martyris astat agoni,
Excipit et cæsum gladio, attollitque verenter
Subjectis humeris, substrata et veste, cadaver
Testis et exsequiis quem dat, mox captat honorem.
Traditur hic multis aliis quoque fulgidus actis,
E quibus id per eum tradunt memorabile gestum,
Paneadam quam Phœnices antiquitus urbem
Dicunt, Cæsaream nostri dixere Philippi;
Panius hanc prope mons, cujus radicibus ortus
Jordanis gemino asseritur procedere fonte:
Moris erat mactaretur quo victima certo
Solemnique die fatuis a gentibus illic
Dæmonicæ, fuco quæ fraudis adempta dolosæ,
Vanescens, oculis nusquam parere solebat,
Famaque suadebat præsentibus, hostia celsi
Quod mirabiliter peteret penetralia cœli:
Contigit Asterium, quondam deceptio talis
Dum geritur, casu præsentem astare profanis
Præstringique videns stupidas phantasmate mentes,
Erroresque dolens hominum, miseratus et orans
Ingemit, atque oculos cœlis palmasque repandens,
Invocat interno Dominum clamore potentem,
Integraque fide poscit, lacrymisque profusis
Flagitat, antiqui fallaces arguat artes
Serpentis, miseris removens mortalibus hujus
Præstigit nebulas, arcanaque monstra revelans,
Hæc rogitante piis precibus cum fletibus almo,
Ecce superferri subito depromitur anguis,
Victima divinis sublata putata rapinis
Reddita, cunctorum fluvii conspectibus imo,
Sic fidei prece Christicolæ resoluto fatiscit
Ætatum falsi tantarum machina ludi,
Ut non hisce locis reparari quiverit error
Amplius, hic clari patefacto lumine veri.

CAPUT XV.

De statua Salvatoris.

Paneadæ civis mulier deprenditur hujus,
Fimbria quam Domini contacta cruore levavit.
Ædis pro foribus, cujus basis ærea, fixa
Constiterat muliebris habens figmenta figuræ
Femina, ceu palmas tendens genibusque voluta.
Altera salvificis statuam basis ære gerebat
Compta stola, dextram quasi pergeret (pro porrige-
[ret) auxiliando.
Hanc secus erumpens humi innascier herba
Crescere ad erasæ consueta lacinia vestis,
Quæ mox frondentis tetigisset vertice coni,
Pellendos robur morbos capiebat ad omnes,
Nil virtutis habens sacra nisi tacta lacerna.
Perfidus hanc cernu taurus qui obsistere ruptis
Irruerat domino loris, petit, impete vertit,
Figmentique furens proprii simulacra reponit,
Cœlitus affulso teritur quod fulmine truncum
Atque notat jugulo divini vindicis ictum.

CAPUT XVI.

De sancto Pamphilo.

Floruit hic clarus venerando Pamphilus actu
Martyr, presbyterum dignum quem laude sacravit
Agapius præsul, hujus largissimus urbis
Erga inopes, et eis devinctus amore paterno;
Inque gubernando Ecclesiam solertia cujus
Pervigil experta est, multoque labore probata.
Hic in episcopii Theotignum jura secutus
Fulsit, id officii quam laudabiliter explens.
Pamphilus excalpsit quæ sacra volumina martyr
Hieronymo Crœsi gazis potiora feruntur
Signa manus recolens, vestigia sanguinis edens
Articulis sanctus propriis quæ martyr ararat,
Qui plenus fidei, divini plenus amoris
Regna triumphavit feralia Maximiani,
Eusebius fastos cujus edere libris
Quis quantus fuerit studuit, simul unde oriundus
A puero veram doctrinam, prælia, palmas,
Quantaque pertulerit, quos desudarit agones,
Ut quoque percepit hoc dignus honore coronam

CAPUT XVII

De Eusebii scriptura.

Martyr hic adjutor sacrorum in luce librorum
Haud alter Eusebio, Scriptura quem vocat ipse
Hieronymus clarum, testamentique perennis
Custodem, memorans quamplurima, quoque revel-
[illegible]
A Ex infinitis [illegible], sed præclara feruntur
Historia Ecclesiæ, Canones Evangelistarum,
Omnimodæ Chronicon, gestis clarissima, cujus
Doctrinæ atque fidei [illegible] probitate renidet.

CAPUT XVIII

De Theophilo, Acacio et Gelasio. — Reliqua itineris Paulæ.

Theophilus præsul hic lumine claruit almo,
Dogmate pontificum [illegible] Præsulis celebris.
Hic etiam [illegible] Antistes Acacius urbe,
Expositis fidei Salomonis dogmata lustrat;
Præterea multa Ecclesiam quoque laude venustat.
Qui post Liberio Felicem [illegible] cernunt
Gelasius, post Euzoium [illegible] fertur honeste
Hic vigilasse [illegible] parva sed [illegible] dextra.

Postquam Cæsareæ lustravit sacraria gaudet
Paula, per Antipatri dictum de nomine castrum
[illegible] gradiens, Lyddam, Diospolis olim
Quæ fertur Graio, [illegible]
[illegible]
Haud procul hinc Arimathæam [illegible] Joseph.
[illegible] Dominum [illegible] sepulcro,
Inde sacerdotum Nobem (Nobam) conscendit in urbem
Post occasum [illegible] (150).
Hinc Joppem portum petiit fugientis Ionæ;
Inde viam repetens celeris divertit in Emmaus,
Quæ nunc Nicopolis, Dominus qua fragmine panis
Agnitus est illis quorum [illegible] vera
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Inclytus hinc Cleophas, cujus [illegible]
Hospitio digna domus Domino, [illegible] in ipsa,
Judæos Christi [illegible] ;
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Nicopoli egrediens Bethoron conscendit utramque
Paula, urbes regis Salomonis [illegible],
Sed dudum [illegible] bellorum turbine [illegible] ;
A dextra Gabaona [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Hinc urbem [illegible]
Ingreditur Jerusalem, [illegible]
[illegible] Helenæ [illegible]
Adiabenorum, [illegible]
[illegible]
Hospitio Paulæ [illegible] feruntur,

Parva sed admittit vitantem culmina cella.
[illegible] Christi [illegible] triumphis
[illegible], magno fidei veneratur amore.
Prostrata solo [illegible] Dominum ut tueatur adorat
Pendentem, [illegible] ;
Osculaque [illegible] sepulcrum,
B Angelus [illegible] vitæ,
[illegible]
De Domini membris monumenti [illegible]
Hinc tandem egrediens Sion [illegible] in arcem
Montibus [illegible]
Portæ et [illegible] Jacob.
Non illæ [illegible] ab hoste,
At quibus [illegible] in aulam
Non [illegible] Christi
Sanguine [illegible] columnam.
Quæ [illegible] moderamina [illegible] salutis
Fert fides valida applicitis dans robora vinclis
[illegible]
[illegible] levatur ;
Panditur inde locus Paulæ, quo Spiritus almus
[illegible] super descenderat agnos
C Hic quoque pauperibus Christi pia dona ministrans
[illegible] Bethlem ;
Atque specum ingrediens divinum Virginis alvus
Qua posuit partum, præsepe, animalia Christi
Quo Domini agnovere [illegible]
Testatur fidei [illegible] pannis
[illegible] Dei, stabulo deposita sub arcto :
[illegible] nutritius [illegible]
[illegible] noctis
Pastores, [illegible], Magos pia munera dantes :
[illegible]
Ut petit Ægyptum Joseph comitante Maria
[illegible]
[illegible] salutat.
Haud procul inde petit turrim gregis [illegible]
D Quæ Jacob [illegible]
[illegible] pastores, Gloria summo
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Inde via veteri Gazam petit impigra Paula,
[illegible] signat.
In qua [illegible]

(150) I Reg. xxii.

Hujus cum sociis evicit episcopus urbis,
Quando in Fanensi [Fennensi] capitis cæsum me-
[tallo
Quadraginta simul cœlorum ad gaudia misit.
Mox hinc ad dextram Bethsur transitur, et Eschol,
Unde botrum portant geruli præsagia Christi
Gestantem, ligno appensus qui dulcia fudit
Vina suis, terramque dedit dulcore fluentem.
Hinc Saræ cellam petit et vestigia quercus
Abrahæ, spectare diem per lumina cordis
Qua meruit Christi, Domino lætatus in ipso.
Scandit ab hinc surgens Hebron quæ Chariatarbe
Quattuor a tumulis magnorum dicta virorum :
Abrahæ, atque Isaac, Jacob, primique parentis,
Jungitur his Caleb, quartusque putatus in illis.
Dimittit Chariatsepher, cui littera nomen
Præstitit, admirans superas atque inferiores
Undas, Othoniel ruris quas arida temnens
Accepit. quibus irriguos ditaret agellos (157).
Inde Caphar Baruchæ teritur *benedictio villæ*,
Sidereo Abraham Domino comes usquequo venit.
Miratur campos Sodomæ Paula atque Gomorrhæ
Cœlesti, meritis agitantibus, igne perustos.
Aspicit Engaddi vineta. opobalsama sudant
Quis virgulta locis, aliis indebita terris.
Contemplansque Segor, Zoaram quam voce Syro-
[rum
Dicunt, speluncæ meminit Lot sicque sodales,
In lacrymas conversa, monet quam vina cavenda
Sint, dominata viro nequeunt quem vincere cives.
Hincque notho a calido rediens ubi sponsa cubantem
Invenit sponsum, Thecuam pertransit, ovantem
Suspiciens montem de quo Salvator ad altum
Conscendit Patris solium quo sæcla gubernat.
Hoc dudum ruffam mos monte flagrare juvencam
Exstiterat, cujus populi cinis atra piabat,
In quem migrantes cherubim, fastigia templi
Linquunt, ecclesiæ fundamina firma locantes,
Qua Jacobi memorant sacrata recondita membra,
Ipse quod ediderat templo veneranda piorum
Zachariæ condens Symeonis et ossa sub ipso.
Hinc quoque Pelagiam quondam contamine mersam,
Pondere deposito carnis, cœli alta petisse
Fama canit, cujus memoratu et laudibus actus
Condigni felix imitatu finis habetur,
Perspicit hospitium Marthæ Paula atque Mariæ
Betphagemque sacerdotum ditione retentam,
Atque locum Domini petulans quo frena recepit
Gentilis pullus, celebri qui comptus honore
Vestis apostolicæ dat mollia terga sedenti.
Tramite sic recto Jericho descendit et ejus
Ex Evangelio meminit, quem sæva latronum
Spicula seminecem dederant, temptumque severa
Mente sacerdotum, jumenti terga coaptans,
Ecclesiæ stabulo clemens dat Samaritanus.
Arboris et Zachei, vitæ qui noxia calcans,
Præcelsum celsa Dominum videt arce meantem.
Cæcorum jam Paula tuens loca, lumina quorum

(157) Judic. I.

A A Domino reparata docent erroris utramque
De tenebris Christi pellendam numine plebem.
Ingreditur Jericho turrimque Achiel speculata,
Quam primogeniti letho fundavit Abiram,
Inque Segub generis portas in limine ponit (158).
Galgala castrorum spectat præputia, linquit
Quæ vetus Israel repetitæ mystica rimans
Carnis casuræ, ac recolens purgamina mentis.
Bis sex hinc lapides translatos fluminis imo
Juris apostolici qui fundamenta locarunt ;
Fontem etiam veteris nonnunquam legis amarum
Et sterilem, quem in dulcorem sapientia magni
Convertit vatis, reddens scaturigine ditem.
Vix nox transierat, redeuntis lampade lucis,
B Jordanemque petit, meditans vestigia quondam
Sicca sacerdotum steterint cedentis ut amnis
In medio ; post Eliæ virtutis et ejus
Compotis ut siccum jussis iter unda pararit :
Ut baptisma novum sacrans animabus, in ipso
Abluerit vellus macula sine candidus Agnus,
Nostra piacla lavans, polluta et strage fluenta
Humani generis proprio baptismate mundans
Achor *turbarum* vallem videt atque *tumultus*,
Qua furtum est et avaritiæ damnata cupido ;
Inde domum Domini Bethel, qua pauper Iacob
In nuda dormivit humo, lapidi capite acto,
Zacharias oculos septem quem cernit habentem,
Angulus utriusque datur quo parjetis unus.
Et videt scalam cœli in fastigia ductam
C Desuper innixus rector qua porrigit altus
Ipse manum digno scandentibus astra meatu :
Præcipitans vanos et opaca fraude malignos.
Jesu mox et Eleazar venerata sepulcro
Miratur censor quod legerit aspera montis
Ipse, situ reliquis plana atque uberrima tradens.
Quid referam Silo, qui diruta panditur ara
Sacrorum veterum, qua Benjamitica scitur
Præcessisse tribus raptas sine more Sabinas ?
Transgrediens Sichem, quæ Neapolis nova fertur,
Intrat in ecclesiam Garizim, latus edita montis,
Quæ secus aspectat puteum quem fodit Iacob,
Quem super assidens Dominus fert pocula poscens,
Et lympha fidei satiatur Samaritanæ,
Librorum quæ quinque viros Mosaycorum
Erroremque meat Dosithei linquere sextum,
D Messiam verum Salvatoremque receptat.
Hinc digressa Patrum duodena sepulcra tuetur,
Samariamque videt, dictam sub honore Sebastem
Augusti, tenuere pii qua busta prophetæ
Abdias, Eliseus, magnus Baptista Joannes :
Valdeque contremuit miracula plura videndo :
Audit enim strepere variis nigra agmina pennis
Sanctorum ad tumbas, homines ululare luporum
More, latrare canum, fremituque rugire leonum.
Tauri hinc mugitus reboat, flat sibilus anguis,
Post tergumque rotare caput, hos vertice terram
Percutere ; atque alios prospectat in aere pensos
In faciem versis pedibus, nec vergere vestes.

(158) Josue VI, 26 ; III Reg. XVI, 34.

Pro quibus effundens lacrymas Christumque precata,
Fessa licet, montem pedibus conscendere gaudet,
In cujus geminis centum sub tempore pestis
Abdiam speluncis constat pavisse prophetas.
Inde pio petitur Domini nutricula gressu
Nazara, tumque Cana Capharnaumque, capace
Signorum Christi, stagnum quoque Tiberiadis
Navigio sectum, divo sectuque sacratum
Vastus ab inde locus, satians ubi millia quinque
Panibus ex quinis, bis sex sacra vascula replens
Reliquiis Dominus superantia dona reponit
Discipulis, vulgus quæ condere ventre nequibat.
Scandit deinde Thabor, superam quo prodere formam
Complacuit Domino cœlesti luce micantem.
Hermon Hermoniimque videns lata et Galilææ
Rura tuens, Sysara Barach vincente phalanges
Qua stratæ, rivumque Cison loca plana secantem;
Tum peremensa Naim, videt nova gaudia tractans,
Destinat Ægyptum petere, pauloque resistit
Ad fontem qui maxillæ de dente molari
Profluens Arentis torrentia viscera mulcet;
Morashimque videt Michææ studiosa sepulcrum.
Jam nunc cœlestium, sic fertur in arva Canopi
Visere diffusos eremi latoque patentes
Virtutum campos miserorum semine fetos.
Quinque urbes Pharaos, Chananitide voce loquentes.
Gessen Taphneinque Dei Nilotica rura
Quæ summi jussis Moyses splendore triumphat,
Percurrit cæteris celsas amplexa columnas
Ecclesiæ Christi, pedibusque advolvitur horum
Qui, mundo profugi, superant sublimia mundi,
Occurrit Isidorus primus sanctusque sacerdos
In Nitriæ partes confessor; eidem
Macarii properant, Arsetes, Serapiones.
Hos cernens, Dominum vere se cernere credit,
Quodque impendit eis, gaudet dependere Christo,
Hic quoque legisset regione quietis honorem
Si desiderii votum loca sancta tenerent;
Ad quæ ceu pennis perdix remeavit avitis.
Inque sacram remeat Bethlem mansura perenne;
A Hospitio unius augusto tres degit in annos
At tollit donec cellasque monasteriaque
Sollerte fabricas diversis usibus aptas.
Diversisque peregrinis habitacula condit
Ampla viam juxta, veniens qua cœlica Virgo
Hospitium Joseph comitans non repperit olim.
Nam xenodochium statuit studiosa virorum,
Virgineosque choros certat disponere turmis,
Atque monasteriis famulans quos ultima texit,
Ut servire magis hanc quam præesse videres.
Cum patre defuncto nullo edit ab inde marito,
Quamvis hoc sancto virtutis in arce probaret.
Nec post balnea lintis fracta vapore levatur
Mollia non habuit lecti, nisi febribus ægra,
Strata cilicio; somnos dabat aspera tellus:
B Noctibusque et requiem, requies si rite vocatur
Qua conjungebat precibus noctesque diesque,
Infundens lacrymis cunas pietate profusis.
Crebra piis ducens pariter jejunia votis
Omnia pauperibus tribuens, fit rebus egena
Terrenis, superi locuples sed culmine doni.
Nam docilis memori Scripturas mente gerebat
Divinas meditans, in eis ænigmata lucis
Instrumenta novi, veteris quoque dogmatis ipso
Hausit. Hieronymo celebri tradente magistro
Hebraicam didicit linguam, sermone canebat
Hebræo psalmos, genuina hos voce resultans;
Eloquium Latio gramen sine more sonabat,
Virtutum rutila variarum luce nitebat,
C Eustochium gnatam, solo quo munere ditem
Liquit et optatam ad patriam jocunda recessit.
Cumque rogaretur moriens utrumne dolores
Sentiret, retulit nil se sentire molestum:
Cuncta quieta sibi, jam cuncta serena videri;
Sicque crucem labiis digiti moderamine pingit
Emittitque animam, cœli secreta petentem
Pontificum manibus feretrum translata ferentum,
Ponitur in media speluncæ consita Christi
Ecclesia. Quimus cum Hieronymo ergo beatam
Martyrioque coronatam vere edere longo.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De sanctis Eusebio, Peleo et Nilo, martyribus.

Præterea multis ista tellure triumphis
Exultare liquet sanctos formidine victa.
Eusebius quidem, fidei devotus alumnus,
A custode Palæstinæ pro nomine Christi
Tentus, tormento primum cruciatur equino
Post jugulo plexus, capitis sub fenore date
D Martyrii sumpsit cœlorum præmia perna.
Augusti quinto decimo quod sole dicatur
Hæc patria torquente pios Diocletiano
Pontifices Christi Peleusque Nilusque feruntur
Agmine cum cleri eorum petiisse per ignes
Et Domino se pro populis holocausta dedisse.

CAPUT II.

De Asclepio episcopo, Eusebio quoque, Nectario Zenoneque martyribus.

Gazæus fidei impugnans Asclepius hostes
Pellitur invidia, Romanaque regmina Sylvas
Justitiæ fulgore, petit, quo Julius ægros
Lapsos liberat, sedeque meritis propriisque reformat,
Actores culpans, insultusque minisque coercens,
Eusebius hic, Nectarius Zenoque triumphant.

Gazenses, quos verberibus vinclisque fatigant
Impia quod studiis horum sint strata sacella;
Fustibus intereunt, laceros saxisque gravatos
Ac cerebro demptos, membrorum cætera flammis
Dant jumentorumque serunt mixta ossibus ossa,
Quæ supero mulier monitu quærensque legensque
Delegat manifestato per visa sobrino.
At Zeno accipiens charorum pignora fratrum
Tecta domi servat, dum præsul in urbe dicatus
Basilica structa sociari his Nestora certat,
Qui belli comes egregius consorsque coronæ
Corporis ad speciem dum spirans ultima mussat
Zenonis sollicite curam præsule lavetur,
Fruitur emeritus cœlique capessit honorem.
Antistes Zeno quoque centenarius annis
Officiis redolens, solemnis et astans,
Nec minor aspectu, requiem nec ritibus affert.
Jure maritali ternotus jungitur eis,
Hunc trinæ genitor sobolis, hic laude sophistæ
Excellens, actisque animam virtutibus ornans.

CAPUT III.

De sancto Hilarione (159).

Patre Palæstinam claram Hilarione feramus,
Hieronymum que ducem vitæ in sermone sequamur.
Scribit hic exortus primum ut vico prope Gazam,
Millibus et quinis distanti mœnibus urbis,
Nomine Thavata, partes qui respicit austri.
Evolvens reliquos vitæ ac virtutis agones
Hic velut e spinis redolens rosa surgit acutis,
Sculptilium cultu sævis genitoribus ortus,
Erudiendus Alexandri transmittitur urbi
Grammaticamque catis didicit doctoribus artem:
Omnibus et charus studium moresque calebat.
Egregio ritu Christi se cultibus indens
Affectuque pio meditans in relligionis amore.
Antonii nomen celebri rumore capessit
Visere quem fervens, eremum petit, utque positus
Effectu, solita mutatur veste duobus
Mensibus, hic juxta recubans atque ardua signans
Castorum seriem morum normæque tenorem,
Quam foret orando assiduus, summissus alumnos
Excipiens, acerque monens, alacerque cohortans;
Asperitas qualis huic propositique cibique.
Ad patriam post hæc monachis collega quibusdam
Defunctis rediens patre jamque et matre, decenti
Dispensat dimissa sibi patrimonia jure,
Fratribus et partem, partem largitur egenis,
Nil sibimet servans. Ter quinos nudus et annos
Dum regit, arma gerens Christi, deserta subivit,
Hirto ruralis coopertus tegmine sagi
Vestem pelliceamque ferens, Antonius illi
Quam dedit instructo juga ferre suavia Christi.
Carica jam noctu fessum ter quina cibabat.
Quattuor huic annis æstus pluviasque removet.
Angulus Augusti tugurii casulæque pusillæ,
Quas molli juncto cum carice texit acuta.
Cellula post struitur, pedibus quæ quattuor ampla
Culmine quinque pedum scandens, summissior ejus
Statura, veniens humilis caperetur ut hospes
Corpore dum recubat, paulo quæ longior esset
Quam non esse domum, tumulum sed forte putares.
Paschali ille die modo tondebatur in anno,
Non mutans tunicam nisi cum penitus prior esset
In pannis resoluta pioque absumpta labore.
Stratus humum nudam sternebat junceus illi
Usque diem mortis, nec ei pretiosior unquam
Quo semel indutus fuerat, non saccus in undis
Post lotus, lacrymis cordis nisi fonte profusis.
Scripturas sanctas mentis retinebat in arca,
Postque preces psalmos Domino ut præsente canebat.
(160) Cui natus ubi præteriit vicesimus annus
Nil epulum præter lentis tribus edit in annis,
Frigida quam paulo domitans madefecerat unda;
Hinc tribus est aliis sale, pane refectus et unda;
Quattuor est post hanc herbis agrestibus usus
Quorumdam junctis fructicum radicibus esu;
Quinque dehinc panem mediæ dant hordea libræ
Atque olus absque oleo modicum coctumque jugatur.
Lumina deinde videns sibi caligare labore
Pumiceque cutem retrabi scabiedine qnadam.
Præfato fomenta cibo conjungii olivi;
Hocque tenore cibi dum sexagesimus illi
Tertius et vitæ completur pascitur annus,
Præterea victus sibi nil cujuslibet augens
Sic indefessus, cum jam sibi adesse palestræ
Colligeret metam, panis contemnit ofellam,
Contemnensque dies octogenarius implet,
Immenso fervore calens, quasi tiro duellum
Inciperet, soliti quo tempore ponere multi.
Namque farina, herbis quoque sorbitiuncula tritis
Editur huncque cibans potat vix uncia quina.
Sicque implens seriem vitæ, nullatenus ante
Quam sol occiduus radios immergeret undis
Nec festis graviterve cubans jejunia solvit.

Multæ parvum acies, certamina multa lacessunt,
Extra externa crepant, intus civilia mussant;
Flamine sed doctus supero pius intima pressat,
Componensque animi sudo moderamine turbas
Conficit edomitans lascivum pondere asellum,
Frangit et extenuat bellorumque usibus aptat.
Suetus in internis, ad barbara fortior exit
Bella trahens hostis variis hunc provocat armis,
Mille petit furtis, impugnat mille duellis
Pusio quod vagit, vel quod muliercula plangit,
Quod mugit bos, balat ovis, quod bellua gannit.
Admonet, atque pavendorum portenta sonorum,
Et strepitus exercituum. Quem voce movere
Dum nequit, horrificis tentat consternere visis:

(159) Vide sancti Hilarionis Vitam inter Opera S. Hieronymi, tomo II init., Patrologiæ tom. XXIII.

(160) Hieron. in Vita Malchionis: « A vicesimo primo anno usque ad vicesimum septimum, tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, et aliis tribus, » etc.

Instruit aurigas, re ligit sub frena jugales
Molitur rhedas, instaurat fraude veredos,
Cassis at hunc Christi tegit ac lorica fidei
Ferventesque feras sese pervadere cernens,
Dum Jesum inclamat, terra sorbetur hiatu
Pompa nocens : clare Christi canit ille triumphos,
Fert laudes, gaudet celeri superasse tropæo.
Fœmina bella dolo commmina fraudis adorta
Malta virum, pandit mulicbria membra cubanti
Serpens nuda vafer, dat dira fercula victus
Indigno, invictoque feras feras apponat ipse :
Se ingerit orandi, exprobrat, vel caste fatigat
Omnibus his victus males persistit agoni.
Insidias hostes cumulans atque arma reformans,
Vel pejora parans, latrones mittit egeno
Qui circum tota cursantes nocte, cubile
Haud reperire queunt : eorum tuteque cubantem
Sed cum orta luce vident, rogitantque quod ipse
Pervasis noctu lateret. « Latronibus, inquit,
Non timet invadi nudus. — Quid, credior, illi. —
Quit, puer; haud ideo vereor, sum occumbere promptus. »
Robore quo stupidi, lassique volumina noctis
Tegminisque umbrarum, spondent moderamina morum.
Tabescit coluber ; quot belli sufflt agones,
Tot bellatori cernens retinere triumphos
Crebra tropæa dein et plurima signa geruntur.
Prima diu sterilis perrumpere claustra cubilis
Ausa petit mulier, votoque levata recedit,
Postque annum grates sumpto pro pignore pendit.
Adjecit Domino altras attollere servum.
Alterius ternam matris discrimine lethi
Dum sobolem, pariter vitæ suprema trahentem,
Momento incolumem reddit, rapit emithritæo.
Gazensis currus agitare auriga paratus,
Artis dum studio insistat stupefacta fatiscet
Membra recumbatas, nervi riguere per artus :
Non manus aptatur flagris, non stringit habenas,
Jam cervix immota manet, rectore quadrigæ
Agmine frustrato, nulla arte feruntur
Præceptor tandem tenore relapsus ac pio
Tollitur ac supplex caput adjumenta gubalt.
Sæpe humilem preces melleum scilluntur adortus,
Accipit haud aliter sumpta gaudere medela
Si soluta medicator, data pectora vero ;
Devotus maneat sontique consentet arti.
Corda vovet, respuit monitus, sanatur utrinque,
Carne, anima duplex exsultans moderamine totus
Post Hermosllymitæ potens virtute superba
Corporis atque asinos vectanda in pondera vincens,
Portatus diro transiluit demum æstu,
Decidit lenocus omnibusque vascellas abunis :
Sæpe quidem elatyhos solitus perfringere nodos,
Expugnare seras, cururum resolvere vincla ;
Mordiens huc auras, tamen duxiberat illis
illamm crura pedesque, gelum dederecerat horum
Extremitas trahere visi jam turbique alæ,
Ut Pater immitis velli vinculosa immolat,

A Exutus laqueis tremit aspectumque retorquet :
Vertice dejectus, metuens, vel cernere contra,
Depositoque furore pedes allambere Patris
Se ac non amat : gratis, tandemque donatus
Juratusque feras ductor possessa remittit.
Quid memorabo virum dira legione tumentem ?
Fascibus excellens hic, opum fulgentius pollens,
Fremuit ut multis, multo pervaditur hoste :
Ductus et ad medicum ferro omnia membra gravatus,
Excutitur vinclis, numeroso et milite fretus,
Simplicis athleta præsumit intre palæstram,
Impavidumque rapit, sustollit in aera tutum
Robustumque virum, soeiis ad facta relictis.
Roborat ille suos, humeris capitique reflectens
B Securus virtute manum, premensque capillis
Ante pedes subigit, stringitque manusque pedesque,
Calcat utrinque pedes : Torquere, nigella caterva,
Ingeminans. Miser ejulabat plangore furoris
Diverso jam mille micant uno ore tumultus,
Pectore ab unius populorum bella cosuetunt,
Nec patitur pius hisce diu miserum retineri
Captivum victor, Jesum sed ut invocat, omnes
Turbarum pellit strepitus, torvaque phalange
Depulsa, sensus revocata mente reformat.
Plurima curatus curæ quasi dono reportat ;
Curator solers quæ cuncta omnino refutans,
Sed neque pauperibus suasus tribuenda, retractat :
Excussat servatæ manus dum munere præstat.
C Haud procul a cella saxis quidam effodiendis,
Dum sudore madet, morbo dissolvitur artus :
Intentus scopulis, similis fit corpore saxis.
Nullus jam motus membris, jam saxeus omnis :
Corde oculisque vigens, ac cætera mortuus, almi
Visibus offertur, per quem virtute resumpta
Membra resentiscit, venas vigor intrat abactus ;
Frigore concretæ regelantur in ossa medullæ :
Sicque recompositus, priscis mox redditur actis,
Inceptoque valens operi gaudensque recurrit.
Pluribus hinc crebro aggreditur multisque medetur
Quid referam aurigam sæculi sub rebus agentem
Chrismate quem locum gentilis fraude premebat
Æmulus ? Iste nihil contra magis ultre ducens,
Auxilium Christi precibus petit Hilarionis.
D Abnuit ille preces vanis expendere nugis.
Fratribus impulsus tandem ne vulgus ineptum
Rideat Ecclesiam, tantillo hunc munere donat
Fictilis atque scyphi, quo quondam haurire suetus ;
Præstat opem lympha plenum dum suscepit ille.
Lætus abit palmæ stabulum aspergitque jugales,
Carceris antra fovet claustrque repagula tingit ;
Spargit et aurigas hostis ridere, paratum
Divulgare merum, sed corda fidelia fiunt
Exsultantque futurorum spe laudis honorum.
Ut data signa, volant hi, propelluntur at illi ;
Istorum axe rotæ fervent, vix terga sequuntur
Famosi hi currunt. Attollitur æthera clamor :

Sed neque pars aversa fidei, virtus quia Marnas (161)
Subjaceat Christo ; fideque occasio multis
Hoc jam tam propere prætulit porta triumpho.
Anguis hic antiqui vires vacuabat et artem,
Nec coram posito figmenti monstra valebant
Sacratæ juveni. flagrabat virginis igne,
Ludicra prætulerat, sed frangere vota nequibat.
Haud grave ducit iter Memphitem tendere in urbem,
Armaturque dolis Christi ut superare monile
Prævaleat. Totum vanis ita deterit annum ;
Inde vafri rediens instructus fraude colubri,
Præsumptumque gerens animi grassamine crimen,
Æs, limen subter, quædam ad portenta notatum
Defodit, adjiciens magici fera murmura vincli.
Ilicet insanire, caput, velamine vulso
Virgo rotans, diffusa comas et stridula dente
Ardore incendi, puerum clamore vocare.
Traditur acta seni, retegit cui larva piaclum
Ejululans et furta fatens, Memphyte vocatum,
Vi ductum, tormenta pati, crucis ignibus uri.
Cogis, ait, me exire tenet quem limen adactum.
Magna (senex) virtus quem lamina licia nectunt !
Cur non hunc potius qui te immitebat inisti ?
Utquid, ait, collega meus, quem dæmon amoris
Illaquearat, ego impeterem ? Sed virgo sigillum
Ne tereret rapui. Fecisti invitus, at exi
Perdere, non servare solens, pellitque ferocem
Nec juvenem exspectat, fraudis vestigia vitans;
Increpat ereptam non se cavisse puellam.
Non modo vicinas urbes pia fama replerat.
Quin longinqui etiam gentes exciverat orbis.
Ut nostris, procul e terris Orientis in axem,
Quærere salvificum delegerit ille medentem
Francorum illustris quem jussibus induperator
Prosequitur chartis, comitatu et honoribus auctum
Qui furvo a puero possessus dæmone, noctu
Dentibus infremere, et gemere, atque ululare suetus,
Diraque flagra ferens, requiem in tormenta trahebat.
Cujus in obsequium plures ob patri amorem
Procedunt, videt ut turbam benedicit, abire
Præcipiens senior, juvenemque suosque manere,
Nam causam adventus ex ipso intelligit ore.
Mox rogitatus homo, rapitur vix tangere terram
Ut pedibus valeat, loquitur sermone Syrorum
Tunc primum audito, servans idiomata linguæ,
Nec minus et Græco citatus [scitatus] famine pollet.
Præteriens varias quibus hic sit præditus artes,
Nomine et imperio Christi curatus, ut atra
Peste viget liber, librarum pondera profert
Simplicitate putans auri debere talenta ;
Hordea ab hoc sed pane capit, simul insuper audit :
Aurum quod cænum reputent qui talia sumant.
Non homines modo reddebat, quin bruta saluti.
Ut Bactra quondam ductnm regione camelum,
Quem terdena virum sibi pectora funibus actum
Præsentem dederant : rabidum qui linquere jussi,
Diffugiunt omnes, sociisque manere nec ausis
Obvius ille meat : Non mole, diabole, vasta

(161) Idoli Gazennium.

A Me terres, idem in magno, qui in vulpe, camelo.
Proclamans, porrigensque [pro porrigens] manum, cui turbida dire
Atque immane fremens dum proxima bellua fertur,
Labitur, atque caput premit exsqualida terra.
Mirantur cuncti, tanto terrore furentem
Tam subito, tali factum lenimine mitem.
Nec pollens est numero claudi pedibusque ligati,
Quos læta dies per eum miracula vidit.
Haud minus ore potens turbas replebat euntes
Expediens, ad celsa vocans, et in ardua ductans
Vocem remotos non spernens, semina Verbi
Lætus agens Domini et segetem uspero imbre venustans ;
B Amplificansque pio proscissa novalia rastro,
Auget culta Dei veteri nova semina glebæ
Inculcans. Agarenorum ceu pandit Elusa,
Quam inveniens olim Citherea festa litantem,
Non prius absistit lacrymis et famine divo,
Ecclesiæ quam condendæ fundamina metant,
Pontificem sacris ut erat vittatus Adonis
(Dæmone nam pulso plures curaverat horum.
Adnotet insigni redimitum stemmate Christi.
Alapiona fero vacuans afflamine menti
Dum redhibet, Christo lucrans, affinibus auctis
Nominis æterni Bethlehem attollitur auctor :
Sicque monasteriis vicus repletur et aulis.
Sollicitusque ut erat, fratrum prænosse solebat
Multa, futura cavens, vitare nocentia callens.
Ceu quondam sociis vetuli discrimen avari
C Præmonuit, turbamque feram turpemque repulsam
Quæ passi : hospitium patrem lustrare tenaces
Dum cogunt, cujus multa vertigine funda
Vinea prævallata minus solito edidit, atque
Id quoque in horrendum mensis descivit acetum.
Dapsilis at fratres hilari qui dote refovit
Vinea, quæ centum fuerat factura lagenas
Millibus ut tribus est plebis depasta, trecentas
Reddidit in spatium viginti lecta dierum,
Nam Pater Hilarion læto hanc benedixerat ore.
Cum propriis sineret gregibus servire fovendis,
Celsa prius doctis alimenta requirere mentis,
Hæcce quidem quærenda juge,· hæc sectanda manebat,
D Non ea quæ assidue mundo labente fatiscunt :
Quorum quem curam monachum retinere sciebat,
Hujus avaritiæ haud norat tolerare furorem.
Quare a conspectu venerandi amoverat ovis
Sollicitum quemdam, custodem pauperis horti,
Atque animo nummos solitum servare pusillo :
Qui tentans lenire senem, cum fasce virentis
Advenit ciceris, coramque nec ausus adire,
Clam dedit Hesychio ponendum ad fercula ; sero
Fetorem appliciti senior haurire recusans,
Clamat avaritiam ciceris putere virore.
Horrida si minus hæc. inquit, spiramina sentis,
Saltem adhibe bobus, fugere hæc et bruta videbis.
Factum, disruptis fugiunt animalia vinclis.

Pollebat siquidem præstans hæc culminis arce
Corporis attigui seu sese afflamine vestis,
Tangeret aut quem quisque, regi quo nosset odore
Cui favet, addictus vitio vel oleret adultus.
Flebat at obsessus numerosis undique turbis
In grege stipatus fratrum casaque fovendi
Affectus parte, desiderio atque quietis
Arctari obsequiis venientum et honore dolebat.
Carceris hæc tabens evadere septa calebat,
Oblatasque animo pompas ac stemmata calcans,
Solum exoptabat eremum; quam pronus inire
Dum cupiens parte properans conatur asello,
Multa subinde ruunt lacrymosi millia vulgi,
Lectulum patriæ velut intentetur et ignis,
Claudere cuncti pectibusque astringere nisi.
At manet invictus tractans hæc fimine secum:
Fallorem haud facio Dominum, nec quibo videre
Proruere ecclesias, fusum squalore cruorem:
Unde prolatum datum patriæ [illegible] pervela
Videre sed prohibent, tentatur at ipse [illegible]
Sumere nil potuisse, nisi exitatur abire.
Sic septem postquam jejunia tracta diebus
Protendit, missus, socio micto agmine pergit,
Quorum quamplures ubi per sua rura remittit,
Quadraginta legens secum, jejunia fortes
Qui tolerare queant, Pelusia tendit in arva
Ac Domini patria servos invisit amore.
Inde petens eremum, coluit quam Antonius alter
(Nempe revelatum sibi quod cœli alta subisset),
Solari fratres, lustrare habitacula certat.
Deserta sibi subparitura vicinis ducere,
Vasta eremi penetrat, tantumque abstemius ille
Tempore sibi egit, ut primum cœpisse professus
Tunc fuerit servire Deo vitæ ordine Christo,
Cui tot devoto successerat tempora cursu.
Arentes nimio squalebant pulvere glebæ,
Effœtaque sitis morbum obduxerat arva,
Et venerat aquis clausum sola torrida cœlum
Jam tribus ut liquit terras Antonius annis,
Decessum cujus lugere elementa ferebant.
Adfore haud videns ubi prodidit Hilarionem,
Hunc certatim adeunt, dum passim omnibus agris,
Languida tabe famis sternentes ora: colonis
Compatitur pressis senior pietate redundans,
Utque polo passas geminas cum lumine palmas
Erexit, en reserans largos mox exhibet imbres.
Sed ubi consumis satiatur glarea nimbis,
En subito exortis replentur rura chelydris.
Non erat agricolis pecori non pascua tuta:
Nempe per agros repunt, et certa pericula quaquam.
Quid medicinali exhiberent ad funera lata
Invertens, nisi patronum ad suffragia [illegible]
Certe potuit, qui morsus lenivit, quo toxia pellant.
Ergo Dei famuli contra hæc [illegible] poscunt,
A quo [illegible] medicamine [illegible] salute,
Mox benedicta olei maledicta venena repellunt.
Allicitur cultu senior, pertæsus honore,

A Et pompam fugiens venerantum turbulentum,
Accelerat mutare locum, non nota requirens
Climata profugus. In Bruchio tanto hospite lætis
Fratribus exceptus, jamjamque instantibus umbris,
Decretum parat ire viam; turbantur amici
Ac retinere parant; nihilominus ille perurget.
Cœptum iter, attestans ne sit mora forte molesta
Se properante Deo. Post, inquit, causa patebit
Me subito a vobis celeri quæ migrasse recessu.
Nec mora post noctem lictores hospita pulsant
Limina, portantes perversi edicta tyranni (162),
Hunc qui, destructo, quo rexerat agmina, claustro,
Bis tribus jussis mandarat ubique requiri.
Frustrati votis, Magus est, ut dicitur, illi;
Vera feruntur eum magicis calere futura.
B Ille eremum secreta legens, semotus in annum
Ferme madet, donec, fama vulgante, intesecit;
Jamque carens latebra, terris bene notus Lo s
Appetit æquoreis tandem se claudere arenis.
Discipulis tunc adveniens Adrianus ab oris
Forte Palæstinis, pandit periisse nefandum
Regni sceptrigerum, Christi regnare clientem (163),
Hortaturque monasterii recidiva reposci.
Abnuit iste decus fugiens, non bella renuitans;
Nec reverebatur pavidus, qui regna perosus
Deviaque ingressus, conducto interna camelo,
Per loca vasta Farhetonium perducitur urbem.
Ast Adrianus honore calens et culminis aura
Perflatus, vellit furtis et fraude magistrum,
Et male protritis quæ illi leganda dicarat
C Larga manus, spreto infelix senis ore recessit;
Regius haud longum morti quem morbus adegit.
Zonano senior juncto subit edita classis
Siciliam tendentis, ea scissa Adria puppi
Dum legitur, subito naucleri filius atro
Flamine correptus, clamansque ita prodere fervet:
Hilarion cur, serve Dei, nec in æquoris undis
Esse licet tutus, spiritum da tangere terras
Hic imas ne præcipiter depulsus abyssos.
Ille dolens retegi: Remane, Deus en meus, inquit.
Si sunt, hic socius, prohibet, sin ille morari
Invidia quod agis peccatorem atque vacantem?
Sed patre dante fidem reliquis non credere terris,
Expurgat vitio puerum, ingressusque Pachinum Pa-
(chynum)
Quod solum superest, rebus quod restat egeno.
D Fert pro naulo, Evangelium quod scripserat olim
Ipse manu propria, nitiut dum prima juventa.
Navigii renuit dominus, nisi, codice, veste.
Re cernens inopes. Lætatus egere beatus;
At ne prematur meditullia transit in arva,
Lignaque decedens humeros onerabat alumni;
Quo redeunte die pretio pro pondere sumpto
Panis opem tali sibimet sudore parabant.
Interea Petri quidam intra limina Romæ
Dæmonico clamat sceleris impete raptus,

(162) Julianus scilicet Apostata.

(163) Jovinianus.

Siciliam ante dies paucos esse Hilarionem
Ingressum; quem nemo sapit, putat ipse latere
Secretus; sed abibo et eum per compita prodam
Moxque petens portum appellit sinuosa Pachini [Pachyni],
Ac duce possessore (164) casam senis ante recumbit.
Nec mora, liber abit, medicique notamina pangit.
Quem plures extemplo adeunt, morbisque levantur
Corporis ac mentis. Tum de primoribus unus,
Cui gravidam lymphata cutem distenderat unda,
Quo venit sub sole, redit mox pondere liber.
Qui medicatori præstantia præmia promens,
Hæc responsa capit: Gratis data dedite gratis.
Inter quæ Hesychius, quærens toto urbe magistrum,
Littora perlustrat, penetrat deserta, levamen
Corde fovens istud, tantum non posse latere
Hunc ubicunque diu. Quam spem tres ducit in annos.
Inde a Judæo vendenti scruta Metonæ
Audit Siciliæ miræ virtutis in oris
Christicolis vatem populis nituisse novellum,
Tot signis clarum, tantis virtutibus altum,
Sanctorum ut veterum quidam esse propheta putetur.
Adriaco mox hic pelago Trinacria fertur
In sola, remigio justum ducente secundo
Scitatus, famam senis uno ut ab ore capessit,
Consona cunctorum rutili præconia lichni:
Qua niteat, quid agat, quam signa stupenda celebret,
Omnibus hinc adeo mentem mirantibus almi,
Quod nec opem a quoquam capiat post talia panis.
Discipulus tandem lacrymis per gaudia fusis
Irrigat inventi hoc plantas sudore magistri;
Vixque erectus eo, et biduo triduove refotus
Famine mellifluo, velle hunc evadere terras
Audit in externas, ignotus nomine et ore
Qua residere queat, Dominoque vacare quietus
Ducitur ergo Epidauræos proreptus in agros,
Qua neque celatus longo sub tempore degit
Rure latens modico. Siquidem draco magnus Achivi
Quos, trito sermone, boas vocitare sueti,
Late actus vacuabat agros, armenta gregesque
Pastoresque vorans, lethali flamine tractans (*pro* trahens.)
Cui vastam jubet ille pyram funusque parari,
Excitumque data seriem (166) prece scandere mandat.
Obsequitur supera serpens virtute coactus.
Supposito ille cremans immanem fomite pestem
Admiranda dedit pavido spectacula vulgo.
Tempestate sub hac, motæ concussio terræ
Æquora limitibus metisque effudit abactis,
Diluvium ut rursum instaret mortalibus; omnes
Antiquum timuere chaos de montibus actas
Excelsis pendere rates, fluctusque frementes
Gurgitum inundantum ferri per littora montes
Cernentes Epidauræi, dum stragibus urbis
Præteritis trepidant, Patris suffragia quærunt,
Quem spe præsumpta rapientes littore sistunt.
Mox tria signa crucis sabulo dum pingit arato,
A Intenditque manus contra, mirabile dictu!
Creverit ut surgens steteritque in molibus æquor,
Indignansque fremensque diu, velut obice versum,
In semet sensim lapsisque refluxerit undis.
Et rupes senis ante pedes rigidi in mare montes
Parte fluunt alia, hinc ceu marmorei, unde liquores,
Spargitur id tota regione, per arva, per urbes,
Mirantur cuncti eximii magnalia signi,
Ille dolens prodi lembo clam nocte recedens
Effugit, et classe ascensa, Malta Malea atque Cythera
Occurrunt. Dumque alia legit piratica grassans
Fertur adesse manus, trepidant socii armaque poscunt.
Exercent cunctos (166), creberrima nuntia currunt
Id recitare seni. Ridens procul ille carinas
Ut videt hostiles: « Quid, ait, trepidatis alumni?
B O modicæ fidei! Pharaonis an agmina plura
Cernitis agminibus, divis quæ mersa triumphis? »
Sævorum interea spumantia rostra propinquant;
Emissus quantum spatii lapis occupat absunt,
Ille manu contra erecta, venientibus ora
De navi loquitur: « Satis est huc usque measse. »
Mira fides! resilire rates, puppimque petita
Agmine nitentum contra post terga redire
Invitos, stupidos citiore ad littora cursu
Quam ventum fuerat, casso molimine ferri,
Sic grassantum athleta Dei sine sanguine victor,
Læta tropæa ferens, legit æquora Cycladas inter,
Littoribus variis crebrisque furentia terris,
Tutus uti sulcet placidi vada mitia stagni.
Urbibus ac vicis passim concurrere vulgus
Dæmone possessûum ac voces incedere in aures.
C Sicque Paphum appulsus, requiescit ab urbe remotus
Non tamen id longum: viginti forte dierum
Vix volvens spatium, cunctis namque insula clamat
Urbibus ore agitatorum famam Hilarionis,
Advenisse Dei servum, hunc sibi rite petendum.
Occurrunt Lapithæ. Salamina, aliæque resultant:
Appproperant cunctis certatim ex urbibus acti,
Atque uno coeunt vexati mente ducenti,
Sexu discreti. Dolet auferri ille quietem,
Præsidiumque petens notum, precis igne fatigat,
Colluctatores, alios mox decutit, atque
Post biduum triduumve alius, nullusque resistit,
Hebdomada explicita, qui non lætatus abire.
Exactis geminis postquam deveneratannis,
D Cogitat Ægypti profugus loca barbara adire;
Suadet at Hesychius Cypri penetrare recessus,
Abducitque mari, montes procul inter opacos,
Reptando genibus manibusque abrupta subiri
Quæ vix prævaleant: pomaria consita amœnum
Reddebant, ductique locum de vertice rivi.
Nec detractus honos ab eo per tempora quinque
Annorum arboribus quibus hic mansisse probatur;
Nullo horum sumpsisse cibum de germine fertur.
Antiqui juxta fani collapsa patebant.
Mœnia, qua sunti inumeri sub nocte dieque
Dæmonici resonare globi, velut agmina belli

(164) Id est dæmone.
(165) Id est *struem*.

(166) Forte leg. *contos*.

Gaudet in his senior habeat quod acumina pugnæ A
Quodque ad eum auderet nullus vel scandere rarus
Sæpque foveas Charon, Domino inspectante, [illegible],
Quondam forte die paralytica membra jacere
Respicit ante fores ; quæsit regit, ut quid adactus?
Procuratorem, Hesychio narrante, [illegible]
Accipit, ac villæ cui subditur hortulus ipso,
[illegible], [illegible] salutis adortus
Sic dextra jubet [illegible] in ora :
Surge tibi [illegible] Christique in nomine perge.
Mira medela ! [illegible] in ore
Verba, nec [illegible] perfecte hæc omnia, jamque
Membra salus propere ad [illegible] solidata levabat
Hoc [illegible], [illegible] intus,
[illegible], spes certa [illegible].
Id per circuitum vallis servantibus omni,
Secreto fugiens ne [illegible] rapessat.
Non æqualem velut instabilis levitate moderamus [illegible]
novus
Quærebat loculos ; quia [illegible] semper honoris,
Ignotus [illegible] hominum gestabat dorso vi-
tam.
Tempore dum senex sensit se ad præmia terra,
Hesychio, qui semper cum pietate volebat,
In testamenti vice fertur epistola parva
Ejus scripta manu ditis qua cuncta supellex
Divitisque inopis [illegible] honore.

Hocque Evangelium, tunica cum tegmine, sacro,
Palliolique decus, simul et [illegible] cuculla,
Jam medico igne tepens in pectore flamma caloris
Restiterat, jam nil hominis, [illegible] nisi, vivi
Magno corde viget, vocesque prolatus aperto :
Egredere unde times ? anima egredere unde vacil-
las ?
Jam decies septem Christo famularis et annos,
Et lethum ægra times ! Hæc ; et petit halitus æthram
Robore [illegible], pia per [illegible] clarus,
Utque virum meritis vix tunc æquabilis ulli.
Terra solo adjicitur mox, ceu præceperat æger,
Post obitum parvam ne detineatur in horam
Audit ut Hesychius, Cypri petit illico littus :
Hic se versandum pingens discrimine multo,
B Pignus subducit decimo post funera mense,
Majus namque Palestinæ comitantibus affert
Lætisonis populi turbis monachorumque catervis,
Quæ, Constantino civilia jura ferente,
Ob densas fidei segetes Constantia dicta,
Inque monasterio prisci moderaminis abdit.
Illæsa tunica, cum palliolo atque cuculla.
Corpore erat toto, quasi viveret, integer ; artus
Et [illegible] totus relevebat aromate vulgus,
Quemque pia late mundo virtute refudit,
Candem in sensum quoque respergebat odorem

CAPUT IV.

De Maria Ægyptiaca et Zozima.

Incoluere Palæstinam virtutibus alti
Ægyptique viri, qui tramites arta secuti
[illegible], petiere poli sublimia celsi.
Quorum alii placuere Deo deserta secuti ;
At alii pariter fraterna pace greganti,
Inque monasteriis cœlesti jure morati.
Quorum olim quoddam Jordanis ripa tenebat.
Quo legem viguisse ferunt, pro tempore, utraque
Non sextalis agon fere certabatur in anno,
Ante diem, donec solito jejunia Paschæ
Incipiunt ex more gerentum singula vitæ.
Quoque [illegible] dum vasta petunt, certamina sumunt ;
At cum jam redeunt paschalia festa, recurrunt,
Ut [illegible] Dominum valeant benedicere in unum.
Hos Zozimas supero ingreditur moderamine du-
ctus,
[illegible] reliquos superasse fideli
[illegible], Christo cum quas certaret agonem
[illegible], tandem [illegible] hujus,
[illegible], meditatur [illegible] normam.
Qui deserta loca peragrat dum tempore dicto
[illegible] studens [illegible],
[illegible] si forte virum reperire daretur
[illegible] sub validæ studio virtutis agentem,
[illegible] qui dependeret [illegible].
[illegible], medio fervore diei
Quondam, dum [illegible] preces contendit in altum,
[illegible] nigram sese [illegible] ab ortu
[illegible] veluti formam, loca prona petentem,

C Canitie ut lanam crines collotenus album.
Territus aspectu, crucis ora levamine munit.
Obvius at fieri venienti ut cœpit, eamdem,
Maturante fuga, videt ad secreta migrantem ;
Quam sequitur rapido nitens contingere cursu,
Dumque propinquus et fieri jam cœpit, in istas
Erumpens voces, lacrymis ita clamat obortis :
Heus ! quid, serve Dei, fugiens contemnis inertem
Decrepitumque senem ? Exspecta, quicunque videris.
Exspecta per eum cujus sub nomine solus
Incolis has terras ; exspecta, attende victo,
Siste gradum, per spem tanti mercede laboris
Propositam, benedicque senem, sta, respice, verte
Te nobis per eum qui nunquam respuit ullum
Talia dum currens replicat, lacrymansque rogans-
D que,
Devenere locum quemdam quo fluminis alveus
Restiterat, sicco torrente, abeunte meatu.
Hunc quoque transgrediens, corpus quod fugerat
isthuc
Substitit, hæcque refert lacrymanti, et multa que-
renti :
Abba, ignosce, rogo, Zozima, quia pandere memet
Non possum conversa tibi, sum femina, et ipsa
Corporeo, velut ecce vides, pro tegmine, nuda.
Sed jactas vestem, si vis oratio detur,
Huic peccatrici, quæ jam circumdata vertar
Ambito Zozimæ proprio cognomine, monte
[illegible], nimioque metu perculsa tremens.

Advertensque illi supero se dogmate notum,
Palliolum tandem jacit, osque in terga reflectit.
Illa quod accipiens, carnis pudibunda coercet,
Vertitur, implorat tantus quid venerit abba
Sternuntur terræ pariter, benedicier orant :
Illa sacerdotis Zozimæ prætendit bonorem,
Donorum ille Dei matri sublimia prefert.
Quæ precibus multis tandem sic victa præfatur :
Sis benedicte Deus solumen curans animarum
Surrexere igitur, rogitatque benigna viantem
Ut status Ecclesiæ, sacer ut disponitur ordo.
Ille refert e us tribui fulcimine pacem,
Et petit obnixe pro cuncto flagitet orbe ;
Nec prius absistit mater quam vota profundit,
Quæ labiis motis, tacita sed voce precari,
Erectisque oculis manibusque ad culmina cœli,
Dum cœpit, tota penitus tellure levatur,
Et cubiti spatio terra sublata videtur.
Jamque tremor membris Zozimæ, titubatio menti
Gignitur, atque timet vano ne flamine forsan
Ludatur, pronusque jacet, dum conscia vertit
Se mulier, monachumque levat pellitque timorem ;
Arguit errorem ; humanam probat ore favillam ;
Insuper ostendens sancto baptismate lotam,
Fronte crucis labiis et pectore stigmata figit,
Ac Dominum, hostis ab insidiis se liberet orat.
Ille iterum se prosterneus amplectitur hujus
Cum plangore pedes, lacrymarum flumina fundens,
Atque petens, superoque Dei sub numine jurans,
Per Christum Dominum dignatum Virgine nasci,
Ne celet quæ sit, quando, cur venerit, unde,
Et tam vasta eremi peragrandi occasio qualis ?
At testans et ob id, missum se credere ad ipsam,
Ut manifesta Dei fierent quæ gesserat acta,
Cujus judiciis obsistere staret iniquum ;
Cui nisi complacitum foret ejus promere vitam
Non illam sibimet visendam forte tulisset,
Nec tribuisset ei tantum tolerare laborem
Et tantam properasse viam, qui debilis atque
Longævo fractus senio, ceu cerneret, astet,
His aliisque inflexa piis sermonibus, illum
E tellure levat mulier, sic farier orsa :
Abba, ignosce, pudet vitiorum texere gesta,
Atque operum sordes tibi dinumerare meorum.
Sed quia vidisti memet sine tegmine nudam,
Turpia quæ gessi quoque denudabo piacla ;
Luxuriæ fuerim poteris pesnoscere quantæ,
Quam magni sceleris squalens et sordida nævo
Non equidem, ipse velut reris, mihi gloria mente
Quam tibi dedigner fastu memorare nitescat :
Quæve mihi tam pollutæ jactatio restet,
Quæ delecta fui zabulo vas perditionis ?
At vereor ne forte tibi cum cœpero probra
Flagitii nudare mei, fugias velut anguem,
Aure nec admittens quæ corpore turpiter egi,
Sed narrabo tamen, scelerum nec facta silebo.
Unde prius supplex imis expostulo votis
Ut ne deficias veniam mihi poscere tandem
Judicii prodesse die miseramine Christi.

A Stat madidus lacrymis senior pietate profusis,
Illa suæ seriem vitæ sic inchoat ore :

Ægyptum fateor patriam Phariosque parentes,
Quorum despiciens affectum jam duodennis,
Urbis Alexandri properans in mœnia veni ;
At pudet expediam sordes, tractemque reatum
Quo me virginitas stupro petulante reliquit
Ut sordens jacui substrata libidinis armis.
Ejus namque mihi quondam insatiabilis ardor,
Hisque decem et septem duxi, vel eo amplius, annos
Debacchans furiis, et publica facta popello.
Nec quæ nonnullis, tulerant mihi dona pudorem,
Nam pretio non quærebam damnare petulcos,
Ut laqueans gratis possem mihi prodere plures.
Id neque præcipiebat opum me copia ferre ;
Mendicans etenim, stuppas vel fila trahendo
B Vivebam, summumque bonum illecebrosa putabam.
Ergo modo tali vitam maculante probrosis
Actibus, aspiciens quosdam, quasi tempore messis,
Ægypti Libyæque viros maris alta petentes,
Audio adoratum crucis hos properare tropæa
Cujus erant Hierosolymæ mox festa colenda.
Abjectoque colo manibus fusoque, cucurri ;
Quos video validos placitisque mihi usibus aptos
Aggrediens juvenes, in littore forte natantes,
Inque verecundo mediam me schemate dedens,
Accipite, aio, viri vobiscum memet amicam,
Nam faciam possim quo non ingrata videri.
His aliisque illi verbis ridere jocati :
C Navicula me suscipiunt, qua scanditnr altum
Navigio cœpto, quæ sint jam turpiter acta
Quomodo vel meminisse queam ? Nam dicere lingua
Quæ valeat, captare sonum quæ perferat auris
Gestorum tam nigrorum, quibus ipsa magistra
Exstiteram, quæ navigioque viaque patravi,
Nolentes cogens stimulosque volentibus addens !
Abba, ignosce stupens quia me non sorbuit æquor,
Ipsaque miror hians quod me non terra vorarit,
In laqueum mortis tantus quæ pessima jeci.
Sed puto, qui nullum Dominus vult perdere. cunctos
Esse volens salvos, quod me quoque vertere quærens
Nec damnare parans, patienti mente ferebat.
Perveniens tandem Solymam, quibus ante diebus
Festum ibi sustinui, nequissima quæque peregi.
D Nec satis esse via juvenes mihi deputo junctos.
Adjiciens civesque loci atque aliunde coactos.
Venit ubi ergo dies sancti exaltatio ligni
Qua colitur, ludens juvenum præcedo tumultus,
Luxibus illiciens animas, venioqne beati
Ante fores templi, tentans intrare sacratæ
Tecta domus, acta ætherea virtute repellor.
Misceor hinc iterum turmis, iterumque repellor.
Terque quaterque aliis nitens penetrantibus asto,
Sola foris nam vi superi prohibebar honoris.
Vixque aliquando probans dignam me ferre repulsam,
Incipio mecnm tacitis tractare querelis
Id dira scelerum fieri gravitate meorum.
Dum mœrens igitur doleo, dumque atria lustro
Pectus contundens, imis suspiria duco ;

Mœsta aspecto fores, circumfero lumina tectis :
Arte manus video Christi genitricis imago,
Qua signabatur, picturam pariete ductam ;
Visere quam propius speciem festina propinquo,
Indeclinanterque tuens hæc murmure pango :
Cerno, Dei genitrix, indignam me veneratu
Esse tuo, tanti pollutam criminis actu,
Quæ veneranda nites animaque et corpore munda,
Quæ mundi Dominum genuisti carne pudica :
Nosco quidem digne quia squalida abominer a te,
Audio sed Christum nostra ob purganda piacla
Assumpsisse tuo sanctum de corpore corpus ;
Unde, precor, fer opem nusquam solamen habenti
Jam ni in te Natoque : tibi peto, præcipe pandi
Limina sacra mihi, sine regia visere sanctæ
Signa crucis, cœli domina, qua corpore passus :
Inque tua me sume fide, jam sorde carere
Luxuriæ, postquam Christi sacra videro sceptra
Lavitens en sæcli positis pompisque relictis,
Egrediar properans quo me, benedicta, vocaris.
His dictis foribus pernix ceu jussa propinquo,
Cordetenus valido fidei succensa calore,
Virginis ac veluti jussorum ducta tenore,
Ingredior veniens intrantibus addita turbis.
Ac nullo prohibente velut mihi tramite parto,
Suscipior templo, tueor pretiosa beatæ
Ligna crucis, tremebunda sacris cœlestibus asto.
Sensi ut vult aperire sinum quem pœnitet, omni
Crimina nostra pius censor dimittere promptus ;
Meque pavimentis sternens, his oscula figo.
Egrediensque ab eo, qua Virginis edita forma,
Sisque genu flexo, veros me cernere vultus
Confidens, supplexque hæc verba precaminis addo :
Monstrasti, domina, ecce mihi miseratio quanta
Sit tua, suscipiens indignæ famina servæ.
Gloria visa mihi quæ nobis digna videri
Non fuerat gravido vitiorum pondere pressis,
Gloria summa Deo, per te qui suscipit omnes
Ad vitæ quos vera viam conversio ducit.
Sed quid plura loquar ? dum jam promissa pa-
[trandi
Tempus adest tibi, quo placeat me dirige ductrix
Demonstraque viam, præcede magistra salutis.
Haurio cum dicto vocem hæc consulta ferentem :
Transmisso invenies requiem Jordane beatam.
Quam vocem supero reputans mihi nomine latam,
Atque petens dominam ne deserat atria linquo.
Flentem me cernens quidam tria contulit æra ;
Illico bis panes totidem mercata recedo.
Pacta simul Jordanis iter, tum templa Joannis
Baptistæ subeo, communico corpore sacris ;
Fessa cibo panis, Jordanis lambo fluenta
Lucescente die, quem transeo, vasta sequendo
Deserti, dominum exspectans qui salvat egenos.
Hic Zozima vitæ seriem sciltante quot essent
Hinc quo mundum linquens devenerat anni,
Quid victus sumpsit tulerit quos dura labores,
Quadraginta hiemes septemque recogitat ex quo
Deseruit Solymam, postquam deserta colebat.

A Panum commemorat victum sibi parva diurnum,
Quos egressa tulit secum, fragmenta dedisse.
Cætera quid quæris ? Vereor nam cætera, dixit,
Ne patiar quæ passa diu, si promere coner.
Tempore crede tamen tanto graviora tulisse
Quanto luxuriæ jacui submersa cloacæ
Namque decem et septem gravius certamen in an-
[nos
Cum desideriis mundi, quæ vana voluptas,
Non ignotas mihi dudum, conferre solebat ;
Namque animum pisces Phari carnesque sub-
[ibant ;
Vinum concupiens, nec aquam reperire valebam.
Carmina nonnunquam mihi luxuriosa redibant
In mentem, lepide quæ decantare sueram.
B Mox lacrymans pectusque manu validissime tun-
[dens,
Verba reducebam, cordi quæ Virginis olim
Ad vultus dederam, statuens me mente sub ipsis,
Corque mihi mundum fieri importuna rogabam,
Dum veniens superis lumen circumdaret, atque
Me stabilem, nitidam et validam renovaret agoni.
At quali elogio narrabo libidinis æstus ?
Ignis enim validus carnem incendebat ab intus
Et totam rapiebat amor nimiumque trahebat,
Ad spurci turpes impellens criminis usus.
Quod patiens, terramque petens, lacrymisque ri-
[gando
Infundens astare mihi jam Virginis ora
Mente videns fidei, meditabar strata tenorem
C Hanc compellantem memet, vultuque minaci
Terrentem, aspiciens, pœnasque furoris agentem
Vindictæ, et gladio monstrantem judicis ira
Ante nec a terra surgebam ni prius illa
Lux infusa mihi superi solaminis omnes
Turbato victrix furias e corde fugaret.
Semper enim dominæ poscebam virginis actum,
Ipsa ferebat opem, mecum certabat et ipsa ;
Ipsaque me cunctis et nunc moderatur in actis.
Istius inde cibum Zozima vestemque rogante,
Majoris luctæ memoratus dixit in annos
Se geminis ac dimidio quos detulit ipsam
Panibus et post hinc herbis vixisse repertis ;
Vestibus assumptis, rapuit quas temporis ætas
Vi solis nimium, nimium vi frigoris actam ;
D Sed virtute Dei se mente et corpore tectam
Nutriri atque tegi Domini munimine verbi,
Cum non vivat homo solum solamine panis
Quin omni verbo Domini quod prodit ab ore,
Nudati et vitiis donentur tegmine petræ.
Auditis sacræ titulis, interrogat heros
Scripturæ mulier sapiens an grammata nosset.
Illa negat, vivumque Dei penetralia cordis
Illustrare docet verbum sensusque replere
Tum pro se Zozimam supplex orare precatur,
Et petit obtestans ne se, dum vincula carnis
Deserat, ipse palam faciat ; sed vadat, itemque
Tempore se simili venturo visitet anno :
Sacraque dum redeunt solito jejunia more,

Jordanis repetens eremum ne transeat annum,
Prædicens quod nec quoquam si tentet abire,
Sed potis, at maneat cœnam benedictio Christi
Quam facit exspectans venerandam, vespere surgat
Corporis atque sibi Domini mysteria portet;
Ad ripam Jordanis eam cum munere Christi
Sustineat, quo mox veniens communicet almis.
Inde monasterii Patrem sub nomine signans
Præcipit hortari, vigilet, sibi credita servet,
Attendatque gregi, resecet quæ prava videbit,
Ille monasterium post hæc petit, illa recessus.
Abba igitur toto tacuit quæ viderat anno;
At cum jam properant jejunia sacra residit,
Febribus invasus, reliquis abeuntibus extra,
Dixerat ut sibi vaticinans anus ore beato.
At redeunt sanctæ fratres ubi vespere cœnæ,
Dulcibus ille parans monitis impendere curam,
Sacramenta vehit divini corporis atque
Sanguinis in calicem secum Jordanis ad oram.
Adventum sanctæ opperiens in margine ripæ:
Exspectata diu, quæ jam sub tempore noctis
Adveniens cruce transgreditur sibi ponte parato
Et solidum liquidas corpus superambulat undas.
Aspiciens stupet ista senex, sub lumine lunæ,
Perfectique videt quam sit certaminis impar,
Inde petit mater fidei dicatur ut ordo,
Jungaturque dein locuples oratio Christi.
Postquam perpetuæ sumpsit mysteria vitæ.
Mox in pace Dei sese dimittier orat.
Ast compulsa viri precibus, tria contulit ori
A sene lenticulæ delatæ grana canistro.
Hinc petit ut senior venturo rursus in anno
Torrentem repetat quo sunt simul ante locuti.
Se Deus ut jubeat memorans hic esse videndam.
Sic sibi poscentes abeunt solamina ferri
Mutua, devotasque preces utrinque profundi.
Tum super amnis anu fluctus repedante beata,
A Septa monasterii repetit lætissimus abba.
Læto rediens anno loca jussa revisit,
Adveniensque videt jam membra rejecta calore,
Compositis manibus, versumque jacere cadaver
Solis ad egressum; lacrymis perfunditur [illegible].
Dumque preces dicens et psalmos [illegible] aptos
Exequias celebrat; sed nominis inscius hæret:
Terram despiciens, apices in pulvere ductos
Cernit, decessusque diem nomenque ferentem.
Conjicit ergo ipsam migrasse in nocte Mariam,
Præterito sanctis qua participaverat anno,
Adque locum trinæ spatio rediisse sub horæ,
Ad quem bis denis vix venerat ille diebus.
Angitur ergo senex desunt quia rastra labori
Atque sepulturæ per quæ deserviat arma;
B Exiguumque videns lignum sibi forte jacere
Corripit, enitensque fodit durissima terræ,
Terga terens, nec proficiens, imparque laboris.
At sudore operis madefactus, lassus, anhelus
Respiciens videt ingentem prope stare leonem
Pigneris atque pedes miti prolambare lingua.
Territus ille pavore, crucis se muniit armis,
Motibus et blandum cernens tandem, ista volutat
Forte sibi socium patranda ad munia missum,
Imperat hic fidens vertat quo bellua glebas
Expediatque piis membris festina sepulcrum.
Paret at ipsa senis, sumpto lenimine, jussis;
Et didicit tandem feritas oblita furoris,
Nescia servitii, sancto servire labori:
Libera corda gerens, serviles explicat actus
C Funeris officio diverso more peracto,
Diversi remeant comites, diversa petentes
Hic deserta sequens petit abdita lustra ferarum;
Iste monasterium rediens adit agmina fratrum,
Cernere quæ meruit narrat magnalia Christi.
Instituunt fratres festum celebrare beatæ,
Grandævusque senex Zozimas in pace quiescit.

CAPUT V.

De sancto Fabio martyre.

Multa Palæstinam constat decorasse tropæa,
Ex quo progressi mundum ornavere triumphis
Signiferi insignes Christi, pietate viriles;
Qui mundum et mundi proceres sub sceptra prementes,
Hanc palmis vacuam non abjecere negatis.
In qua victores veterique novaque coruscant
Lege Patres, quorum paucos coluisse relatu
Me fateor stricto, lepida nec luce polito,
Nam licet antiquis pictoribus atque poetis
Quælibet audendi fuerat quondam æqua potestas,
Pauca magis cupiam strictim, sed vera profatus,
Sirmate quam longo reperiri falsa secutus.
Unde nec admisi ut canerem certamina quorum
Non titulos ulla inveni in regione notatos
Incerta quorumve leguntur ab urbe triumphi.
Propterea Fabium rutilant solemnia, cujus
Extrema cum solis humum face Julius urit
Cæsareæ expositæ non assignavimus urbi,
Cæsareæ quoniam plures a Cæsare dictæ,
Et quam sacrarit jugulo non legimus harum.
Traditur ut Christi certamine fortiter usus.
Præsidis ipse quidem quia sumere signa recusat,
Traditur in tetro fortis sed carcere miles:
Post aliquotque dies hinc sistitur ante tribunal,
Scitatur semel atque iterum, duratque fidelis.
Mox jugulo plecti furibundo a judice jussus
Percutitur gladio, capitali lege subactus.
Tum ne detur humo servant custode cadaver,
Reticuloque situm salsis maris inditur undis.
Post triduum mersum corpusque caputque deorsum
Reticulo, sed sub Domini virtute revulso
Sacrato capiti redhibentur membra beati
D Et scapulis cervix servatis jungitur ictus
Indiciis, totumque simul revocatur arenæ
Littoreæ, blandis oneri famulantibus undis,
Integroque pii cultus sepelitur honore.

CAPUT VI.

De sancta Theodosia.

Hac data non urbi a nobis Theodosia virgo
Constat. Cappadocum legitur quod sidera nacta
Cæsarea; tradunt tamen hanc quia plurima gesta
Cæsareæ esse Palæstinæ, memorasse videbor
Hanc vel fine libri. Quæ confessoribus ultro
Se socians Christi, sub cæde Diocletiani
Octo decemque gerens cælebs feliciter annos,
Tenta at ab Urbano præfecto, verbere cæsa,
Equuleo suspensa, truci cruciata rigore,
Carcere in obscuro, ferro vincitur onusta;
A Omnia quæ virtute Dei disrupta facessunt
Vincula, sed vinclis semet sine compede servat.
Mergitur hinc alto, magna sibi rupe ligata;
Quam mox incolumem siccis mare reddit arenis.
Subrigiturque feris, illæsa sed exit ab ipsis,
Quod mare quodque feræ vitant explere, satelles
Funesto properat gladio, quem læta recepit:
Ultroneumque hilaris victrix implevit agonem
Ante thronum Sponsi referens festiva tropæa.

DE TRIUMPHIS CHRISTI ANTIOCHIÆ GESTIS

LIBRI DUO

PRÆFATIO SEQUENTIS OPUSCULI.

Temporis prisci proceres Damascum
Dixerant culmen Syriæ, caputque
Patris Abrahæ Chanaan vocatam
Prole Damascum.
Cessit at postquam patris a Seleuco
Civitas est Antiochi decore
Structa, quam cunctæ Syriæ eminere
Maluit auctor.
Nuper hanc Christi famuli feruntur
Territi prima tribulatione
Qua palam constat Stephanum cruento
Grandine pressum.
Hanc via facta geruli fideles
Huic ferunt urbi radios beati
Luminis, fecunda Dei serentes
Semina verbi.
Cœpit hic jam lux, tenebris fugatis,
Splendide fulgens adeo micare,
Nomini ut primordia Christiano
Urbs daret ista.
B Tum ferax accrescere præminentis
Tritici surgit seges, ac referre
Centuplum cœlis patienter aucto
Mergite fructum.
Spiritus sancti radiata luce,
Intuens toto orbe famem futuram,
Fertiles certat Solimam patronis
Ferre maniplos.
Nam prophetiæ quoque dona sumpsit
Muneris charismate, quo, tributo
Gentibus, Judæa caret, salutis
Fonte negato.
Urbe pua certamina sunt labore
Plura decertata pio, fideles
Clara queis Christi referunt alumni
Præmia regni.
C E quibus multis, quia Christiani
Nominis fons hic et origo cœpit,
Post Palæstinos breviter triumphos
Paucula tangam.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Urbs nacta Antiochi nomen de nomine regis,
Sortis apostolicæ magnis instructa magistris;
[illegible] Petro, hic prima residente cathedra,
Præsulis et digni officium solerter agente,
Atque sedente Paulo docili cœlestis alumno,
Egregios celebrat, Christo donante, triumphos:
Martyribus factis, isto sed nomine necdum
Dictis, martyrii quoque dat reverenter honorem,
D Et Machabæorum recolit solemnia fratrum:
A quibus antiquæ dum testificatio legis
Fortiter asseritur, matre exhortante beata,
Pro legislatore Deo stant ultima passi,
Et quia pro casta mandati lege necantur,
Christi sunt testes, veteris qui legis habetur
Finis principiumque novæ, probat auctor utrique.
Qui sacra dum certant non abjurare paterna,

Interimi nec seduci vincive valebant;
Terrorem regis puerorum pectora frangunt,
Munia nec leges, tormenti machina fregit
Quem vincunt pueri barbatos vicerat hostes;
A Victorem regum superat patientia fratrum.
Haud dubium pro lege Dei quod cæde perempti
A Domino legis capiunt pia præmia mortis,
Sumentes roseas, Christo tribuente, coronas.

CAPUT II.

De Agabo propheta.

Hic Agabi pollent sancti monumenta prophetæ,
Inque rudi testamento, cui gratia vatum
Enituit veterum, claro ventura canenti.
Ille famem multis prædixerat ante diebus
Quæ pressit totum, regnat dum Claudius, orbem
Namque prophetali pulsus cum munere, dona
Hunc a Judæa manifestans cœlica venit,
Judæis, ablata, quæ sed tradita genti:
Lumen ab Hebræis extrusum gentibus ortum.
Hic sancto cecinit Paulo sua vincla manere;
Cujus corripiens zonam, palmasque pedesque,
Devinxit sibi, vaticinans sic esse ligandum
In Solima fratrem, cujus vincimen id esset.

CAPUT III.

De Manahen, Procoro et Joanna.

Hic etiam Manahen, qui collactaneus ipsi
Scribitur Herodi, doctor simul atque propheta,
In Christo clara tumulatus sorte quiescit
Conjugis hic Chuzæ, qui olim curator alebat
Herodem, pariter recoluntur festa Joannæ.
C Quam meminit Lucas Domini vestigia Christi
Sectatam, sociisque ipsique fuisse ministram.
Hanc quoque Procorus habitare diaconus urbem
Delegit, fidei merito, virtutibus atque
Pluribus insignis, hic et complevit agonem.

CAPUT IV.

De Evadio episcopo.

Huic primus præsul, post Petrum, Evodius urbi
Jura sacerdotis, Petro tradente, subivit.
Dignus quem Petrus tali donaret honore,
Atque vices tanti caperet pastoris ab ipso,
Pro grege commisso forti qui robore fretus
Martyrii meruit certans hac urbe coronam.
Quam dignus meritis successor laudibus effert,
Ecclesiæ scribens Ignatius Antichenæ,
Ipse feris abiens tradendus corpore Romam
Discipuli estis, ait, Petri Paulique vocati
Depositum vobis ab eis servate relictum,
Et memores estote pii pastoris, ab ipsis
Qui datus est vobis, nec confundamur alumni
Sicut adulterio corrupti seminis orti.
Tam dulcem sanctumque Patrem sed moribus almis
Efficiamur eo tam castifico Patre digni.

CAPUT V.

De sancto Ignatio.

Hac etenim residens Ignatius urbe nitebat,
Huic post hunc præsul fidei pia dogmata dedens,
Morte triumphata, quem se vidisse fatetur,
Sumpsit apostolico socius quæ strenuus ore.
Audito cujus celebri rumore senatus,
Principe Trajano fervorem stragis agente
In nostros, statuit qua pasceret ora ferarum
Insanæque daret Romæ spetacula plebi.
Abripitur, vinctusque datur custodibus ultro,
Militibusque decem ducendus traditur Urbi.
Qui loca præteriens Asiæ, dum cærula vadit
Navigio, veneranda piis dat semina terris,
Ecclesiæque docet populos persistere toto
In sancta cum corde fide, vitare profanas
Quæ tunc extulerant hereses caput ore chelydri,
Exhortans ut apostolicis nexamine forti
Hærerent monitis, horum præcepta secuti
Adveniens Smyrnam, Polycarpi fultus amore,
Dirigit hinc Ephesum scriptis solamina verbi.
Hinc simul iustruitur Magnesia, necne Meander;
Ecclesiæ Trallis dantur quoque semina vitæ.
Romanis etiam scribens pia grammata mittit.
Poscens ne pro se doleant, ne spem sibi tollant
C Martyrii; jam carnis eis affectio desit
Erga se, pœnas hilari qui corde receptet
« Ecce salutares, inquit, mihi nosco ferarum
Exacui dentes, veniant, his carnibus uti,
Quæso, meis liceat diras, quas opto parari,
Ac peto ne nostrum metuant contingere corpus,
Quorumdam veluti crebro timuisse patescit:
Quin et si dubitent, ego me, veniam date subdam.
Nosco quid expediat mihi discipulus fore [pro esse] [Christi
Nunc cœpi, non invideat quem quisquam adipisci.
Fornaces ignesque, crucesque, feræque parentur,
Membra revellantur, pateantque medullitus ossa;
In me snpplicii conflentur robora cuncti,
Ut modo pervaleam Christum comprendere Jesum. »
D Inde datis scriptis, Polycarpo tradit alendam
Ecclesiam, cœptum repetens iter, Antiochenam;
Et veniens Romam Trajam sedibus astat.
Hic oblatus ei pariter residente senatu
Præponensque Dei cultum terroribus horum.
Plumbatas scapulis primo accipit ictibns actas;
Hinc ejus lanians latus ungula sulcat utrumque,
Quodque subinde fricant scabri rigidique lapilli,

Deinde volæ manuum vivo carbone replentur,
Intusque olei fota flagranti papyro
Costarum crates lateraque a vivo cremantur,
Inde pavimento prunarum spargitur ignis,
Et super hunc sanctæ tulerunt consistere plantæ.
Tum rursus jusso lectos conscendit ardens,
Vellitur inde iterum tractatur discindere dorsum
Ungula lacerans carnes et ad ossa penetrans;
Quærebat unde dolor, patiens dum talia suffert,
Ac sale cum valido plagæ infunduntur aceto,
Has passus, fortisque manens, horrore fatigat
Tortores cruciatus, subigit frangitque flagella.
Victis suppliciis tum vincere beata
Ferro membra parant, imo quoque carcere trudunt,
Constringuntque pedes magni sub pondere ligni.
Cumque tribus, nullo victus solamine pastus,
Sed neque potatus, mansisset athleta diebus,
His indefessus Trajani sede superbi
Amphitheatrali deducitur ante tribunal,
Quo, Romanorum cuncta properante caterva,
Objicitur geminis sub vincla leonibus actus,
Jamque datus, caveæ rabidos audire ferarum
A Ut cœpit fremitus, flagrantique talia fatur
Martyrii et magno succensus amore triumphi:
« Sumite, Romani, nostram quicunque palæstram
Spectatis, cunctique viri, mea sumite verba;
Non abs re patior, nec propter vana laboro
Me poenas, non impietas perduxit ad ista,
Nec propter facinus, sed pro pietate trucidor,
Frumentum Christi, fateor, ut dentibus harum,
Mundus ut inveniar panis, molar ipse ferarum. »
Permissi veniunt, illo hæc dicente, leones,
Præto antique jam, jussi componere luctam,
Cetera non audent, nec enim contingere carnes
Præsumunt, tantumve cibo violare cadaver.
Mortua membra feras, homo quæ laceraverat, ar-
cent
B Quæ ratione vigens ratione vigentia torsit,
Hæc ratione carens ratione carentia servat,
Christicolisque suæ linquuntur et integra sedi.
Hæc ad quam revehunt comites invicta ferentes
Ossa triumphati, proceres vincentia mundi,
Daphniticamque locant extra pia pignora portam
Mortuus ut tegeret vivens quam rexerat urbem.

CAPUT VI.

De Herone et successoribus ejus.

Angelicis quondam conspexerat iste choreis
Æthereos trinum cives efferre decorem;
Cujus antiphonis modulans recinebat ut hymnos
Ordo, notansque modos proprios, docet organa tur-
mas.
Spargitur hinc celebris mundi per climata ritus.
Hæc manifestatam pergenti ad prælia fertur
Ejus pontificem post se fore sedis Heronem,
Ultus ipsius qui tunc levita nitebat,
Cuique gradum digne subiens hujusce decoris,
Hujus et exemplum sectans imitator habetur,
Proque gregis Christi cura procumbit alendi,
Instruit hanc post quem præsul Cornelius urbem
Tum quoque post Petrum quintus hic præfuit Heros,
Theophilus sextus, sapiens sanctusque sacerdos,
Cujus catholicæ doctrinæ scripta feruntur,
C Contra diversas docte bellantia sectas,
Hermogenem et reliquos qui confutavit ineptos,
Congressusque palam superavit falsa sequentes.
Qui procul exturbans docti celeberrimus oris
Ut vigilans pastor rictus clamore ferarum
Atque lupi Christi gregis insidiantis ovili,
Præsentes vegetat, venturis arma ministrat,
Ecclesiamque Dei vita verboque venustat.

CAPUT VII.

De Maximino et Serapione.

Hinc Maximinus rite post apostolos
Qui rexit urbem fertur istam septimus.
Serapion post hunc, fide clarissimus
Ac eruditus regulis authenticis,
Quibus refutat improborum nænias;
Qui se prophetas jactitabant publice,
Sanctis agentes vatibus contraria
Et spurca mundis inserebant semina
Dum tritico conspergerent zizania;
Hic Maximillæ detegens mendacia,
Honore vatis quam colebant inscii,
Ostendit ejus exsecranda semina.
Hujusce subscripsere sancti epistolis
Viri probati, præsules ac martyres,
Qui pluribus fervore sancto scriptitans,
Docet fideles, infideles arguit,
D Rectos tuetur, deviantes corrigit,
Nunc apta firmans, nunc inepta respuens;
Qui Martiani reprehendens dogmata
Monstrat sibi ipsis quod sient contraria,
Notans sequaces quos docetas nominant,
Servatque agellos a maligno semine,
In quis benigna nutriebat gramina.

CAPUT VIII.

De Asclepiade, Phileto, Zabenno et Gemino.

Hic ad supernam dum recessit patriam,
Asclepiades præsulatu fungitur
Istius urbis, inter almos milites
Confessione clarus et fortissimus.
Congratulatur hunc Alexander, datum
Solymæ a Deo quem præsulem signavimus,
Solans alumnos urbis hujus litteris,
« Levavit, inquit, nostra Christus vincula

Et arcta dilatavit hujus carceris,
Asclepiadem, sanctitate præditum,
Hujus honore culminis dignissimum,
Sumpsisse vestra comperi quod regimina »
Post quem Philetus, hinc Zabennus jungitur,
Geminus secutu splendet hujus presbyter
Lepore clarus, emicans scientia,
Monumenta libris prædicant ut indita.

CAPUT IX.

De sancto Babyla et Theodoro.

Abhinc Babillas urbis hujus pontifex
Confessionis dignitate præminet:
Qui dum frequenter passionibus suis
Christi triumphans extulisset gloriam,
Et innovatis invicem carptoribus,
Flagella fortis pertulisset maxima,
Intra cavernæ carceralis vincula
Vitæ capessit gloriosæ terminum.
Cum quo feruntur tres necati parvuli
Philidanus, Epolanus, Urbanus simul
Hujus secuti Patris altum tramitem.
Cujus beati martyris mausoleum
Daphnis renidet, urbis in suburbio.
Qui Julianus, pestilens apostata,
Dum, fana Castaliæ colens scaturiginis
Misero litaret impudens Apollini,
Responsa nec stipulatus ulla sumeret,
Cujusque causas quæreret silentii,
Juxta Babillæ busta haberi martyris,
Tandem remisi detulere dæmones
Responsa se non posse quare reddere.
At ille mox venire Galileos jubet
(Nam Christianos sic vocare sueverat)
Et hinc sepulcrum martyris propellere.
Tunc Christiani rege Christo præditi,
Arcam levantes hymnizando martyris
Laudes in exsultatione concrepant,
Aures profani principis per millia
Sex impetentes hæc canendo carmina :
O Christe, confundantur omnes ethnici,
Qui vana adorant supplicantes sculptilio,
Et glorientur qui suis in idolis.
Cœlum resultat arduis clamoribus,
Tyrannus atris infremit doloribus.
Tum Christianos ille mandat abripi
Et carceris trusos in imis affici
Præfectus ejus implet hoc Salustius,
Arctiusque quemvis Christianum primitus
Sibi obviantem (nomen huic Theodorus),
A luce prima torquet usque vesperam
Crudelitate tam truci, tortoribus
Ad flagra mutatis, ut unquam diceret
Se nemo tam vidisse factum atrociter.
Pendens equuleo sed nihil præter pium,
Actus flagris hinc inde sævientibus,
Dicebat hymnum quem canebat pridie.
Considerans egisse nil Salustius
Immanitate tam feræ sententiæ,
Juvenem recepit obstupens ergastulo,
Ac imperatori quid actum sit refert,
Quem commonet ne tale quid de cætero
Præsumat, ipse sibi parans infamiam,
Et Christianis qui resistunt gloriam.
Minatur ergo Julianus Persicam
In Christianos arma post victoriam,
Totasque vires se daturum prælii.
Divina sed resistit his sublimitas,
Miserum relegans quem minacem sustinet.
Nempe hoste cæsus abdito subvertitur
Finemque vitæ sumit atque fascium,
Christo potentis architecti filio
Diro locellum fabricante funeri.
Ast intimasse traditur Theodorus
Sævis adactum se parum doloribus,
Sed allevatum spiritali lumine,
Juvenem sibi astitisse, candidissimo
Sudoribus se terserit qui carbaso,
Aquam frequenter frigidam qui infuderit
Eumque sub labore roboraverit :
Dolet unde fessis hostibus parci sibi,
Se gloriatus luce Christi perfrui.

CAPUT X.

De ultione in perfidos et retributione fidelium.

Ipsumque fanum fulmine ardet cœlico,
Deus favilla delitescit Pythius :
Flagris subacti id clamitant Neochori,
Id rusticorum tota fert vicinia.
Præfectus alter sancta mictu attaminans,
Christique templum inane censens numine,
Præsumptionis digna pendit præmia,
Dum, putrefactis abditorum ductibus,
Blasphemiarum stercus effert organo
Sævaque multæ peste gnarus interit.
Prælatus ipse probra gazæ regiæ
Addens cavillo, dum cachinnat, æmulo,
Manum supremi cognitoris non fugit,
Oris meatu fulcra fundens corporis,
Vacuus repente qui facessit sanguine.
Laquei parantur innocentes fallere
Fontesque dapnis sordidat contamine,
Cibi forenses hic madent aspergine.
Quidam gementes munda mundis judicant,
Quidam exsecrantes respuunt spurcamina,
Damnant profana, laude lucis oppetunt,
Palmas adepti dignitate funeris.
Rerum rapinam quidam ovantes efferunt :
Ut dux Valentinianus, indignans sacra
Stilla inquinari, non renutat carcerem
(167) Læto ministro, aut incolatum perpeti
Centena adeptus, unde regni purpuram
Pro militari mox capessit baltheo.

(167) Locus corruptus.

Cives abjectis urbis hujus moribus
Vestimentis opprobrant sordidis
Taurina mundum quod erat quassatio
Querulis crepantes insonant conviciis,
Barbæ quo stamen torqueatur funibus.

CAPUT XI.

De constantia Publiæ.

Matrona castis culta nec non moribus
(Tellure pulcher procreatus pullulat
Qua flos Joannes laude dignus presbyter
Fugiens, petitus sæpe, summa ad regimina),
Choro notatum videt hostem Publia,
Tacere jussa despicit lymphaticum,
Nec cæsa parcit carminare erroneum.

CAPUT XII.

De Fabiano episcopo et successoribus ejus.

Post vitæ excessum sancti magnique Babilæ
Ecclesiæ regimen cepit hac Fabianus in urbe,
Concilii decreta sui Cornelius urbis
Romanæ præsul cui confirmanda dicavit,
Quæ ferunt hæresim natam turgore Novati.
Scribit Alexandrinus et Dionysius inde
Multa, notans istud quam sit damnabile dogma.
Successit cathedræ Fabiani Demetrianus,
Cui Paulus Samosatenus, qui, regmine sumpto,
Erroris lepra Christi maculavit ovile.
De Domino male sana ferens, dum simplicis illum
Naturæ tantum docet humanæque fuisse,
Divinum tentans in eo vacuare decorem.
Conveniunt igitur proceres pietate viriles
Pastoresque boni, caulis belvam insidiantem
Discutiunt, multoque premunt clamore latentem.
In quibus insignes aderant famaque celebres
Cappadocum gentis præsul tunc Firmilianus,
Gregorius Ponti, fraterque Athenodorus, atque
Iconii Nicomas, Helenus Sardensis, et horum
Præcipuus Solimæ præsul Hymeneus, et ejus
Urbis vicinus Theotignus Cæsariensis;
Maximus et synodo Bostrensis idoneus horum;
Cum quibus et multi variis e partibus orbis
Pontifices sacri, levitæ presbyterique.
Hac urbem causa coeunt apud Antiochenam
Colloquii contra fugitantem specula mittunt
Serpentem multis dum lusibus effugat actus.
Conveniunt iterumque, iterumque relabitur anguis.
Concurrunt quoque multoties, dum numine fulti
Divino, tumidum tandem oppressere draconem.
Ad figenda tamen sinuosa volumina monstri
Hujus, præcipue valuit quidam Antiochenæ
Presbyter ecclesiæ prudens, cui Malchio nomen:
Vir bonus, ornatus meritis laudique peritus,
Doctrina factoque potens, virtutibus altus,
Cum Samosateno cui disceptatio Paulo
Concilio soli concessum fertur ab omni,
Scriptorum excipiente manu, quam naviter acta,
Servatur cuncto veluti mirabilis ævo.
Solus enim propriis potuit vincire profatis
Ac monstrare palam Paulum se dissimulantem;
Solus ab internis anguem exturbare cavernis.
Deprensus clara damnatur voce chelydrus;
Monstraturque palam toto damnabilis orbe.
Deposito hoc Domnus præsul latrone levatur.
Post quem pontificis suscepit jura Timæus.
Hoc quoque defuncto successit honore Cyrillus,
Quem sequitur Dorotheus, divino dogmate clarus
Et satis intentus, quare didicisse loquelam
Traditur Hebraicam, Græco sermone disertus.
Fertur hic eunuchus matris de ventre fuisse,
Unde et apud reges terrenum sumpsit honorem.
A Domino partem quoque pignoribus meliorem.
Erigitur præsul quo decedente Tyrannus,
Ecclesiæ fervens sub quo tribulatio crevit
Quam rabidus furor accendit Diocletiani,
Omnigenis sanctos pœnis qua vellere legit;
Diversisque modis diversas dum quatit urbes.
Craticulis hac urbe pii torrentur adusti,
Compressi hicque duo juvenes, virtute gemelli
Non natu, libare diis ducuntur ad aras
Injectisque foco manibus, « Libasse putate
Nos, aiunt, si forte manus subducimus igni. »
Dicta probavit opus, palmæ nec ab igne remotæ
Donec tota cadens manuum caro fluxit in ignes.

CAPUT XIII.

De sanctis Juliano et Basilissa.

Hac urbe sanctæ Julianus indolis
Nitebat almus, eminens virtutibus,
Quibus pia florebat ex infantia,
Quibusque crescens bis novem peregerat
Ætatis annos, legis in scientia
Dei laborans sedulus nocte ac die.
At dum renidet unicus parentibus,
Uxoris hunc vincire contubernio
Nituntur, atque respuentem commonent
Pauli beati paginis apostoli.
Septem dierum qui petens inducias,
Oratione fultus et jejunio,
Summi voluntatem requirit Arbitri.
Tandemque sumit ejus hoc oraculum,
Uti parentum vota tædis impleat,
Nec conjugalem copulam perhorreat,
Qua non pudorem conjugatus perderet:
Integritatis complicem quin sumeret.
Hoc roboratus vir pudens oraculo,
Audire jussa se editorum retulit.

Gaudent parentes, ac requirunt nobilem,
Mox nobili quæ necteretur, virginem.
Favente Christo repperitur commoda
Quæ casta casto jungeretur congrue.
Basilissa, claris prodiens natalibus,
Die statuta nuptiarum largiter
Dapes parantur, convocatis plurimis;
Thalamus locatur, virgo ducit virginem :
Intrant cubile, sentiunt fragrantiam
Velut rosarum ac liliorum copia.
Sponsus revelat hunc odorem cœlitus
Missum rosarum, cum nec essent tempora,
Nec id cubile spargeretur floribus :
Hæc castitatis esse signa prævia,
Servare Christus quam juberet, gloriam
Ut angelorum comprehendant cælibes :
Imbuta sacro sponsa cœli nectare,
Gaudet pudoris dedicari stemmate,
Et cælibatum læta præfert copulæ.
Firmantur ergo vota contubernio
Ut conjugali intaminata castitas
Enutriatur, vana vitans gaudia ;
Et quæ putantur carnis esse fœdera
Fiant beatæ casta vitæ fenora
Post hæc, brevi meante cursu temporis
Utrumque defunctis sibi parentibus,
Pio capescunt jure patrimonia,
Et sancta dignis vota promunt actibus ;
Possessiones namque terræ conferunt
Hæreditates unde cœli comparant.
Cellas benigne construunt monasticas,
Animasque Christum diligentes colligunt.
Hic vir virorum congregans exercitus
Contra phalanges præliantes dæmonum
Hæc virgo virginum legens consortia
Contra draconis machinas luctantia.
Crescebat ex his multitudo maxima,
Hujus relinquens sæculi contagia.
Videns malignus lucra cœli crescere,
Livore tetro concitatus angitur,
Instigat et Diocletianum principem,
Ut ad piorum punienda examina
Transmittat isthuc Martianum præsidem,
Qui Christianos dum perurget idolis,
Fidem beati Juliani comperit,
Mori paratos quod foveret plurimos ;
Mittensque mandat Juliano principum
Decreta faxit, ac suis libet diis,
Hortetur et litare secum cæteros,
Contemnit hæc mandata sanctus præsidis,
Monetque Christi roborando milites
Pugnare contra dæmonum satellites.
Firmantur ergo clara Regis agmina,
Parere nec se Martiano perhibent.
Responsa nuntiantur ista præsidi,
Qui mox parari maximam pyram jubet
Sanctosque flammis congregatos conjici,
Sibique solum Julianum dirigi.
Eunt ministri, jussa complent principis,
A Tradunt ministros et sacerdotes rogo,
Omnemque cœtum, qui petens sodalia
Tunc ad beatum Julianum venerat
Examinantur igne Christi milites ;
Conflatur aurum hoc camino splendidum,
Et ante sedem regis alti martyres
Fulgentiores luce pergunt aurea ;
Ad busta quorum sanitates plurimæ
Patrantur, hymni concrepant cœlestium.
Beatus ergo Julianus carceri
Tum mancipatur, exhibendus præsidi.
Nam sancta jam Basilissa commigraverat
Ad angelorum clara contubernia,
Vallata turmis candidatis virginum
Niveisque compta liliorum floribus.
B Athleta fortis Julianus præsidi
Oblatus, anguis flagitatur sibilo
Terrestrium patrare jussa principum,
Et imperatorum favorem consequi.
Refutat ille Martiani nænias,
Dominoque vero serviendum prædicat,
Qui regna solus universa continet.
Qui vero adorant impudenter sculptile,
Errore cæcos dicit atque morbidos.
Hæc ut locutus inclytus vir, traditur
Duris acerbe laniandus fustibus,
Dum membra sævo proteruntur verbere.
Grassans ocellum verber aufert militis,
Deos precatur Martianus fusiles
Poscitque lumen reddi abactum militi.
C Ruunt repente dum litatur omnia
Et comminuta dissipantur idola.
Beatus autem Julianus palpebras
Dum tangit orans vulnerati militis,
Christum recepto laudat ille lumine.
Hunc præses ad confessionem nominis
Hujus trucidat, quem cruoris flumine
Lotum Redemptor consecravit martyrem.
Posthac beatus Julianus ducitur
Dum per plateas urbis ob spectaculum,
Videt coronam Martiani filius
Ferri superne Juliano ab angelis;
Fultumque cernens hunc honore cœlitum
Abjecit omnes quas legebat paginas,
D Vestemque patris; Juliani tegmina
Petens requirit, osculatur vulnera,
Patremque solum hunc confitetur, et Deum.
Hæc præses audit, audit omnis civitas,
Jubet tyrannus separari filium
A Patris almi Juliani amplexibus.
Tentant ministri, contrahuntur brachia,
Implere jussa nec sinuntur præsidis,
Ducuntur una dum dirempti (*sic*) non valent.
Stupent parentes, et magorum perhibent
Hoc arte factum, Julianum sed petunt
Artem resolvens ut remittat unicum
Eatque liber pace sumpta principum.
Contemnit hæc vir eminens suffragia;
Puer parentes abnegat : Dominum patrem

Habere gaudens, sprevit omne sæculum.
Privata temnunt, servet ut custodia,
Eosque pascat torva liberalitas.
Traduntur ergo carceris teterrimi
Imo, tenebris sordibusque pessimi.
Aufert odorem Christus inde fetidum
Præstans odorem cœlitus suavissimum,
Lumenque sanctis exhibens clarissimum.
Vident ministri, qui pios deduxerant,
Tantam beati claritatem luminis,
Christo refecti suavitatem nectaris
Præbent honorem qui suos sic allevat;
Spernunt redire ad noctem ab isto lumine,
Ad mortis auctorem pia vita agnita.
Audit tyrannus, et simul clerici jubet
Hos, dum trucidet ultione fervida.
Orant salutem ferre confessoribus
Christum beati confitendo martyres.
Fratres in urbe septem erant, et filii
Primatis urbis, Christianus qui pius
Dilectus atque regibus decesserat;
Ejusque gnatos hac procella principes
Jussere tutos lege cæpta vivere.
Antonius cum quis manebat presbyter
Hi cœlico jubentur acti numine,
Simul sacerdos, visitare carcerem;
Quem mox petentes ecce cernunt prævium
Sibi supernæ dignitatis angelum,
Qui, dissipatis januis ergastuli,
Cæcum meantes introducit pulveres:
Visoque fratres tam beato lumine,
Hærere gaudent sponte confessoribus.
Implentur ergo sacra vota martyrum,
Tinguntur atque milites baptismate;
Domino dat almus Julianus gratias
Sævoque nuntiantur ista præsidi.
Septem ille fratres exhiberi præcipit
Verbisque curat admonere lenibus.
Temnunt athletæ viperinos sibilos,
Fraudisque voces aure surda transigunt
Et se paratos ad palæstram prædicant.
Torquetur anguis, et venena colligens
Remittit ipsos curioso carceri.
Horum salute quo tenentur anxii
Tunc cædis hujus id refert auctoribus
Et Julianum accusat artis robore,
Nitore culta fregerit quod idola,
Tropæa prosecutus ejus cætera.
Decreta poscens inde quid deliberent.
Mandant parentur singulis ut dolia
Adipis, liquore cum picis ferventia,
Ab igne sani forte si recesserint
Pœna afficit qua censet, hos exerceat.
Mox exhiberi præses e custodia
Jubet beatos sub catenis milites.
Datam sibi proponit his licentiam:
Eaque sancti quæ ligabunt impius
Pœnas revelant, et manent interriti.
Hæc dum teruntur, corpus ecce mortuum

A Dudum suetis bajulatur ignibus;
Quod Martianus ut videt, poni jubet,
Et Juliano mandat id resuscitet,
Fecisse Christus ut magister proditur.
« Cæcum quid inquit Julianus, adjuvat
Sol, quando lustret cæterorum lumina?
Sed vestra quamvis non meretur cæcitas,
Jam tempus est Christi ut patescat claritas
Fidelis ejus nam manet promissio,
Ne nostra vane decidat petitio. »
Hæc dixit, utque fudit ad Dominum precem,
Refunditur mox vita membris reddita.
Astatque vivus, raptus imo Tartaro,
Christumque laudat quem prius nesciverat,
Teterrimis et impiis gigantibus,
B Pœnisque se fatetur atris erutum,
Vitæque propter Julianum redditum.
Tactus dolore carnifex ergastulo
Jubet retrudi hunc aggregans certantibus:
Quem Julianus ablui baptismate
Facit, piorum copulans consortio.
Mandata pœna præparatur interim:
Triginta et unum destinantur dolia,
Ignis repleta prænotato pabulo;
Ducuntur ad parata sancti incendia;
Vocantur omnes illud ad spectaculum.
Rogat remitti Martianus filium,
Sanctosque reddi pollicetur liberos.
Oblata spernunt hæc beati martyres,
Puerque patris respuit clementiam,
C Patremque poscit ista postquam vicerit
Tormenta, matrem commorari det sibi
Tribus diebus; dans pater redit domum,
Ad hæc agenda providens vicarium,
Gnati videre non ferens incendium.
Ponuntur almi in præparata dolia,
Et vastus ignis alte circumfunditur;
Flammæ feruntur arduæ per aera:
Psallunt beati voce clara carmina,
Fideque celsa supprimunt incendia,
Auroque ab igne clariores exeunt,
Deoque laudes corde læto concinunt,
Magnum ferentes civibus miraculum:
Sed circulator hoc magorum deputat
Virtute gestum, dans tenebras in diem
D Dextris sinistra, amara miscens dulcibus.
Ut expetivit, matre sumpta filius
Lætus beatis jungitur consortibus,
Privata claustra quos receptant carceris
Odore quæ replentur almi nectaris.
Captans choreas concinentes, femina,
Expleta suavitate tam gratissima,
Christum dolore confitetur obruto:
Quam luce verbi Julianus erudit,
Firmatque blanda charitate tempus;
Gnatus petenti fit pater baptismate,
Matremque proles edit almo germine,
Gaudent athletæ cum supernis civibus
Ovem lupinis se expulisse faucibus.

Audit jugalem Martianus complicem
Factam piorum filiique supparem ;
Domum reduci, quam jubet secretius,
Quid huic sit actum sciscitans a filio.
Pro liberatione matris arduas
Christo beatas celsus effert gratias.
Domi tyrannus detineri conjugem
Jubet ; ministri molientes obsequi
Cæcantur ; accipit pios ergastulum.
Die sequenti Martianus milites
Obtruncat almos bis decem, qui, lumine
Ducti superno, vanitatem liquerant,
Septemque fratres igne pugnam finiunt,
Aurum refulgens ceu camino redditur,
Facti per ignem luce clara splendidi.
Posthac tyranno suggeruntur cæteri :
Tentat profanus avocare martyres
A jure Christi et subjugare sculptili.
Ornare templum quo resedit pulchrius
Secretiusque mandat auro fulgidum,
Ducique sanctos ac litare perditis,
Placare vana læserant quæ numina.
Cœtus popelli pergit istud visere ;
Adsunt beati, et signa Christi frontibus
Figunt sacrata muniendo corpora :
Intrant sacellum roborati munere
Christi, precantur ejus atque gloriam
Pandi, ruant ut illa templi mœnia,
Et cuncta fani conterantur idola.
Audit supernus vota servorum Deus :
Ruit sacellum, defatiscunt coctiles ;
Ruina templi apparitores opprimit,
Ignisque cuncta absumit, hæc demoliens.
Insultat almus Julianus præsidi ;
Furoris ille perforatur spiculis,
Sanctosque in atri claudit ima carceris.
Hic nocte laudes dum Deo persolverent,
Adsunt beati qui triumphum impleverant,
Horum pia confessione compares,
Omnes amicti vestibus præcandidis,
Et alleluia concinentes dulciter.
Chorum beata ducit illic virginum
Basillissa, sancto quæ jugali gratulans,
Aperta cœli regna sanctis nuntiat,
Hos et die promittit ipsa suscipi
Qua Christus orbi clara lux apparuit,
Ut hac polorum appareant cum civibus
Et in supernis perseverent sedibus.
Post hæc tribunal in foro præses jubet
Sibi parari et exhiberi martyres.
Crudelitatis hic furorem exercitans
Digitis piorum per manus lychni et pedes
Oleo madentes alligentur præcipit ;
Quod ut peractum, mox papyrum accenditur
Ardentque fila : annexi lædi non valent,
Intacta et ustis membra lychnis permanent,
Dein beato Juliano verticis
Pueroque sancto detrahit ferus cutem
Oculos sacerdoti eruens Antonio,

A Et, quem beatus Julianus mortuum
Orans resuscitavit, Anastasio.
Pueri ergo matrem Martianillam Deus
Non posse cernens ferre dura tormina,
Cæcabat omnes huic manus qui injecerant ;
Curavit autem sauciatos martyres,
Illuminavit integrosque reddidit,
Cruciatur hostis corde, sævis tigribus
Dirisque factus crudior serpentibus.
Sanctos in amphitheatrum agit, quos bestiis
Exponit, ipse suis ferocior feris.
Venire belvas et piorum lingere
Pedes videres, mitiores catulis.
Furiis repletus et gehennæ incendiis
Jubet requiri Martianus noxios.
B Acti trahuntur criminosi ergastulis
Piisque permiscentur athletis rei,
Missoque in amphitheatrum ad hoc satellite.
Necantur admisti innocentes noxiis ;
Exempla Christi consequentes, hic quoque
Qui in passione junctus est latronibus.
Tellure mota corruunt mox idola,
Aer minaci personat tonitruo,
Miserosque magna terruere fulgura.
Hinc semivivus Martianus effugit ;
Efflavit autem devoratus vermibus
Paucis diebus evolutis postmodum.
At Christiani nocte qui remanserant,
Postquam beati regna scandunt martyres,
Eunt piorum sancta lectum corpora :
C Quæ cum laborant segregare sontium,
Oratione supplici Christum petunt
Eis piorum quo revelet pignera,
Et ecce visæ ceu decoræ virgines
Thecas sedere singulæ super suas.
Hoc lecta viso membra signo fulgida
Cruorque juxta congelatus splenduit,
Altaris et sepulta sub fundamine,
Procedit unde fons abunde profluens
Locum superni qui replet baptismatis,
Hic multa Christus exhibens beneficia
Pendit vietis sæpius solamina.
Die beati Juliani martyris
Vecti leprosi quo decem tabo horridi,
Exulcerata carne pene putridi,
D Tincti ut lavacri sunt aquis, pulcherrimum
Sumunt decorem, sanitatem et integram.
Ferturque vox delapsa cœlo hujusmodi.
Hæc Juliani nunc, mei charissimi,
Meruit fides. majora quæ merebitur.
Et hic et in quo fabricata sunt loco
Orationem sub honore domata
Basilissæ et almi Juliani martyris,
Præbentur ampla sanitatum munera,
Et vota complentur piorum commoda.
Quorum beata postulent flamina
Nobis resolvi criminum nodamina
Et dent superna possidere gaudia.

CAPUT XIV.

De sancto Romano.

Romani luctam aureolo Prudentius ore
Intonuit ; quare satis est libare tropæa.
Denique præfectus hoc mittitur Asclepiades,
Ecclesiamque dolo meditans irrumpere furvo,
Mansuetum Christi disperdere ovile volutat.
Panditur id sancto superi charismate Regis
Romano, monachi qui relligione decenter
Præpollens, valido reliquos fulcimine munit
Et sicut exhortans contra furentque tyranno :
Unde sibi sisti jubet hunc præfectus ut audit
Sistitur, arguitur, reperitur fortis, agone
Intrepidus, constans Domini sublimis amore :
Concutitur flagris, tormento appensus equuleo ;
Lætior efficitur, tortus tormenta triumphans
Exprobrat excrucians tortorem, verbera nescit ;
Tristitias athletis Christi proponit amorem,
Atque Dei servos meliores regibus effert.
Depositus quatitur librati verbere plumbi ;
Hinc lectus spondetur honos, ille omnia temnit,
Et sæcli decus omne Dei postponit honori.
Ceditur hinc lignis, tensus lictore quaterno ;
Tum quoque maxillas subacuta novacula rasit.
Facundi vocem dolor ut compesceret oris :
Confessor nullo substernitur arte repressus ;
Præemptius alloquitur, puerumque admittier orat
Quemlibet, ac vera de relligione rogari
Unum sive Deum plures dicatve colendos.
Raptatur puer, ostendi martyr petit illi
Virtutem Christi, puerum sic vera reposcens,
De cultu summo absque dolo jubet apta fateri.
Illicet effatur solum puer esse colendum
Æternis atque soli Dominum, non sculptile vanum.
Angitur hoc hærens stupidus sermone tyrannus ;
Versus in infantem quis ad hæc instruxerit illum
Sciatur. Matrem se puso fatur habere
Christicolam, doctumque ab ea se credere Christo
Mittitur accitum matrem ; perducitur illa :
Præcipitur geniti genitrix tormenta tueri.
Confessus se Christicolam suspenditur ille,
Torqueturque, plumster quem robore firmat
Æterni et fontis sitienti pocula suffit.

A Cum puero Barula flagris Romanus adactus.
Miles cum tirone, novus cum milite tiro ;
Clauduntur que simul torti imo carceris antro
Interea crudelis diras excogitat artes,
Lignorumque pyram jubet extra mœnia poni.
Fulgebat posthac tenebris lux altera pulsis
Præfectusque ibat populo comitatus opimo ;
Ibant et sancti gaudentes igne probari
Ingentemque rogum Romanus fervere cernens
Invocat excelsum lymphæque ignisque potentem.
Ecce repente nitens obscurant nubila cælum.
Nubibus et densis tranquillus cogitur aer
Demissusque polo veniens largissimus imber
Imbuit exstinxitque pyram, fervoris ademit
Vim totam ; nihil hic flammæ, nihil ignis agebat
B Glorificant Christum populi, ferus uritur hostis,
Detinet atque iterum sanctos in carcere trudit.
Hinc iterum spargit cum jam lux crastina terras,
Pelluntur, deducuntur trucis ante tribunal
Judicis. Ille dolens non se vicisse per ignes,
Succensusque jubet Stygia face et igne Cocyti.
Mox puero tenera caput a cervice recidi,
Romanoque Deum laudans plectrum ore revelli.
Tum gnati genitrix exsultans membra receptat.
Ducitur hinc medicus Romani abscindere verba,
Accipit et reginem radicitus amputat oris.
Ille gemens cœlumque tuens benedicere certat
Clara voce Deum, sibi qui vocem sine lingua,
Sermonem sine voce dedit, sine verbere verba.
Præfectus medico tormenta inferre minatur
C Quod decus invicti parcens non dempserit oris.
Ille palam monstrat toto abscidisse palato
Plectrum oris, testans aliud non vivere posse
Sic abscissum animal. Jubet ille adducere porcum,
Cui parili ut secuit chirurgus acumine linguam,
Labitur et pariter cum lingua commoritur sus.
Evadit medicus. Præfectus Maximiano
Nuntiat hæc. Ille occulte sub carcere clausum
Romanum jubet occidi ; fit jussio sævi
Principis, et martyr celebrem consummat agonem,
Æternamque capit cœlorum a rege coronam.

CAPUT XV.

De sancto Hesychio.

Hesychius regum tunc forte nitebat in aula.
Præcipiunt igitur proceres diis sacrificare
Omne palatinum vel cingula ponere vulgus.
Hoc ubi jussa capit, gaudens discingitur ultro,
Abjectoque palatino discedit honore.
Indignatur ad hæc princeps trux Maximianus,
Mandat ut indutus tunica gynæcia servet
Turpiter, et condemnatus muliebria tractet.
Illum postea multi visebant, ejus ab ore
Verba salutifera gaudentes sumere linguæ,
Præbentesque Dei famulo solamen amoris.
Audit, et hunc sisti mandat sibi Maximianus
Sistitur ; hinc rogitat melius sibi quod fore credat

Sive palatino renitens decoretur honore,
Sive colat turpi gynæcia laxa pudore ?
Ille refert melius gynæcia nomine Christi
Servet, dæmonibus famulans quam serviat aulæ.
His verbis ejusque aliorum pondere pressus,
D Quis sibi præferri Christi indignatur amorem,
Ipsimus princeps, furiis agitatus Averni,
Præcipit annexum demergi in flumine saxo
Hesychium. Exuvias ejus sed reperientes
Colligere viri cum relligione benigni,
Sanctorumque secus glebas posuere decenter.
Hæc pressit multos istic et ubique procella
Christicolas, celebri Dominum virtute sequentes

Tempestate sub hac validos Cyprianus agones
Sudavit, meritis Justinæ virginis arte
De magica ad sanctum Christi conversus amorem.
Hæc nam virgo decens, hac urbe parentibus orta
Præclaris, Christum, tradente diacone quodam,
Cognovit, traxitque simul lucrata parentes
Instructos sacris, quos tinxit episcopus undis
Optatus, docuitque viam servare salutis.
Ecclesiam dum virgo Dei Justina frequentat,
Aglaidas [*ms.* 2, Acladius] cæco juvenis succenditur igne.
Allegansque viros plures, matresque puellæ.
Connubii petit hanc sibi certo fœdere necti.
Quæ paranymphorum simul omnia dicta refutans,
Depactam Christo regi se nuntiat alto,
Seque fidem sponso firmat servare superno.
Vim procus attentat renuenti inferre puellæ,
Sed superi cedit Domini virtute repulsus.
Quo minus assequitur juvenis, magis ardet amore
Desertumque videns hominum se viribus, audet
Dæmonicos tentare dolos, artemque nigrantem.
Experiens magico Cyprianum carmine doctum,
Alloquitur, cujus frangi petit arte pudorem,
Auri se spondens illi conferre talenta
Igneolo si fors queat hanc accendere telo,
Atque Cupidinea cor ei terebrare sagitta.
At Cyprianus, ut assuetas vafer exerit artes,
Dæmonii figmenta videt se sistere coram ;
Cui mandata ferens, Justinam peste furoris
Præcipit urgeri diro ut crucietur amore.
Paret larva petens robustæ tecta puellæ :
Virgo thoro excutitur, sentit conamina fraudis,
Et cruce se munit, Christi tutamina poscens,
Signà crucis cernens pulsus distabuit anguis ;
Quem victum aspiciens, alium perquirit aruspex :
Evocat, insinuat quid eum sua carmina poscant.
Evolat aereasque celer prolabitur auras,
Virginis atque petit media sub nocte cubile
Virgo peti se sentiscens turgore colubri,
Christi præsidium quærit jam tegmine notum,
Vexilloque crucis vallans sibi membra, precatur
Illæsum quo Christus ei servare pudorem
Dignetur, lampas ne ardens superata nigrescat.
Ille crucis reverenda videns rutilare tropæa
Deficit abscedens supero liquefactus honore.

Hinc artis majora magus molimina tentans
Majorem invitat Zoroastris fraude draconem.
Ille superba fremens, nimios inferre labores
Se jactat, victamque proco vincire puellam :
Virgineumque dolis ducens ex aere corpus,
Virginis in specie castis se visibus offert ;
Fingit amare Deum, missam mentitur ab ipso
Se castæ comitem Justinæ, pectora tentat
Argutis penetrare dolis, et præmia quærit
Illi pro tanto quæ sint tribuenda labore.
Hæc modicum memorat (sed præmia magna) laborem.
Illa refert contra cur noluit Omnicreator
Adam cultorem paradisi degere solum,
A Atque dedit sociam divina lege maritam,
Mandans augeri, benedicens multiplicansque,
Legitima quorum mundus compage repletur ;
Divina an rigido temnuntur jura pudore ?
Aspicit hoc Justina truci flammata veneno,
Turbatur, surgit, pergit, stupet, angitur, hæret.
Respicit elisam Dominus, divina negantem
Qui quondam Petrum fidei, nec mœnia turris
Sustinet hoste latente rapi ; nam dæmonis hosce
Denotat esse dolos, quæque ad munimina nota
Corde means, orat, crucis arma celerrime sumit,
Effigies conficta, crucis perterrita signo,
Liquitur, et vacuis sese promiscuit auris.

Virgineum pectus cœlesti robore fultum
Multis inde modis parat impugnare chelydrus,
B Bella movens variis tenebrosæ fraudibus artis,
Incutiens morbos, strepitus, phantasma, dolores,
Blanditias et opes, terrores, damna parentum,
Furta, dolos, escæ lenimina, seditiones,
Argumenta, quibus forti munimine tuta
Mœnia proruerent ; Christi vallata sed armis
Mens invicta manet, nullo superanda duello,
Lenia fortunæ spernens, simul aspera vincens.
Virgine bella videns frangi Cyprianus eorum
Quis magis innisus fidit, vocat arte magistrum.
Turbidus ille venit ; petit ac magus ut sibi pangat
Quanam abeant teneræ victi virtute puellæ.
Ille timens linqui : « Jura ne deserar, inquit,
Fraude tua ; » jurat vires Cyprianus in atras,
C « Signum, ait, aspiciens Cruxifixi solvor, eodem
Deficiens, liquorque fluit ceu cera per ignem.
— Tene, ait, est major Crucifixus ?— Major at ille
Omnibus est, pœnas meritis quiqne inferet ultor.
Pergendum est, inquit, quærendaque gratia Fixi
Ne pœnas tolerem quibus est furiturus in hostes. »
Abjurans igitur virtutes fraude vigentes,
Contemnensque potestatem superabilis anguis.
Præsulis Ecclesiæ pedibus provolvitur, orans
Notitiam signumque dari sibi nobile Christi.
Præsule formidante dolos, dum pellitur æger,
Narrat uti victas Satanæ cognoverit artes.
Grates ille Deo referens, catechizat alendo
Lacte piæ fidei, Christum monet atque petendum
Ejus in ecclesia, cleroqne frequenter agendum.
D Iste donum rediens mox funditus omnia frangit
Figmina quis ritu celebri servire solebat,
Vanaque projiciens lacrymis admissa luebat,
Ecclesiam repetens, poscit sibi signa salutis
Ostendi. Ingrediens audit :*Salvum Deus in te*
Sperantem facito servum ; sic cætera quæque
Ut vigili trahit aure, capit documenta salubris
Eloquii, fixusque manet catechumenus intra
Dum reliqui properare foras mandantur , at ipsum
Exire ut levita monet, ac talia reddit :
« Servus sum Christi factus, me extraque repellis ?
— Nondum perfectus Christi dignoscere servus, »
Sollicitus sacris respondit ad ista minister :
« Vivit at ille mihi Christus qui dæmonis actus
Confudit, nostri factus pietate misertus ;

Non hinc egrediar Christi nisi vernula factus
Integer exstitero. » Denuntiat ista diacon
Pontifici, vocat ille novum gnatum, instruit almo
Dogmate, perfectum faciens baptismate sacrat;
Tempore nec multo levitam hunc destinat aris.
Gratia præterea contra data dæmonis artes
Magna refulsit huic plures largita medelas,
Nec dici potis est quantas operata salutes.
Denique presbyteri virtutum culmine scandens,
Doctrinaque nitens, fidei percepit honorem;
Præsule defuncto, sumpsit quo sacra lavacri,
Præsulis officium meritis sortitus honestis.
Justinamque Dei famulam facit esse ministram
Altaris, dat virgineos præfertque choreis.
Cordibus hinc hominum Christi dum semina [spargit,
Fit memor ipse sui, Satanæ quas vicerat artes
Notificans, quis squaluerit constrictus ahenis;
Accusator ut est solitus fieri sibi justus,
Accusat sese haud tacuit quod nequior ullis.
Enarrans ut cum Phœbo addixere parentes,
Utque ministrarat Diano in monte draconi.
Non cetus ut Olympiacas servivit ad aras,
Ille sacrilego promotus honore sacerdos.
Dæmonicas discens vires, phantasmata divum,
Aereasque potestates, insanaque verba,
Bella, sonos, strepitus, herbas, mendacia, fraudes;
Quis varias varii properant seducere gentes;
Ut post Ægyptum Chaldæa petiverit arva
Atque mathematicam nocturna per astra notavit;
Dæmonicos illos constat quas sumere formas,
Actus, errores magicos depingere libris;
Ut studiat, tetris imbutus fraudibus horum;
Angelus ut Satanæ fuerit se comit honore;
Qualiter aerius princeps se prompserit illi,
Colloquio replicans dignum proprio, atque salutans,
Astantumque vocans, puerum, placitumque mini- [strum,
Inter priores ejus qui dignus haberi
Possessunt primus, et illius inde vocari,
Ut sibi promissum compleri quæque petisset,
Ac deinceps sibi quod libuisset agendum;
Atque ministerio cunctis stipatus adeptis
Umbrarum, gaudet proceres servire paratos,
Miratur qui talis huic quod dedita virtus,
Argutum quod apud regem fiducia tanta.
Prosequitur quales rex hic sibi fingat honores,
Et quæ vana creat, fraudes quo præparat astu;
Quos quantosque dolos Justinæ intorserit olim,
Cujus illi sibi parentum transmiserit agmen,
Hostes ipsum tetri regem cum militie belli
Temporis certamen quanto patraverit istud;
Ut regem victum tandem sibi demere amorem
Oraverit, quem non validam conferre medelam
Opprobrans petiit malis vanumque probavit;
Versus ut in speciem Justinæ apparuit illi,
Hujus at accipiens nomen defluxit ut umbra;
Ut Zoroastræa diversas arte figuras
Induerit, mulier vel avis factus, et ejus
Limen ut ostioli tetigit resolutus ab arte,
Ipse videbatur nobres Cyprianus, et horrens
Qualiter Acladius, passer malefactus ab ipse,
Tecta supervolitans superaverit alta puellæ,
Sed residens plumas positis amiserit alis
Invitus juvenis propriosque resumpserit artus
Depositis pennis talis qui ascenderat alis;
Spicula quæ dederit replicans, mala quanta pararit
Fraudibus, ut posset fortem capere puellam,
Quomodo cuncta videns Christi vacuata vigore
Tela sui, contra quæ virginis acta pudorem,
Justinæ cœpit crebris extollere nomen
Eloquiis; ideoque fugientibus inde ministris
Spiritibus sibi concessis, quia ferre nequirent
Egregiæ nomen saltem resonare puellæ;
Impotis ut regis magis hinc contemnere vana
Cœperit, exprobrans et frivola sceptra refutans
Abjurans leges et principis arma nefandi,
Vires magnificans Christi, nomenque decusque;
Ut se flagitiis dum penitet esse subactum
Tantis, exacuens serpens molimina dira
Aggressus nimia vi suffocare paravit
Semineceinque dedit, Christi sed nomine dicto,
Signa crucis faciens, evaserit ora draconis
Igniferi, rabidis exemptus faucibus anguis.
Ut quoque multa minans se desperare salutem
Compulerit, nec eum tamen hunc sibi subdere [quivit.
Qui super istum Christicolas rogitavit amicos
An se tam miserum clemens miseratio Christi
Tantorum caperet scelerum vincimine nexum
Tunc artes, fraudes, mortes, stupra, liba revolvit,
Multa venena vomens lacrymis quoque crimina pur- [gans,
Offusum lacrymis dulces solantur amici
Et pia de bonitate Dei paradigmata promunt,
Attolluntque animos magno sub fasce labantes.
Præcipue quodam nitido sermone diserto
Eusebio dignis illum exhortante profatis,
Ad spem promotus Domini ut pietate levatur
Solamen capiens, facunde hoc notificante,
Scripturæ et sacræ diversa probamina dante,
Dextera celsa Dei quales mutaverit actus;
Verterit ut pravos, erexerit ocius almos.
Ductus in ecclesiam percepit ab inde salutem,
Combussitque libros artis figmenta profanæ.
Idque ubi cognovit factum, Justina dicavit
Se Christo, vendens pretiosa monilia cultus
Feminei, quorum pretium largitur egenis.
Post doctor factus Cyprianus, et omnia callens,
Tela veneniferæ pestis vitanda docebat,
Anguigenas fraudes, antiactus furta notando.
At draco virosus, mœrens sua crimina pandi,
Atque suæ de se prædæ spectare triumphum
Multa dolens, Stygios animos instigat in iras
Principis Eoi, quærat quo dogmatis hujus
Christiloqui magno Cyprianum jure magistrum,
Qui multas, juncta quadam sibi virgine, firmat
In Christi perstare fide nec cedere flagris.

Comperiens Satanæ famulis Eutholmius istud.
Mittit, et accersit secum cum virgine Patrem.
Quos sibi dum statuit custodia publica vinctos :
« Tune es, ait, doctor magica Cyprianus in arte
Qui mnltos errare facis sub nomine Christi ?
— Doctus (at ille) fui magicis in fraudibus olim,
Luxuriæ servus et perditionis alumnus,
Multos illaqueans, et perditus impia tradens ;
Sed me salvavit Christus per virginis hujus
Prælia Justinæ, signo quæ dæmonas omnes
Devicit Christi, mandans quos improbe misi
Ut caperent, sociamque mihi cum fraude pararent.
Illa sed hæc spernens simul omnia vicit, et ipsum
Me eripuit, Dominumque dedit cognoscere Christum. »
Tunc comes appensum radi jubet unguibus illum,
Justinamque alapis et crudis cædere nervis.
Dum flagrat illa Deo laudes sub verbera reddit.
Pontificem sanctum post hæc ergastula captant,
Justinamque Terentinæ cepere fovendam
Servandamque lares, cujus de lumine Christi
Illustrata domus meritis est virginis hujus
Hinc iterum ducti, parvo post tempore trito,
Belligeri fortes stant judicis ante tribunal,
Nomine pro Christi sed et ultima ferre parati.
Ferrea mox illis fervens sartago repletur
Fomento picis atque adipis ceræque coacto.
At Cyprianus ut ingreditur corroborat agnam
Christi Justinam, valido quæ robore sumpto
Intrat, et illæsi medios lætantur in ignes,
Glorificantque Deum per quem tormenta triumphant.
Sculptilium spectans Athanasius ista sacerdos,
Indignatus, ait : « Jubeat tua gloria, princeps,
Vincere me vires horum virtute deorum. »
Cum dicto divum properat monstrare vigorem,
Quemque propinquantem exsiliens rapit et vorat ignis
Non Jovis hunc, Phœbus neque, nec fortissimus Hercles
Omne Deum vulgus nec protexere lupercum,
Ast comes ut trepidus stupuit ; magnalia Christi
Nuntiat imperatori, qui ad hæc sibi malit
Edicat, referens tormenta ut victa quierunt.
At princeps, quem tunc Nicomedia forte fovebat,
Ut sibi legetur senior cum virgine mandat
Ducuntur variis acti cruciatibus. Ille
Turpe putans iterum si per tormenta fatiget
Hos eadem, vibrante jubet mucrone feriri.
Quos Theoctistus cernens ad funera duci,
Oscula victori valido fert. Conspicit istud
Cognatus quidam regis ; jubet atque necari
Hunc pariter, gladioque simul sumpsere coronam,
Ducentes celebrem, victo tortore, triumphum,
Corpora jacta feris jacuerunt nuda sepulcris
Sena luce, Dei servans quæ dextera texit.
Tumque Theoctisti cives, noctu venientes,
Custodes dum dormitant, veneranda capessunt
Navigioque ferunt sanctorum corpora Romam.
Quæ matrona fide fervens Rufina receptat,
Prædioloque suo cultu deponit honesto,
Horum ubi præstantur multæ sub honore salutes.
Præterea plures, quorum non legimus actus,
Tempestate sub hac urbem penes Antiochenam
Certarunt, mundumque suis vicere triumphis
Quadraginta simul tunc consummantur agones,
Virginibus varias passis pro culmine regni
Ætherei pœnas, cujus meruere decorem.
Junguntur multi quorum nec nomina legi,
Cœlestis supero quæ littera scripsit in albo.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De sancto Theodorito.

Ecclesiis post hanc fulsit lux clara procellam,
Quam livore nigro pietatis defuga tentans
Obscurare, jubet sanctos libare profanis
Diris aut subigi pœnis ; transmittitur unde
Huc præfectus atrox Julianus avunculus hujus;
Qui veniens spoliat Christi truculentus ovile,
Ac dispergit oves, valido sed presbyter almus
Theoderitus apem supero munimine sumens,
Restitit intrepidus pia servans mœnia surmus (*sic*).
Præfectus quod comperiens, ad flagra teneri
Hunc jubet, hinc variis agitat terroribus atque
Suspensum multis sævus cruciatibus urget :
Lampadibus siquidem latera inflammantur adactis ;
Siderea quibus evictis virtute, repente
Angelico stupidi visu cecidere ministri,
Credentesque ministerium feritatis abhorrent,
Devotique Deum vero Christum ore fatentur.
Quos dum præfectus mergi demandat in altum,
« Ad Dominum, fratres, me nunc præcedite, » sanctus
Martyr ait ; « superans inimicum mox sequar auctos. »
Sic quoque persistens Christi robustus amore,
Vaticinans etiam plenus de Flamine sancto
Retrogradi interitum Persarum in gente gerendum,
Martyrii, tandem gladio complevit agonem,
Atque polo dignus meritum percepit honorem.
Mulctatur lanius, divino examine plexus,
Quoque sacras violarat opes turgore sedile
Perculsus, putri fluit inguina tabe liquatus :
Spirans verme editur, saniem non unguina sistunt ;
Nequicquam medici frustra cataplasmata sudant.
Nec solum teritur mulcta temerator aperta :
Quin detractores, vigiles geruli que sacrorum
Morte gehennales misera truduntur in ignes.

CAPUT II.

De Licerio et Hippolyto

Hoc plures etiam vario quoque tempore cladis
Hic Christi athletæ multis vicere tropæis
Istic Licerius hostem levita beatus
Fortiter elidit, certans pro nomine Christi.
Septies hic tortus, longumque ergastula passus,
Tandem martyrium capitis mercede paravit.
Hic etiam Hippolytus certavit regna polorum
Ut caperet, damnosa, novo qui schismate captus,
Erravit quondam per devia ; quique triumphans
In semet sese prius, hinc ad cætera surgit
A Bella fide. Fortis miles seu fraude subactus
Sæva manus qui in vincla dedit, quis denuo liber
Exemptus, laqueos magno molimine vitat
Et cavet insidias instructus ab omnibus hostis,
Viribus egregiis morens male cauta piare ;
Haud minus Hippolytus, Christo eripiente, solutus,
Catholicæque pium fidei regressus amorem,
Sollicitus cavet ipse dolos, docet atque cavendos ;
Proque fide pugnans valido cautoque duello
Martyrium factis renitens illustre decorat

CAPUT III.

De sancto Phoca, Petro et cæteris.

Nobilis hic Phocæ veneratur agone triumphus
Qui post multiplices pro Salvatore palæstras,
Qualiter antiquo nunc de serpente triumphet,
Atque triumpharit populis en panditur isthic :
Dum serpens si forte loci perstrinxerit ullum,
Dente venenifero virus lethale profundens,
Mox ut basilicæ comprenderit ostia læsus
Martyris, eruitur vacuata lege veneni.
Petrus levites hic Hermogenesque coluntur,
Demetrius præsul nec non levita Anianus ;
B Eustosius pariter, viginti cum venerandis
Resplendent sociis, lucis simul æthera nactis.

CAPUT IV.

De sanctis Cyrico et Julitta

Hic puer insignis Cyricus cum matre Julitta
Mirandis fertur quondam vicisse tropæis ;
Impia robustus superat qui verbera postquam,
Cæcum mordenti junctam cepit ore sinapi,
Hoc undique simul mixturam vicit aceti.
Sic clavis fixi, vulsis in carcere trusi
Sunt oculis, decalvati, sed et excoriati
Hinc lecto applicati prunis assantur in æris ;
Attriti demum serris linguisque recisis
Martyrii cursum capitis splendore dicarunt.
Annumerantur eis socii, sub nomine Christi
Quattuor et quadringenti certamina passi.

CAPUT V.

De Donato et sanctis ejus sanctaque Margarita

Donatus et Valerianus hic simul
Cum Restituta, Fructuosa et cæteris
Bis sex renident, præeminent sodalibus
Triumphum adepti glorioso prælio
Hic Margarita virgo fertur plurima
C Tormenta passa veritatis pro fide,
Sertata fulget unde serto gloriæ.
Vicere plures hic draconem martyres
Dignis adepti celsa bellis præmia.

CAPUT VI.

De sanctis Antiochia progressis.

Hac exeuntes civitate plurimas
Multi et remotas luminarunt patrias.
Cœlestis unde lumen ortum dogmatis
Lucis fidei fert medelam gentibus ;
Apollinaris hinc sequens apostolum,
Primus Ravennæ verba vitæ detulit.
Lucianus inde egressus almus presbyter,
Mundi salutem voce et actu prædicans,
Tropæa nactus est apud Nicomediam.
Romæ Timotheus ex his nomina
Petrus fecit Melchiadis tempore,
Dum prædicando gesta Christi publice
Pandit, coronam promeretur gloriæ.
Progressus ex hac urbe Januarius,
Fertur sacerdos Gordiano martyri
Commilitonis et patroni qui vicem,
Fortis probatus ex agone, præbuit.
Hinc et Joannes editus Byzantio
Præsul diserto comit orbem dogmate.
Duxisse fertur hinc genus Seraphia,
Sub Adriano passa Romæ funera.
D Pauresque, cœli ut astra lucidissima,
Isthinc per orbis splenduere climata,
Isthinc Erasmus exiens, Campaniam
Splendore vitæ luminat, magnalibus
Miris coruscans, cuncta vincit tormina.

CAPUT VII.

De Eustachio episcopo et Euphronio.

Multi præterea renitent hac urbe patroni.
Quidam sæpe suis hostem stravere triumphis,
Perfecti tandem meritis in pace quierunt.
Qua Pater Eustachius Beroeis raptus ab aris,

Eloquii fluvios fidei, mirante senatu,
Catholicis animæ populis alimenta ministrans,
Blasphemas acies pietatis sternit agone.
Hostibus hospitio larga sed pace receptis
Pellitur arguto falsi bacchante cavillo,
Pellacique dolo injunctæ detruditur arci

A Ac successores propero discrimine plexi ;
Versilis et pellex fraudes percussa resignat.
Post sævos tandem rixarum ac turbinis ignes,
Dividui Eusebio renitente cacumina fastus
Improperii, atque datæ contento culmine sortis,
Euphronius Reblathæ post otia longa dicatur.

CAPUT VIII.

De sancto Simeone monacho

Hic urbem sanctus Simeon penes Antiochenam
Actibus effulgens digno celebratur honore.
Tertius et decimus cui dum provolvitur annis,
Mundi se curis adimens secreta petivit
Septa monasterii ; fortis patiensque probatus
Excipitur servisque Dei se moribus aptat :
Vique viam summæ scandens abstemius arctam,
Pauperibus clemens, collata alimenta ferebat ;
Indignis largus, sibi tantum austerus, arctus.
Psalterium plene modico sub tempore captans
Pervigil edidicit, memorique recondidit arce
Fortis et enitens motus frenare superbos
Palmitio stringit lumbos sibi fune coercens.
Sulcato undantes refluunt dum corpore vermes,
Sentiscunt fratres. Patri indaganda ferentes.
Ille rogat dicat ; tegit hic factumque repressat
Corripitur visu, patefactum vulnus aditur.
Resticulæ modo summa patent, magnoque dolore
Conficitur, teriturque magis conferre medelam
Dum socii certant ; putrido cum viscere tandem
Eripiunt restem, et multo vix tempore curant.
Hinc alti fugiens putei se claudit in imo,
Quo dum se mactat jejunia longa trahendo,
Sidereo quatitur monitu visuque minaci
Timotheus abbas Simeonem quærat ut almum.
Restituatque loco, constet quia sanctior ipso.
Hoc semel atque iterum visu perterritus ille
Quæsitum jubet ire suos, redeuntibus atque
Frustratis, properans meat ipse, lacusque repertum
Explicat invitum baratro, cellæque reducit
Ille monasterium post anni tempora linquens,
Deserti petit arva, optans habitare seorsum.
Hic se surrecta concludit amore columna
Theoricæ fervens speculæ quia celsior exit.
Trinam post hiemem, fama crescente beati
Tricenos usque ad cubitos procedit in altum,
In qua stans spargit multas in plebe salutes ;
Languentes medicans, obsessos dæmone purgans ;
Auditum tribuens surdis et lumina cæcis,
Mancis restituens palmas, mutisque loquelas :
Leprosos mundans mirorum millia patrans.
Quæ qui cuncta feret, cœli quoque sidera dicet.
Hinc populi multi Christo servire parati
Allophili, Armeni, Persæ, sparsique Agareni.
Ulcere percutitur late patientia nectar
Ut spargat flagrante fide cruciaminis igne ;
Unde scatiscentes cernens emergere vermes
Delapsos repetit matrique reponit alendos,
Mandere præcipiens Dominus quæ præstet edenda.
Sic uno innixus pede plenum prostat in annum

Et manet invictus, femoris dum deficit ulcus,
Corporis exsuperans morbos vincensque labores.
Saracenorum Basilicus rex petit almum
Visere belligerum, benedicique orat ab ipso ;
Delabique videns exeso a corpore vermem,
Suscipit atque oculos tangi putredine gaudet :
Cum subito tabes pia margarita refulsit
Sumpsit et insignem sanies mutata decorem.
Ascribit Domini cultor, rumoris et osor,
Non propriis actum meritis, at regis amori.
Exsultans sacro benedictus et ore tyrannus,
Qui dives venit, ditissimus inde recessit.
Hac sanctus Domini postquam se clausit in arce
Cernere vel cerni muliebri lumine cavit,
Nimirum metuens culmen dum tendit in altum
B A summo Domino ne corde recederet imo ;
Verum nec matri post tempora longa petenti,
Amplectens pro matre Deum, se visere cedit,
Culmine virtutum celso magis alta petente.
Ædificatur huic jam quadraginta columna
Excellens cubitis, in qua per cætera mansit
Fixus amore Dei reliquæ stans tempora vitæ,
Serpentum reprimit rabiem, truciumque ferarum
Almifico cui naturæ miseratio fulsit
Lumina testantur supplicis medicata draconis ;
Venit et huc mulier sævo saturata chelydro,
Quæ noctu sitiens biberat pro fomite pestem ;
Invalidamque manum medicorum experta, requirit
Certi solamen medici ; fert vir pius aptum
C Antidotum præbens benedictæ pocula lymphæ
Huic quæ sorbuerat maledictæ viscera belvæ.
Nec valet hanc ultra funestum lædere poclum,
Sumit ut imbutum vitali munere potum.
Accidit ariditas, pestis regionis adustæ,
Pulvere telluris nimio squalentibus arvis.
Accola tum densus summo de monte fluentem
Replentemque pios fluvium pietatis adivit,
Æterno effusum pietatis fonte supernæ
Fundentem lætos Simeonem cordibus haustus,
Præsidium petit hic solitum, suffragia poscens
Celsa Dei, subitoque illo poscente dehiscit
Terra patetque chaos, lymphisque immane repletur ;
Tunc jubet ille fodi septem fierique meatus
Per quos inde latex agros fecundat inundans,
D O celebranda viri virtus, oratio cœlum
Cujus ab ore petens imum patefecit abyssum ?
Arborea gemini residebant forte sub umbra
Hac, urente polum Phœbo, regione viantes ;
Prægnantemque procul cervam transire videntes.
Adjurant Simeonis agi virtute potenti

Stet prendique sinat : stat tanto nomine sumpto,
Obsequiturque pedem referens devotior ipsis
Virtus mira viri, cujus dum voce citatur
Nomen, et infidis parens fera servit agrestis.
Transiit hic feritas pecudem translata relinquens
Invadensque homines ; sævi, pietate remota,
Nec venerantur eas reveritur quas fera voces :
Invadunt igitur prædam, virtute prehensam
Alterius, perimuntque superno numine fixam.
Comedunt, torrent, nec ad id data viscera mandunt,
Digna sed audaces mox perculit ultio mentes.
Et ratione carent ratione carente feroces
Qui exstiterant, prædæ pietatis honore subactæ
Sumentes ægros pecorisque silentio flatus
Tramite sic cœpto properant cum pelle revulsa
Festinique petant veneranda cacumina justi :
Nec latuit vatem præsumptio facta ferorum.
Quis superam pius orat opem ferrique salutem ;
Sedactis [*f.* sed votis] gesta improbitas obsistit opi-
[mis.
Dantur ei meliora tamen quam postulet, atque
Promeritam tolerant decreto tempore pœnam,
Ne posthac æterna reos tormenta volutent.
Dum patiuntur et hi multis præsumptio talis
Aufertur, digno plures moderante flagello
Post geminum magnis precibus sed præditus annum
Hospitibus tandem miserans medicatur anhelis.
Sævus ea quondam pardus regione furebat,
Proturbans homines, pecudes jumenta voransque ;
Agricolæ contra sancti tutamina Patris
Exposcunt, rabido quo defendantur ab hoste.
Perversis ast ille sciens apponere sancta
Sanctificans benedicit aquam, mittitque ferendam
Per loca qua pernix pardus transire solebat.
Distinctus maculis, et crudelissimus hostis
Ignotam multis pedicam venantibus edens,
Torva salutiferis repersa liquoribus arva
Accelerans præcepsque ruens ubi bellua tangens
Concidit, et vitam tenues emisit in auras ;
Non funesta valens ad eorum vivere mortem
Quorum vir Domini certat defendere vitam
Suspendunt igitur vicino tergora calli,
Securo Dominum Simeonis corde viator
Ut benedicat, iter, posita formidine, carpens
Omnimodis tamen ille sibi prohibebat honorem
Deferri, fugiens ventosæ munera linguæ.
« Perge domum, » dicens, præbebat cuique mede-
[lam,
« Glorificansque Deum qui te sanavit, honora,
Nec te curatum Simeonis viribus ausis
Prodere, ne pœna versa tibi sorte feratur ;
Nec jurare Dei præsumas nomine summi,
Peccatum esse sciens ; in me quin paupere jura
Constricto vitiis fragili sub carnis amictu. »
O dignum Christi famulum ! dum vertere curat
Lapsantes animas, potiora pericula demit,
Lubrica linguarum bonus in se spicula demit,
Ne in Dominum commissa reos peccata tenerent,
Quos proprio redimens salvavit sanguine Factor.

Explevere duo socia mercede laborem
Ut quod perciperent posthac libra funderet æqua ;
Comproperantque dehinc sancti benedicier ore,
Quos ille aspiciens, cordisque occulta penetrans
(Alter enim comitem pellace fefellerat astu),
Cur veniant rogitat qui sunt, iteratque opus illi
Non tamen omne ferant ; « Fraus necsit facta videre. »
Utque negant, vafro « Caligam pede tolle » beatus
Dixit, et hanc tibi das comiti, non estis iniqui. »
Quo facto crepidam tollenti, « Dissue, » mandat,
« Quinquaginta tuo solidos tibi jure capessens,
Totque sciens socii partili pectore latere. »
Sic moderata æqua collegæ lance recedunt,
Magnificantque Deum perversa fraude carentes,
Qui tantum viri concessit messe vigoris
Ut dum totius nisu virtutis adhæret,
Junctus mente Deo, sit munere spiritus unus
Cæca tenebrosi rimans penetralia cordis
Sic cujus combusta domus civi Antiochensi
Quantum perdiderit ; quare narravit avaro
Promens quot latebris solidorum abstrusa talenta
Celarit, servusque boni nihil inde patrarit ;
Mersa ideo cæcum barathri testatus in imum,
Ostendens non ignaro quod fecerit istud
Se, Dominus famulo sua charo examina pandens
Arbitrium suspectanti seu judicis æqui.
Olli præterea pietas immensa vigebat
Affectu et cunctis avido prodesse benigno.
Unde etiam lethi quondam de fauce latronem
Eripiens, cœlo celeri solamine misit.
Qui post æthiferis mala plurima gesta rapinis,
Dum mortis merito pateretur ad ultima pœnæ,
Aggreditur propero venerandam calle columnam.
Quærentum quem nemo valet contingere visum,
Sed nec ad hunc ausus capiendum extendere dex-
[tram ;
Moxque ubi deflevit septem sua facta diebus
Perfidus Honoratus dudum tandem esse fidelis
Addiscens, gratique canens sibi tempora finis,
Conscendit lacrymis paradisi gaudia lotus
Et vectus meritis Simeonis ad alta beati ;
Atque decus Christi confessum in morte latronem
Consectans, raptum Dominus quem faucibus orci
Ad paradisiaci perduxit amœna decoris
Inclytus hic Domini famulus quæcunque petivit,
Hæc salutari dono captavit herili
Nam regina potens, tamen infecunda marito,
Legatis rogat attribui sibi gaudia matris.
Expromptam pietate fidem venerabilis ille
Mente tuens, promittit opem, promissaque supplens
Fert sterili partum, non inferior Eliseo ;
Clarior utque viri virtus hoc clara patratu
Splenderet, puerum peperit regina, repertum
Tempora post mutum gressus neque ferre valentem.
Approperansque Dei famuli prope culminis oras,
Cum misero legat mœrentem infante maritum
Patrono ; tantisper eos jubet ille manere
Dum Domini petat auxilium : petit, accipit, ori
Sermo datur pueri, discunt incedere plantæ.

Fitque pius senior pueri director et actor,
Officium dum præbet ei linguæque pedumque,
Cujus, cum quando obtinuit pater exstitit olim,
Clausa vir egregius scrutans arcana videbat,
Nulla domum cujus mulier penetrare solebat.
Forte fuit quædam cupiens invisere vatem,
Militiæque viros ejus habitacla petentes
Cernit, et arripiens habitum mutata virilem
Militibus comitata subit secus ostia sancti.
Limina non audens vetitæ pede tangere cellæ
Conservanda petit comitum jumenta ; sinuntur.
Introeunt socii, benedicunturque beati
Ore viri ; posthac ait ille : « Remansit
Quilibet ante fores, ex me cui talia ferte :
Noli vexari, intro pedem neque dirige Christi
Contra dispositum, servi fidei [*cod.* 2 fieri] ipse mi-[sertus.
Namque tui cernendo fidem Dominus probat altus.»
Egressi comitem pandat quo vera precantur ;
Prodit se sociam, socius quibus ante putatus,
Talia mente viri quare præsumpserit addens.
Auribus hæc illi stupidis animoque trahentes
Magnificant Domini, venerantes munera, servum.
Funera post cujus quædam temerare protervo
Claustra petens ausu, vetita ut pede limina tangit,
Retro plexa ruit, lethoque coercita cessit.
Sæpe quidem veniens benedici multa petebat
Turba hominum ; sed ea longas dum tempore [quodam
Expectante moras precibus trahit ille, minister
Innitens gradibus conscendit ad alta columnæ,
Nec responsa capit populum solarier orans :
Vocibus assiduis tandem insistente caterva,
« Ne, fratres chari, sitis mihi, quæso, molesti,»
Sanctus ait, « morulas quod vobis affero tardans ;
Magna quidem navis me dum vocitabat in alto,
Cujus ad exitium tumida surgente procella,
Ferme trecentorum titubabat vita virorum :
Mente simul sensi Dominum me poscere posci,
Omnipotentem adii votis, qui protinus illis
Tranquillam miseratus opem direxit in undas.»
Dixerat, et precibus ditans in pace remittens.
O mens alta viri, qui, domate septus in arcto,
Mente maris dum lustrat aquas, præsentibus astat,
Turgida concilians absentibus æquora præsens ;
Spiritus exsuperans carnem præsentia differt,
Transvaditque solum tribulatis promptus adesse.
Carne licet gravidus liber jam fertur in orbem.
Ergo negans non spernendo præsentibus aures,
Aures quo præsens non cernebatur habebat ;
Nimirum Domino junctus transcenderat ima.
Hic regionem istam pius ut patronus alebat,
Pestiferos removens morbos cladesque repellens ;
Nam telluris agros motus quatiebat et ædes
Hic quondam pariter sternens hominesque domosque,
Cives agricolæque simul qua peste coacti
Præsidium quærunt Patris sublime beati.
Ille Dei liquido venientibus undique turbis
Esse aperit dignam meritis facientibus iram,
A Cum tanto in populo faciens bona vix foret unus ;
Suggerit et secum precibus procumbere plebem.
Una, non parili merito, voce æthera pulsant
Et Christum pariter summissa mente precantur,
Sed quis eum digno, puro quis corde rogaret,
Arcano Dominus famulo sermone revelat,
Pandit et is populo quod de tot millibus unum
Audierit Dominus secum, nomenque fatetur
Agricolæ, accersitque virum, vitamque precatur
Edicat, reliqui ut factum meritumque sequantur.
Se sed hic indignum peccatoremque referre
Perstat : ut exemplum tribuat virtutis amicus.
Ne tectum celetur opus bonum et utile multis,
Cultorem compulsus agri se detegit ille,
B Resque tripertito sejungere, pauperibusque
Parte data, fisco partem, sibi cætera subdat,
Enitens rebus propriis contentus haberi,
Reddere quæ Domini Domino, quæ Cæsaris ipsi :
Tendere nunquam ulli insidias, nullique nocere :
Fratrem quemque suum in Christo ceu semet [amare
Audito hoc cives humilem venerantur, honorant
Ruriculam, meritumque pii Simeonis adorant,
Per geminos istos instanti a morte revulsi,
Quod non spondentur Sodomis conferre noveni.
Hunc charum Dominus famulum protexit ab omni
Hoste, notans quod si quis ei mala ferre pararet,
In Dominum peccaret, dum tangendo nitentem
Conspectus Domini pupillam tangeret alti.
Quidam nempe ferox, sævo instigante dracone,
C Almificum diris præsumit carpere dictis,
Hunc seductorem memorans et fallere turbas,
Militiæque potens sibimet mandare magistrum
Vadat et hunc vexans deponat ab arce columnæ.
Permissus properat sociosque asciscit et altas
Appellunt scalas ; gradibus conscendere nisus
Infelix, quem conscensum mala vota negabant :
Tresque gradus scandens superaverat, ecce remotæ
Vi supera scalæ subito liquere columnam ;
Et miser appensus cœlo, terraque perosus,
Quattuor ut cubitis elatus rure pependit.
Ecce furens animos cæcato corde feroces
Extollit, pharetraque rapit pendente sagittam,
Lunatoque arcu nisam pia membra forare ;
D Ira superna manum ferit : haud mora plectitur [arens ;
Hincque ferus chiragram patitur rapiturque podagra,
Officio mannum monstrans peccasse pedumque.
Nam Christi conatus ubi prosternere servum
Sternilur ipse miser, dextra damnante superna.
Dudum etenim turris cœli qui celsa petentis
Structores labio in multis secrevit ab uno,
Ascensuque poli indignos summovit inepto ;
Ipse trucem removens præsumptis perculit hostem
Gressibus excelsum Domini vexare parantem,
Indignus, famulum cœli secreta colentem,
At sanctus Domini postquam perpluribus annis
Fixus amore Dei celsa stetit altus in arce,
Nunquam intermissis precibus, demum pia felix

Inter verba precum cœli secreta petivit.
Interea cœlis animam ad cœlestia mittens
Cernere scandentem per tempora longa cupitum,
Et locat æthereæ, satiat quam gratia Regis,
Et locat æthereæ superis cum cœtibus aulæ (167*).
Illustrata dies posthac dum tertia fulget
Quam Christi celebri colitur surrectio cultu
Exspectante diu benedici plebe gregata,
Patris sollicitus cura conscendit in arcem,
Antonius, et intuitum votis ratus, astat
Attentus, tandemque vocans, multa et prece poscens,
Dum jam nulla rependuntur responsa petenti,
Aure nec assumit spiramina nota minister,
Sese cernuus inclinans ori applicat aurem,
Flamine pro vitæ nihil hic nisi aromata sentit,
Nectare fragrantes et nare capessit odores
Funere spirantes ejusque flamine Christi
Late respergens odor inclytus exstitit æthræ.
Discipulus cernens hominem quod liquerit unum
Mistis longa trahit lacrymis suspiria corde,
Multa querens gemituque animam confectus anhelo.
Dum luctum ingeminat raptus mulcente sopore,
Sopitus subito (jura manu sic), virtute superna,
Ex Patris orsa capit monitis sibi talia dantis:
« Ne metuas, gratam neque enim dimitto columnam,
Culmina nec montis linquam qua lumina vitæ
Certans obtinui; descende, satisfaciensque
Plebi exspectanti de me, sic perfer in urbem
Nuntia, clam mœsti fiat ne turba tumultus;
Namque ego quod Domino placuit jam fine quievi
O plenam virtute animam neque funere victam! »
Affectum planctu famulum fessumque levando
Visitat inconsolatum ne linquat alumnum,
Et quoniam ipse docet ritu sua funera curet.
Experrectus homo Christum pavefactus adorat,
Pignerisque attentans e corpore carpere sacro,
Ecce repente videt gelidum tremuisse cadaver,
Ac sese penitus hoc absterreriter ausu;
Quo misso celeri descendit ab arce regressu;
Pontifici fratrem tum dirigit Antiocheno
Quem probat egregium, qui cœlitus irradiatus,
Cernere erat solitus secretis multa loquentem
Cum Simeone foris, præclaræ vestis amictu
Splendentem niveo rutilum ceu fulgor amicum.
Crastina lux roseo lustrabat lumine terras,
Præsulibusque sibi junctis tribus Antiochenus
Approperat, tensis circa deponitur alta
Aulæis auro pretiosius arce monile;
Ast ubi contiguæ corpus devertitur aræ,
Cuncta in circuitu nebula replentur opaca,
Ut se præsentem Dominus monstraret adesse
Quem tectum nebula petit e caligine Moyses,
Et Salomoniacam nebula qua impleverat aulam
Pontifices arcam cherubim dum sedibus aptant
Utque probaretur potius præsentia summi
Certa Dei, cœlos cursu rutilante renidens,
Cum visus septem senioribus abdita ferre.
Papa sacræ setas cupiens decerpere barbæ,

(167) Sic codex uterque.

A Nazaræumque pilis Domino nudare sacratis,
Ut dextram ad metuenda tulit, hæc arida cessit,
Nec valet hic votis servire gelata ferentis;
Hærens antistes stupet, atque manum sibi notam
Miratur non esse suam, Dominumque rogare,
Quod sibi jam visum restauret inutile membrum;
Utque vovet jurans se talia deinde cavere,
Adjutusque precum populi fulcimine multo,
Organa nervorum recipit revocata suorum,
Perditaque officium recalescens palma recepit.
Lætantes igitur tactu reverenda vehebant
Membra suam validum populi tutamen ad urbem
Dumque pio proficiscentes cum funere vicum
Introeunt quemdam, famulum quo clarificare,
B Legerat Omnipotens, subito en immobile pignus
Efficitur; ponunt geruli intolerabile pondus,
Nec sufferre valent vim quæ descenderat æthra.
Hic vir erat dudum fere quadraginta per annos
Sermonem non aure trahens, non ore ministrans,
Numine qui ductus supero ruit ante feretrum,
Sensu cordis opem poscens, quam voce nequibat;
Ecce repente sibi divini sentit adesse
Culminis auxilium stupidus, sensimque catervæ
Non solitus haurire sonos, et verba capessens,
Concipiensque animo insuetas parit ore loquelas,
Exclamansque diu tacito sic ore profatur:
« Serve Dei, bene venisti, tuus introitus me
Salvavit, tibi nam vita famulabor in omni,
Spiritus hosce meos vegetans dum rexerit artus; »
C Cum voto surgens loculum simul atque prehendit
Allevatur onus, subito portabile factum,
Laudantesque Deum gestant sine pondere pondus.
Nec dubium quod ad id Dominus servaverit istum,
Dum multos aliis et jam regionibus actos
Per sancti Simeonis opem curaverat ægros,
Mortuus ut vitæ viventi dum daret usus
Ipse probaretur feliciter in regione
Vivere vivorum vitæque hærere datori.
Jamque propinquabant urbi, plebs mœnibus ecce
Progrediens, psalmosque boans hymnisque canora,
Lampadibus lichnisque micans, ramisque decora
Palmarum, sacris properat fieri obvia membris,
Atque triumphantis mundum gestamen honestum
Urbi inferre suæ, populi munimen et arcis,
Majori ecclesiæ exemplo pia munera dantes.
D Pandit abhinc Dominus quoniam sibi chara recondi
Ossa velit potius, jussamque vehuntur in aulam;
Utque palam faciat cunctis id numine divo
Prorsus agi clara superis demittit ab astris
Nobilitate virum, virga qui fulgidus auri,
Splendidus aspectu, candenti tectus amictu
Sedulus insistens operi, dum claustra sepulcri
Communita sident, mansit, mox inde recedens,
Amplius hic visus nec post, nec paruit ante
Unde datur notum cœli venisse colonum.
Vatis abhinc tumulo tam mira patrata feruntur,
Quo non plura prius vivens fecisse putetur,
Arduus excelsæ dum perstitit arce columnæ,

Et Domino junctus noscatur in æthere summo
Vivere nobiliter tantis qui vivere signis
Gignitur in terris; vitam nec morte peremptam,
In melius sed et cœlesti sede relatam.

CAPUT IX.

De sanctis Vitale ac Meletio episcopis.

Vitalis tritam reparat versamque tyrannis
Erigit Ecclesiam, decessorumque benignum
Supplet opus, proprio cumulans fervore decorem
Licinique pium pandit sub tempora zelum.
Intonat hic puris divina Meletius orsis,
Armenas postquam sacrato dogmate gentes
Imbuit, obstructo colubri nec valet ore
Eminus irradians digitis quin cœlica pangit:
Gaudet et expulsus veri servare libramen;
Et remeans secum socios conjungit et armat,
Insuper acquirit; spolio quoque mœret Apollo
Prole sacerdotis, mulier devota quod offert
Patri salvifico, raptum a genitore profano.
Unde manus atque ære pedes et dorsa subustum,
Post patris attritos celebri certamine divos,
Rex pius educit, claustrisque serisque reclusis,
Et sancto redhibet revocatum matre parenti
Curatrice animæ celatus honore puellæ.
Inde Palæstinam rapidus, comitante Cyrillo
Quique pio post hæc genitorem germine gignit,
Præsul apostolicus synodum diversa secutam
Veri luce gregat, concordi pace serenat,
Insinuatque Dei quam sit substantia simplex,
Dans purum fidei Joviano dogma probari;
Dividuas fugiens lites, pacem omnibus offert,
Raptoremque lupum sacra in consortia poscit!
Errorem abjiciat, feralia crimina ponat,
A Desinat esse lupus mitisque appareat agnus,
Atque greges pacifi secum tutamine pascat:
Sedem sermo Dei teneat, jungantur utraque
Parte duces, uno jaceat grex omnis ovili:
Solus qui superet generalia regmina tractet
Fœdera sed pacis crudelis bellua nescit;
Pastori ergo pro caula sua jura feruntur;
Crescit honor miti, pro votis regna reguntur
Pacificis, sceptra imperii virtute probantur
Pontifices digno præcelsis fascibus addi
Barbaricis Theodosio superante catervis,
Devotis seseque manu cernente beati
Cultibus ornari, regnique subire decorem,
Visorum confirmat opus, documento secutum.
Quo splendore nitens ubi primitus ora patroni
B Ore legit princeps, e pluribus excipit unum,
Agnoscens nullo prodente, petitque, probatque,
Utque patrem soboles, amplectitur, ambit, honorat,
Oscula dat labiis, oculis; pectusque caputque,
Insuper et dextram, qua se sumpsisse coronam
Fit memor, ore colit retegens, conspecta retexit:
Cumque ipso fidei normam Patribusque retractat,
Huncque Patres celebrant, dignoque nitore venustant.
Nec longum post emeritus petit æthera præsul
Nobiliumque nitet præconum laude sepultus.
Martyris et thecæ conjunctus honore Babylæ.

CAPUT X.

De sancto Flaviano et amicis ac successoribus ejus.

Eois Patribus, cunctoque favente senatu,
Erigitur meritæ Flavianus honore cathedræ
Atque Petri primam sortitur regmine sedem,
Cujus jam pridem moderatur navita cymbam
Inter et adversas mundo fervente procellas,
Consiliis, rabido prohibens hanc æquore mergi,
Comebat, placidis servabat turbine remis,
Dispositisque docens Regem laudare choreis
Davidica dedit Ecclesiam reboare camena
Æternisque choris divina poemata pangi.
Excubiis instans Agni secum agmina cogit
Concordi Dominum lætaque canentia laude;
Horrorem incutiens pravis, dat gaudia justis:
Nec terrore, nec insidiis pia dogmata linquens,
Culmine nec captus tentusve ad dira coactus;
Expugnat nocuos, asciscit agone sodales;
Diodorum, Cilices quo post rectore coluntur;
Acacium post hinc Beriæ virtute nitentem;
Aphratem, diva seniorem luce cluentem,
Qui veri radiis ferit improba sceptra gerentem
Thermali rigidum plectens fervore ministrum,
Insuper accitur Julianus culmine magnus,
Virtutum fideique micans fulgore decorus,
Absentem quem torva manus sibi plaudere jactans
C Præsentem dolet excelsa se luce prementem
Oris et ad columen magnalia mira ferentem.
His vir præcipuis factis et origine celsus,
Necdum sede fruens, Flavianus fultus amicis
Bella lupis obicit, pastoris robore digna
Exerit, ostensis defendit ovilia belvis
Tela acuit, pharetras et propugnacula condit,
Hostibus obsistit, gregibus munimina suffit;
Bellantes recreat, bellis consulta ministrat:
Arcus emunit, radiantia spicula mittit;
Insidias frangit, captantia retia rumpit,
Fallentesque feras agnina pelle recludit,
Depromitque lupos, discussa fraude, latentes,
Tutaturque greges, et dentibus eximit atris,
Solertique vafri dirimit tabentia morbi
D Consilio, retegitque dolos et mele venenum
Elicit, occulte cogens vomere abdita pestis,
Dum sene mulctato educit pudibunda veterni,
Deprensam excutiens saniem, studet arte medendi
Corruptum reparare pecus, polluta piare,
Fracta ligare, viæ seducta reducere rectæ;
Cogere dispersos Christique remittere caulis,
Colligere errantes, unique rependere ovili.
Si quid fors patitur, cura accelerante levatur,

Pace que pastoris tegitur pecus omne quiete.
Flatibus hinc iterum pulsus patienter honestus
Perstitit præsul, dira omnia ferre paratus ;
Sæpius vocatus adit, censores non fugit hostes,
Non adversantes reprobat, torvis vere resultat,
Cætera pollicitans, apicem se ponere spondet,
Nec successorem renuit, nec plus quæsiit, probatur
Principe in sancto (ms. Theodosio) dignus hinc sede
Cujus et Augustus causam, crimen quoque sumere
Discutit errores et stulta cavilla resolvit ; poscens,
Pacem restituit, turbata carmina nectit,
Junguntur populi, coeunt in fœdera gentes :
Illyrici, Ægypti simul, Asia, Thracia, Pontus,
Hesperiæque sacerdotes pia pacta capessunt
Præsul et emeritus cœli fastigia scandit

Porphyrio sedis Flaviani sorte potito,
Acacius Alexander digno succedit honore,
Laude frequentatus, probitatis munere mactus,
Ore quidem clarus, vitæ sed clarior actu
Abjunctum pridem pecus in ovile reducens,
Dum lotas recipit fluvio exhilarante bidentes,
Hostes ingemuere, at cives splendore perestat
Impete lætificans revocati fluminis urbem.
Hunc que Theodorus probitatis numine sectans
Castificæ speculum vitæ, pietate renidet
Quæ restant etiam septis pecuaria reddit.
Post quem magnanimus sumit sacra jura Joannes
Ponitur hic, pontique pari fervore Cyrillum.
Cui Marci redhibens, Cephæ quoque sede recepta,
Dum lites removent, Christi aulam pace venustant

CAPUT XI.

De sancto Macedonio eremita, et Evagrio [167*].

Pugnavere viri circa hanc virtutibus urbem
Vincentes pariter mundum rabidumque tyrannum,
Tutantes cives et milita castra tegentes
Nunc precibus, monitis nunc, agmina sancta regentes.
Nunc intercessu, modo subventu, apta leventes.
Quorum jussa Macedonius crudelia cæsis (sed ? censis?)
Detorquere parans jugulis, et montibus altis
Ovibus advectus trepidis, funesta gerentes
Aggreditur : pannis fusces haud obsitus horret.
Indo aditu terrens sunt quæ mandata minaci
Sceptrigero leganda servi, monet esse culteum
Et similes sortes dominari in regmina fratrum,
Nec solum superum, pariter quin cernere pastum :
Pandat haud homines Domini sub imagine factos.
Irritans Dominum cujus putatur imago :
Si versam uxoris statuam grave ducat ahenam,
Quam magis Cuncticreans moveatur imagine rapta :
Et quantum videat sensata carentibus absint ;
Nosque simul plures unius honore valere :
Ipsum nec medicum functo reparare capillum.
Hac infrendentem cohibens terrore leonem
Crimine primatem, solvit discrimine plebem,
Ingue resolvendam hic turmans delubra regis
Hic sacer ingenii rutilans Evagrius acris
Lucе pia nituit, tractans divina decenter
Hac tellure Dei cultu terrena relinquens,
Jure pudicitiæ fugiens res atque parentes,
Prætulit illecebris monachi certamina mundi
Malchus, regem cœlo rotegens, quem hominis præferret (168).
Callidus hunc hostis virtutum culmine cernens
Gliscere, tendiculas cordi curvatu jacit atras :
Rem patriam reparet, viduæ solamina matri
Conferat, et sacris patrimonia ritibus aptet ;
Nec linquit, licet admonitum dare, ni trahat hamis.
Finibus exturbet, vitæ projectet arenis
Nec desunt nudo rabidarum furta ferarum.

Panditur actutum grassatum præda rapinis,
Ismaelitarum rapiturque examine, turbæ
Dispersæ comitum variis et cladibus actæ ;
Sicque camelorum gibbis sublimis inhærens
Per vastam fertur eremum, caro cruda resolvit
Esuriem, misero potatur lacte cameli,
Barbariæ curvatus heræ datur absque pupendis
Nudus abire, ovibus discit dependere curam.
Servitium respecta levat memoratio patrum ;
Exigit hic monachum precibus psalmisque sueto
Instat, delectant famulatus jura subactum.
Invidet his hostis, laqueosque per abdita tendens,
Hortatur dominum donet solamine servum
Quem videt egregium caulas implere patronum,
Vinclorum sociam famulo nexare maritam
Decernit, gladio renuentem cedere cogit,
Detestatus init thalamos virtute perosos,
Plangere pro cantu, pro saltatu edere luctum,
Flere pudicitiam, proprium consciscere lethum,
Quærere decessum, vitæ præferre pudorem :
Evibrat in sese ferrum, comes ausibus obstat :
Morte fera abstineat, jurat vel se prius Orco
Demittat feritas, tali nexamine jungat
Pertantes animis lucem postponere castis
At pudor ipse placet, capiat pietatis amicam,
Munditiæ sociam, mentis quam copula carnis
Collibeat, domini thalamos Deus ipse nitorem
Approbet, alterutra ostendat dilectio nexos
Attonitus senior virtute vigere virili
Miratur facilem lasciva ad lubrica sexum,
Diligit ut junctam volupe plus imo jugalem :
Cernere nuda tamen refugit vel tangere carnis,
Perdere pace pavens studuit quod quærere bello
Acceptos dominis plus talia vincula reddunt,
Nulla fugæ formido ; eremi dum vasta peragrant
Liberiore gregis ductu : memoratio mundum
Prisca subit fratrum, blandi respectio patris
Interea formica terens prudente vacantem

(167*) Principem in hoc capitulo obtinet locum Vita Malchi monachi ; in titulo tamen nulla de eo mentio.

(168) Hieron. in Vita Malchi. — Malchus, quem nostratibus regem possumus dicere.

Sollicitat cura, stupidam diversa trahentem
Mœstitiam mentis vultu comes unica raptat,
Pectoris arcanum rogitat, secreta patescunt.
Exhortata fugam, quæsita silentia firmat,
Spemque metumque jugi volvunt peroperta susurro,
Carnibus hircinis prævisa viatica curæ.
Sero subitur iter, carnes et tergora tollunt,
Utribus innixi rapidis se fluctibus addunt,
Flumine transmisso dubii per devia currunt ;
Post tergum assidui revocata fronte mentes :
Noctibus insidias veriti loca sicca terebant.
Tertia jam transacta dies et adhuc tamen idem
Retro referre monet visum fluitantibus error :
Ecce camelino geminos accedere cursu
Mens præsaga mali dominum lethumque retractat
Approperare simul, nigrantem cernere solem.
En trepidis longe penetrans depromitur antrum.
Nec minus horror ibi mortis scrobiumque venena
Introrsum properare vetant, adituque sinistre
Ingressos restare jubent, Famulo comitante,
Persequitur dominus speluncæque applicat ora ;
Jamque necis pœna gravior formido videtur :
Presserat ora pavor, jam lingua ligata tremore,
Cum servo dominus miseros educere mandat.
Ipse renudatum cæsurus ut evibrat ensem,
Præterit ingressus jussos post terga relinquens,
Cernentes se nec cernens rigido increpat ore,
Furciferos vocitans, plexosque eripere clamans
At memor Omnipotens famulorum, ad bella leænam
Excitat interius, fetus alimenta ferentem.
A Quæque trucem invadens rapit hostem gutture tractum :
Indignatus at ipse moras differre nec iram
Alterius tolerans dominus, petit intima fervens.
Et rabido servum increpitans clamore socordem
Dum sævit, sævos incurrit in abdita rictus.
Defensos furor ulterius quatiebat et horror.
Ac similis metus interitus torquebat anhelos.
Inter tanta sitos discrimina gloria ductæ
Sola pudicitiæ attollit solata latentes.
Immotos pavor ipse tenet seu limite vitæ
Suspensos, dum cauta rapit foveamque relinquit
Evectans catulum fera mordicus ore prehensum,
Tutelamque suam cedit metuentibus antrum,
Nec mox erumpunt, propensaque dona tremiscunt,
B Vindicis occursum tremulo sibi pectore fingunt
Transactaque die, jam sole cadente, sequuntur
Egressi latebram partos sibi stare veredos
Auxilio Domini, hostilique sub impete ductos.
Quis ista conscensis recreati vasta peragrant
Gaudentes eremi ; decimo Romana tenentur
Castra die, pandunt ex ordine gesta tribuno,
Oblatique duci pretiojumenta relinquunt :
Atque monasterii monachum repetita caterva
Sic recipit, castisque comes conjuncta choreis
Fulcitur dilecta soror, nec credita fratre
Sic gladios interque feras desertaque nunquam
Captivam esse pudicitiam patet, atque jugatum
Posse mori Christo famulum, non posse reflecti.

CAPUT XII.

De sancta Pelagia.

Hujus Pelagiam percepimus urbis alumnam,
Quam vitæ meritis veneranda cacumina juxta
Montis Oliveti signavimus astra petisse.
Cujus de tenebris ad lucem, a morte gehennæ
Ad clarum vitæ celebri pietate triumphum,
A maculis ad sacra poli mutatio talis,
Pontifices quondam jubet urbis episcopus hujus
Approperare sibi quosdam regione propinquos.
Hos simul inter adest sanctus cognomine Nonnus,
Vir justi rectique tenax, mirabilis actu,
Et probitate pius ; mores qui propter honestos
Cælibis ac vitæ cunctis venerabile culmen.
Almo et monacho præsul resplenduit almus,
Casta die quadam sancti dum semina verbi
Pro foribus templi, sociis poscentibus ipsis,
Spargeret hic, cunctis mirantibus, ore beati
Verba senis, tam magna seri, tam digna profari :
En ardens rutilis transibat mimula gemmis
Ornato residens pompæ meretricis asello.
Quam fulvis nitidum radiis contexerat aurum
Undique, vel claris onerata monilia baccis.
Hanc comitatur ovans puerorum compta caterva,
Grexque puellarum luce ornatissimus auri,
Vestibus insignes, decoratæ torquibus omnes ;
Quæ quo migrabat, spargebat aromate ventos,
Sollicitis vacuum nidoribus aera replens,
C Hujus in aspectu satias fugiebat amantes.
Pontifices stupidi tanta ambitione meantem,
Non in honore Dei procerum descendere asello,
Nudato nitidos prodentem vertice crines,
Intuitu vultum ceu magna a labe reducunt,
Nonnus at egregius, speculans attentius, atque
Longius asservans visu dum transiit, hæret,
Corde sub attonito reliquis incognita volvens ;
Inde recline caput genibus superaddit, et omne
Mox lacrymis manuale, sinumque replevit obortis.
Exin magna trahens imo suspiria corde
« Num delectatos, socii, vos jure probatis,
Hæc quo se mulier cultu decoravit amœno ? »
His nihil hæc contra reddentibus, ille reflectens
D Applicitam genibus faciem suspiria jungit,
Pectus percutiens lacrymisque cilicia complet,
Quæ carnem valido cœli fervore domabant.
Hinc rogitat, species sociis placuitne venusta ?
Non minus ast illi concepta silentia rumpunt.
Ille rosam callens hirtis decerpere dumis,
Semper ad exemplum pietatis et alta vocare,
Cordibus a comitum mundi removere piacla,
Et quasi vaticinans tandem sic incipit ore :
« Vere confiteor delectatum ore puellæ
Me, placuitque mihi species et forma decoris ;
At veram fateor nobis hanc præferet altus

Arbiter, ante thronum statuens censore tremendum,
Judicet ut nostrum officium nos atque triumphet,
Et quantas morulas horarum egisse putatis
Hanc intra proprium semet decorando cubile,
Dum lavat, et pingens se unguenti nectare tingit,
Insuper ad speculum studiosis cultibus ornans,
Ut mundo placeat, cunctis optabilis esse
Possit amatorum, nulli deformis haberi
Cernentum, plerumque dies quos crastina captat ?
At nos in cœlis æterna in sæcla manentem
Qui colimus Patrem, sponso qui morte carente
Gaudemus sibi divitias sine fine nitentes
Attribuente apte famulantibus, æstimat ullus
Quas non hic animus carnis non strinxit ocellus,
Non aures hausere hominis, neque corde librantur,
Quæ fidis Dominus dignisque paravit alumnis :
Certi præterea pacti promissa tenentes,
Cœlestis faciem Sponsi per sæcla videndi,
Cui cherubim penitus trepidant intendere visus
Nec nos ornamus, sordes neque pellimus atras,
Atque immunditias lapsis animabus inustas,
Imo protriti pronique jacemus inertes.
Quos vel in exemplo reliquorum tramite in alto
Virtutum semper meritis perstare deceret. »
Dixit, et hospitii se mox penetralibus abdens,
In faciemque ruens vultu percussa rigabat
Terga soli lacrymis, mœstis ita vocibus orans :
« O præcelse Deus, nostris, rogo, parce piaclis ;
Peccatori ignosce mihi, nam pellicis hujus
Unius solito cultus de more diei
Ornamenta meæ vicerunt omnia vitæ.
Quo te conspiciam vultu ? Excusabor ab ore ?
Ante oculos nec enim abscondar secreta tuentis.
Væ peccatori mihi ! quique altaribus astans
Indignus sacris decus haud illustre peregi
Etiam ad velle tuum, clemens qui cuncta creasti
De nihilo, Domine, inter quæ me condere dignans,
Servitiumque tibi statuens impendere dignum.
Ne me cœlesti miserum rejeceris aula,
Nec, reverende, tuam confundas ante tremendam
Me majestatem, cultu meretricis in hujus,
Quæ pro terrenis studuit se ornare superbe,
Summa pro rebus cura decorare caducis.
At qui proposui sacro tibi jure placere,
Invicto Domino decora implere quievi.
Quare me in terris tueor, cœloque relictum
Cultu inopem, servare tibi qui vota relegi ?
Hæc quæ promisit mortalibus ultro rependit:
Nulla meis igitur mihi jam spes actibus hæret
Ad suspensa tuæ pietatis in arduo mens est,
Immense Pater alme, mihi tua fidere multa
Dat bonitas, animam facias quam munere salvam. »
Talia qui tristi donec mœrore volutat
Præcipitans nigris terras nox contegit alis,
Dictus fessa sopor recreabat membra labore.
En mœsti Dominus famuli memor, omnia pandit
Læta futurorum signis præsaga bonorum
Nam videt in somnis aræ se assistere præsul,
Plenam et spurcitiis circumvolitare columbam,
Tetro horrore nigram, cujus neque ferre valeret
Horrens pedorem inmitentis sordibus ægrum,
Durabatque volans circa, dum miserit ordo
Extra auditores necdum baptismate lotos,
His simul egressis septis secesserat ales ;
Ut sacra complentur redit, et petit egredientem
Hanc ille accipiens statim se mergere cernit
Ante fores templi labro, quo, sorde piata,
Et nix alba velut, cœlum conscendit in altum,
Tam celse penetrans hujus dum visibus absit
Quo stupidus horrore senex, dum clara serenas
Lux rutilæ terras illustrat honore nitelæ,
Qua celebranda die renitet surrectio Christi ;
Pergit in ecclesiam, missarum sacra coluntur.
Post sacra dicta simul, Nonnus sermone rogatur
Solari sancto populum : incipit ille superna
Nec terrena sonans, nec rhetoris arte polita
Declamans cœli quin luce nitentia promens;
Non ventosa boans, sancto sed Flamine plenus,
Errantes revocans, iter ad cœlestia pandens,
Indicium memorando benignum, speque benigna
Labentes solidans animas fervore superno.
Cujus his monitis pulsantibus intima mentis,
Corda capessentum sic sunt compuncta virorum,
Terga pavimenti ut lacrymæ pietate rigarent.
Astabat meretrix nutu præfata Tonantis
Ducta sacris, etsi catechumina, juxta nec unquam
Huc sueta appropiare gravi sub mole sepulta,
Duxerat hanc equidem clemens miseratio Christi,
Ad præsepe suum mundis animalibus, in quo
Cœlica per fidum præbebat pabula servum.
Corda timor Christi jam concutit atra puellæ ;
Terrorem Domini famuli dum percipit ore,
Miro larga modo fluerent ut flumina cordis
Attriti de fonte, metu manantia Regis,
Cujus ab ore senis tam sceptra pavenda resultant ;
Sicquo Dei vivo rediens sermone cibata,
Præcipit ut maneant gemini videantque clientes
Hospitium tam præcellens ubi pastor haberet
Stant, sectantur eum servi, cernuntque, feruntque
Id dominæ, scribit ceratis illa tabellis :
« Hæc sancto Nonno, Christi qui dignus alumnus
Pellex Pelagia zabuli quæ turpis alumna ;
Auditu didici Dominum, quem tu colis, olim
Inclinasse polos, humilem terrena petisse,
Haud meritis justorum, at peccatoribus almæ
Qui sanarentur daret ut medicamina vitæ,
Se sanctus famulis sociavit flagitiosis ;
Quem trepidant cherubim seraphimque attendere [vultu,
Degere dignatus cum peccatoribus, ut tu,
Sancte Pater, dignis etiam sermonibus effers :
Hujus si vere cognosceris esse magistri
Discipulus, ne despicias, sed suscipe servam
Perpetuæ munus cupidam reperire salutis. »
Sanctus ad ista senex rescribens talia mittit :
« Quæcunque es, Domino nostro manifesta probaris,
Hoc tantum admoneo ne pectore mitia tentes
Squalentis peccati hominis horrore patrati :

Sin autem veram cupis impetrare salutem,
Meque videre potis, socius speculabere fultum,
Nam nunquam solum capies me sola videre. »
Quæ mox visa legit, properans festina cucurrit,
Præmittens famulum. Comites Pater advocat almos,
Sollicitamque sacris juvenem, sub testibus ipsis,
Tandem intrare jubet; penetrans prosternitur, imo
Prona solo, planctuque domum replebat amaro.
Insolitum capiti velamen pulveris addens,
Pontificisque pedes lacrymarum flumine tingens
Atque lavans fletu, tergebat crine soluto,
Actibus his imitans humili pietate Mariam,
Cui quia dilexit multum data multo probantur.
Hæc quia non poterat Domini vestigia, digni
Complectens famuli obsequio veneratur herili,
Clamans et dicens: « Senior, miserere piaclis
Ac Domini sectare tui pia dogmata Christi,
Me supereffundens pietatis viscera sanctæ,
Participem memet faciens mox nominis alti.
Nempe ego Pelagia pelagus sum pestis iniquæ
Fluctibus obscenis scelerum petulanter inundans;
Sumque animæ laqueus, sum perditionis abyssus!
Luxuriæ faculis lethique voragine multos
Decepi, decepta prius; nimis horreo gesta;
Exsecror infectam memet tam sordibus atris,
Deprecor unde pio baptismi fonte lavacri [*f* lavari],
Ut peccatorum pereant ibi facta meorum,
Atque meæ sordes animæ purgentur abactæ.
Credoque baptismo quod sanctificante renata
De manibus fugiam qui me seduxit iniqui. »
Pontifices clerique omnes stupuere videntes
Tot lacrymas tantamque fidem, meretricis et ejus
Quod jam cernatur subito mutatio talis;
Mirantes reflui tam larga volumina fletus,
In quoquam nullus quam se vidisse ferebat.
Vixque solo suadet lætus hanc surgere præsul.
Tum cautus canonem super his mandare retractat,
Non debere meretricem baptismate mergi,
Ni vadibus latis fidei munimina firmet
Actibus involvi nunquam se denuo pravis.
Auribus invitis responsa morantia captans
Illa, iterumque ruens corpus jaculatur humumque
Percutit hæc luctu misto gemituque profundo.
« Tu pro me Domino rationem reddere summo
Cogaris, mala nostra tibi reputentur ab ipso,
Si me distuleris baptismate tingere fonte;
Nam vereor ne forte, moras dum segniter affers,
Hostis me diris repetat laqueare catenis,
Maturante fuga quas ipsa evadere curro.
Nosco quidem laqueos vafræ fraudesque rapinæ,
Dum me muscipulam constat per probra fuisse
Incautis; sic invenias super æthera partem
Cum sanctis, nostram nolis differre salutem,
Ne crudelis aper sævo me dente revellat,
Ac spatio fretus foveis devolvat in atris.
Unde precor, sacris hodie me dilue lymphis
Atque Deo pro templis pia dona repende. »
His cuncti auditis referunt præconia Christo
Mirati scortum tanta flagrare salute.

A At Nonnus Jacobum Levitam mittit ad urbis
Pontificem, reserat quo cuncta ex ordine gesta
Ille Deo grates reddens, congaudet ovilis
Crescere lucra sui Nonnique attollit honorem,
Moxque sacram matrem Romanam pergere mandat
Mater ut esse novæ properet baptismate prolis.
Adveniens ita Pelagiam Romana jacentem
Invenit ante pedes lacrymarum in flumine Nonni.
Surgit vultu humens et crimina jussa fateri,
Hæc numero superare maris deplorat arenas,
Pondere continuans ipsis graviora sedere;
Fidere se tamen hæc Domini pietate remitti,
Cunctorumque dari veniam sibi flagitiorum,
Pontifici nomen purgandæ rite roganti
Pelagiam proprium, Margaritamque vocari
B Urbano se more notat, redimicula propter
Eximii cultus, animas quis vincta trahebat.
Tunc exorcizans senior de more puellam,
Nomine signato tingit baptismate sacro,
Participem faciens divinæ muneris aræ.
Quam Romana levans sacro de gurgite sumit,
Hic præsul: « Lætemur, ait, cum civibus aulæ
Cœlestis, vinoque hilares oleoque fruamur
Hujus propter ovis celebranda tropæa salutis. »
Jam Patre cum cœtu sociorum epulante beato,
Cernitur esse palam nuda sub imagine dæmon,
Utpote depromens spolium sibi nexile raptum,
Et manibus capiti innexis clamore protervo
Infremit exululans sic: « O violentia facti!
O quid perpetior! quantum sene torqueor isto.
C Decrepito ter dena tibi non sufficiebant
Sarracenorum violenter millia capta,
Quos mihi subripiens dederas baptismate Christo:
Non tibi Heliopolis mea, non satis egerat olim,
Cujus me celebri venerantes culmine cives
Sacrasti Domino; non tot raptæ tibi gentes
Sufficiunt, Christi per te quæ sceptra verentur:
Tot tibi tam magnæ non suffecere rapinæ,
Insuper aufertur spes maxima fenoris ampli.
O violenta ruens raptrix, o prava senectus!
Argumenta doli jam non ultra fero sævi.
Heu maledicta dies, mihi qua contrarius ortus!
Namque impulsa labans lacrymis ut flamine nostra
Subruit evulso male firma domuncula fundo. »
Lividus hæc ita prosequitur plangore frementi.
D Pontifices reliqui vocem captare nefandi
Et cum Pelagia mater veneranda stupescit.
Versus et ad raptam Christi virtute puellam:
« O quid Pelagiam mea quod mihi chara parasti!
Ei tu nempe meum Judam sectata videris:
Ille coronatus magno et redimitus honore
Culmen apostolicum duodenæ sortis adeptus
Prodidit altorem, cujus renitebat alumnus;
Haud aliter mea cum fueris, mihi fraude fatescis. »
Tunc mater Romana; « Crucis te, filia, muni
Præsidio, pompas renegans, et dæmonis atri. »
Quæ signum ut crucis expressit Christumque vocavit,
Ille sub aerias fugiens evanuit auras.

Hinc iterum pellax, notas conversus ad artes,
Blanditias rigidis lenes terroribus addit ;
Hancque adiens somno positam quatit horridus astu,
Excitat, et blandas cœpit miscere loquelas
« Domina mea memorans, mea Margarita, quid unquam
Ingessi tibi ? Non baccis carisque capillis
Ornavi ? Non argento te auroque replevi ?
Dic in quo leviter vel contristata pateris,
Jamque satisfaciam ; nunc me ne desere tantum,
Ne me Christicolæ tantum per probra fatigent. »
Ast ancilla Dei signo defendere Christi
Se studet, exsufflansque vafri phantasmata monstri,
Insequitur : « Tibi, sæve, tuisque renuntio pompis ;
Obsistat Dominus Jesus tibi, pessime dæmon,
Qui pietate tuis me faucibus eruit alta,
Inque suum thalamum cœlique induxit in aulam. »
Romanam inde ciens : « Mater venerabilis : inquit,
Exora pro me Dominum : nam ceu leo frendens
Expedit insidias Satanas, unguesque ultusque. »
Tunc ea : « Ne timeas victum jam, filia, monstrum;
Amodo namque tuam fugiet quoque territus umbram. »
Tertia lux repetebat humum post dona lavacri,
Quo cum peste truci certabat cominque palamque,
Corde cavens veteri mulier jam facta virilis.
Vincere quæ properans avidi laqueamina mundi,
Perfectoque sequi ductorem tramite Christum,
Præpositum domus servum vocat, et jubet omnis
Vectetur penitus sibi quo descripta supellex :
Argentum, vestes, aurum, redimicula, gemmæ.
Accelerat servus, metuens mandata moræ ;
Ornamentorum dominæ simul omnia perfert ;
Quæ mox per matrem hæc Patris tractatibus offert
Ipsas esse fatens mercedes criminis atri,
Quo versutus eam per eas deceperat hostis ;
Arbitrio poscens sancti expenseetur ut ejus,
Sufficere affirmans superi sibi munera Sponsi.
Protinus et famulos omnes famulasque remittit,
Atque manumittens dono solatur alumnos,
Exhortans studeant sceleris sibi solvere vincla,
Et veram libertatem pietate tueri.
Instituerat Nonnus prudens fidumque fidelis
Œconomum vocat ecclesiæ, cunctaque puella
Omnia contradit pretiosa insignia cultus,
Adjurans per eum cujus sub honore vacabant,
Defraudetur opum ne pars vel quælibet harum,
Intromittatur domui nil præsulis inde,
Nil vel in ecclesiæ, vel tractatoris earum ;
Omnia sed viduis, pupillis pauperibusque
Dispensentur, uti servæ congesta beatæ
Largirentur, opus scelerum sanctum operantum
Et servent. Fit continuo, nil restat in ætum.
Nempe ancilla Dei nova postquam lumine lavacri
Candida, ex propriis proprios nil rebus in usus
Contigit, egregie sumens pia pabula matris,
Ac vilis quæsita nigras vel tingere vitans.
Lucescente die, nox est qua ponere vestes

A Neophytus albas, needum rutilante diei
Surgit luce, stolas ponit baptismatis albas,
Induitur byrro, tunicaque, et, nemine teste
Aspera cilicii velamina corripit hirci,
Assumptisque alis petiit præcelsa columbæ ;
His et visa locis posthac non amplius usquam.
Hoc quia nescierat mater Romana veretur
Ad mala contempti ne forte redisset amores,
Plangens ceu laqueis iterum sic indita mœsta.
Quam Pater egregius sub Flamine conscius almo
Pelagiæ voti, solatur : « Filia, noli
Flere piam ducens gnatam cum cœlite cœtu,
Quin lætare hilaris quod et hæc sicut illa Maria
Peccatrix partem melioris repperit oti,
B Quæ non auferri poterit jam funditus illi. »
Urbs Domino grates referens hæc tota rescivit,
Atque sacerdotum qui aderant sua quisque petivit.
Tertius interea rapidis successibus annus
Exierat votumque vovet levita superne
Jam dictus, Solimam ut pergens loca visitet alma.
Intimat hoc Patri sancto, dimittier orans.
Vadere permittit præsul, sequiturque profando :
« Cum præstante Deo, frater, perveneris illuc,
Et digne veneratus eris sacrata locorum,
Sollicite cura monachum perquirere sanctum
Nomine Pelagium, solus ex tempore belli
Qui clausus latet in cella ; quem visere cura,
Nam vere Domino servit, monachusque probatur
Perfectus. » Sanctum sexus sub honore puellam
Commendans, sexum quæ vicerat, omnia mundi
C Vana triumphando proculcans corde virili.
Nec tamen hanc pandit manifestius, ordine servans
Id fieri placito et divino numine jusso.
Denique commonefactus adit loca sancta diacon,
Ligna beata crucis pretiosa stratus adorat,
Tum loca de membris Regis sacrata sepulti,
Morte triumphata rediit qua gloria Christi,
Victrix perpetuæ solidato robore vitæ :
Altera dumque dies noctis depelleret umbram,
Quærere Pelagium properat levita notatum
Tunc in Oliveti scandens fastigia montis,
Quo Genitus pia vota Patris mittebat ad aures ;
Unde et præcipuum ducens super astra triumphum,
Jus repetens proprium, cœlorum ascendit in alta.
Hic habitare virum studio quem quæreret audit ;
D Præparvamque videns cellam, simul undique clausam,
Perscrutans oculis aditus qua parte pateret,
Nil videt hic omni modulo nisi parte fenestram.
Quæ pulsata patet, levita agnoscitur ipse,
Se cognoscentem non callens noscere matrem
Dum faciem videt aridulam rugisque solutam,
Orbibus inque cavis oculos marcore gravatos,
Ossaque clitellis passim numeranda solutis,
Cuique arefacta cutis vix texerat ossa superne :
Et benedici ab ea poscens, benedicitur, atque
Levitam se tradit papæ servire beato,
Atque vicem petitur pro se redhibere precanti.
Miratur super has vatis secreta latentis ;
Præterea nec plura capit, nec plura rependit ;

Et laudes, tantum aure trahens sollemniter illa
Quas Domino reddit dum linea tertia surgit ;
Sicque poli Dominum benedicens pergit ovanter,
Eximioque means accensus amore locorum,
Celsisque almorum precibus benedicier optans,
Pelagii sibi qua pertransit opinio pollet,
Cujus item aggrediens cellam, nihil audit ab intus ;
Permanet expectans spatium transire diurnum,
Et nox dum nigras terris jam spargeret alas,
Regreditur, mittitque diem migrare, reditque ;
Tertia dum cæcas lux pellit ab orbe latebras
Scandit, et obstructam cernens, aperire fenestram
Præsumit ; tum strata videns pia membra quiete,
Descendit propere, Solimorum nuntiat urbi
Pelagium abbatem cœli secreta petisse.
Alterutraque sibi monachorum lege catervæ
Id pandunt, totaque simul regione feruntur.
Jordanis, Hericontei, Solimique sodales.
Jamque aderant Patres sancto fervore gregati.
Tum funus cella eximitur scamnoque locatur,
Accedit Solimus solito felicia ritu

A Exsequiisque piis componere membra sacerdos
Ecce repente probant muliebria mente virili
Quem credunt monachum, monacham secreta tulisse.
Glorificant igitur magna cum voce benignum
Mirificumque Deum multos qui regmine sanctos
Dirigit occultos, sibi nota monilia servans.
Fama volat, cœlum petiit quia mascula mater,
Cujus ad exsequias curant concurrere plures,
Sacraque virginei volitant examina lætus ;
Dumque pium digno tractant sub honore cadaver,
Et celebri mandant cum religione sepulcro,
Luminibus radians multis pia turba coruscat
Laudibus inque Dei plebis vox cuncta resultat
Postmodo missus ad id Christi a pietate minister
B Regreditur Jacobus, Patrique ea nuntia portat
Hinc properat matri narrare hæc Antiochensi
Omnibus ac justis ibi gaudia magna ministrat.
Fletibus illacrymant populi per gaudia fusis,
Laudantes Dominum divo qui munere præstat,
Ut dignetur ab his tales sibi sumere fructus,
Splendida quos cœli gaudenter in horrea condat.

DE CHRISTI TRIUMPHIS APUD ITALIAM

LIBRI QUATUORDECIM

INCIPIT PROOEMIUM SEQUENTIS OPERIS

Orbis Roma caput, celsa potentibus
Sceptris, consulibus, Cæsaribus cluens
Augustis, patribus clara Quiritibus,
Armis, pacificis et ditionibus ;
At nunc Altithroni lumine clarior
Regis principibus nobilis ætheris,
Christi præcipuis celsa sodalibus.
Fulges martyribus, præsulibus, choris
Splendes virgineis, astra super poli
Qui te prodigiis, dogmate, præliis
Palmis constituunt æthere perpetem ;
Vincentes veteres culmine principes,
Bellis qui validi regna parantibus,
Orbis jura licet subdiderint tibi,
Nigrarunt vitiis te tamen horridis,
Armis polluerant atque domesticis,
Sanctorum maculant sæpe cruoribus,
Replentes scelerum sordibus omnium,
Reges et satrapas subdiderint licet,

C Submisere fero colla tamen jugo,
Pestes invalidi pellere pectoris
Acti criminibus terga prementibus.
Fallor ni propriis vatibus hæc sonent
Tabes Pegaseo fonte rigantibus.
At Christi proceres viribus arduis
Edocti tumidos subdere principes,
Magnatum dominos pellere dæmones,
Mortis sceptra terunt his dominantia,
Frangentes trucium spicula virium ;]
Quos reges miseris vultibus inclyti
Orabant, trepidos hi pedibus premunt,
Sternentes veteris numina sæculi.
Non nostro aggredior carmine prodere
D Res quarum Maro sit themate territus,
Horrens nigra togæ stamina texere,
Sed quæ sic caneret vinceret Orphæa,
Formosumque Linum, patrem et Appollinem,
Cantu Pana suo vinceret Arcadem.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De certamine sancti Petri apostoli cum Simone Mago.

Vana tropæa piosque crucis per bella triumphos
Pro regnis certata poli felicibus actos,
Sanctorum nisi meritis evolvere versu
Romanas tandem ductore venimus in arces
Egregio Christi populorum præduce Petro,
Qui verbi jaculis palmas post Antiochenas
Pestiferum insectans divini luminis hostem
Se tulit huc, longe fugitantem in culmine mundi
Sterneret ut Simonem, cunctoque patesceret orbi
De mundi capite æthereos rutilare triumphos.
Substratum Ecclesiæ quis se gemit improbus anguis,
Terrarumque serens per plurima regna profuse,
Spargit ab inde Petrus ditissima semina verbi.
Quid repetam belli veteres ab origine fraudes,
Ut Christi primum insidiis aggressus ovile
Proturbare Simon, socium se finxit, et hostem
Lividus docuit, supero qui jure sodales.
Dum videt arte sua multo potiora valere,
Prodigiisque Philippeis stupefactus et ore,
Corpore salvifici sumpsit fomenta lavacri,
Attonito sperans molimine discere monstra,
Plurima quam norat Stygio insimulatus ab œstro
A cujus tam mente fides aversa nitebat,
Irradians orbis pretioso lumine regna
Emptæ quam sol tenebras regionis abhorrens
Volvit iter peragrans stabilito tramite mundum
Res patuit: non nulla videns fervere beatæ
Artibus Ecclesiæ fraudis vestigia notæ,
Protinus attoniti cæco sub pectore motus,
Gentilisque animo furit ægraque lætis
Invidia, atque odium mœret pollenter haberi
Ipse quod infaustæ toto nequit artis apisci;
Dilectosque dolos nigro sub corde volutans,
Tetra venena coquit, meditans urgere latenter.
Quam fraudis superare gradu non prævalet arcem,
Fundamenta prius fabricæ subducere nitens,
Ut valeat totam structuræ evertere molem:
Armaque corripiens patri jam cognita pridem
Terrigenas quo subruerat conamine primos,
Auri advectat opes, donum Spiraminis almi
Mercari se posse ratus. Sed Petrus ab ipso
Instructus Domino laqueos transcendere tetros,
Implicans hoc sacra peti, ut molimine monstri
Aut errat, aut adimat, robusti cuspide verbi
Perfodit, atque lupum multi proturbat ovili.

A Tum veluti fera pastorum clamoribus acta,
Quæ medio rapiam subito de cespite prædam
Dum sequitur clamorque virum, celeresque molossi,
Haud perferre valens, solatia non sua mittit,
Atque vacans voto majores colligit iras,
Carpendique famem potius quam volvit edendi;
Destinat insidias cautas, clam furta frequentat,
Et via si qua patet, penetrat, laceratque bidentes,
Jam non esse modo cupida, imo nocere parata:
Haud minus iste lupus, crudelis bellua mentis,
Prævalida Cephæ pastoris voce repulsus
Quæretur proprio præsumptam jure rapinam,
Directo non ferre valens pia pondera cursu,
Ponit, et accensas vacuus raptatur in iras,
B Sumptaque multiplicans studiosius arma nocendi,
Quæque valet Christi furtivus ovilia tentat,
Corda parans gregis insidiis incessere blandi,
Nil commune ferens, contraria cuncta propagans,
Cæsareæque ut oves Petro pastore gregatas
Comperit, hostili cursus huc fraude tetendit,
Et quoscunque valet, ferali dente cruentat.
Quem contra rabidi crudum moliminis hostem
Bellator validus divino munere Cephas
Progrediens, armisque vigens capit ore duellum;
Pellitur umbra, pio clarescit lumine fulgor
Discipuli fraudis, quorum mens cernere verum
Promptior, obscuri penetrant dum furta magistri,
Exhorrent facinus; dextras juvat addere vero,
Junguntur sanctis lumen captare parati.
C Desertus sociis dira latro carpitur ira,
Clamque fugam aggrediens, urbem petit Antiochenam
Audierat siquidem fidei crevisse vigorem
Hic adeo ut Christi caperent de nomine nomen.
Quod ferus, invidiæ facibus ferventer adustus,
Insidiis cæcisque dolis explodere nitens,
Ætheris adversus Dominum certare laborat,
Frustratusque miser sævo corroditur igne:
Pulsus et a Petri sociis, cautisque ministris,
Præsidio petiit ire fugæ, cernensque negata
Cuncta Asiæ sibi regna, legit trans æquora ferri:
D Falsaque comperiens quæcunque capessere Romam,
Utpote cunctorum vanitatum errore deorum
Ac tetro cloacam dominatu dæmoniorum,
Fisus eis, et abhis actus, huc peregra venit.

Immitensque ope dæmonica sub vincula multos
Conjicit erroris cives, crescitque per artes
Usque adeo magicas, deus ut decretus ab ipsis
Polleret, simulacri etiam donatus honore,
Quod geminos inter pontes Tiberina fluenta
Allucerant titulo insignem ; sed fraude petita
Haud longum deitas mansit, veroque tenellæ
Rumpuntur tenebræ, validus dum protinus illo
Militiæ Christi veluti dux atque magister
Dirigitur princeps primorum Petrus, iniquum
Humani generis contra generaliter hostem
Qui primus vexilla crucis huic ingerit urbi,
Postquam Cappadoces, Galatas, Pontum atque Bi- [thynos
Armis induerat fidei, proba munia tradens,
Divinos certare sciens robustus agones,
Virtutum scelerum contra ductare cohortes,
Et falsi tenebras expellere lumine veri.
Hic primus verbi patefecit clavibus aulam
Cœlestis regni dominantis civibus urbis ;
Pelluntur radiis Christi rutilantibus umbræ ;
Jam mentes hominum placido illustrabat amœno
Sermo Evangelii, satias jam nulla tenebat
Verbi auditores, miracula plura videntes,
Nec ducunt audire satis quin supplice voto
Discipulum poscunt sacris mandare lituris.
Audiit ille preces, chartisque receptat habendum
Petri Evangelium, senior quoque, Flamine plenus
Sidereo, postquam factum, furtumque fidele
Accipit, attollit, delectatusque rapina
Marci picta manu quæ dogmata pagina signat,
Firmat, et Ecclesiæ tradit per sæcla legenda.
Senserat actutum respublica, limite in ipso
Introitus Cephæ, suffragia clara salutis ;
Quartus ab Augusto fasces nam Claudius orbis
Nactus, consulibus multam patribusque parabat ;
Extingui siquidem per eos de sanguine cunctos
Decretum exierat proceres qui Cæsaris orti.
Caius ut exstinctus, scelerum crudelis amicus,
Pelli regna jugo, perfringi sceptra revulso,
Restitui leges, ad pristina jura reverti
Claudius at regnum postquam solidat, fera tendit
Judicibus sævæ crudis molimina pœnæ.
Sed Petri in auxilium, divino nomine tactus,
Ne nigra tempestas surgentia gramina lædat,
Dum conduntur adhuc scissæ nova semina terræ,
Incipit interius advertere pectoris antris
Quas, si cœpta foret, strages daret ultio dura ;
Quam claros magnosque viros actura sub umbras,
Quam desolatam patribus constringeret urbem :
Cogitat hæc, animique truces ad grata residunt
Irarum tam torvarum medicamina curæ
Æquora ventorum veluti post bella quiescunt,
Immoriturque hærens velis tandem aura superstes,
Indulgere sedet diris conatibus ultro,
Non horum memori quidquam retinere furore ;
Quin veniam dictis, factis quoque sancit in ævum,
Tradere nefastis apicum ne luce recurrant ;
Sic famosa nitens sub Cepha amnestia Romam

A Sedat, Athenæis censoribus edita quondam ;
Quam, suadente quidem dudum Cicerone, senatus
Tentarat populis inducere Cæsare cæso ;
Sed vetat infandi ultrix Antonius armis,
Cæsar et Augustus furtivi funeris ultor.
Claudius hanc adhibens Barjona principe Romæ,
Etsi causa petat trucior quo ferveat ultor,
Sponte tamen facinus nullo poscente remittit.
Contigit hic aliud permirum temporis hujus
Regna regens præcelsa Dei quod gratia gessit.
Dalmatiæ Furius legatus honore Camillus,
Molitus civile nefas, ad sacra vocarat
Militiæ mutanda manus fortesque ferasque ;
Signataque die qua rex statuitur ab omni
Militia, nulla possunt ratione moveri
B Signa, velut firma terræ radice figentur :
Non aptari aquilæ, Christi virtute subactæ,
Miles ut hæc non visa prius miracula cernit,
Pœnitet incœpti ac rigido ferit ense tyrannum,
Militiæque fidem censet servare priori
Et quid deterius, quid perniciosius urbi,
Historicus sequitur quam bella domestica Romæ.
Rite neget pressum teneros divinitus istud
Agnos ut tegeret, fundamina firma locaret
Christus, fixa tuens, si talia gesta prioris,
De compescendis unquam civilibus armis,
Quilibet exempli poterit ratione docere,
Quattuor hic annis tunc prælia cuncta remota,
Internis Domini jussu externisque repressis ;
C Tum demum princeps, torpedinis otia questus,
Quærit ubique manus, bellum dolet esse negatum :
Signa sine hoste movet ; niveas transmittit ut Alpes,
Gallica rura quieta videns, pertransit ad æquor,
Trans mare comperiens quosdam mussare tumultus :
Permeat, atque lenes reprimit sine sanguine motus ;
Nilque egisse putans, rimatur in æquore si quas
Obviet intactas Romano principe terras :
Quasque subire valet, celeri ditione coercet.
At propero remeans cursu, sextoque regressus
Mense pedem postquam belli quæsitor apertis
Extulerat portis, reduces sine clade Quirites
Admittit caulis, quas Jordaneius heros
Ablutis ovibus vitæ pia pabula præbet.
Gaudent pace pii, gaudent solamine verbi,
Egregiusque rudes pater erudit ore clientes.
D Et pius ut custos crudo defendit ab hoste ;
Monstrat et expugnat, propellit ab urbe latronem,
Atque fidem Christi, dum Claudius imperat orbi,
Ore serens sacro, signis comitantibus auget.
At postquam turpi cesserunt jura Neroni,
Audito probrosa Simon curare tyrannum,
Huic se, dignus eo tutore, ultroneus offert,
Moribus egregiis doctrinam jungere quærens :
Nexus amicitia sociatur lividus atro,
Pessimus infando, scelerum sceleratus amico.
Crescit enorme malum, diras instigat in artes
Perversus pravum, probri nil restat inactum,
Omnia flagitiis prudens rex tentat apertis.
Sic tanto crescente malo, solatia Cephæ

Providet Omnipotens comitem fortemque probumque,
Ejus in auxilium tribuens accedere Paulum,
Qui licet intentus totum decorare beata
Doctrina mundum, fines extendere ad usque
Terrarum, postquam a Solymis usque intima ruris
Illyrici vicos, urbes, castella peragrans,
Omnia sanctifici repleverat dogmate verbi,
Visere commodius dominam deducitur urbis:
Nempe cui mundi populo ignorare liceret
Rerum susceptum rectrix quod Roma probasset?
Concaptivus Aristarchus comitatur eundem
Ac medicus carnis, mentis magis Antiochensis.
His vehitur socius per summa pericula Paulus,
Custodum ac castus, doctorum ductor habetur.
Ingreditur tandem præcelsi culminis urbem,
Vincla ejus purgat maculas, et ab ore bonus
Eripitur, Christique deum pia dona propagat.
At Nero, doctrina saturatus Samaritani,
Majorum sensim scelerum incrementa subibat:
Qui post infanda in miseram molimina matrem,
Incestumque sui retecendum ac stupra sororis,
Post Urbem incensam, spectacula læta tyranni,
Reliquiarum ignis diram fœdamque rapinam,
Postque senatorum jugulum, spolia ampla senatus,
Femora post direpta fori, post funus equestris
Ordinis, affinis multam sociique cruoris
Fratris, germanæ, uxoris miseræque parentis,
Hanc scelerum molem cumulans augere sategit.
Ac majora petens, cœlestem theomachiam
Aggreditur primus Romæ exercere cruentis
Primus suppliciis inibi patriasque per omnes
Excruciatus sanctas Christi pietate nitentes,
Cognomenque pium Domini de nomine sumptum
Exstirpare parans penitus, cognominis hujus
Principes Mamertini sub carcere patres
Trudit, et in totum crudus grassatur ovile.
Lumina sed cœli licet abdita corpore sidant,
Non valet æthereos compescere carcere fulgor:
Quin potius undivagis littus fit ut igne Liburnis
Splendentes mittunt radios, ducuntque ministrant
Scandere per rabidas portum tendentibus undas,
Indeque qua cernunt placidum rutilare coruscum,
Approperant, tenebrosa viri penetralia linquunt;
A Naufragum mentis fugiunt, portumque prehendunt.
Irradiant sancti plebes; fervore calentes
Flaminis almifici valeant ut linquere monstrant
Vasta tenebrarum, verumque agnoscere lumen,
Atque animæ sordes divinis ponere in undis.
Exsultant populi cœlesti fonte rigari,
Purgarique petunt animæ contagia læsæ:
Mundandis latices novo custode negantur,
Solliciti proceres animarum crescere lucra,
Regem adeunt, cœloque preces appellere curant
At Dominus lymphæ legisque utriusque tributor
Christus, ut ostendat se prisci juris alumnum,
Qui præcepta dedit Moysi, præcepta dedisse
Ecclesiæ Patribus, qui nuper in arida ruris
Libandi turbæ solamine fontis egenti,
B De petra produxit aquas quæstusque removit,
Arenti hic populo cœlique fluenta petenti,
Hæc quoque posse Deum non diffidentibus almis,
Largos Tarpeia latices e rupe profundit,
Irriguis dura scatebris incaute repertis.
Mirifici gaudiis Patres pia dona ministrant,
Dumque lavant undis divino munere latis
Corpora, sanctifico mentes purgamine mundant,
Flaminis ac divi fecundo pignore ditant
Abluitur tunc Processus cum Martiniano,
Qui præceptores animæ in *suo* principis undis
Castra petunt contemplantes miracula, magnos
Hic quæ per proceres Dominus præstabat Jesus,
Infirmos curans, et dæmonis arma triumphans
At ferus obstructis qui fontibus ampla putabat
C Clausa fluenta Dei, fluvios procedere largos
Comperiens, et oves lympha gaudere salubri,
Invidia cunctæ fervens bonitatis et omnis
Justitiæ, vitiis quæ severat improba diris
Nasci sancta videns, proba surgere, fausta vigere,
Atque calens atro faculis Acheronte perustis,
Insontes mactare greges et ubique catervas
Sternere bacchatur, cædit sine crimine justos.
Tunc septem quater et denos expertus ab hoste
Ablutos scelerum, virtutum præduce Petro,
Hos pariter jubet excindi; confessio vera
Quos junxit fidei, junxerunt dona lavacri,
Martyrii sociavit honos et gloria palmæ

CAPUT II.

De sancto Torpete.

Carus in officio renitebat honore tyranni
Torpes, quem docuit divina Antonius heros,
Fonte sacratus divo, qui dogmate presbyter oris
Doctus apostolici, Christum memorabat aperte.
At Nero, percipiens Torpetem sacra subisse,
Addicit Satello cognitionem ad hæc patrando;
Cumque fide firmus cogi ad scelerata nequiret,
Præcipit hunc, alapa crepitante satellitis ictum,
Marmoreis vinciri altæ vastæque columnæ,
Verberibusque agitat crebris; dum corpore guttis
Effluitur sanguis, terram pluvia horrida tingit;
Expavit crudele nefas, ceciditque columna
Censorem, sævos pariter decepsa sodales
Quadraginta premit; patris post filius ultor
Victori insigni tormenta rotantia ponit,
Monstrorque necem, belvisque ferocibus offert:
Mitescit sine more furor, servatur honore
D Divino, trepidantque feræ contingere dente
Quem laceraret homo crudelior ore ferino.
Hujus virtutem inspiciens Evelliusunus
Consiliis dura tantorum lege Neronis,
Corde fidem Christi capit, ac baptismate lotus
Lucis honore coronatur non tempore longo,
Post Romæ cæsum pretio cervicis adeptus
Ad sanctum Domini Torpetem Savius urbem
Extra Pisanam duci, patris impius hæres.

Detegat, diroque jubet mucrone feriri :
Exsultat martyr jugulo sumpsisse coronam.
Sanctum lictor atrox corpus scelerisque ministri
Naviculæ injiciunt, carie atque teredine tritæ,
Cum cane parricidali cumque alite dantes
Mergendum rapidi vitreas sub fluminis undas.
Matronæ fidei venerandæ mittitur aulæ
A Incola mox superæ, Celerinæ præcipit atque
Martyris inquirat pia membra, levetque locetque
Quod celeri accelerare studet Celerina sequela,
Sarcophago dedens corpus venerabile mundo,
Basilicamque super cultu componit amœno.
Felix Nuceriæ simul ac Constantia passi
Tunc, nec non variis quam multi partibus orbis.

CAPUT III.

De passione apostolorum Petri et Pauli

Pluribus admissis cœlorum ad gaudia sanctis,
Agminibusque sequi jam regia signa paratis,
Castris dispositis, et vincere bella suetis ;
Prælia post valido passim certata labore ;
Post pia victricis dignæque insignia palmæ ;
Post populos, urbes, gentes et regna subacta,
Post juga nobilium cervicibus addita Regis
Ætherei, Rex ipse duces ad sceptra vocabat,
Debitaque audacem pressabat pœna tyrannum.
Mandantur Patres ergastula linquere tandem
Jussuque immerito funesta ad mœnia duci,
Titanis novies dum jam repleverat orbem
Limina Paulino postquam servante manebant.
Custodes igitur, visis qui pectora miris
Sanctæ subdiderant fidei, cunctique sodales
Magnifico vitet suggestant funera Petro,
Seque suis servet cautus, liberque recedat.
Adjungunt precibus lacrymas, labique queruntur
Morte patris gnatos, illi pastore perempto
Dispergique greges, et ovile facessere fundo.
Fletibus his victus clemens inflectitur altor,
Cedit, et effugium tentat pietate coactus ;
Jamque pedem noctu foribus digressus apertis
Extulerat, Christumque tuens occurrere contra
Intremit, atque animum revocans ita fatur adorans :
« Quo, Domine, intendis ? — Crucifigi, inquit, peto Romam.
— Rursus, ait, patiere crucis tormenta, Redemptor.
— Rursus, » at ille, poli repetens super æthera sedem.
Sic oculis senior mundi in caligine fixis
Pellegit aereas animis sectantibus auras,
Atque alacer versus : « Sequar, inquit, te, bone pastor. »
Regreditur, narrat gaudens ex ordine cuncta :
Solatur socios ; cunctis plangentibus, unus
Exsultat, comites recreans solamine verbi,
Inque fide Christi valido munimine firmat.
Dumque piis pius et pastor pia pabula præbet,
Et medio rapitur comitum lugente caterva,
Et nimio gemitu cordis testante dolorem,
Viginti cum quinque regi qui regmine tanti
Gavisi fuerant Patris feliciter annis,
Cogitur, arguitur ; manet insuperabilis ille,
Et crucis extollit præstans immotus honorem
Omnibus impulsus flabris ut perstat Olympus,
Supplicium crucis invictus tolerare jubetur
Princeps, tantopere cujus commendat honorem
Ducitur ad regnum, postquam Phlegetontis in una
Devictum penitus terris furiisque minantem
Aera, tentando cœlum, corda illicientem,
Tritis allisum membris dejecerat hostem,
Quæ precibus sternens genibusque in marmore fixis,
Æthere dejecit, lapidi signatur adactæ
Nunc etiam patulæ Petro incubante cavernæ
Quæ pluvia oppletæ pestes medicamine pellunt,
Jucundoque ægris dant munera roboris haustu.
Christum morte secuturus dum ducitur heros,
Exsiliens animo indignum testatur eodem
Se sublimari Dominus quo passus honore,
Qui cœlo adveniens cuncta ad cœlestia traxit,
B Seque solo genitum terrenum finxit alumnum ;
Crux sua quapropter caput ad terrestria vergat,
Et se terrestrem doceat, cœlumque petendum
Haud aliter ni subjecta cervice, revelet.
Nec mora gyratur crucis a lictore triumphus,
Figunturque pedes supra, cœleste petentes
Lucis iter, palmæque imum terræque propinqua
Complexæ terrena legunt super astra ferenda.
Alloquitur de supplicio circum agmina fusa,
Flentibus et cunctis hilaris solatur anhelos,
Tranquillusque vocat divina ad gaudia tristes,
Eximiasque refert Christo pro munere plebis
Grates, cui commendat oves sibi vota ferentes ;
Exorans ipsis super æthera pascua donet,
Tunc inter monitus interque affamina vitæ,
C Inter vota precesque, interque piissima verba,
Intentam cœlis animam ad cœlestia mittit.
Discipuli civesque pii, sanctique ministri,
Præcipue Marcellus, ei qui fidus alumnus,
De cruce deposito pietatis munia suffit,
Ordinat exsequias, et honorat aromate multo.
Regna Triumphantis mundi simul omnia Patris
Membra triumphalem juxta sanctissima callem
In Vaticano celebri tumulantur honore.
At Benjamites doctor, dux atque magister,
Postquam sermonem fidei resperserat oris
Largus in Occiduis, doctrina Oriente repleto,
Puniri infando cæsa cervice jubetur
A lanio ; præhensque caput pro numine regis,
Militiæque viris secum tribus ultima passis,
D Orbis in arce pio pro lumine cæditur orbis,
Fertur ei jugulo lac emanasse reciso,
Nimirum fidei qui lacte nutriverat agnos.
Emeriti summo proceres de culmine mundi
Sidereæ pariter tolluntur in ardua sedis,
Et Regem spolia ante suum pretiosa reportant.

A quo perpetui fastus insignia captant.
Traditur Eoa quosdam regione petisse
Ausoniam comites, charissima membra referre,
Et curam propriis adhibere tribulibus aptam.
Munera captantes fere per duo millia raptant,
Quorum ausus Catacumbarum sub cælo residens,
Arguit [illegible] præcelsa potentia Christi,
Sanctorum præcipuis urbem decorare patronis
Instituens, ferrent cuncto hinc solamen ut orbi,
Orbis et in capite toto peterentur ab orbe.
A Terrentur tonitrus subito vi, fulguris igne:
Sparguntur, tanti linquunt conamina cœpti.
Romulei cives, qui digni forte probati,
Sectari tantum qui promeruere decorem,
Attollunt, complectuntur, sibi rapta receptant
Pignora, præ cunctis opibus ditissima mundi.
Hinc loca quis servarentur pro velle capessunt,
In quibus et toto venerantur ab orbe petuntur;
Qui juncti Domino cœli super astra sedentes
Inclyta subjectum disponunt jura per orbem.

CAPUT IV.

De sanctis Processo et Martiniano atque Lucina.

Submotis Patribus, toto vibrat arma tyrannus
In grege justorum, fundoque auferre laborat
Hoc genus, a celsa cœli quod origine ductum,
Seque suosque valet fasces pervadere. Longum
Truserat in vinclis Processum et Martinianum
Paulinus, vana de nobilitate superbus;
Auditisque Dei nomen cum robore fari,
Constantis fidei, saxis contundier ora
Jusserat; ast illi laudes super æthera tollunt.
Affertur tripodem supra Jovis aureus; illi
Exsecratis spargunt tripodemque Jovemque salivis
Suspensi nervisque attracti fustibus auctis
Cæduntur, lateri flammæ accenduntur edaces.
Præclara hic aderat mulier Lucina piosque
Athletas bello validos durare monebat.
Quos postea iterum appensos divellit, acutis
Viscera perfodiens armatus scorpio telis.
Carcere contrusis iterum Lucina ministrat.
Post triduum Paulinus hebes et dæmone raptus,
Tortus, et exstinctus Letheis mergitur undis
Hosti victorum præfectus id indicat urbis;
Ille jubet cleri sanctos pugione feriri;
Suscipit hos via percussos Aurelia ferro.
Conspiciens animas cœli splendere venustat,
Corpora rure suo curans, et aromata miscens,
Atque pio venerans cultu, Lucina recepit
Gloria quæ maneat testantur mira sepultis:
Peste levati ægri, perjuri, dæmone rapti,
Hoste fero vincti, sanctorum luce soluti;
B Præsentes rebus sese quærentibus ipsis
Pandunt, carne sitis non nunquam visibus adsunt
Dicta probat matrona pias invisere tumbas
Sueta; peregrino monachos assistere cultu
Quæ cernens, dum ferre parat, capit ipsa levamen;
Promisso certa auxilio, fit dignior actu,
Scire datum cui venturam quam credere vitam,
Hausit apostolicas sitibundo hæc femina corde
Doctrinas, instructa pioque sacrata lavacro,
Justorum fieri consors ardebat in usus
Ipsorum indiguos, præbens fomenta labori.
Vinclis carceribusque datis tormenta levabat;
More sepulturas celebri devota gerebat:
Unde coronari meritis sociata piorum
C Promeruit, sanctos pretiosa morte secuta,
Introitum regni cui dat confessio Christi
Atque opus egregium fidei quod junxit herili.
Crypta beatorum membris constructa locandis,
Devoto per eam studio, funus capit ejus
Ornans pignoribusque jugans sacra pignora sacris.

CAPUT V.

De sanctis Nazario et Celso.

Irruit hæc rabies sanctos quoque Mediolanos,
Nazarium, Christo, claris genitoribus ortum,
Ac puerum Celsum, digne quem nutrit ipse,
Dexteritate necis cœlorum ad regna tulisse.
Nazarii matrem Petrus almo gurgite tinxit
Perpetuam, sancto Clemens hunc fonte piavit
Quem torquens Anolinus atrox, et carceris atri
Cum sancto afficiens longo squalore cliente,
Gradali tandem emeritum mucrone trucidat.
Membra dicata pii furto rapuere fideli,
Romuleamque extra portam de nomine dictam
In propriis tumulant, ipsis hortantibus, hortis:
Illustratur enim visis Nectarius altis
Dignus ad id visus, cui Fortunata jugalis:
Hæc mox insinuant cæsi sua corpora testes,
Præcipiuntque levet crudo occultanda furori;
Sic latuisse placet donec volventibus annis,
Arcadio regnante, pius pia munera præsul
Ambrosius, Domino hæc sibimet prodente, levavit
Tunc quoque Nazarii post longa volumina solis,
D Ut tandem patet egesta tellure sepulcrum,
Sic tener atque recens recubat cum corpore sanguis,
Hac jugulum reserante die diffusus ut ense;
Vermibus illæsum caput intactumque repertum;
Pexa levatis barba lotisque capillis,
Tempore compositum veluti reniteret eodem.
Nectarius fragrabat honos ut vinceret omnem
Messis aromaticæ cumulatam germine massam:
Pandunt hunc Christi spiramina digna tulisse
Inveniunt etiam comitem puerilia membra
Lectaque ferunt, ponunt reverenter in æde
Juris apostolici festo sub honore dicata

CAPUT VI.

De vindicta Neronianæ persecutionis.

Injuste innocuo sanctorum sanguine fuso,
Judicio divina reos ferit ultio digno;
Nec dilata sedet tardans in tempora longa,
Ne lupus ille ferus teneros exulceret agnos,
Et vastator atrox necdum molimine firmo
Radicum solidata satis plantaria vellat.
Sanctis luce coronatis damnantur iniqui.
Undique oborta lues, Urbem vindicta fatigat,
Arma superna ferens, liquidus corrumpitur aer,
Exoritur pestis nullis æquanda chelydris,
Corpora conficiens lento liquefacta veneno;
Pestifera aura ruit, campique et celsa Cyclopum
Tecta superjecto nebularum uruntur amictu.
Labuntur sceleratæ animæ, mors millia vincit
Fungentum ter dena; sibi Libitina dicavit
Oppida: Romanas nonnulla colentia leges
Cladibus ac nimio cædis horrore teruntur!
Magnas Armeniæ patrias respublica perdit;
Parthica Romanæ legiones sub juga missæ,
Urbes quasdam Asiæ sternit concussio terræ;
Nec nimium claudo insequitur pede pœna tyrannum:
Hinc Hispanis Galbam qui comperit oris
Militiæ sumpsisse viris diademata regni,
Sprevit, atroque animo totusque ad Tartara vergit,
Dumque incredibilem rebus patribusque revolvit
Exsilii cladem, patriæ convincitur hostis:
Prædicat id vulgus, gaudet sanxisse senatum.
Territus ille metu, lapsusque ex urbe probrose,
Cumque ignominia fugiens deformiter alta,
Dum timet arctari meritasqne expendere pœnas,
Quod superest scelerum consummans, transfodit ipse
Se proprio lectas properans mucrone sub umbras,
Cæsareæque labente labat quo gentis origo.
Mox Galba adveniens, comperta morte nefandi,
Lædit avaritia ac turpi torpore Quirites
Post demum imperii senos ab Othone peremptus
Cum Caro menses periit, Pisone recepto
In regni gnatique throno. Luit impia cædes
Servorum Christi procerum nece Roma suorum:
Et quæ primates superi sævissima cultus
Punierat, regum punitur cæde novorum:
Quæque sub adventu Petri divinitus arma
Torpuerant civile nefas minitantia pressa,
Sanctis supplicio afflictis, patribusque necatis,
Permissis patulo frenis lymphantur in orbe,
Diversis ut mota plagis flabra aera pulsant
Ediderat siquidem contestim Hispania Galbam:
Quo presso consurgit Otho, Romamque cruentat;
Germanos inter Gallosque Vitellius exit.
Vespasianus apud Syriam mox sceptra capessit,
Hi simul imperiis omnes bacchantur et armis
Romano luitur sanctorum sanguine sanguis,
Et cruor almifluus grassante cruore piatur,
Monstravit quondam Ægypto pereunte profusus,
Id sanguis laticum, teritur dum verbere primo
In populum furibunda Dei præsumptio prima.
Providet at Dominus famulis tunc turbine tactis
Excidit tot bella promens solamina tanti;
Hæc neque per terras, per aquas diuturna vagare
Dimittit, facili moderans quin pace retundi.
Tertius imperii finem dat mensis Othoni:
Dum vinci spernens, proprium sibi transfigit ensem
Restitit hic victor, subiitque Vitellius Urbem;
Qui, dum vitam hominum ingluvie propriisque (*sic*) fatigat,
Comperit ut fasces attollere Vespasianum,
Ponere præsumpti moderaminis optat habenas.
Hinc animatus ad hoc urit, perimitque Sabinum
Fratrem cum sociis in sanguine Vespasiani,
Quos Capitolino cogit flagrare camino.
Post modo militia desortus speque relictus,
Claustris eximitur cellæ, trahiturque moleste,
Inque forum nudus cum stercoris impete raptus,
Octavo regnum vitiis cum mense gravaret,
Ictibus interiit crebris excarnificatus,
Atque unco tractus Tiberinis mergitur undis.

CAPUT VII.

De imperio Vespasiani et Titi.

Tempestate tyrannorum ceu nube procellæ
Discussa, miti sub principe Vespasiano
Turbine pacato, mundi rediere serena.
Sedatur regnum, mulcta plectuntur et hujus
Hostes. Dispulerat superi qui numinis hostes,
Quique Dei Prolis per prolem bella ministrat,
Per Domini Gnatum cum gnato regna triumphat;
Et licet ignoret per quem sibi talia dentur;
Sed videt haud sine vi supera sibi tanta patrari.
Astipulante suo non hæc sua prælia Tito,
Quæ per eum in reprobos mundi Regnator agebat.
Sicque triumphando subeunt decus auspice nullo
Retro celebrari per sæcula cuncta triumphi (169),
Ut pater et genitus curru veherentur eodem,
Atque triumphantes pariter colerentur ab orbe;
Insuper adduntur dominis adduntur honores (169*);
Janus enim geminus bellis cohibetur abactis,
Atque ita pax toto mox promulgatur in orbe.
Ut Christo servetur honos idem, hostibus ulto,
Qui delatus ei dudum de virgine nato,
Gliscit in immensum belli sine turbine regnum.
Cum Syria Rhodus atque Samos et Achaia tota
Thracia, Commagene, Byzantia rura subacta
Romanos ultro dominos legesque capessunt.
Pacificus, pius et mitis post Vespasianum
Filius ejusdem Titus sine sanguine regnat.
Pacatusque nitet Christi virtutibus orbis.

(169) Post expugnatam Hierosolymam triumphum egerunt Vespasianus et Titus, quod antea inauditum.

(169*) Sic codex uterque.

CAPUT VIII.

De Lino et Cleto.

Magnum post Petrum Linus Ecclesiæ moderamen
Disponit Romæ, quem Petrus apostolus ipse
Pontificem pariter cum Cleto hoc jure sacrarat,
Tractarent populis sacri ut mysteria doni ;
Ipse vacans precibus licite verboque salutis
Totus in augenda vigilaret plebe piorum.
Hic Linus Ecclesiam illustrans exempla secutus
Egregii Patris præceptorisque beati,
A Martyrioque coronatus super astra recessit
At pia membra piis membris sunt juncta magistri.
Cletus ab inde sequens Christi disponit ovile
Bissenis post hunc residens sollemniter annis,
Dum crescens scelerum molimine Domitianus,
In Domini movet arma gregem pars sæva Neronis ;
Martyrio functus sub quo concessit in æthram.
Ossa beata Petri tumulo sociata locantur.

CAPUT IX.

De discipulis apostolorum et de sancto Apollinare.

Isthinc beati et gloriosi principes
Plures leguntur ordinasse præsules,
Ad prædicanda clara Christi insignia
Diversa mundi destinandos per loca
Quorum profecti competunt hi Gallias :
Trophimus, Saturninus, ejus et comes
Potentianus, Fronto cum Georgio
Paulusque, Martialis, et Valerius,
Sabinusque noster, Memmius, Sinicius.
Simulque diriguntur ad Hispanias
Torquatus et Tesiphon, secundus Esichius,
Indaletius, Catilinsque, Eufrasius.
Apollinaris, Antiochia qui Petrum
Venit secutus, sic Ravennam mittitur :
Profectus ex Troade moratur mœnia
Hospes foventis Cyrenei militis :
Cujus carentem honore lucis filium
Visu reformans per crucis signaculum
Divo parentes fonte sacrat elutos.
Matrona quædam post tribuni militum,
Cui Thecla nomen, jam sub annis pluribus
Addicta morbo decubans ægerrime,
Jesu medentis invocato nomine,
Manu levata sospitati redditur ;
Mox et tribunus, uxor atque liberi,
Domusque tota pacis unda tingitur :
Divina cujus in domo baptismata
Bis sex per annos cum piis sodalibus,
Apollinare dante totis mystica,
Missarum et alma percoluntur munia.
Tunc nobiles hic dedicantur suppares,
Calocerus atque Aderitus, aucti qui sacris
Uterque divæ factus aulæ presbyter.
At Martianum carne nobilissimum,
Leucadiumque disciplinis præditum,
Cœlestis aræ collocat diacones,
Aliosque digne præsul aptat clericos,
Cum queis diebus concinens et noctibus,
Hymnis supernam personabat gloriam.
Hæc optimati fama promit invida,
Qui comprehendens hunc, acervat flamines.
Piusque sævis immolandus traditur ;
Mactatus atris semivivus linquitur,
Cibus marinis ac feris exponitur :
Scholæ beatæ quem legunt domestici,
B Nec ferre curam differunt didascalo.
Sex mensium post evoluto cardine
Viri eminentis nobilis Bonifacii,
Cujus leporem pestis ægra dempserat,
Dum redditurus verba competit domum,
Pulso puellæ dat salutem dæmone,
Orisque solvens dura muto vincula,
Quingenta summo corda Christo præparat.
Post tempus arctum tentus hinc ab ethnicis
Diu severis maceratur fustibus,
Stetitque nudus igne plantis subdito ;
At dum nec igne nec flagellis vincitur,
Pœnas triumphans victor urbe pellitur.
Hujusce nec murorum ab ambitu procul
C Christi tugurium possidebant pauperes ;
Divina tractat hic sacer mysteria,
Sacrans lavacro vasta sancto cærula
Pio Domini timore formidantium,
Isthic benigno pascitur solatio.
Postquam moratur hic per annos quotlibet,
Illuminare pergit Emeliam, gerens
Virtute Christi signa nixus plurima.
Rufi reversus inde compos filiam
A morte functi suscitavit corporis ;
Prolem dein orbatis refert parentibus,
Perfectum alumnum Veritatis se docens,
A morte plures excitavit spiritus,
Deinque fecit consecrando filios :
Nam tunc trecentos quatuor promiscui
D Sexus parenti procreavit cœlico.
Rufum, patricia dignitate præditum,
Christi dicavit corde prono servulum,
Quo Capua dives ditior fit martyre.
Matrem puellæ fonte sacro diluit,
Ipsamque raptam immanis Orci faucibus
Christo beatam dedicavit virginem,
Ac roboravit permanere immobilem.
Annuntiantur gesta Rufi Cæsari ;
At ipse successorem ei mox destinans,
Scribit jubendo litteris vicario
Dissuadeat aut Apollinarem, aut exsulem
Longe releget a Ravennæ finibus.
Quem præstitutum interrogat vicarius,
Minisque tundens, nec moveri comprobans,
Exutum amictu cæde virgarum quatit ;

Gemensque tenui sæva mente verbera,
Perfundit unda bulliente vulnera.
Hunc torquet appensum ora tondens marmore,
Gravissimoque ferri onustum pondere,
In ima claudit carceris teterrimi,
Lignoque tensum lege dura conficit.
Hominum relictus hic quidem solatio,
Sed angelorum pascitur cibario ;
Et ne putetur vilis astrorum Arbitro,
Pastu potitur angelorum in publico :
Productus atro sole quarto carcere
Vinctus catenis exsulatum mittitur ;
Tres sponte navi se invehentes clerici
Opem benigni subministrant ferculi.
Turbantur indignata rebus æquora
Viri moleste injuriam ferentia,
Iniquitatem vindicare parantia :
Ferus profundum sidera petens vertice.
Imaque gurges panditur voragine ;
Nunc puppis alta scindit undis nubila,
Nunc lapsa pulsat ima præceps marmora :
Compage navis dissoluta suscipit
Hostem severum, salsa sorbens cærula ;
Rimas per omnes mors penetrat fervida,
Sævos sequestrans a piorum gloria ;
Quos ultione subruit dignissime,
Ut dura beatum arcere Patrem patriæ
Tendunt, soli arceantur omni patria.
Merguntur illi devorati fluctibus ;
Servantur arvis at pii clementibus ;
Scit liberare justus æquos arbiter,
Justaque scit censura iniquos perdere ;
Ut liberat vernulos Ægyptio
Quondam jugo, per alta præbens æquora
Profugis salutem, persequentes obruens.
Apollinaris cum ministris commodis
Desiderata salvus intrat littora ;
Duos saluti dans simul satellites,
Quos vellit undis funus inferentibus
Lavitque lymphis regna vitæ dantibus.
Progressus inde rura lustrat Isthmia :
Tum post Corinthum transiens in Mœsiam,
Cutem leprosi turpe nævos squallidi
Decore comens, sanitatem reddidit ;
Majorem et addens huic opem, quem corpore
Salvavit, etiam mente salvat eruta
Ab ethnicarum fœditate sordium,
Animam lavando ablutione corporis.
Ripamque ad Istri demigrans multos sibi
Connectit alma roboratos in fide ;
Necare quem dum gestiunt increduli,
Partes capessit prædicando hraciæ :
Terrentur hic eo morante dæmones,
Serapis ejus obticet præsentia
Responsa ferre nec valet rogantibus ;
Tandem vocatus hoc remugit spiritus :
« Advenit hæc in arva discipulus Petri
Christi catenis me ligans apostoli ;
Hunc ni procul studetis hinc depellere,
Responsa vobis non valemus reddere. »
Ad flagra sanctus perferenda quæritur ;
Repertus aspris verberatur fustibus.
Et censet autem Christus urbi reddere
Hunc destinatæ ab arbitrio provinciæ,
Navi super petenti Italiam ponitur,
Sociis gregatis insuper sibi omnibus
Divina passim sic propagans semina
Anno revisit tum Ravennam tertio.
Paucis diebus hic tumultu postea
Orto, profanis impetu ruentibus
Vinclis adactus in forum perducitur
Hic cæsus et cruenta passus vulnera,
Sinit superbi flamines Capitolii
Sacris cum quo suggerant Apollinis :
Huc ductus actutum preces ut erigit,
Simulacra Phœbi dissoluta diruit,
Vanumque numen comminutis exprimit ;
Et ne feratur id parum, fani omnia
Fundo fatiscunt dissipata mœnia.
Isthæc tuentes obstrepunt fanatici
Senem frementes stragis hujus impium.
Quem morte sæva puniendum postulant,
Traduntque Tauro (nomen istud judici).
Huic cæcus olim matris alvo filius,
Cui Christi Apollinaris alto nomine
Lumen refundit invocato, plurimis
Stupore mentis rem novam volventibus ;
Ac veritati corda submittentibus ;
Mansitque Tauri præsidis vir prædio
Beatus annis sacra tradens quattuor.
Sexto remotus Urbe milliario.
Hinc Christiani commeantes pocula
Vitæ serena hauriebant dogmata ;
Virtusque tantis trita passionibus,
Aromatum de more vel medicaminum,
Excrevit hujus facta sic ditissima,
Infirmitate quo subactum qualibet
Ductum sibi mox sanitati redderet.
Cucurrit autem fraudulenta relatio
Orsis inimicorum ad ipsum Cæsarem,
Contra beatum falsa portans præsulem,
Edicit ille vel deis temerario
Quis ore portat exprobrando injuriam,
Faciat satis, vel urbe pellatur data.
Perfertur hæc Demostheni præceptio,
Honore dictus est Pater qui civium
Crudelitate persecutor mitium :
Apollinarem hic exhiberi præcipit,
Validoque fixum amore Christo sentiens,
Dum cogitat quo perdat actum tormine,
Viri fidelis mancipat custodiæ ;
Nec Christianum suspicatus hunc fore,
Quem noctis intempestæ is in silentio
Ad edocendum gesta Christi insignia,
Permittit, imo cogit, ire liberum.
At dum retractans bella miles cætera
Requirat, an tropæa, jam nunc expleat,
Cunctatur horas implicando transagens,

Fugisse deses ne putetur prælia,
Tenent morantem consequentes ethnici,
Prensumque cædunt macerantes verbere,
Dum censetur inter flagra dura mortuum,
Linquunt, latenter quem ministri colligunt,
Tolluntque quo latens subvehentes prædio;
Septemque qui superstes advivit dies,
Jugiter fideles ne fide discederent
Monens, probatis instruit cœlestibus;
Sic gloriosus laude Christi præditus,

A Ventura bella vel triumphos præmonens,
Apollinaris hinc e vita fungitur.
Capessit almum terra corpus, saxea
Clausum sub arca, extra Ravennæ mœnia,
Quam rexit urbem missus huc a principe
Apostolorum ab urbe Roma pontifex.
Bis quatuor decem per annos præsidens
Vespasiano rege passus, ultima
Pro veritatis laude scandit æthera.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De sancto Clemente.

Janitor æthereus, divo moderamine fretus,
Firma locans aulæ cœlestis fundamina celsæ (170),
Ut sibi persensit contermina tempora metæ
Sidereæque instare viæ, cœlumque patere,
In medio situs Ecclesiæ, stipante caterva,
Clementisque manu prensa sic inchoat orsa:
« Conservi fratresque mei, mea sumite verba:
Præmonitus quoniam propriæ jam tempus adesse
Mercedis video, Christo monstrante magistro,
Pontificem vobis Clementem hunc ordine summum,
Hac coram positus doctrinæ trado cathedram,
Qui mihi principio comes omnibus exstitit actis,
Quique boni doctus mea dogmata cepit ad unguem;
Omnis participem mihi quem tentatio sensit,
Quem stabilem inveni, fidumque, Deumque colentem,
C Præ reliquis fratres studio pietatis amantem,
Discere ferventem, castumque, piumque, modestum,
Justitia rectum, patienter ferre scientem
Garrula stultorum fatuæ blateramina linguæ,
Cordaque discentum digno componere jure:
Huic committo potestatem, quam prompsit ab ipso
Collatam Domino solvendi sive ligandi.
Judicium stabile ipsius super astra residat;
Innodabit enim quod oporteat esse ligatum,
Et simul absolvet quod congruet esse solutum,
Ecclesiæ veluti liquido cui regula nota.
Audite ergo ipsum Christo peccare timentes;
Doctori vero fuerit quicunque molestus,
Inde caret vita Patrem quia patris acerbat.
At præceptorem medici vice degere præstat,

B Non in subjectos belvæ feritate moveri. »
Tam præcelsa pavens ejus vestigia Clemens
Appetit, excusans tanti se pondere honoris.
Cui senior: « Ne me super his oraveris, inquit,
Quæ decreta ita sunt, potiusque videbere dignus
Quo vitare cupis; nec enim ista cathedra requirit
Ultro petit sequi abdentem, quin moribus æquum.
Quod si præsto mihi melior te præforet alter,
Si quis et adjutor tam sedulus atque minister;
Si quis tam celsi subiisset dogmatis arcem,
Ecclesiæ specimen serie disponere noscens
Tam recta, te non agerem hoc sumpsisse coacte;
Quærere namque alium curæ reputatur inani,
Cum te primitias hujus et gentis et urbis
Obtulerim Domino; quin perspice, frena subire
Qui fugis Ecclesiæ, velut alta pericula puppis,
Certus majoris tibi stare pericula lethi,
Qui populo Domini posito quasi fluctibus altis
Cum possis prodesse, fugis, tua commoda tantum
Sollicitus quærens, renuens commune juvamen;
Si certus plebis tibi magna manere pericla,
Nec dubites memet pro te certare precando;
Ocius ac quanto mihi connivere paratus,
Tanta me citius cura ac angore levabis.
Novi te tædere quidem perferre superba
Obloquia indoctæ plebis, rudis ora popelli,
Quæ te ferre tamen constanter et optime novi,
Cernentem tibi quæ patientia munera servet,
At volo te justa mecum ratione librare
Quando labore tuo mage Christus egere videtur,
Nunc ejus sponsam bello dum provocat hostis,

(170) Versus sequentes usque ad *Novi te tædere*, etc., omittit codex S. Genovefæ.

Aut ubi victricem soliis admiserit altis,
Quando triumphanti cedet labor omnis et hostis,
Quis modici saltem sensus modo nesciat esse
Tempus, quo Dominus certamina sancta requirit?
Mente igitur tota surgentia concipe bella,
Atque opera summa præsentia seria tracta,
Auxilium satagens certantibus addere promptum,
Præmia magna recepturus post bella triumphans:
Officium ergo libens nunc suscipe pontificatus
Pro me, præcipue doctus, decus ordinis hujus,
Ut nullo terrore salus plebeia vacillet,
Per te firmatis quos lucrifecimus agnis »
Prosequitur seriem qua dispensatio cunctæ
Clareat Ecclesiæ præsul, quam cauta sequatur;
Rebus ut externis penitus se subtrahat, omni
Se dedens studio mentis verboque salutis:
Presbyteri quid agant, vigilent ut amore paterno,
Ac studeant salvam cœlis inducere plebem;
Quid clerus servet reliquus, sanctique ministri,
Cœtus quod laicus, vel quod generaliter omnes.
His ita dispositis, tanto moderamine dignum
Pontificem impositis manibus statuitque dicatque,
Omnibus atque palam cathedræ rubidum ora pudore
Indit apostolicæ, cogitqne sedere sacratum,
Testibus hinc populis papæ mandatque, rogatque,
Hæc Jacobo Solimam mittens descripta revelet,
Debita se postquam vitæ jactura resolvet,
Insinuans breviter vitam ut perceperit ejus
Ore, comes sibi qui fuerit, quæ dogmata ab ipso
Hauserit, et qui se finis deprenderit illic;
Affirmans fore ei solamina maxima mentis
Noverit ut doctum, sancti nec juris egenum,
Doctoris subiisse locum Petrique cathedram
Cui parens implensque boni præcepta magistri,
Delegat Domini fratri quæ jussa benigna
Magnifici altisono Petri susceperat ore;
Consectansque Patris normam docti atque modesti,
Qui sibi consortem scribit cœlisque notatum,
Omnibus omnis fit, salvos ut præbeat omnes,
Gentiles siquidem liquida ratione docebat,
Ut populi fallax divorum irrepserit error,
Unde genus hominum qnonam defecerit astu,
Vipereæ fraudis persuasum hærescere vanis,
Attestans ipsos venia vitaque levandos,
Idola linquentes Christo si corda pararint.
Judæis patriarcharum pro laude placebat,
Attollens legem sacram patresque beatos,
Ipsos sanctorum genus, arce sedilia cœli
Prima docens accepturos, modo sacra piorum
Dicta prophetarum in Christo completa tenerent.
Dilectus mage Christicolis, et amabilis actu
Omnibus exstiterat, conscriptaque nomina egentum
Servabat, vitæ tribuens pro posse levamen,
Quæsitum nec abire sinens per publica victum
Compita Judaico aut gentili munere pasti.

A His sordere inhibet divino fonte piatos,
Omnes assidue properare ad sancta monebat,
Absentes scriptis, præsentes lamine formans.
Doctrina ergo nitens tali, populoque Deoque
Gratus erat; sed non humiles hærere superbis
Sacrilegisve placere pii dulcedine possunt.
Stat mentis tamen intrepidus vigor, atque beati
Terrores trucium miti pietate refutans.
Hinc mundi culmen Domini postponit honori
Clemens, qui celso Domitillam sanguine claram
Sacravit Christo, sponso tunc Aureliano.
Virginis eunuchi siquidem Nereus et Achilleus,
Discipuli Petri Christique per omnia servi,
Clementem super his adeunt, cui talia fantur:
B « Gloria tota tuæ Domino quod prædita mentis
Discimus, nec te de nobilitate parentum,
Quin de cœlestis gaudere propagine Patris.
Patruus ipse tuus Clemens, licet ordine consul,
Atque tui fuerit germanus origine patris.
Hujus nos mercata soror subeuntibus annis
Ætatis parvos teneræ Plautilla coemit.
Quandoque percipiens vitam tribuentia verba
Credidit ore Petri, sacroque est tincta lavacro;
Nos simul atque ejus soboles Domitilla sacramur:
Hoc anno et dominus Petrus subit æthera martyr,
Et Plautilla pio pacto terrena reliquit
At Domitilla, viri clari sponsa Aureliani,
Ore satam Cephæ nostro audiit ore salutem,
Virgo Dei quod amore manens mereatur apisci
C Cœlestem sponsum dominantem in sæcula Christum,
Cum quo deliciis divoque fruatur honore,
His aliisque animata Dei de munere dictis,
Per te, virgo, cupit velamina sumere voti. »
Reddit ad hæc Clemens: « En debita tempora cerno
« Martyrii palmam quoniam vocatio tendat;
« Hac pensare via, Domitilla, nitere corona.
« Sed quia mandato contemnere mortificantes
« Præcipimur Domini, temnamus morte feroces,
« Mortis et in simili nostræ ditione jacentes,
« Perpetuæ vitæ Regi servire parati. »
Hoc igitur Clemens animo robustus et actu
Primatis sponsam Regi despondet habendam,
Consecrat atque pio tactam caput ornat amictu.
Sponsus, amore gravis, thalamum sibi virginis orat:
D Despicit illa preces, animo rigidissima durat,
Tendit hic insidiis castam vexare puellam;
Nobilitas vim ferre vetat, tum principis aures
Interpellat, in hoc ne principe vincitur illa.
Virginis exsilium decernit Domitianus.
Spretus ab hac, sacra præcipue quod temnat abhor-[rens
Sancto a proposito revocari creditur exsul;
Exsilio cujus data Pontia nobilitatur
Eunuchi insignes dominam comitantur euntem.

CAPUT II.

De sancto Joanne evangelista.

Plures quin etiam diversa per abdita trusit
Egregios clarosque viros, gladioque peremit
Turgidus hic princeps discussos judice nullo.
Insuper aggreditur scelerati incœpta Neronis

Infanda sceleris successor theomachiam,
Bella gerit Domino indicens, sanctosque trucidans,
Dispersosque per patrias plebis, ut audit
Post reliquos regnare fidei mansisse Joannem,
Hunc solum Ecclesiæ columen petit impetibus unum,
Principis ut multa secum dispergeret agmen.
Ducitur ergo Epheso Romam, et spectante Senatu
Infuditur pleno ferventis dolio olivi;
Integer et testis, prodit, jam liber ab igne,
Quam mittit cunctis omnesque illæsus expers
Igne triumphato, terris propellitur exsul.
A Expositumque salo Patmos cepit insula saxo.
Hic profugum mundo mundi nec deserit auctor,
Visitat extorrem, cæloque arcana recludit;
Omnimodo illustri pulsum solatur amicum,
Ecclesiæ signans tecto sub ænigmate pugnas,
Atque triumphaturi secreto schemate palmas.
Post ad apostolicum redit remeantis honorem,
Hic ubi credentes vicit plangentibus ignes.
Basilicam struxere pii portam ante Latinam,
Quam clarum reddidit opus generatio Sancti;
Hinc quoque festa dies digno instauratur honore.

CAPUT III.

De confessione propinquorum Christi coram Domitiano.

Erectum ultra hominem meditans fera bellua mandat
Ut Dominumque Deumque colat se Domitianus,
Invidia furit in Christum, sanctasque propinquas
Credulus ut, metuitque exitium a stirpe creandum
Davitica, qui sceptra regat; vestigari acerbe
Davidis genus, et tormentis per impia quæri
Interimique jubet; fit quæstio crudula tyranni.
Restiterant quidam Judæ tum forte nepotes.
Hi quoque delati, Christo quasi carne propinqui,
Ducuntur regi; rogitat sint sanguine creti
Davitico? Promunt; rogat his quam magna facultas?
Audit re tenues; Christi quæ nam illa regna?
B Ipse, quis inquirit, vel quando, vel unde futurus?
Hi referunt hujus Christo non culmina regni
Terreni capienda suo, cælestia summo
Sceptra manere Deo; angelicos parere ministros,
Cui constet regnumque parare, in limine sæcli,
Dum veniet judex divino fultus honore,
Judicet ut vivos, mortis quoque lege subactos,
Pro meritis et cuique suis ut digna rependat.
Despuit inflatus personas tegmine viles;
Nec dignans punire, suos dimittit abire;
Missi magnanimes præconia celsa fatentur,
Ecclesiæque duces pacis post tempore vivunt.

CAPUT IV.

De ultione secundæ persecutionis.

Domitianus qui plures exenterat arvis
Christicolas proprios in fautores fere vertit
Judicii decreta truces; pelluntur ab ipsis
Militibus, quis consuerant cuncti agmina pelli;
Irrepunt penetralia queis domos, dominosque lacessunt,
Exturbantque suis similes penetralibus olim
Ægypti rasos populum quæ strage secunda
C Elatum proprias perscrutabantur in ædes,
Pellentes misera vindicta lege protervos;
Omnibus infensus fera pessima Domitianus,
A propriis famulis fidisque peremptus alumnis
Omnia crudelis crudeliter exanimatur;
Sandapila evectus quoque vespillonibus, antro
Turpiter ingestus, populari mergitur urna.

CAPUT V.

De reditu sancti Joannis apostoli.

Post quem Nerva senex Trajanum lectus adoptat,
Participemque facit fastus; cassantur et actus
Prædecessoris, profugi revocantur, eaque
Liber ab exsilio (171) magnus pietate Joannes
Regreditur doctrinæ Ephesum repetendo cathedram.

CAPUT VI.

De exilio sanctorum Nerei et Achillei.

Athletæ Christi, Domitillæ ad bella magistri,
Fontia dat quibus hospitium, dum noscere curant
Quales homines, cujus fidei, qualesve essent,
Bella viris tractanda per terra hospita portat.
Namque scholæ Simonis quidam inveniuntur alumni,
Artibus indigenas fere subvertisse profanis,
Falsa per attractus sibi monstrantes signa figuras,
Fallentesque Deo genitum genitore magistrum
Præque Dei Nato Simonem suasere colendum,
Hos dum prævalida sancti virtute refutant,
Fratribus effusos, populum solantur in ista:
« Marcellum Marco nunquid cognoscitis Urbis
D Præfecto genitum? — Quis hunc hic nesciat? — Illi
« Attribuitis eme talem Petri Simonisve
Laude super? — Nimium rigidus qui credere tentat
Personæ, referunt, tanta, tam sanguine claræ.
Et sancti: « Tantum id propria præstate salute,
A nobis apices donec capiatque feratque.
His super istorum doctrina avertite mentes.
Atque prius nostri feriatur epistola vobis
Quotidie hinc illa vestrum gestante feratur.
Ipsius se vestras consultis figitur in aures. »
Omnibus id placitum; scribunt mox talia sancti:
« Nos servi Christi Jesu Nereus et Achilleus

(171) Cod. prima manu *gentilium*; corr. *ab exsilio*.

Marcello condiscipulo per sæcla salutem.
Pontica propulsos cum nos ergastula pressent,
Nomine pro Domini gaudemus talia passi.
Discipuli Simonis sed gaudia nostra fatigant.
Furius et Priscus profugi pro fraude magistri ;
Assertant etenim innocuum vixisse Simonem,
Huncque odiis insectatus sit Petrus iniquis ;
A Cumque repugnaremus eis ne crederet ullus,
Dignum hunc te certis astruximus esse relatis,
Informare tuis possis qui fatibus illos,
Ejus cum vitam discussus ipse probaris,
Discipulus fueris, cunctos agnoveris actus ;
Ne pigeat, petimus, his scribere, promere verum
Insontes solvi ut valeant erroribus horum. »

CAPUT VII.

Relatio Marcelli de miraculis sancti Petri.

Hæc quoque rescribit solers Marcellus ad ista :
« Almifici Domini Jesu pia gratia tecum.
Marcellus prono Christi molimine servus
Nereo et Achilleo præconibus almis
Grammatibus vestris pia gaudeo gaudia lectis,
Constantes siquidem vos corpore sentio et ore,
Sollicitеque proba pro vero insistere pugna :
Objectum sed enim innocuum quia forte Simonem
Promitis, hinc aliqua quædam pro parte fatebor,
E paucis pensare cati quo plurima norint.
Ipsius asseclam fore me nam contigit olim,
Quem dum fictorem atque magum, perque omnia [nequam,
Infantumque necatorem, dirumque probassem,
Deserui, Petroque viam complexus adhæsi.
Hunc Zoroastreum memorat dum Samaritanus,
Inque odium populi mentes accenderet ejus,
Ecce repente ubi sincerum carpebat iniquus,
Turba ampla stipante virum, transibat amaris
Lamentans lacrymis orbata ut femina, cujus
Unicus occiderat gnatus, nomenque parentis
Abstulerat viduæ, gemino quæ squallida busto.
Hic Cephas Simoni assuetos affatur amicos :
« Ite, viri, præsens feretro nudate cadaver,
« Sicque probate fidem : cui mors, audire parata,
« Reddiderit prædam, invitisque remiserit antris. »
Quo dicto Magnus erigitur, nimiumque superbe :
« Istum ego si functum vinclis absolvero lethi,
« Hunc Petrum nostrumne necabitis ? ilicet hostem
« Vivum (turba fremit) flammis torrebimus atris ? »
Invocat illusos callentes fraude ministros,
Atracioque ministerio motus quatit artus ;
Quo viso populi laudem jactare Simonis,
Perniciem Petri stolido sævire tumultu.
At senior constans, turba vix pacificata :
« Si reduci fervore calet, vivitque, loquatur, »
Inquit « et incedat, comedat, sua tecta revisat ;
« Si vero ista nequit, falli vos arte probate : »
Acclamat vulgus connivens mente recepta,
Sin secus hunc Simonem Petri tormenta fatigent.
Iram fur sîmulans petit argumenta latendi.
Sec edensque fuga, capitur, fœdeque tenetur,
Servaturque pavens, donec Petrus ista perorat,
Expansis cœlo manibus : « Dominator Iesu,
« Nobis discipulis propriis qui hæc jussa dedisti :
« Nomine abite meo, Satanæ depellite fraudes,
« Curate infirmos, revocate cadavera vitæ,
« Hunc nobis redhibe puerum, cognoscat ut omnis
« Hic populus solum temet Dominumque Deumque ;
« Qui cum Patre tuo vivens, et Flamine sancto,
« Vitæ regna tenes, et in omnia sæcula regnas. »
Hæc ad vota niger Stygiis adducitur umbris
Exsurgensque Petri vestigia pronus adorat :
B « Vidi, aiens, Dominum Jesum mandare ministris
« De me cœlicolis, ac talia jussa ferentem :
« Pro votis Petri, nostri constantis amici,
« Reddatur matri viduæ puer unicus iste. »
It cœlo sonitus clamantum, ac voce virorum :
« Hic Deus est solus Petri quem prædicat actus. »
Angitur illector caput indutusque molossi
Appetit effugium, sequitur clamore caterva,
Arctatum tenet, ultorem quoque præparat ignem.
Approperat Cephas acrem sedare tumultum
Hæc inhibens et tali animos affamine mulcens :
« Noster nos docuit patientes vivere doctor
« Nec mala ferre malis, quin blanda rependere sævis. »
Hoc sale respersi dirum misere caninum,
Qui bonitate Petri liber, sed dæmone vinctus,
C Me petit, ignorare putans quæ gesta patebant,
Immanemque canem vix ferrea vincla sequentem
Vincit in ingressu : « Videamus si Petrus, aiens,
« Huc te sollicitare solens intrare valebit. »
At Petrus adveniens, longum neque deinde moratus,
Ferrea nexa feræ crucis ad signacula solvit,
Injungitque cani mandata ferenda canino,
Ut sensu captum valeat quibus increpet orsis.
Vade lubens, Simoni furiato talia perfer :
« Desine dæmonica populum seducere fraude,
« Vivifici pro quo Christi data sanguinis unda. »
Conspiciens ego tanto Dei miracula, curro,
Asternorqne Petri pedibus, genibusque volutor.
Excipiensque domo probrosum elimino monstrum.
At canis effectus cunctis mitissimus, unum
InsequiturSimonem, pedibusque subopprimit actum.
D Accurrensque pio proclamat apostolus ore :
« Nomine præcipio Christi ne viscera morsu
« Contigeris, lanians neu fixeris artubus arma. »
Qui præcepta sequens, vitansque irrumpere membra,
Dilacerat vestem, nulla permittit opertam
Parte manere cutem, carpit retegitque latronem
Hunc populus nostræque domus per compita vernæ,
Cum cane procurrunt Satanæ portenta fugantes,
Atque lupum mentis pellentes mœnibus urbis.
Opprobrii non ferre valens tam pondera magni,
Abditus hic toto nusquam comparuit anno.
Reppetit inde tamen, qui se insinuando Neroni
Suggereret, nequam pravo, sævus scelerato
Nectit amicitiam ; fit copula dira nefandis.

Post haec a Domino monitur apostolus ipse
Per visum dictis: « Nero tibi Simonque tenebit
« Te contra fraudes agitant, tibi sed timor absit.
« Namque ego sum tecum valido munimine parmae
« Atque mei servi tibi ... solatia Pauli: ...
« Urbs Romana ingreditur, comes. Bellumque ge-
« Perversi contra Simonis ludibria nigra, ...
« Quem Stygis postquam dederis sub tartara flam-

A « Victores ad me pariter scandetis in astra. »
Nec mora, dicta patent: Paulum lux crastina praebet,
Ut sibi conjunxit, post eum itinere palaestram
Quam tulerint. Plurimis septem ... actis,
Omnia praesentes cum vos ... patescat.
Facile perspexit vos haec tam sola docere,
Cum ... servanti Pelasgo
Horum conspicuos bellorum evolverit actus

CAPUT VIII.

De sancta Petronilla.

« De domini Petri Petronilla prole beata
Ejus quo fuerit certamine mota labori
Paucis expediam jussus, quae clinica facta est
Ut nostis, pro velle Patris, interque fixae
Vos memini plures, apud hunc cum discipulorum
Prandia consocio gessitis capientes ab esca,
Dum prandendum inter seniorem ita Titus adorsus
« Cum per te cuncti morbis vegetentur anheli
« Cur pata vides negligitur Petronilla jacere? »
— « Expedit, inquit, et Petrus, sed ne videamur
« Excusare impossibilem sermone mederam,
« Surge, rape officium celeris, Petronilla, ministrae »
Surgit at haec virgo incolumis gaudensque ministrat:
Obsequio expleto proprium de more grabatum
Praecipitur repetens solito languore gravescat.
Quae postquam esse Dei caepit perfecto timore
Optime sana viget, morbos quin pluribus arcet.
Haec quantum facie nimium speciosa nitebat,
Flaccus eam comes uxorem sibi ducere tentat;
Quem cum militibus venientem ita audit et armis
Virgo Dei, patrio lucis praecincta favore:
« Armato tecolis cum me petis antra puellae?
« Si me legitimis tibi vis conjungere taedis,
« Matronas, clara quoque virginitate puellas,
B « Post tres mitte dies, cum queis tua moenia visam »
Obtento virgo hoc spatio, virtutis honore
Sese praemunit, castisque modilibus ornat.
Continuas orans jejunia ducit in horas.
Jungitur huic Domini Felicula clara timore
Hujus grata comes ceu collactanea virgo.
Tertia lux rutilo spargebat lumine terras,
Et Nicomedis adest Petronillae presbyter, atque
Sacra pio celebrat ritu mysteria Christi.
Virgo ubi caelestis divino munere pasta,
Aversata torum, astrigeros conscendit in axes.
Contigit ast, Domini divo moderamine gestum,
Ut chorus innuptus matronarumque caterva
A Flacco ad taedas, a Christo ad funera ducta,
Virginis illustri exsequias celebraret honore.

CAPUT IX.

De sancta Felicula.

— At comes, avertens animum, solatia saltem
Virginis usurpare petit. « Felicula, dicens,
« Rebus de geminis tibi delige quamlibet unam:
« Aut mea sis conjux, aut diis libamina funde ». —
Illa: « Nec uxor ero tua, sum quia serva Tonanti,
« Nec libabo deis, quia sum vernacula Christi. »
Carnifici Flaccus torquendam tradit atroci,
Mandat et inclusi tenebrosi in claustra cubilis,
Linquitur his septem absque cibo perstare diebus.
In quam custodum perfunt hujusce modi :
« Heu! cur morte mala properas decedere vita?
« Sume virum celebrem juvenemque et rebus opimum,
« Formosam, comitemque potentem et regis ami-
cum. »
Illa nihil contra nisi tantum haec edere curat:
« Virgo quidem Christi sum, nullum praeter eumdem
« Omnino accipio. » Vestis post ducta novenda
Vagitabus, gaudens ancedit sine esca

C Hebdomada, impuris minime suadetur eorum
Servitiis libare cibum; suspenditur ergo
Tormentis, clamatque: « Meum modo cernere coepi
« Sobrium amatorem Christum, meus est amor in
quo
« Fixus; at hostiles frendent blaterantque ministri:
« Christicolam te se esse nega, pergesque soluta. »
Clamat: « Amatorem, felix, nunquam ipsa negabo
« Capta necnon, me sit propter cum felle cibatus,
« Atque coronatus spinis, potatus aceto,
« Affixusque cruci. » Post haec sanctissima verba,
Sordibus injicitur sputeae vastaeque cloacae,
Hicque caput meta caeli Felicula regna
In speculis positus Nicomedis ut aspicit istaec,
Nocte venit tacita, rapiensque sua ossa tabellae,
D Curriculo ducit, conditque via Ardeatina,
Urbe procul septem fere millibus. Ejus ibidem
Fructificant ad vota preces post tempore cuncto.

CAPUT X.

De sancto Nicomede.

« Audiit haec Flaccus sancto a Nicomede patrata :
Huncque ad sacra capi faciens, jubet immolet aris.
Sanctus ad haec: « Ego sacrifico Domino omnipo-
tenti
« Qui imperat in caelis, saxis non ergo litabo,
« Quae templis quasi carceribus clauduntur et an-
tris. »
Haec et plura ferens, plumbo durissime caesus.

Evolat ad Dominum; Tiberi pia membra feruntur.
Clericus ipsius factus et nomine pastor
Unde eripiens corpus producit ad hortum
In biroto proprium, et tumulo prope mœnia condit.
A Inque via Nomentana locat ossa beata;
Hicque Deum orantes possunt quæ digna merentur
Martyris obtentu passi pro nomine Christi
Cum Patre qui semper sancto et Spiramine regnat.

CAPUT XI.

De martyrio sanctorum Nerei et Achillei.

His ita decursis, hæc rescribuntur ad ista:
Eutyces Victorinus Marco ad omnia servi,
Qui Domini Jesu Marcello grammata missa
Sic tua venerunt sanctis; triginta dies jam
Transierant postquam ad meritam venere coronam.
Flavia præclara et Christo vinctissima virgo,
Docta per eunuchos Nerea et Achillea claros
Virgo manere, Deo supremo credere Christo
Objecto Jesu titulo sibi nominis, isthuc
Truditur ab sponso, quem tempserat, Aureliano;
Quique sequens eunuchorum tentare piorum
Aggreditur mentem, per eos sibi virginis optans
Conciliare animum: spernentes munera sancti
In Christo firmare fidem studuere puellæ;
Unde attrectati per sponsum verbere diro
Depositi Terracinam, Rufoque necandi
Suppliciis dantur; quos Rufus   igne (172)
Appensos crucians nititur cogere sacris;
Dumque fatentur apostolico baptismate loti
Nulla unquam se sculptilibus ratione litare,
Puniti mulcta capitis super astra recedunt.
Auspicius quorum rapuit sacra corpora noctu,
Discipulus felix, quo Flavia crevit alumno,
Naviculaque vehens Domitillæ in prædia duxit,
Ac sanctæ juxta Petronillæ busta locavit,
B Mille et quingentis distantia passibus Urbe.
Quæ nos, Auspicio narrante, accepimus acta.
Floreat ergo tuæ nobis dilectio curæ,
Mittereque acceleres qui nobis vestra revelet.
Nostra tibi, fraterna salus illustret utrosque,
Lætior affectus tripotenti luce coruscet.

CAPUT XII.

De sanctis Eutyche, Victorino et Severino.

Indiculo hoc sumpto, Marcum Marcellus ad ipsos
Germanum mittit qui, confessoribus anno
Cum sanctis habito, rediens, hos prodidit actus.
Dum post martyrium Nerei fratrisque peractum
Aurelianus agit Domitillæ assensa subire;
Audiit hanc eadem dictis consortia sanctis,
Jungere, sacrarat quæ præceptoribus olim,
Donarique petit sibi quos a principe Nerva,
Sacris si fugerent simulacris sacrificare.
Hos, dum persistunt animo durare virili,
Carnificisque minas voto calcare fideli,
Per sua depositos alto ferus arva sequestrat;
Eutychem sex atque decem via millibus Urbe
Nomentana procul, Victorinumque salina
Sexaginta capit dirimens, hæc ipsa Maronem
Mœnibus in' centum trigintaque millibus aufert.
Per totum ergo diem rastris insistere mandat
Sanctos censor atrox, et catabra *(sic)* vespere præ-
[bet.
Sed bonus hic Dominus proprios non linquit alum-
[nos,
Ruribus inque peregrinis data gratia justis.
Eutyches prolem nam conductoris agelli,
Dæmone depulso, patrique sibique reponit.
At Victorinus domini vice rura regentem,
Tresque annos lecto paralytica membra foventem
Incolumen dedit orando, rapuitque grabato.
Curatorem urbis morbo Maro solvit hydropis,
Annis quo septem undarat lymphante liquore.
Denique formantes populos affamine casto,
Instruxere fide multos regnantis Iesu,
Presbyterique dati plebem augmentando creabant.
Invidus ergo boni mentem replet Aureliani;
Erigit ira animos, tortores mittere suadet.
Legantur lanii varias infligere pœnas;
Cæditur Eutyches tota spectante platea.
C Dum petit æthercam mens sedem flagra triumphans,
Devotus digno temnentia membra lanistam
Eripiens populus properat cumulare decore.
Sacratumque super Christo parat edere templum.
Mittitur oppressum sævo turgore Maronem
Turgius inflatus, saxo qui sternere nitens
Quem terrore nequit; prægrandi pondere rupem
Trochleis librare homines quam septuaginta
Vix quibant, jubet advolvi, sanctumque onerari;
Quique leves paleas ceu per duo millia lætus
Gestat, eoque loco solitus quo fundere vota
Sarcophagum locat, ilæsus quoque pondere perstat.
Totaque repletur miro provincia facto;
Accelerant purgari animæ, sanctumque lavacrum
Affectans populus, larvarum exterminat aras.
D Acta pii judex annuntiat Aureliano,
Concessamque fero prædam mactare propinquat.
Credentes lapidem populi, pia pondera, justi
Hoc ipso gerula ossa locant tumulantque cavato,
Desuper excelsi condentes muneris aulam
In qua dona Dei meritis præstantur alumni.
Est locus lances mittens spiramine tetros
Sulphureo, latices veteres dixere cotillas:
Hic Victorinum, resupino vertice pensum,
Horrifico perimi mandat pædore tyrannus.
Hæc tribus ut passus martyr furibunda diebus
Nectare divino cœlique fovetur amœno.
Aurelianus, adhuc defuncto in martyre crudus,

(172) Cod. 1 *Rufus   igne*, relicto spatio unius vocis vacuo. Cod. 2, *Rufus m   mius igne.*

Corpus humo prohibet, terram vetat addere terræ :
Ast ubi membra jacent recondita, more avorum,
Accedunt Amiternenses, capiuntque beati
Præsulis ossa sui, referunt, conduntque decenter.
Exstiterant equidem bino solamine fratres,
Isto Severino Victorinus magis auctus,
Munia post obitum dantes alterna parentum,
Prudentesque sibi geminæ suffragia curæ ;
Alterno submittentes se discipulatu,
Alternoque magisterio sibi jura ferentes :
Et sacra servitii dederant munera digni ;
Vera probabilibus dilecto creverat actis,
Obtulerantque Deo semet viva hostia facti ;
Postremumque petens virtus geminata subire
Tendit in id sese quod dantes sunt cælo regni.
Ubertate poli dites, quibus omnia Christus,
Libertas eadem, imperium, gratus famulatus,
Nil deerat, cum nil mundi pompalis haberent.
At Victorinus spe sanctiore æstus ardens,
Ac repetens imperfectum parere vicissim,
Nec satis esse tenens uti deserviat alter,
Si quid in alterutro liceat præstantius utrique,
Aggrediens eremum, celsæ petit ardua rupis,
Speluncque sedet sub qua præterfluus amnis
Mons ipsum bifidi lateris signarat utrique.
Vix non hospitium quæ ut dormire sedendo :
Si somnum capiat, vigilans orabat et astans ;
Et dat ostiolum lento dans vimine claustrum,
Assiduus lectu, precibusque vacabat anhelus.
Non tulit hæc cernens pietatis lividus hostis ;
Confingensque dolum, teneræ induit ora puellæ,
Ante foresque viri ingeminans effundit verba :
« Heu me ! infit, miseram, silvis, errore, tenebris
Solivagam, ignaramque loci nullisque negatam.
Quisquis es, tibi venerabilis incola saltus,
Votatam feminam pedes undique, et undique sævæ.
Exanimemque loquuntur opus, frendentibus apris
Sæpe me, trucibusque lupis et blandibus ursis ;
Quod vicinem, tamen moriar si denique, id ipsum ;
Sitque tegi mihi sufficiet vel limine tecti :
Non diuturna peto consortia, nocte habes
Hospes et unus. » Paruit miserans, et ostium
Compatiens dirum aperit, admittitque latronem.
Tectus spelæum vix intercesserat hora,
Cum ecce mentiebatur inter muliebria gestus,
Nuda effigies monstri pedis contigit armum,
Atque Cupidineum transfigit corda sagitta :
Illecta dolum cumulant, ignes et amoris sufflant.
Unus pectus amor, helluis ... sentent ,

At velut antiquo præcellens robore quercus,
Atque solum firmis penetrans radicibus altum,
Hospitiumque ... dentis, apta
Ignibus est inventa quidem si forte caverna,
Interno flammis consumpto robore victa,
Labitur, atque diu tectis ... applicat arvis.
Alta columna ruit, quem scelus efficit ardor :
Exclamat vehemens jam voce inhumanus aperta :
« Heus ! quid agis, quid agis, vir perfectissime ? ? [ter
Qui gravis exstiterat, peregrino jungeris ? Ecce,
Germani odisti qui contubernia ferre...
En quid agis qui dogma novum silvis scopulisque
Constituens, rupes muliebria casta docebas ?.. »
Hæc insultanti jactando diabolus ore,
Decepti ex oculis abiit ceu fumus in auras.
At qui corruerat, fuerat quasi Gorgone visa
Attonitus exsanguis, sibi qui quandoque reversus,
Egreditur silvis, repetens solatia fratris ;
Hærensque, pudore diu suppressa voce, silenter
Assistens, causam stupido tandem ordine pandit :
Ipse sibi pœnam statuens, namque arbore scissa,
Ingerit insertatque manus, crurisque cicatrix
Stringitur, arboreæ coeunt plagæ undique. Summo
Pontifici frater tractis patefacta revelat ;
Qui veniens primo conatur solvere nexum :
Utque reluctantem cernit, benedicit, et omnis
Compatitur, refovet ; munit, solatur abitque.
At vir pervalidus, tanto vinculo fixus,
Panis duntaxat modicum lymphæque liquorem
Hebdomade prima capiebat, fratre coactus,
Qui victu simili jejunia longa levabat,
Pro fratris lapsu parili se ince semet adurgens.
Volventes hiemes hujus tres pondere multæ
Hinc Victorini dum jam patientia cunctos
Inflectit, rediens præsul vix cogere vincit
Carnibus absumptis sinat ut tormenta resolvi
Quis se judicii dederat memor ipse tremendi.
Is quem post sanctus initum, quam mira potenter
Egerit, humanæ non est expletio linguæ :
Quique Amiterninæ cuncto delectus ab urbe
Erigitur præsul populo, quo martyre florent.
Frater et ipse Severinus, commilito fratris
Sectatorque sagax, post plurima mira datarum
Virtutum, sancta locuples pietate quievit
Confessor, functusque loco legatur eodem
Quo vitam mire degens abstemius egit.
Locus prius posuit quam prædilgeretur honesta :
Quem ritu recolit Campana Neapolis anno.

CAPUT XIII.

De sancta Domitilla, Marcello quoque et Apuleio, Sulpitio et Servitiano.

Aurelianus, ubi solamine virginis orbus
Ornavit sanctos, Domitillæ socia ...
Pontiæ Ponti, Terracinamque relegat ;
Sulpitiumque cogit cum Servitiano
Conciliatum illam sponsæ vellemur earum,
Quo suadente quasi animum ad connubia flecti,
Virginis ut comites et eodem loco relegat.

Pontiacis sanctæ redeunti occurritur arvis.
Conspectas celebris gaudet vidisse sodales,
Complexæ celebrem gaudent venisse sodalem
Gaudia concelebrant, nec solum jure fruuntur ;
Hæc animæ dapibus reficentur, corporis illæ ;
Hæ recusant epulis, jejuna Flavia durat.
Cui socii : « Quos prandemus sponsosque jugamur ,

Non quimus servire Deo quo talia tractas ? »
Illa : « Viris claris desponsæ rite nitetis ;
Obscuræ si vos aliquæ divellere malint
Ac vincire sibi personæ, assensa negatis ? »
— « Avertat Deus a nostris hoc mentibus, » illæ.
Flavia sic « Et mente mea quæ gaudeo sponso
Rege Dei Genito, cœlo qui venit ab alto,
Atque spopondit ei servantes pectora casta
Sponsas esse sibi, vita donare perenni ;
Scilicet ut post hunc cursus præsentis agonem
Inducat thalamis æterna luce venustis,
Angelico semper tribuens gaudere decore,
Ac paradisiaco florum vernare nitore,
Finis ut absque metu illustres epulentur in ævum :
Filius ista Dei spondens dum credere vidit
Vix ullum, firmare fidem non distulit actis,
Dans cæcis lumen, leprosos famine mundans,
Functaque restaurans amissæ corpora vitæ,
Queis Dominum factis docuit se et vera fateri. »
Theodora : « Herodes, ait, est Romæ mihi frater,
Munere præterito captus qui luminis anno :
Illud restaurato tui sub nomine Christi,
Ex ipso nobis si dogmata vera tulisti. »
Euphrosyna sub hæc : « Fratrem liquisse fateris
Te Romæ cæcum, sed filia muta nutricis
Ecce meæ mecum, » quam præcipit illico sisti.
At Domitilla preces, longum flens, strata, profundit,
Exsurgensque, manus pandens ad sidera fatur :
« Christe Deus, qui pollicitus te semper adesse
Finetenus nobis, quæ testor vera probato. »
Cum dicto, mutæ signum crucis addidit ori,
« In summo Domini loquere, aiens, nomine Christi; »
Muta statim vocem clamans prorupit in istam :
« Est verus, Domitilla, Deus tuus ; omnia vera
Sunt verbis prolata tuis. » Tunc se ipsius ambæ
Asternunt pedibus, credunt, sacrisque dicantur.
Theodoræ cæco perductus tramite frater,
Donatur, precibus Domitillæ, lumine utroque
Corporis atque animæ renitens splendore superne.
Tunc qui gentiles aderant ex Urbe, novantur,
Credentes Christo, liquida baptismatis unda ;
Hæc eademque domus Ecclesia sancta renidet.
Sanctos Marcellum postquam ferus Aurelianus
Ejus Apuleiumque schola sub utraque sodalem ;
Hos etiam præter, Domino pro cœlite plures
Claræ jure necis regna ad cœlestia misit,
Organa læta capit. Metico assultante beato,
Ac venit ut niteant unius luce diei
Virginibus tædæ tribus ; at pia Servilianus
Sulpiciusque, Dei miracula facta videntes,
Credentesque, piæ fidei sua pectora subdunt :
Aurelianus eis sponsas dum ducere suadet,
Hi Domino tenui super his hortantur honorem,
Queis manifesta Dei virtus radiaverat actis.
Ille nec admittens animum, nec lamina curans,
Septa jubet capiant Domitillam arcana cubilis,
Speque actu majora petit, sic gaudia ducens
Victa pudicitiæ veluti jam regna domarit,
Captivoque datum foret insultare pudori ;
Dumque inter thalamis applaudentes salit amens,
Corporis et gestus habitu convolvit inique :
Nescius, infelix, hæc inconcessa petendo.
Insita concessæ solvi sibi fœdera vitæ,
Sanguineis anima est dum jam repetenda latebris,
Exspirat subito, vitamque et lucra mutat.
His comites visis Christo se dedere certant ;
Luxurius tanti frater post facta tyranni,
Trajanum repetens, dominatum poscit in istos,
Quos simul obtentos diversa cæde trucidat.
Sulpicium illustrem claro cum Serviliano
Præfecto tradens Aniano, accusat iniquus
Christianæ famulos fidei, defertque necandos.
Virginibus posthac, trino charismate nexis,
Opposito rideri ab eis gentilia sacra
Res adimens avidus terrenis usibus aptas,
Ignibus injectis, penetrat secreta beatis
Quod dabat agnabus, flammis incendit adactis :
Prostratæ in facies illæ, Dominumque rogantes,
Inter vota precesque animas super æthera tollunt.
Altera sopitis pandebat clara favillis
Sanctarum rutilum surgens aurora triumphum ;
Cæsariusque adiens levita tepentia tecta,
Invenit intactas tanto fervore beatas :
Nil in eas flamma vestesve audente rogali.
Tum sacra membra novo tumulans reverenter et aptans
Sacorphago, pariter claudit terraque recondit.
Sulpicium præfectus agit cum Serviliano
Dis libent ; celebri nuper qui flumine mundos
Se perbibent, fœdis iterum nec sordibus addi ;
Dumque via nequeunt adigi atris ritibus ulla,
Sumere submissa gladium cervice jubentur.
Agro membra suo ipsorum posuere fideles,
Moto mille via bis passibus Urbe Latina,
Martyriique loco per tempora cuncta deinde
Horum largiflue virtus exuberat ipso.

CAPUT XIV.

De doctrina, miraculis et passione sancti Clementis

Interea Clemens æterni semina verbi
Insistente serens fidei fervore supernæ,
Evolvit plures, veneranda volumina, libro,
Instituens varias divino lumine gentes,
Ad vitæ callem gentilia corda ciendo ;
Inque fide constante pios perstare monendo ;
Unde et catholicum monita accepere vocamen
Relligione per hunc informat Roma Corinthum,
Decernit scribas regionibus ordine gesta
Qui bellatorum satagant exprimere Christi ;
Ordinat et clerum, diversi culmine fastus ;
Pontifices et quinque sacrat qui partibus orbis
Mittuntur conferre datis moderamina legis.
Hic jubet insignis Dionysius effera Gallos

Corda petat; Christo Remensia mœnia Sixtus
Præparet; acquirat Catalaunem Memmius urbem;
Eutropius sancto Sanctonas sanciat ore.
Doctrinis igitur Clemens cœlestibus instat,
Egregiam monstrare viam nec lumine cessat
Romuleæ instituit properant examina plebis.
Inde viri clari, illustris hinc femineus grex;
Ex quo Theodoram zelo insectante maritus
Insequitur, sanctamque petit Sisinnius aulam;
Cœlica dum Domini præsul mysteria tractat,
Intentusque sacris animo paganus inerti,
Auditu ac visu plexus vacuatur utroque,
Seque rogans tolli cæcum surdumque fatetur.
Tollentes famuli gyro falluntur inani,
Circumagunt errante reum vertigine, cæca
Nec reperire queunt aditum caligine tecti;
Deque viri ductu pendens stupet anxia conjux,
Quæ misso discens puero qua ille laboret,
Sternitur, egressumque viri poscendo reducit;
Expletisque sacris, vestigia prolambens ima
Præsulis amplectens, veniam sensusque marito
Flagitat, evolvens actum eventumque jugalis.
Flectitur antistes lacrymis precibusque petentis,
Proque viri populum monet exorare salute.
Atque lares, missa prece cœlitus, expetit ægri,
Insomnemque oculis captum audituque vacantem,
Effusis Domino precibus restaurat utroque.
Pulsa nocte, dies patulas intrare fenestras;
Vox simul obliquas capitis penetrare latebras
Incipit; ille, videns Clementem astare maritæ,
Loris astringi famulis hunc præcipit amens,
Conjugis illicito perhibens ardere petendæ,
Thessalico illusum se facto fraudis ab illo;
Increscit ludens properos torquere servos,
Ingentumque cito positis vincimina saxis,
Clementem clerumque simul mandare putantes.
Exprobrat antistes cui saxea corda gerenti,
Dum qui saxa deos coleret, devolvere dignus
Saxa probaretur; vanis terroribus ille
Appetit fame, tremuit præsul, ridetque furentem;
Hanc prece Theodoram fusa benedicit, abitque,
Assiduam precibus mandans insistere, donec
Corda viri virtus dignetur visere Christi.
Theodoræ oranti vir cœlitus venerandus
Visus adesse palam, jam jam prægementibus astris;
Quam mœrore levans: « Per te Sisinnius, inquit,
Salvus erit, fratris pateant ut lumina Pauli.
Fida virum infidum faciet quod femina sanctum. »
Unde liquet visus quod Petrus apostolus ipsi;
Cujus in adventu malesanus, mente recepta
Lætus corde Deo, humanum sapit, atque jugalem
Sanctam Dominum pro se exorare precatur;
Erroremque fatens, toleratque nullis tractans,
Postulat accipi Clementem ac tradere vera.
Accessit sanctum mulier, narratque relata;
Adveniens præsul digno celebratur honore.
Imbuit atque virum cælestis fonte rigatum.
Perceptis sacris lapsus Sisinnius almæ,

Doctorem amplectens, genibus devolvitur hujus,
Pro sibi collatis grates dans Omnipotenti,
Qui se cæcarat verum quo vera videre valeret;
Auditum tulerat quo vera audire valeret;
Accusans tenebras, lumen benedicit apertum;
Idola confutat, Christi præconia jactat;
Pontifici persequitur, sancta gaudente caterva.
Nomineque exsultant sanctorum fratribus aucto
Contiguo Phase sacrantis fonte piatur,
Annumerantur ei simul, unda almoque renati
Flumine, centum quater ac vicesima supra
Pars indiscreti sexus, atque imparis ævi;
Illustresque per hunc multi sacra dona receptant.

Lucra videre piget Christi virtutibus hostem;
Damna pati captivorum tam crebra suorum
Angitur, insidiasque petens certaminis atras,
Instimulat mentes, crudas attollit in iras;
Bella calere ciet, tetrum fervere tumultum,
Deligit his comitem veteri fervore superbum,
Tarquinii prisco referentem agnomine Festum,
Dæmonico vulgi stimulo instigare furorem,
Pro solis in nomen dato qui nomine servit;
Dispescunt super his populi diversa ferentes.
Defendunt alii innocuum sanctumque, profantes
Quæ bona præstiterit, charismata quæque salutis
Sparserit, auxilii solamina lata sequentes;
Contra alii torvis furiata mente querelis,
Artibus icta fremunt fieri subtiliter atris,
Culturam Æneadum queat ut versare deorum;
Eximio hic Jovi divinos demit honores,
Herculis immundo simulacrum dæmone plenum
Commemorat, Veneris meretricia turpia culpat,
Mercurium, Martem, Saturnum, cumque Minerva
Dianam incusat simul, insuper omnia carpat.
Præfectus, populi tendens sedare tumultum,
Clementem vocitat, lepidoque affamine mulcens,
Nobilibus prætendit avis et sanguine cretum,
Hortaturque deos, queat ut fulgere, colendos.
Iste, nec adversis nec noscens cedere blandis,
Præfecti monitis animum illustrare beatis
Ac patula formare virum ratione laborat,
Seditio unde caput teneat, quo plebe tumultus
Prosiliat, rationis amans, ut videt inepta,
Effugiat tenebras, lucem sectetur amicam;
Multa serens fidei rationis et ubere plena.
Præfectus regi turbam tremensque revocat;
Clementem assentire necis Trajanus innuit,
Seu Ponti profugum Chersonæ et rura subire;
Arentem tolerare eremum glebamque vacantem.
Intimat hæc sancto præfectus; at ille beatæ
Doctrinæ fulgore viri componere mentem
Nititur, haud metuens mulctam Augustive minantem
Respiciens; flevitque virum, lacrymisque resolvit;
Prosperaque exoptans commendatque ipseque ministrat,
Deligensque rates, largitur congrua navi.
E populo multi, clerique viri ordine multi
Egregium amplexi Patrem comitantur euntem.

Ad loca pervectus sibi delegata beatus,
Offendit profugos, patria almæ millia plebis,
Mulctatos nimbi saxis ad pensa secandis;
Qui lacrymis omnes, viso Clemente, repleti,
Pontificem tantum tam dura subisse gemebant,
Quos mœrore levans, socium se numine missum
Omnipotentis eis præblando famine tractat.
Gloria consortem quem passio jungit, ut aptet.
Sic medico cœptum mulcens sermone dolorem,
Millibus edicit senis deferrier undam
Sanctorum perlatam humeris arentibus arvis;
Tunc Clemens: « Dominum cuncti poscamus Iesum,
Marmore de sicco qui flumina profluа duxit
In deserta Sina, nunc confessoribus isthic
Lætifico promat salientes flumine venas; »
Dumque, datis precibus, circumspicit undique præsul
Ecce Dei montem super agnum assistere cernit,
Qui pede porrecto innuitur loca pandere dextro;
Haud dubitans Christum sanctus quin cerneret, unus
Pergit, et: « Huc Domini sub nomine vertite rastra, »
Dicit; at hi circa effodiunt, neque tangere norunt
Pontifici ostensam supero moderamine glebam.
Papa levi, ferrum rapiens, loca percutit ictu,
Educitque novum cœlesti munere fontem,
Robore qui sumpto fluvium vomit impete lætum.
Exsultant populi, Clemens hoc carmine gaudet:
« Impetus exhilarat divinam fluminis urbem. »
Fonte novo celeri terras verrente meatu,
Fluminis exsiliens haud segnius agmine fama
Agros pervolitat, patriam virtutibus implet;
Accelerant populi magnalia visere Christi,
Haustu potantur bifluente, novoque novantur
Flumine, quingentæque die super amplius una
Salvatæ remeant animæ properantque dicandæ;
Septuaginta magis toto fabricantur in anno
Ecclesiæ, post fana deis eversa solutis.
Tres hic imbre pio populorum corda rigando
Duxerat æstates, lucis dum lividus hostis,
Atra venena coquens, mentes instigat inanes,
Luminis ætherei quæstus agitare profanos,
Augustique super Clemente exposcere leges,
Innumeras superum plebes quod abegerit aris.
Mittitur huc a Trajano trux Aufidianus
Christicolas punire, deum vel subdere sacris
Qui lupus ut rabidus, caulasque irrumpere pronus,
Aut turbare greges late per pascua fusos,
Præcipitat sævire, novos laniare bidentes,
Nec mora, ferventes jugulique ad fenora largos
Accipit hos nudaque ensem cervice petentes;
Cunctorum invidet ille neci, negat atque ferire;
Clementemque modo divina in prælia poscit;
Hunc vafro variis tentans conamine telis,
Egregiique probans ut ineluctabile robur.
Sentit agonistæ quem vincere terrea cernit;
Æquoreis adigi cum pondere præcipit undis;
Hisque salire putans, superari cærula posse,
Mergentis mandat nectatur ut anchora membris,
Fertur at ille poli regna intraturus ab undis,

A Sidereus dudum lætus qui exiit in undis,
Æthercam petit a summo mersus gurgite sedem;
Undis læta sonans, non pro foribus per undas,
Exequiæ desunt humano funeris actu,
Obsequium sed adest divino munere latum;
Officium præstent homines qui funeris absunt;
Cœlicolæ curent qui munia funeris adsunt.
Ad pœnam mersus, obsequium fert anchora ductus,
Inque aulam structi deducit membra sepulcri,
Angelica positam fabrica, divoque paratu,
Sidereis sancti manibus quo membra locantur.
Littoreis populi flentes speculantur arenis
Qualibet advectum depelli æquore funus;
Discipulis nimio flendi tribuente sancti
Corporis in precibus firma radice tenetur.
B Cum Phœbo populum hortatur Cornelius una
Unanimes Christum exorent, dignetur ut illis
Exuvias reserare polum raptæ æquore mentis;
Dumque vacant jugibus pulsantes sidera votis,
Spiritus e cœlo, Rubri qui marmora ponti
Olim arere dedit, retro mare cedere cogit,
Ac longum laxare sinum, per millia pandens
Ingressum populis siccum tria, cernere præbens
Angelica cæso fabrica data marmore templa,
Cœlitis inque aula fabri moderamine ducta,
Æthereum monstratur opus mirumque sepulcrum,
Martyris arca tegens venerabile saxea pignus.
Martyriique secus celebris manet anchora testis,
Discipulis avidis sanctum transferre cadaver
Oroma secretis divinæ panditur aulæ,
C Ne vacuare velint sacris data mœnia membris,
Festaque dum redeunt, redeunt maris ima terentes,
Altaque signantes sicco penetralia gressu,
Dicta patent, subdunt positorum examina circum
Se populorum uni summo veroque Tonanti,
Præbet iter solemne maris Clementis, et illo
Insueti pandente salo tria millia callis,
Ærumnis vecti variis curantur anheli.
Contigit huc quondam parva cum prole profecta
Mater ut ingrediens tandem, solemnibus actis,
Sese impertiret dapibus sobolemque sopori.
Interea sonitu repetentis littora ponti
Concussis mulier sociis turbata recedit,
Præcipitesque sequens, animum est oblita parentis;
Immemor amissi sub vasta cubilia nati,
D Anticipat rapido metuenda volumina cursu;
Quæ mentem, tuta demum statione, resumens,
Pignoris expositi gremio reminiscitur alti,
Atque edens gemitus, portum plangore replebat,
Luctumque ingeminans, summas percursat arenas,
Everti si quis (173-74) geniti vidisse cadaver
Depromat, nulloque, omnes scitata viritim,
Indicio sumpto, mœstasque reducta sub ædes,
Continuis longum producit fletibus annum.
Phœbeo in semet solito redeunte meatu,
Exspectata diu remeant dum festa colonis,
Illa redit, primosque inter mox prima recurrit,
Si reperire queat saltem eluta pignoris ossa:

(173-74) Cod. *everti.*

Æquore nam retegente viam prima impetit algas,
Præcesserat, cunctisque prior pervadit arenas ;
Insequitur Doctus, sopientibus imminet undis :
Pressa petit templum, ingreditur, prosternitur aræ.
Explicitis surgit precibus, divertitur, ægri
Imbre rigata genas oculis, candida ora reflectens.
Aspexit en [illegible] omnis quæ parte relictus.
Nondum continuit rapuisse silentia somni ;
Defunctumque putans, properat lectura cadaver :
Somnum effugere probans, ceteris rapit, excitat ulnis,
Incolumem levat, et populo spectante repertat.
Matre rogante ubinam fuerit tot luctibus amens,
Is [illegible] [illegible] Ravennæ orbis,
[illegible] hausisse famem [illegible] noctis operum
Exponit, stupidoque [illegible] spectacula vulgo.
Cunctorum matris duplicat pia gaudia votis.

CAPITULA LIBRI TERTII

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM

De Anacleto et Evaristo.

Ecclesiæ Clemens Anacleto regimina Romæ
Liquerat, a Petro qui consecratus honore [illegible]erum,
Presbyter, ornat apostolicam fabricæ arte sepul-
Pontificum membris dans mausolea locandis ;
Hicque secus magnum sortitur busta magistrum.
Quem post Ecclesiæ cathedram Evaristus adeptus,
Ortu clara Dei præbent quem mœnia Romæ,
Presbyteris titulos magna divisit in urbe,
Pontificem statuit septem asservare ministros,
Dum rationali verbi dat semina terræ ;
Martyrioque coronatus petit astra beatus,
Cujus apostolicæ sociantur pignora tumbæ.

CAPUT II.

De sancto Alexandro papa et sociis ejus.

Sedis Alexander post hos moderamina primæ
[illegible] immaturus, maturus mente, capessit.
Pro servis Domini sacra qui mysterio passi
Cardo [illegible] [illegible] jubet fore solemnibus [illegible],
Haud impar Elisei, spargi sale præcipit undas,
Queis aspergantur benedictis tecta piorum.
Contulit effectu populi cui gratia Christi
Atque senatorum Ecclesiæ nexare catervam
[illegible] præfectum ad Regem convertere verum ;
Fonte sacrat simul uxorem, genitosque, sororem,
Mille [illegible] famulos, et quinquaginta docentes,
Conjugibus gnatisque uno baptismate totis ;
Quos genitore prius cum libertatis honore
Muneribus præstans Paschæ [illegible] luce sacravit
[illegible] operis, [illegible] excita pennis.
[illegible] sub [illegible] Trajano [illegible] [illegible] :
[illegible] odisse Deum quem noverat [illegible]
Hæc legat rapido Romam pervium ire volatu,
Quique [illegible] [illegible] legens, sciat omnia lapsa
Præcipiti properus, Romamque repente perintrat.
Augusti velut Augustus comes Urbe receptus ;
Pontificum insano petitur [illegible] furentum,
Multa Romuleæ a sacris desciisse phalangis ;
Quis Hermes et Alexander foret ausibus auctor ;
Attritos sedisse deos, delubra relicta.
Devincitur Alexander, contruditur Hermes,
Quem custos suasorque **Quirinus honore tribunus**
Convenit ; utquid se tanto patiatur honore
Privari, tam vincla pati tolerabile ducat ?
Is mutasse decus, non se amisisse fatetur,
Terrenum tolli culmen mutabile posse,
Perpetuo prohibens fastigia diva manere.
Stultitiam reputat suggestor credere vitam
Post cineres, sibi se visum olim reddidit Hermes,
Ast ab Alexandro se doctum vera professe ;
Dumque alterna serunt avide commercia linguæ
Ventum quo status præfecto asserat tribunus,
Fœdere sed tali clauso jungatur ut ipsi

Limine Alexander, vincimina plura triumphans.
Hermes firmat; abit, prodit, triplicansque Quirinus
Pontifici nexus, aucto custode, tuetur.
Orat papa fides pacto claretur ut isto.
Æthera vota petunt, cœli demittitur astris;
Nam, stellis convexa poli pingentibus, ecce
Parvus adest puer, et rutilans illuminat atram
Tædæ luce domum, atque sequi se præcipit almum.
Ille, dolum metuens, puerum faculamque videndo:
« Non simul ibo, genu mecum nisi flexeris, inquit,
Commemorando precem Christo dictante profusam. »
Implet jussa puer, dextramque antistitis ipse
Corripiens, per claustra rapit velut ostia pandens,
Præfectoque jugat clausi intra septa cubilis.
Insequitur reseratque irrumpens claustra Quirinus,
Inveniensque simul Domino sua vota ferentes,
Quos trusos antris statione removerat aucta;
Astupet ardenti faculæ, rebusque tremendis,
Propositoque tenore fidem servare petitus,
Artibus hæc Zoroastræis cunctando rependit
Præfectus contra: « Nunquid nos legimus ista?
Optio gesta tua est, jam credere cede paratus;
Nostri nam Domini permaxima dona tenentur,
Qui dedit auditum surdis et lumina cæcis,
Leprosos mundans, paralytica membra reformans,
Dæmones expellens, animabus corpora reddens;
Qui tulit et functum mihi vitæ ad munia gnatum,
Quem langore scholis disciplinisque vacantem
Correptum præcelsa deum Capitolia duxi;
Dumque fatigo gravi surdos libamine divos
Pontificesque precor, vanisque refercio donis,
Orbor, et incœptis animam unicus efflat ab annis.
Questibus ejusdem me tunc his urere nutrix:
« Credulus hunc sancti Petri si ad limina ferres,
Prosperitate tuæ gauderes prolis adepta.
— Cum privata (ego) sit visu, neque reddita luci,
Incolumem narras fore quomodo ob id mihi gnatum. »
Illa: « Vides en me cæcam, sed credere Christo
Si mallem, exacto fruerer jam lumine lustro;
— I credens, et Alexander tibi reddere lumen
Si quibit, credam sobolem mihi posse reponi. »
Hora calore diem flammabat tertia; pergit
Seque refert sexta, gaudensque vidensque regressa,
Imponensque humeris frigentem currit alumnum,
Præcelerans, vix ut pueri juvenesque sequantur.
Pontificemque videns ad me nox pulsa recurrat.
« Ille Erebi Christus puerum sic leget resolvet,
Infit, ut a lethi tenebris puer iste resurgat
Ut semel indultum maneat tibi lumen apertum. »
Sic fusis animam precibus remeare medullis
Obtinuit, sanoque ad me cum pignore venit;
Ejus, quo viso, pedibus prosternor, et oro
Christi mox fieri servus; hinc hæreo Christo,
Tutorem genito statui, patrimonia cessi
Matris, et ex proprio nonnulla libenter adauxi;
Cætera tum famulis, mecum quos unda novavit,

A Distribui, cunctos quoque libertate levavi;
Si qua superfuerunt ea post largitus egenis.
At nunc exertum nec confiscatio terret,
Nec superest hominis morituri offensa pavori;
Participem me illis credens qui munia fassi
Christi, martyrii meruere capessere palmam. »
Famine suspensus respondet ad ista tribunus:
« Per vos me Christus hac conditione lucretur:
Nubilis est mihi nata, viro quam tradere penso,
Egregiæ decorat hanc indulgentia formæ,
Infamis collum torques sed struma fatigat:
Hanc redimite salute, et ei mea cuncta relinquens,
Ingenua Christum vobiscum mente fatebor. »
Præsul: « Vade celer et claustra ad carceris illam
B Duc, tollensque meo Boiam componere collo
Matura genitæ, salvamque resumito mane. »
Ille: « Domus habeat cum te mea, qui mihi carcer
Temet restituet? propera, inquit, papa reduci
Illuc me siquidem faciet qui detulit isthuc.
Quem pergentem et eis patefacta cubilia dantem
Intrepidi proceres solito concludere cogunt;
Dumque valedicit precibus sibi tædifer astat
Ecce puer, panditque aditum, revocatque sub uno
Pontificem puncto, mox vincla reponit, abitque.
Post horæ libramen, adest cum prole Quirinus,
Custodeque videns quos liquerat advigilantes,
Claustra petit, munita probat, signata retentat;
Cernit Alexandrum reserans vestigia pronus;
Astringit, veniamque petit, cui talia præsul:
C « Non Dominus noster pessumdare quemlibet optat,
Converti quia peccantes; etenim in cruce fixus
Se crucifigentum petiit peccata remitti.
Tunc præsentanti genitam, quot carcere clausi
Hinc jubet inquirat, Christi pro nomine si qui.
Bis deni referuntur, eosque Eventius inter
Theodulusque amicit quos gloria presbyteratus;
Hos sibi deduci digno præcepit honore,
Intereaque suam soboli transumere Boiam:
Omnia continuo dissolvens vincla tribunus,
Allambensque pedes, torquem genitæ rogat addi.
Additur, urgetur, properet, vir jussa facessat;
Quo celerante, puer tædæ fulgore coruscus
Ilicet effulgens salvam jubet esse puellam,
Addens: « Dege tua semper cum virginitate,
D Efficiamque tuum in cœlis te visere Sponsum
Quem stat amore tuo proprium fudisse cruorem. »
Æthera cœlicola post hæc repente, Quirinus
Presbyteris comitatus adest, sanaque reperta
Prole, replens clamore locum: « Prodi hinc, ait, alme
Doctor Alexander, ne, te jam indigna ferente,
Cœlitus expressum me fulmen adurat iniquum; »
Quæ sibi sint præstanda magis papa ingerit, omnes
Sacratu poscens personas carcere clausas.
Conqueritur sanctum custos quid prosit iniquis.
Contra, Dei retegit præsul, pro flagitiosis,
E cœlis venisse Deum, qui Virgine natus
Ad veniam cunctos laxandaque probra vocaret.
Convenit ergo omnes, monitus hac voce, Quirinus,

Accelerent, Christi cupiunt qui sacra subire,
Et baptizati pergunt pro velle soluti.
Approperant igitur fidei se subdere cuncti;
Quos affatus Alexander mysteria promit
Cœlestis Domini, cœlum terramque regentis.
Omnia servantem terris ut mittere Gnatum
Virgine progenitum legit, genus omne vocavit
Quique beatorum cœlis, firmans affamina signis.
Ut docuit vitam, tulerit post omnia mortem;
Quam post calcatam surgens penetraverit æthram,
Subjectisque potestatem dans astra patrandi,
Venturum se prodiderit sub limite sæcli,
Ut bona det justis, injustis digna rependat. »
Subjiciunt omnes hæc ad documenta salutis
Auditis mentes fidei, manibusque beatæ
Presbyteri impositis vitæ his primordia legunt,
Cum genita pariter Balbina, omnique Quirinus
Fonte domus sancto, junctisque sacratur adauctis
Omnibus ecclesiam vicus sua dat carcere abactis.
Compertis quibus, tristis illos Aurelianus
Adduci sisti, ductum affaturque Quirinum;
Dilectus sibi cum fuerit, quod viderit ipsum
Hoc sub voce: « Me Christicolam permoscito factum:
Vis occidere, vis diris substernere lignis,
Urere seu flammis, aliud jam non ero quod sum;
Et dabo Christo devinctos carcere cunctos. »
Dimisique extra sedes, sed pergere nusquam
Conati, poscunt pugnam pugnæque coronam,
Criminibusque fuit dum tota pectore patratis,
Quam melius reputant animas effundere Christo;
Hic Hermes et Alexander, cæteraque plebe,
Esuriens dapibus veluti gaudere paratis
Martyrio certique avescunt splendere nitore. »
His tibi acceptis, flammante incensior ira
Tam patulo coram fari sermone quod ausu
Non timuit, plectrum jubet abscindatur ut oris,
Et pœnis famosis spectatoresque fatiget.
Qui quoque continuans probris agitare tyrannum,
Abscidi mucrone manusque pedesque jubentur;
Tum jugulo expleri canibusque vorandus omitti;
Cui via præcepto a justis dedit Appia tumbam.
Virginitate nitens hujus dum filia sacra
Sanitate crebro prodigeret oscula Boræ,
Sanctus doctor Alexander: Sine vincula nostra
Lambere, quæ repetis (*ms* 2, quære Petri Domini,
ac Valentinia come).
Sic opera sumpta studioque sequente benigno
Invenit hæc sancti, tradatque reperta sorori
Theodoræ Hermetis probitatis honore colendæ,
Quæ decollati statuit dare membra sepulcro
Gelosum, procul hæc nec ab urbe Salaria sumpsit;
Ipsa sibi promeruit post martyrizata sub ipso
Judice corpoream fratri sociata quietem.
Quem postquam jugulavit atrox comes Aurelianus
Flagitiis reliquos cæcis in carcere sitos
Actuque impositos puppi, saxisque gravatos
Tunc, vel cunctosque altum jubet in mare mergi.
Dehinc posthæc papam sistique beatum
Mandat Alexandrum, lateat quæ causa requirit
Quod magis occidi tendat quam absistere cœptis
« Non licet, inquit Alexander, canibus dare sanctum. »
Fervet ad hæc, sese que canem fuerit ille vocatum.
Indiciis præsul probat ut cane nequior exstet;
Fixo divinis minatur flagra tyrannus;
Despicit iste minas jactantem, spernit honores
Punitorum ab eo fastus et culmina præfert.
Exsecrat intrepidus rabidum temnitque furentem.
Qui ferus appensum torqueri præcipit almum,
Ungulis et radi, face lampadibusque cremari.
Ista diu passum nulla resonare severus
Voce stupet sanctum, rogitatque silentia mira;
Ille Deo fari se deposcendo fatetur.
Increpat et stolidum tormentis sacra rogantem;
Annorum monet ille fere triginta juventæ,
Cogitet invictum mentis, hunc iste salute (175-77),
Hocque cruore palæstrita dum sudatur agone,
Dira se perhibens viduandam morte mariti (178),
Pilato ut visis olim perterrita conjux,
Mittit et absolvi suadet fortem uxor athletam;
Verba ferox spernens socios certamen inire
Mandat Alexandri; relegunt vestigia læti,
Jamque Patris palmas stadio contingere certi.
Ignibus infelix Stygiis feraliter ardens
Ut prodit invictos urget fervere caminum:
Tunc ut, Alexander, jubet, atque Eventius, annos
Octoginta gerens, aversi dorsa ligentur,
Candentique dati flammis fornace crementur;
Astans Theodulus pœnarum horrore prematur,
At fornacis Alexander furibunda triumphans:
« Theodule, accelera nobiscum, frater, et alge;
Ille etenim tres qui pueros apparuit inter
Hebræos quartus, nobiscum exsultet et isthic; »
Theodulus flamma irrumpens intersecat ignes,
Cum sociisque Deo grates laudesque rependens
Concinit: « Ecce tuos examinis igne probasti
Nos, Pater, istius, nobis nec adhæret iniquum. »
Igne furens victo flammatur mente tyrannus:
Effert, hortatur, dubioque in crimine pendens,
Presbyteris tandem cervices demetit ense.
Nec tamen hoc patitur papæ finire palæstram,
Visceribusque animam rimatur in omnibus altam,
Mallatora terebrans fortissima cuspide membra,
Sic decorat tanti tanto molimine floris
Egregius rutilum meritam petit æthera sedem,
Dumque insultat ut impleatis grassator amarus,
En visus juvenis gerulus gestaminis igne
Accensi chalybis virgæ quasi quam jacit ante
Hæc addendo pedes: « Meritum, Aureliane, capesse,
Tartareæ nigra namque patent tibi guttura portæ,
Ast quibus intendes paradisi aptantur amœnis. »
Attremuit dictis, febrisque accenditur igne;
Mens fugit, ac rabie rapitur, quatiturque phrenesi,
Lingua editur, vita tetricas raptatur in umbras,
Atque Severinæ præsaga probata mariti
Vera quidem, sed sero probat; quæ saucia, gestis,
Membra beato rapit hæcque in sua prædia ducit,

(175-77) Locus corruptus, ut alii hinc multi.

(178) Deest aliquid.

Inque via Nomentana procul Urbe recondit
Millibus ut septem, cum papa Eventius illic,
Sarcophago ut juncti flammis tumulentur in uno
Theodulum recipit modo corpore tumba seorsum;
Spiritus a sociis at non discernitur æthra.
Membrorum limina triumphantum devota sepultrix
A Tegmine [illegible] corpus [illegible] aspectat [illegible],
Atque beatorum tumulis [illegible] recumbit;
Obtinet a sancto [illegible] Sixto
[illegible] episcopus illo
Martyribus dignum post exhibiturus honorem;
Pontificem sic inde locus consuetus habere.

CAPUT III.

De relatione Plinii et ultione tertiæ persecutionis.

Denique et hic plures variis et partibus orbis
Tempestate sub hac terrestria regna triumphant;
Funeribus quorum permotus Plinius unus
Ecclesiæ vastatorem fert sceptra regenti
Trajano monitus: « Hominum mitissima sævo
Omni pene die ruerent ut millia ferro
Nil contra leges Romanaque jura gerentum,
Nec sceleris nece plectendi cujusque reorum,
Ni Christi pro laude Dei, et conventibus æquis »
Rescribit Trajanus ad hæc: « Ne quisque requirat
Christicolas judex, at puniat interceptos; »
Semisoporatus per quod ferventior ignis
Visus, amicorum insidiis haud dempta facultas,
Imo dolis furum vexantur castra piorum.
At non ille oculus vigil Israelis amator,
Pupilla obducta legi favet altor iniquæ,
Imo pari rutilis compensans omnia lance
Præpollens auctoris opus hujusce nefandi
Evortit sceleris, domus aurea tacta Neronis
Dum cœli flammis, cineres consedit in imos
Mox Romani orbis [illegible] telluris [illegible] quædam
Funditus [illegible] Asiæ [illegible] tremore;
Quattuor exæquans tellus sibi subruit urbes
B Græcia quo geminas moto, quo Gallia perdit.
Antiochique Syræ pars maxima concidit urbis.
Nec solam hæc homines, quin perculit illa deos.
Dum quasi cunctorum quondam [illegible] sola deorum
Pantheon Romæ divino incenditur igne,
Tunc veluti quondam ciniphes Pelusia rura
Emersæ subito, quateret dum tertia plaga,
Orta situ et squallore locis animantia fœdis.
Omne genus hominum [illegible] ac pecus urere morsu.
Densatim sævos in [illegible] colonos:
Judæi variis effusi ita partibus orbis,
Egyptum, Libyam, Cyprumque, aliasque calore
Emoti terras subito infestando quietos
Turbant, ac vacuos [illegible] dant cultoribus agros.

CAPUT IV.

De sancto Sixto papa.

Sixtus Alexandrum sequitur, qui culmina sedis
Nactus apostolicæ, regimen disponit honeste,
Dans tractanda Dei solis sacra vasa ministris,
C Subjectisque hujus moderans insignia sedis.
Qui martyr penetrans, Adriano principe cœlum,
Busta secus Petri tumuli sortitur honorem.

CAPUT V.

De sanctis Gætulio, Amantio et sociis eorum.

Plerique cœli regna dicto principe
Mercede fusi consequuntur sanguinis,
Bacchante nube retro cœpti turbinis.
Paravit astra carne tunc Gætulius,
Ad quem tenendum quod fide firmissimus
Et disciplinis degeret doctissimus,
Sermone multos actibusque roborans
In lege Christi, Cerealis mittitur,
Collega cujus militarat Amantius,
Qui carne frater ac fide Gætulii;
Uterque gratus Adriano principi,
Ducens repertus plurimos Gætulius
Fratrem tribunum propalavit Amantium
Metu Adriani qui latebat abditus;
Quem Cerealis haud opine contuens
Plenus sodalis fit salute gaudio,
Vitamque sumit hoc reperto spiritus:
Nam diligenter veritatis lumine
Christique cultu ab his docetur Patribus.
Romam inde pergunt, atque Sixto præsuli
Mox baptizandum Cerealem suggerunt:
Factumque Saulo sicut olim contigit,
Ut qui tenere Christianos venerat
Sit ipse tentus; qui salutem tollere
Properabat almis, salvus idem fulserit.
Hunc præses arcæ Christianum ærariæ
Quidam Adriano deprehendens nuntiat;
Qui consularem dirigit Licinium,
Quo Cerealem vinciat vicarium;
Cum quo beatus stringitur Gætulius,
Ac Primitivus cumque eis Amantius,
D Tum Cereali consularis infremit:
« Vitæ tibi sic facta desperatio
Præcepta temnas ut procax dominantium
In universi rebus orbis principum? »
Cui Cerealis: « Insuper contradidi
Visitationis integræ molimine
Census fugaces, et redegi in publicum,
Semperque me servire Christo spondeo;
Vita perenni perfrui credo et peto. »
Tum consularis: « Dic mori an vis vivere?
Qui: « Luce vitæ ni frui contenderem,
Christi supernam non faterer gloriam. »
Relisus ille firmitate martyris,

Unaque sepis ut minacis alveus,
Petit exsomnes pupillarem Getulium,
Libare Marti, aut Jovi jubens eum.
Subit beatus dissipat lanceam,
Pharus furentis ut procellam Doridos.
At corda qui nequivit alta laedere
Ad laesionem vertat arma corporis ;
Carnis sodalis capulibus diripit.
Undique mentis scopus inexpugnabilis ;
Firmumque robur ut renisit martyrum
Victus contrusit gloriantes carcere,
Quo per dies et mansere septem et bis decem.
Postque Adriano mandentur vividi,
Christique fidi a quo jubentur ignibus
Cremari. Beatos ad regem Getulius
Vivens triumphat, fustibusque mox caput
Caesus divellit, corripit victoriam.
Eodem Amantius tunc agonis militans
Ab orbe pendit, itaque penetrat aethera ;
Utrosque ab undis Symphorosa colligens,
Uxor beati conjugis Getulii,
Suo relatos collocavit praedio :
Quae non diu post conjugis certamina,
Sodalitate filiorum praedita,
Martyrisata scandit aetherea culmina.
Quae, cincta palmis et librata crinibus,
Stata terris et polo contermina.

A Caelique discit ambulare semitas
Invicta terris ut probatur aere
Devincta saxo mergitur sub flumine.
Ex quo triumphans scandit nunc aethere
Germanus ejus principalis Tiburis
Lectum cubare audentes Eugentias,
Terraeque mandat membra condit terrea
Aurora Phoebum ducit alto ut limine,
Septem imperator mandat inde stipites
Illuc itaque nexos Symphorosae filios
Ut onerari se jugis cruciatibus :
Tenat trochleis, tunc Crescens gutture
Exanimat, atque Julianus pectore,
Nemesio sub corde ferrum conditur,
B Per umbilicum Primitivo figitur :
Justinus omnes tractus artus scinditur
Cunctisque carnis vita frenis solvitur ;
Silva inde Stacteus fusus alte ferrea
Ab splenditorum turbine intrat aethera
A pectore alvum fissus hic Eugenius
Exutus iste astra membris ducitur,
Moestis eunte in crastinum pugilibus
Titane, demerguntur alta ab hostibus
Fovea sacrata lancinatu corpora ;
Septem vocarunt ad Biothanatos locum,
Claris piorum lucidi victoriis.

CAPUT VI

De sanctis Seraphia et Sabina.

Tempore virgo sub hoc Seraphia passa refulget,
Sanguine quam generis signavimus Antiochenam,
Illam, dum laribus fovet hospes clara Sabina,
Juncta Valentino, quondam est laeta decori
Principe sub metallorum praesignis Herode
Praesidis audita rapiunt Beroae officiales ;
Facta viro praesens, diis sacrificare jubetur.
Illa : « Deum timeo, Dominum colo cuncti potentem,
Qui coeli terraeque sator ; non numina vana
Queis libare jubes, non dii, sed daemones exstant ;
Nec licet his orare mihi, quae servio Christo. »
Namque fidem robustis dictis attollit apertis.
Lascivis stupro geminis mandatur ephebis,
A quibus obscuri in penetralia ducta cubilis
Clauditur, atque petunt incestu attingere castam,
Intima concusso tellus eliditur antro.
Exanimesque ruunt omni virtute relicti.
Ast ubi jam rutilans terris aurora virisque
Purpureo vehit ore diem, cognoscere factum
Praesidis ingressi sanctam invenere ministri
Instantem precibus, stratos ut morte petulcos ;
Namque opus aethereum mirantes undique multi
Visere concurrunt, praeses jubet ante tribunal
Victricem subigi, ferrique stupore jacentes ;
Quos votis tetigit mandatis virgo probatis :
« Surgite, et in Christi consistite nomine recti. »
Actutum, velut excusso pulsoque sopore,
Incolumes surgunt pedibusque insistere gaudent
Cognitor, ut mulier, rogitat, mutaverit illos.

Amentes dederit, virtute resolverit acta.
Illi : « Sol velut ingressus resplenduit alte,
Praecellens juvenis mirus visuque decorus,
Nos inter qui se objiciens istamque puellam,
C Defectu fulgore suo nos atque tremore
Concussit. » Judex iratus subdere divis
Praecipit hanc animum, quod agat nisi, flamma minatur
Patris. At illa : « Tui Satanae nunquam impie jusso,
Christi praecipuo quae nomine laeta resulto. »
Lampades invictae jubet apponantur utrinque
Ardentes lateri ; maturantesque ministri
Pone cadunt, forti rabiem vincente puella.
Attollensque iterum caput, hoc exsibilat anguis :
« Pare clam, biothanata, et magi, legibus aequis
Effugere ut valeas poenas consultior atras. »
Illa : « Biothanatos reddi vos esse probatur,
Praestigiisque nigros, vivum verumque negatis
Qui Dominum, larvasque colendo peribitis ipsi
Haerentes ; ego supremo Dominoque Deoque
D Offero sacrificans, me me dignetur ut ipse
Sumere, peccatrix licet, at sum vernula Christi. »
Caeditur hinc duris robusta virgo bacillis,
Ponderibusque flagellatis humus intremit ictis.
Et pavefacta palam collidere virga puellam
Frangitur, ac valido nimium petit impete diri
Praesidis, atque attrita gravi pupilla dolore,
Caecum corde notat restincto lumine lusum.
Ille furens orbi demptae lucis acriter ira,
Lege velut posita capitalis ut alto tollat,

Temnentem dictat proceres et publica jura,
Dans magicis patrata Dei virtute figuris.
Hunc rursus metam mox clara Sabino petentem
Prosequitur Christi fidei devincta per ipsam,
Cui præses : « Quid dedecoras, velemque fateri
Hæc temet quo Christicolis connectere cultu,
Conjugii monimenta decusque oblita parentum,
Aspernansque deos quorum te incurrere motus
Horreo ? Quin remea propriasque revertere ad ædes,
Atque relinque magam quæ multos artibus atris
A cultu removens fecit secedere divum. »
Alma Sabina : « Hujus, pravam quam fare, puellæ
Artibus o suasus, veluti sum suasa, valeres,
Impia spurcorum simulacra probare deorum,
Et verum cognosse Deum qui, præmia justis
Æternæ tribuens lucis, dat Tartara pravis. »
Hæc ad verba verens præses sinit ire Sabinam.
Virginis illa piæ finem palmamque triumphi
Exsequiis celebrans dignis claroque nitore,
Reliquias capiens pretioso munere claustrum
Condecorat mausolei sibi rite parati ;
Hancque interpositis aliquot compræsa diebus,
Sistitur Elpidio, censor qui his hanc rogat orsis :
« Tune Valentini quondam præclara Sabina
Uxor, et illustris proles Herodis haberis ? »
Illa : « Ego sum, grates Christo laudesque rependo,
Qui peccatricem me sordibus eruit atris,
Serva nitens ejus dum me Seraphia vinclis
Absolvit lemurum, Dominum dans noscere verum. »
Quem bile incensa sententia judice dicta,
Prætentis procerum probris templisque deorum,
Et cædi gladio fortis decreta Sabina,
Egregiæ dotes titulis fiscalibus addi,
Cujus ab illustris meriti sublata locantur
Membra viris ipso quo condiderat veneranda
Ossa suæ tumulo fidei pugnæque magistræ.
Arcus Faustini, Jovis area Vindiciani.

CAPUT VII
De sancta Sophia et filiabus ejus.

Virgineus decor hic trino splendore coruscus
Martyrii meruit nexa radice coronam,
Tunc Charitas, Spes, atque Fides cum matre Sophia.

CAPUT VIII.
De sancto Eustachio.

Fertur eo Eustachius, Placidus cognomine dictus,
Turbine cum genitis simul Agapio, Theopisto,
Juncta uxore, triumphalem meruisse nitorem,
Quorum actus mira stupidi ratione leguntur.
Militiæ princeps captus dum figere cervum
Appetit, ut fuerit Domino venante sequacem,
Ut data perdiderit terreni munera census,
Insuper uxorem, natosque, et pauper in agris
Ruricolæ ediderit vitam mercede laborum ;
Quomodo quæsitus, qua post indagine visus,
Militiæ antiquo sit restauratus honori ;
Repperit ut natos sociamque abiturus in hostem,
Quique triumphatis reduci redit hostibus ense,
Contemnensque deos, fana aspernatus abire,
Traditus ut belvis abiit veneratus ab ipsis,
Clausus cum genitis nuptaque Phalaridis igne
Ut simul astra petit tormento illæsus aheno.

CAPUT IX
De sancto Eleutherio et Antia.

Tunc Eleutherius virtute et sanguine clarus,
Messana celebri præsul pietate regebat,
Qui fervore Dei castoque decore venustus
Captantes ubi se captans dat sub juga Christi.
Ignitum Chalybis lectum, pro laude Tonantis,
Ferventis pice, pinu, oleo sartaginis ignes,
Craticulæ prunas robusto pectore vincit,
Expositusque feris superat pietate leones.
Sic gladium jugulo rapiens cum matre recedit,
Antia quæ felix felici pignore gaudet.

CAPUT X.
De apologia Quadrati et Aristidis, et remissione persecutionis.

Dum bacchans passim per rura, per oppida talis
In sanctos vice grassatur violentia legis,
Fontis apostolici restabant dogmate clari,
Insignesque viri, quorum Quadratus herilis,
Effultus fidei doctrina et flamine vates
Sidereo, scriptisque viam propugnat et ore ;
Quique apologetica pro relligione volumen
Christigena serie expediens illustre, vigore
Id veri vallans Adriano offerre sategit.
Tunc opus et quoddam egregium ratione nec impar,
Præmissi ætherea redolens Aristidis aura,
Suscipit hic princeps nostræ sub laude fidei.
Præsidiis et graii [*cod.* 2granu] capiens consulta Sereni,
Re super hac mites, non impellente reatu,
Christicolas sceleris puniri cernit iniquum ;
Damnari illicitum censens sine crimine nostros,
Mox face flagitii furiatos cæde repressat
Summa Judæos, ultus quos excruciabant
Sanctos quod socii sibi non traherentur in arma
Romanos contra ; Solymaque hos arcet, eamque
Restituens muris cedit cultoribus almis,
Et patet his patriæ meritis sine more vocatus
Priscorum conjux Augusta, favente senatu :
Sed victor bellis rem legibus ordinat æquis.

CAPUT XI.

De Telesphoro et Hygino PP.

Post Sixtum Romæ solium Telesphorus ornat,
Juris apostolici delectus ut anachoreta
Angelica populos quam vasta per egerat arva
Instrueret vita, sobrii qui tradere belli
Instrumenta viris fervens, præcedere sanctum
Quæ tenet Ecclesia statuit jejunia, Pascha :
Natalis peragi Christi mysteria nocte.
Tertia nec præter nisi candeat hora diei
Qua crucis æthereus subiit miracula fulgor,
Hymnus et angelicus monet inter sacra resultet.
Hinc martyr renitens claroque in fine triumphans
Conditur ad sancti sanctus sacra pignora Petri.
A Successor clerum disponit et ornat Hyginus ;
Hac quo perfuncto per quatuor initur annos
Sede, Pius vita celebri cognomen honorans,
Pastoris frater pietate ornatus uterque.
Istius sub episcopio librum edidit Hermes,
Quem primæ Pauli schedæ mandata salutant,
Angelici sibimet monitus data jussa revelans :
Pascha die trahit a Domino qui nomen agendum
Schemate pastoris, hoc cœlicola imperitante,
Quique legi Graius solitus per publica templa,
Credi Hieronymo dignus testante libellus.

CAPUT XII.

De Novato et Pudente.

Hoc nituere viri egregii sub præsule plures :
Namque superstes adhuc florebat honore beatus
Lucis apostolicæ radians splendore Novatus,
Timothei frater, Domini usque suprema minister ;
Ille Pudens etiam cognomine et arce pudoris,
B Discipulus Pauli, titulum qui nomine sancti
Pastoris claræ fabricæ construxit, honore et
Dogmate apostolico sumptum baptismate cultum
Insontis tunicæ ad finem servavit honestum.

CAPUT XIII.

De sanctis Praxede et Potentiana.

Hujus Pudentis sanctitate præclues
Praxedis ac Potentiana filiæ,
Quas luce Verbi et castitatis educans
Servire Christo destinavit virgines ;
Quæ post parentis excubantes transitum
Oratione, laudibus, jejuniis,
Vitam benignis excolebant actibus,
Suum erogantes omne Christi pauperum
In sublevatione patrimonium.
Fontem lavacri fabricata in regia
A patre Pastoris beati nomine
Struxere earum quo niterent vernulæ ;
Quorum hic pius rutilante Paschæ lumine
Novies decem sacravit, et sex gurgite
Splendore libertatis omnes præditos,
Sequique Christi in bella signa promptulos.
Istis sorores inclytæ virtutibus,
Post patris æra pauperum per viscera
Christi refusa, post agones plurimos
Cœlum petunt pro castitate exercitos,
Pii laboris munerandæ præmiis,
Cœmeterio decoræ Priscillæ edito
Secus Pudentis ossa patris conditæ.
Postquam piornm multa bustis comere
Studuere membra glorioso funere.
Hæc inter almum martyrem Symmetrium
Cum bis decem duobus et sodalibus
Praxedis aptis texerat mausoleis,
Quos Cæsar Antonius ensis impii
C Pro laude Christi cæde fecit obrui.

CAPUT XIV.

De sancto Alexandro episcopo et martyre.

Princeps hic atrox post Neronem Ecclesiam
Jam persecutione quarta fervidæ
Crudelitatis jussa spargens atterit,
Sub qua piorum honore sancti nominis
Cruor profusus plura mundi in climata
Miraculorum gloria clarissimum
Hæc martyrem dat sanctum Alexandrum polo.
Virtutum huic rumore latum cognito,
Quodam cadaver algidum sub tempore
Functi hic parentes admovere, crederent
Illi rependunt, præbituros se fidem
Christo rigentem si resolvat funere ;
Vitæ beatus vota Regi destinat,
Dein gelato præcipit cadaveri :
« In Patris, aiens, unicique Filii
Sanctique surge Spiritus vocamine. »
Hic excitatus voce celsa hæc promere :
« Audite, cœpit, vos parentes, et simul
Plebs universa : ductus a teterrimis
Duobus ora turbidis Ægyptiis.
Puteique missus sum loco obscurissimi ;
Veniente ephebo sed repente splendido,
Locus tremore totus ipse tunditur,
Clamatque juvenis ille fulgidissimus :
« Puerum sine ulla mox mora remittite,
Famulus Dei quod hunc Alexander vocat. »
Et en reductus, cernitis, sum corpori.
Nunc, domine, lympha tinge Alexander pia
Me, ne videre detur, hunc quod hac die.
Nomen resuscitati erat Luceius,
D Cum quo sacrati fonte fulgent cœlico
Centum et quaterna neophyti proportio.

At fama sanctum ubique dum respargeret,
Hac motus Antoninus electum Dei
Corneliano dat tenendum præsidi
Ille hunc celebrantem et docentem mystica
Ad jussa prendit incitati principis,
Agitque Romam denotandum Cæsari,
Manus revinctum cui beatum suggerit.
Alto rogatus ut perorat syrmate,
Christi supernæ veritatis in fide,
Duro jubetur macerari robore ;
Dein nigranti surrigi custodiæ :
Quo deditis meante cum custodibus,
« Cæsar reclamat quattuor dies tibi
Induciarum dantur his cultus tui ;
Explode vanitatem, et ultro nos adi. »
« Jam præterisse (martyr) æstima dies
Hodieque comple quæ retractas tormina »
Crescentianus hunc secutus presbyter
Valentiano junctus et Bonifacio.
Cæci beato clauso horrore carceris,
Quadam sedebat ejulans sub arbore,
Luctum secuto qui sopore marcidus
Curas ferentem contuetur angelum
Hæcque intimantem : « Roboravi præsulem
Vestrum, resolvens visitando vincula ;
Et nunc cavete jam sedere sub arbore
Ne vos tyranno forte prodat nuntius. »
Eductus hinc antistes e custodia
Crudo exhibetur lancinandus principi.
Pensus catasta dissecatur unguibus
Laterumque flagrant ustione lampades ;
Ista et triumphans ductus atque Apollini
Ut orsa voti celsa agit trans sidera
Pars cum deo perculsa fani labitur.
Cæsar, dolosis imputans hæc artibus,
Sanctum ferinis dat vorari dentibus ;
Quem belluarum nulla dum contingeret,
Calore summo ardere fornacem jubet ;
Indutus ille fervidis candoribus,
Medio precem securus fudit ut rogo,

A Nullum calori restitit vestigium,
Fornace læto colligata martyri
Caput recidi mox tyrannus præcipit.
Unus ministrorum, ore verba proferens,
Exclamat, [illegible] hodie [illegible] :
« Crudelis Antonine, capte sensibus
Tyranne, cur sic cæcus et surdus riges ?
Christi ecce servus post acutas ungulas,
Victas catastas, ac flagrantes lampades,
Post ungularum tormenta, et idoli
Templique casum, post leonum turbida
Ursorum et ora clausa, fornacis rogum
Post enecatum, lætus ense expetit :
Verum Deum quis esse gaudens ambiget
Qui tam suos vigore celso roborat ? »
B Quem Cæsar, iræ plenus, ut cruciatibus
Variis fatigat, ense tandem percutit.
At immolandus præsul obviam sibi
Viduam precatur commodare orarium ;
Sumptoque, sanctæ se crucis signo tegens,
Tunica retectus, stansque sola in linea,
Oculos amictu mutuato contegit,
Genibusque flexis haurit impetum necis
Viginti ab Urbe segregatus millibus.
Mox facta terræ convibratæ motio
Thermas et omnis tecta vici subruit :
Orariumque feminæ quod proditum
Iniquitatis milites astruxerant ;
Quodam ferente pusione redditur,
C Quem cœlicum fuisse constat incolam ;
Quem mox resumens cum stupore linteo,
Confessa Christum fert honorem martyri
Crescentianus et sodales præsulis,
Pandente eodem, consecuti pignora,
Loco locarunt quo camini fervidos
Pressit vapores, dantque marmor continens
Nomen beati, dignitatem, limitem.
Cui papa cryptam construens post Damasus,
Illo decenter ossa sancta transtulit

CAPUT XV.

De sancta Felicitate ac filiis ejus.

Vexatione vicit hac Felicitas
Dilecta Christo consecrando pignora.
Uberrimam post læta dans poma arborem.
Præfectus hanc conatus arte vertere,
Mulcet serenis, ac minatur aspera.
Serena, sæva, blanda ducens tristia,
Huic reddit illa : « Nec resolvi mitibus,
Nec quibo frangi sævientis asperis,
Nec me supernus occupari Spiritus
Sinet aucupantis proditoris retibus ;
Secura quare sum superstes vincere,
Etsi trucider, te triumphabo integre »
Præfectus, inde bella matri comparans,
Die resedit Martis in foro altera,
Hancque exhiberi prole septena jubet
Stipatam, et indulgere natis admonet.

D Ad quem beata his utitur Felicitas :
« Crudelitas tua, lenis exhortatio,
Pietatis hujus impia est miseratio. »
Hinc versa charos convenit sic filios ;
« Videre, nati, cœlum, et intuemini,
Hic Christus almo sustinet vos cum choro ;
Pugnate vestri pro salute mentium ;
Ejus fideles vos amori pandite, »
Alapis ad ista hanc concuti dat Publius,
Et convocans litare suadet liberis,
« Hortaris, infit, stulta Januarius ;
Conservat autem summa me sapientia,
Dabitque cuncta vestra vinci tormina. »
Vibice plexum hunc censor abdit carcere,
Felix secutus : « Unus est quem novimus,
Cui vota puræ servitutis solvimus ;

Ne credite nostri charitate devidi
Nos posse Christi, sæviant si verbera,
Nec nostra vinci nos potest verti fides. »
Philippus inde: « Quos vocatis vos deos
Nec sunt potentes, nec habentur numina;
Simulacra vana, spurca saxa inania
Sunt; his subactos stat perire in æternum. »
Silvanus inquit: « Ista si probaveris
Tormenta nos timere transitoria,
Æterna victos auferent cruciamina:
Non scimus regnis splendeant quæ præmia,
Quæ sint iniquis constituta debita:
Ideo leges terreas contemnimus,
Obtemperare cœlicis contendimus. »
« Sum servus inde Christi Alexander Dei;
Hunc ore fassus corde firmo credulus;
Indefessus ter oro, supplex poscendo
Interea quam teneris ætas corpore
Canæ nitela permicat prudentiæ. »
Vitalis exin: « Ille vivit qui Deum
Verum precatur, haud regat qui dæmones. »

A Tum Martialis: « Qui Deum verum abdicant
Cremantur ignis flamma inextinguibilis. »
Hæc proserunt martyres pro strenuis,
Regis supremi judicisque sæculi:
Amore fratres ac timore fervidi,
Censor litteris dicta legat principi;
Quos ille pœnis inferre decernit
Per differentes dat direptos judices.
Post sæva quorum flagra Januarius,
Post carceralia vincla plumbo cæditur;
Felix peremptus cum Philippo fustibus;
Silvanus alto vergitur fastigio;
At Martialis atque Alexander pii,
Vitale juncto, colla secti demigrant
Vitæ perennis subituri gloriam.
B Post passiones tot quot edit pignora
Parens beata plectitur novissima
Et prole cœlis obviante prædita,
Regis superni permeat palatia
Sumptura certa præmiorum gaudia.

CAPUT XVI.

De sancto Concordio.

Hac cæde Spoletana sanctum civitas
Cædis sacravit martyrem Concordium.
Hic patre Romæ Gordiano gignitur,
Qui constitutus fuisse olim præsulis
Pii ordinatione subdiaconus,
Titulque post Pastoris sanctus presbyter
Vixit superna servante nobilis
Precibus benigne Iulius ac jejuniis:
His inde degens, his tenebris eruditans,
Cum prole fulcris pauperum instans sedulus:
Hunc qui beato commonerent Eutychi
Suo moranti in prædio Salaria
Mittit volentem celsa scandere filium.
Quidam morans in urbe Spoleto comes,
Torquatus, horum lividus præconiis
Beatum ab agro devocat Concordium
Quæritque sciens quo vocetur nomine.
Respondit ille Christianum se fore [pro esse]
Comes: « Require nomen, haud Christum tuum. »
« Sum Christianus, iste, Christum prædico. »
Urgetur ad profana fortis in fide;
Dorat severis dorsa cæsus fustibus.
Postmodum beatus Eutyches cum præsule
Veniunt rogantes judicem pro martyre.
Aliquot que poscunt hunc sibi diebus dari
Comitis favore (*cod.* 2, favorem) forte præsul Antonius
Petita sumit, ordinatur presbyter
A quo diebus præstitis Concordius,
Et consecratus restituitur judici:
Circa salutem quod volutum poscitur.
« Salus at ille Christus, inquit, est mea,
Cui laudis ipse sacra semper offero. »
Comes, furore plenus, appensum diu
Torquet; dat inde ferro onustum carceri,
Solatione quo levatur cœlitum.
C Tribus peractis in catenis noctibus
Superare mentem corpus aut fervens comes
Legat litantem cæde mentis qui necent,
Vel respuentem cæde carnis immolent
Missi irruentes libet ut satellites
Jovis ferentes imperant statunculum
Stricto vel ense colla sectus appetat:
« Tibi rependo, Christe Jesu, gratias. »
Animoque celsus in Jovis vultum spuit
Confessione fretus alti nominis
Caput recisus ense, mentis integer
Emittit astris glorantem spiritum,
Glebam relicti colligentes pignoris
Gemina benigni charitate clerici
Juxta recondunt lota cæde mœnia,
D Locoque eodem fonte vitæ profluì
Unda liquoris excitantur plurimæ

CAPUT XVII.

De sancto Pontiano.

Hic Pontianus Fabianum turbine
Sub hoc triumphans sæculi cum lumine
Christi supernæ particeps fit gloriæ.
Interrogatus quod sibi vocabulum:
« Mihi Pontianus [inquit] a parentibus,
At majus illo Christianus nomen est. »
Iratus orsis, Fabianus exin
Virgisque cædi Pontianum præcipit.
Cæsus, cruores dum fluere humus sentit,
Nudis jubetur fervidas vestigiis
Pressare prunas. Martyr inquit: « Ambulo
Christi mei virtute fervorem hunc super. »

A Calida manum tingue Jovis in nomine
Dictis refusus ille suspensum jubet
Uncis athletam lacerari ferreis,
Atrocitate dum fatiscit carnifex;
Deinde trusus cæcitate carceris
Corroboratur a Deo datis viris.
Item, reductus ad duellum, exponitur
Spectante binis oppido leonibus,
Qui, mansueti martyris facti fide,
Vitant beati membra testis tangere.
Cœtus tuens hæc: « Christianorum Deus,
Exclamat, altis magnus est clamoribus. »
Iterum beatus carcere remittitur;
Bis sex diebus hunc tenebris obsitum
Homines vetantur allevare affatibus.
Nequit sed alta cœlicorum charitas
A Claustris repelli, vel coerceri seris;
Quin cui dapis negatur esca terreæ
Supero ministrat ferculum solamine,
Cœlique pascens roborat saturamine.
Isto dierum devoluto tempore,
Dum jam putantes hunc lanistæ mortuum,
Auferre corpus se latebris ingerunt.
Laudes canentem perstupentes audiunt,
Eductus actus est grabato ferreo,
Plumboque dorsa sparsus igne fervido;
Dum parvipendens ista ridet arduus
Bellator, alta mente calcans tormina,
Confusus edit censor atrox prælii
Mucrone metam: sic, minutus vertice,
Martyr supernæ regna scandit gloriæ;
B Gaudent recepto consodales pignore.

CAPUT XVIII.

De ultione quartæ persecutionis.

Turbo volans hic dividuus sola Gallica quassat
Atque Asiæ, multosque fero tortore coronat
Sanctorum validis vincentum terrea bellis.
Pestis at insequitur regionibus acta per orbem
Romanis, tabo inficiens data corpora morbo,
Vermibus atque adigens, olim ceu regna Canopi
Improba corrupit verme atque putredine musca.
Missa lues ipsam mox, quæ caput impietatis
Exstitit, Ausoniam vasta sic clade trucidat;
Qua sine ruricola passim rura, oppida, villæ,
Desertum, silvas, magnas et versa ruinas,
Occiderint acies late cunctæque phalanges
Romuleæ, longinqua procul hiberna colentes,
Vindicis absumptæ tanto fervore feruntur;
Utque exorta crepant mox Marcomanica bella,
Nonnisi delectu fuerint tractata recenti,
Quem struxisse datur Marcus tres jugiter annos.

CAPUT XIX.

De pluvia et victoria militibus per invocationem Christi concessa.

Hæc Christi virtus Domini moderata probatur,
Non nostris tantum, externis quin relligione,
Castrorum ut retegens ductoris epistola signet:
Qualiter exusto cuneis sitientibus arvo,
Undique dum circumfuso premerentur ab hoste,
Clausis barbarie mortem cœloque minante,
Christicolæ athletæ quidam, pietate vigentes,
Poplitibus flexis in publica vota profusi,
Imbribus obtentis sedarint nubibus æstus;
Cœlo deductis satiarint agmina nimbis,
C Fulminibus hostes ac cœlitus igne fugarint
Crebrius expresso, legionem et ab inde vocatam
Fulmineam, per quam victoria milite pauco
Parta quidem, at multa Christi bonitate tributa,
Priscis Romulidum nullis æquanda tropæis,
Juris inexperta bellorum gesta cohorte.
Culminis at Christi solito patrata vigore

CAPITULA LIBRI QUARTI.

INCIPIT LIBRI QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De sancto Apollonio.

Flamma duelliferi paulum sopita vaporis
In nostros tentat recalescere Commodus orbi
Dum imperitat, magnis jam complectentibus almæ
Jura viris fidei, Christique nitentibus armis,

Lecis Apollonius quorum virtute eluebat,
Christi cum cultu sophiæ, Romæque senator.
Crimen huic vetitus Christo pollere magistro
Ille palam verum non abnuit edere, tractans
Coram verba fide super, assentiente senatu,
Inque volumen agit nitido sermone rogatus.
Utque pates meruit Gellios crasse catervis,
Nec data et caput abscidi sententia mandat.
A Hoc apud hos veteri jam dudum lege tenente,
Christicolas semel oblatos, ni vera refitent,
Haud impunitos ulla ratione remitti;
Lex quam grata! mori justus pro crimine veri,
Vivere falsidicos, verumque nihil negantes;
Quodque probes verum damnare, admittere falsum,
Perdere virtutem, sine fronte attollere crimen,
Virtutem, vitium; crimen defendere verum!

CAPUT II.

De sanctis Pontiano, Eusebio et sociis eorum.

Tunc Pontianus, Eusebius et compares,
Vincentius, Peregrinus, alti martyres
Macti lucratis subiere sidera,
Qui cessa cœlis intulere terrea,
Primo expediti sumerent ut cœlica,
Et lucra cœlis ut quæant impendere.
Centuplicanda student talenta expendere
Queis mox sodalis additus sequitur
Regi superno Julius domesticus
Rufinus unda quos sacravit presbyter,
Doctus magistris integris fit integer.
Miles senator Regis alti, et particeps
Regni caducis quod paravit copiis
Onerosa cœlis tramitis docentium,
Tradens egenis per manus obstacula,
Dans terrulenta, et comparans cœlestia,
Fugitiva spargens, sempiterna colligens.
Quod imperator acre sumens Commodus
Jubet hunc teneri iratus, et Vitellio,
Peditum magistri, tradit audientiæ,
Opes requirat eumque flectat doloribus;
Tribus dat ille quem diebus carceri,
Posthac catenis mandat actum assistere.
A quo orsa capiens alta, dura, vivida,
Cædi severis tandiu egit fustibus,
Dum liberum transmittit astra spiritum
Senior supernæ dedicatum curiæ.
Et magistri corpus almum colligunt,
Interque busta collocant Calepodii.
Hinc comprehensi cognitore Vitellio,
Dum penseles librantur equuleo eminus,
Nervisque distenduntur artus fortibus,
Crudeliterque macerantur fustibus,
Flammisque latera conflagrant atrocibus.
Fertur ista sub palæstra carnifex
Stantem mederi Antonius cum spongia
Juvenem piorumque allevantem vulnera:
Clamatque: « Deus est Christus quem prædicant; »
Clamat, deinde clanculum petit fugam,
Quem confitentem fonte Rufinus sacro
Lavit. Reversus ad tyrannum libere
B Dum Christianum se fatetur, plectitur,
Juguli que ad astra mittitur sententia,
Viaque terræ lata membra Aurelia.
In laude Christi immota stat sodalitas
Robusta, seu suspensa, seu remissior,
Nec fracta duris, nec subacta mollibus.
Furiatus ergo censor abscindi ferus
Plectrum beatæ vis Eusebio jubet;
Sed jura Christi internecare non valet,
Datorque linguæ suffit oris munia,
Et absque lingua verba linguæ procreat,
Clamatque sectus voce testis integra:
« Tibi sempiterna, Jesu Christe, gloria. »
Septis retrusi post agonem carceris
Laudes datori personant victoriæ.
C Sic dum diebus ac resultant noctibus
Quidam sacerdos Lappulus Capitolii,
Obsessus annis cæcitate quattuor,
Venit tenebris et recedit lumine,
Illuminatus corde, cernens corpore.
Ergastuli patrata Simplicius videns
Servator, aris dæmonum renuntiat,
Passusque Christum mente lotus candidat
Quæ gesta judex nuntiat dum Commodo
Ut puniantur mandat ille concito.
Post ad coronas evocati martyres,
Scelerata fertur petra qua metam petunt
Illicque plumbo vota cæsi corpora,
Molesta linquunt, læta scandunt donata.
Quorum resumens membra Rufinus sacer
D Sexto recondit ab Urbe milliario.
Mucrone Mediolanus hoc sub tempore
Faustinus ictus transit astra sanguine.

CAPUT III.

De vindicta præfatæ crudelitatis.

Impietatem regis Urbis ultio
Secuta, divo convibratur fulmine,
Ictuque tectum quo flagrat Capitolium
Incensa bibliotheca majorum nitet,
Ædesque juxta concremata consitæ;
Potius subinde consecutum incendium
Vasta æde Vestæ nobilique palatio,
Stravisse partem fertur Urbi plurimam.
Incommodus hic Urbi et orbi Commodus,
Hominumque judicatus hostis publicus,
Furore plebis strangulatus sternitur.

CAPUT IV.

De sancto Aniceto papa et Egesippo doctore.

Pontifices post præmissus in culmina sedis
Lectus Anicetus Romanæ, sacra venustat
Jura, coma clerum prohibens sub dogmate Pauli ;
Martyrioque coronatus subit astra beatus,
Cujus temporibus Romam Egesippus opimus
Ingreditur doctor, jussis sectisque Platonis
Qui prius imbutus, sæclique sophismata callens,
A Dum præstare videt Christi super omnia cultum
Sectarum censor melius legit assequiturque,
Doctrinaque initet veri, gestisque fidelis
Excipitur testis, qui tempora pariter orti
Explanans, Evangelii sine fraude patrata
Prosequitur, Christumque libris et prædicat actis

CAPUT V.

De sancto Polycarpo.

Tunc Polycarpus, apostolico radiatus ab ore
Luce Dei, auditor consectatorque Joannis,
Lumine Romuleas divino illuminat arces,
Legitimo fidei revocans certamine plures,
Lusoremque tuens Satana patre denotat hostem

CAPUT VI.

De sancto Sotere, Eleutherio atque Victore PP.

Soter Anicetum sequitur, qui dimovet aris
Femineum quamvis pollentem robore sexum.
Quo patribus juncto, succedit Eleutherus. Hujus
Lucius indiculis rogitat rex jussa Britannus,
Fonte pio ut Christi fieri mereatur alumnus
Hic censet, ne Christicolis quæquam esca putetur
Non fore munda, hominum mundam quam judicat [usus.
Ecclesiæ post hunc disponit regmina Victor,
Et cum præsulibus sanctum confirmat Eois
B Pascha die fieri, sacram Surrectio Christi
Quam facit, atque jubet, fuerit si forte necesse,
Gentilem Christi fidei mysteria fassum
Sacrari quocunque loco, fluctuve solove (*ms.* 2. salove)
Edita membranis hinc linquit opuscula casta,
Martyr et egreditur Christum insectante Severo.
Qui late quintus post dirum jussa Neronem
Dispersit sanctos truculenta cæde necari,
Qua variis multi regionibus astra pararunt,

CAPUT VII.

De vindicta quintæ persecutionis.

Nec sedit vindicta diu, civilia nam mox
Bella crepant, quæ terna ruunt trinoque fragore
Romani quatiunt vires muniminis amplas
Adjumenta rei sternentia, non minus olim
Ac sternit jumenta lues quæ quinta Syenes
C Regna terit Christo sacram turbantia plebem.
His licet intercisa malis haud pressa procella
Turbinis, hæc penitus quin tensa et incita dum orbi
Regnat Alexander multosque polo erigit ense.

CAPUT VIII.

De Zephyrino papa et sancto Calixto.

Victoris Romæ Zephyrinus jura capessit,
Ordo sacerdotum et sacræ mysteria mensæ
Quo decorante nitent, proprioque reconditus antro
Traditur hoc coram Proculus Cataphryga victus
Christi lege, viro Gaio tractante diserto.
Erigitur Petri post hunc in sede Calixtus,
Sanguine Romanus, patria regione Ravennas
Quattuor hic statuit jejunia sacra quotannis
Temporibus recoli, vitari murmura plebis
Doctorem contra, probrisque cavere minores
Majorum, neque damnatis consortia jungi,
Atque statuta Patrum non permutanda piorum,
Contentumque suis externa incessere nullum
Munia : mutari sedes quo jure sinuntur ;
Quæ super incestis reliquisve sequenda probrosis :
Qui rite accusare queant testeque probentur ;
Utque sacerdotes lapsi de crimine surgant.
Basilicam populo Tiberis trans edidit amnem,
Atque sepulturam qua multis Appia carnis
Martyribus sacris dat præsulibusque quietem :
Laudibus inque Dei addebat noctesque diesque.
Instante hoc precibus Domini pro plebe levanda,
Deque lacu mortis populo tetrisque tenebris
Vellendo, retegit devoti audisse Redemptor
Servi vota Deum, pandens vertenda sacella,
Humanumque genus læva quod lege premebant
Sævis raptandum manibus ditionis iniquæ,
Pertulit ergo Jovis summum inter cætera fanum
Cujus magna ruens verum manifestat ab austro
Admitti solem tenebris pars luce recepta ;
Figmenti liquefacta manus vanescere pravi
Dæmonis imperium promit, fluere omne profanum
D A facie Domini contraria regna terentis.
Diales aris rogitant libamina ferri,
Placarique deos fit jussio cæca furentum,
Mactantur pecudes mulcere sacro spurcamine certant,
Dumque umbras mulcere sacro spurcamme certam,
Fulmina dat cœlum sine more allapsa serenum,

Sacrificique ruunt ante ipsas fulminis aras
Cælestis subita vi quattuor exanimati,
Atque poli flammis ipsum Jovis uritur altar,
Et pateat non esse Jovis cælestia tela.
Caligare dies, obducere nubila cœlum,
Præsentemque reis mortalibus omnia mortem
Ostentare. Urbs ipsa, polo pugnante, putata
In subitas orbis victrix abitura favillas.
Suadet mox fugam trepidis timor Urbe relicta,
Dumque metu vada trans abeunt Tiberina monente,
Securum rerum Domino sua vota Calixtum
Laudibus inveniunt dantem, lætisque vacantem
Carminibus. Consul propere Palmatius istud
Pandit Alexandro, qui mox delegat eidem
Cogere Christicolas aris, vel subdere pœnis.
Ille decem de militia, parere paratos,
Devincire viros, clerumque Patremque Calixtum
Mittit ; at ut subeunt qua concio lucis agebat,
Pectoris obscurum vultus caligine produnt,
Indignoque videre queant ne lumine sacra.
Frustrati nimio conspectu, lumina ponunt
Territus his consul regi patrata revelat
Præsentatque viros, caute quos ille renoscens
Intuitu, atracis hæc deputat acta venenis.
Consul ad hæc : « Magicis si fraudibus ista gerantur,
Virtutes ubi sunt nostrorum et numina divum ?
Quin jubeat tua dis pietas libamina ferri,
Publica res pessum ne horum per carmina detur. »
Mercurium monet Augustus per sacra rogandum,
Propositaque die cuncti præsto esse Quirites
Prodenti secreta deum præcone jubentur.
Pollutis pecudum sanguis dum funditur aris,
Indomiti inde cadunt vituli, porci inde necantur,
Inde sacerdotes Bacchi per delubra misti
Lymphantur, rapitur torto virguncula divo,
Exclamatque palam : « Vivus verusque Calixti
Est Deus ; indignans harum contamine rerum
Imperium teret hic vestrum, quod vana petatis. »
His stupidus captis Palmatius dicet almum
Pontificem Petri accedens, vestigia pronus
Astringit : « Cognovi, clens, Dominumque Deumque,
Digno jure cœli Christum, quem dæmones acti
Passi sunt hodie ; quare, conjuro per ipsum,
Eripe me cultu larvarum, almique lavacri,
Quo renitere doces justos, me dilue lymphis. »
Præsul ubi hæc puro probat hunc depromere corde,
Instruens catechizat et jejunia more ;
Totus ut albificis mundusque resurgit ab undis,
Exclamat : « Vere manifestum lumen Jesum
Conspexi, supero qui me illustravit honore. »
Gignuntur geniti Ecclesiæ, conjungitur uxor,
Abluiturque domus famulorum grata caterva
Quinquaginta duo discreti limite sexus.
Inde facultates sanctis expendere egenis
Quæsitis certat, victum tegimenque ministrat.
Post triginta dies hunc Cæsar quærit, et audit
Christicolam factum, mandat sibi sistier actum,
Tentus Torquato quodam insidiante tribuno,
Truditur in Mamertini caligine claustri.
Tres post inde dies vinclis adducitur ante
Cunctus Alexandrum, solvi quem præcipit ille ;
Solvitur, haud exarmatur, tunc induperator :
« Siccine, Palmati demens, heu ! fictus haberis,
Ut linquens divos hominem sectere sepultum. »
Cui diversa inter consul data talia reddit :
« Nescius infelixque olim per vana vagabar,
Nunc verum noscens Dominum Christum expeto supplex
Parcat ut errori tenebris hebetudinis acto. »
Ille dolo ridens tradit claro arce senatus
Simplicio, revocet divûm per mollia turis
Præcipiens, blandisque adigat, dum turbida vitet.
Quo de lenifico celebrique exceptus honore
Excubiis precibusque pius jejunia comit,
Summum orans lacrymis Patrem Genitumque profusis,
Priscarumque petens veniam ex errore viarum
Accedit quidam interea qui conjuge poscit
Hunc super ægrota, quæ, clinica (179-80) quattuor annis,
Semineci longum tractabat corpore lethum :
Sternitur ille solo, famulis et conjuge coram
Simplicii, madidusque oculorum fonte precatur :
« Omnipotens, servum qui luminis irradiasti
Luce pii, æternum præbens mihi lumen Jesum
Quæso, tuam salvans famulam, lecto erige blandam
Cunctarum ut rerum solus noscare creator. »
Illico blanda suis gaudens accurrere plantis
Simplicii petit ipsa domum, clamatque rogatque :
« In Domini Jesu me nomine tinge lavacro,
A quo sum comprensa manu, sublata grabato. »
Felix acta videns hæc Simpliciusque senator
Purificarentur corpere urgere beatum.
Actutum ille Patrem studet accersire Calixtum ;
Qui veniens Christi sacrat baptismate cunctos
Simpliciique domum, uxorem, genitos et alumnos,
Sexaginta animas ipsis super amplius octo.
Exsultant sancti veneranda tropæa colentes,
Dant laudes Domino, per quem victoria, summo
Comperiens quod Alexander baptismate multos
Delubris demptos, cur eorum dirigit arma
Armatos contra fidei munimine, membra,
Quæ nec propugnare parant, leve terrea captat,
Atque omnes capitis jacturam sumere censet ;
Urbis et eximiæ capita in fastigia tollens,
Depromit necis exemplum fideique triumphum.
Presbyterum Calepodium jam sanguine fessum,
Flamine robustum, rigido ferus ense trucidat,
Romuleamque trahi faciens senis ossa per urbem,
Abscondit Tiberi ; bonus at Pater ipsa Calixtus
Undarum scrutatores perquirere poscit ;
Illi inventa levant sinuosis flumine textis
Et papam exhilarant lætis per nuntia dictis,
Dulcibus ille hymnis Domino pia carmina reddens

(179-80) Id. est *jacens lecto*.

Suscipit, ac multo sanctum implet aromate funus,
Carbaseoque tegens pretiosa monilia cultu,
Ipse quod ediderat senior studiosus honore
Christi athletarum recipit pollente sepulcro.
Ramorum densa lanius propagine cæsa,
Ipsum persequitur fetum almo germine robur,
Pontificemque tenens lymphante furore Calixtum
Molitur superare fame : quintoque voluto
Sole magis confortari dum tristibus audit
Marcida robustis jejunia fustibus auget,
Roboreaque dies impugnans mactat in omnes
Cæde virum, prohibens ne quis solatia saltem
Visendi sub nocte ferat ; qui forte repertus
Crimen morte luat. Multis hic antra diebus
Dum fovet impastus, solamina præbet ei æthra.
Legatur Calepodius hæc dulcia portans :
« Esto, Pater, firmus, tua nam perfecta corona est.
Mercedem ut capias æterni muneris amplam. »
Nec vacat abstrusus medicamina pendere tutor.
Miles erat quidam, Privatus nomine, plenus
Ulceribus, dolor assiduus cruciabat anhelum ;
Is pedibus se prosternens cum famine papæ
Devote precis exposcit languore levari.
Suadet habere fidem Pater, hortaturque lavacro
A Mundari, spondens animæ carnisque tutelam
Credere qui lassus, dominumque redemptus utrumque,
Corporis indicio mentis depromit honorem,
Atque Deum verum jocundis laudibus effert.
Facti rumor Alexandri dum perculit aures,
Exagitat furor ; invalidum qui pondere pressus,
Iratum plumbi Privatum pondere mactat,
Pontificemque jubens propellier æde, fenestra
Præcipitem celsa dat saxo colla gravatum
Demergi in puteum, cumulatur sorde barathrum.
Postque decem septemque dies curante levantur
Asterio noctu juncto sacra pignora clero,
Quæ Calepodii bustis Aurelia sumpsit.
Ast longum posthac, divino numine, Remis
Delegata, Dei templum Genitricis adornant.
B Isthic consortem juxta palmæque gradusque
Consita Nicasium, qui urbis duo lumina nostræ
Condecorant clypeoque precum data munia servant.
Presbyter Asterius, patrii curator honoris,
Tentus Alexandro, decus hoc zelante sepulcri,
Ut quem præstiterat, post ipse careret honore,
Præcipitatur aquas alto de ponte sub imas ;
Excipit attollens hujus tamen Ostia membra.

CAPUT IX.

De sancta Martina.

Præterea multos variis cruciatibus actos
Impius hic Cæsar capitali lege trucidat.
Sub quo virgo nitens natu, virtutibus alta,
Ornavit percelsa crucis Martina tropæa.
Quæ claris pollens opibus, patre consule nata,
Christicolis large victum præbebat egenis.
Prensa ab Alexandro, Phœbo dare thura jubetur.
Illa preces ut fundit, humum concussio vibrans
Percellit, tremit Urbs, fani pars versa residens
Sacrificos promit, effigies resoluta fatiscit.
His furiatus Alexander jubet ora puellæ
Tundi alapis, cilia horrificis irrumpier hamis,
Carnifices sanctæ pœnis insistere jussi,
Defectu stupidi, subito clamore fatentur
Cernere se rutilo radiantes quattuor ore
Stare viros, ipsam læto qui famine firment ;
At sibi segnificam perstent infligere pœnam
Fragmine testarum posthac dum scinditur alma,
Perduratque potens lictores ista patrantes
Octo quibus jussum sceleratas edere pœnas.
Divina bonitate pio stant lumine tandem
Induti atque ministerium crudele negantes
Christo proclamant Domino se credere vero.
Quos contra Cæsar furibundam accensus in iram,
Præcipit appensis lacerari viscera ferro :
Qui mundum et lanium secta cervice relinquunt
Martyres, et cœli felicia regna capessunt.
Suppliciis pulsatur item Martina retecta
Vestibus, ac plagis omnes incisa per artus,
Quattuor hinc palis distenta, et robore cæsa,
Cuncta animo forti suscepta pericula ridet.
Inde recepta nigro tenebrosi carceris antro,
Discissum pingui perfunditur unguine corpus,
Rursus Alexandro coram decernitur acta
Delubro subici, Christo sed dirigit illa
Ut de more precem, demittitur ignis ab æthra,
C Percutit ac redigit simulacrum in strage favillæ,
Exuritque sacerdotes sternitque popellum.
Territus his princeps victusque, ea bella remittens,
Præfecto cuidam Justino urgenda relegat ;
Qui conto hanc jubet extendi spatisque secari,
Unguibus effossa tractari carne mamillas :
Horrida dum scrobibus centum octo decemque patescit,
Carcere sic victrix, tenebrisque retruditur atris.
Amphitreatrali belvis post præbita ludo
Immani secura manet congressa leoni,
Quique pedes currens ad virginis ora coercet,
Nativa et feritate vacans velut agnus habetur :
Ast ubi placanti furias dimotus ad antra
D Impastus caveæ revocatur, omissa resumit
Ore venena famis, rictusque in corpora tendit
Obvia, cognatumque petit crudo agmine regis,
Vindictaque piæ subigit perimitque puellæ.
Nec regem aggreditur charo ne virgo careret
Martyrio, aut sævum pateretur inulta tyrannum.
Cæsaris hanc iterum jussis ergastula claudunt.
Inde duos post acta dies offertur eunti
Libatum regi ; Domino dum fixa probatur
Tormentis iterum pensa est, iterum ungue cavata.
Omnia dum superat, magica censetur ab arte
Victrix, impexis ferturque latere capillis.

Tunc raso exspoliant sanctam quasi crine prementem,
Allophyli fortem quondam ut Sansona ligarunt:
At Christi virtute sui stans fortior illa,
Nec cedit sævis, nec frangitur obsita telis.
Conditur hinc Triviæ armipotens invicta sacello:
Noctibus hic inclusa tribus totidem diebus
Torva pharetratæ in cineres agit ora Dianæ.
Sic sacra, sic proceres superans, censetur agonis
Extremam rigidi gladio concludere metam,
Hocque triumphali partum petit æthera saltu.

CAPUT X.

De sancto Urbano papa et sancta Cæcilia.

Urbanus validi robustus jura Calixti
Excipit, ac Domini vigilanter prælia tractat;
Deligit athletas divina in castra fideles,
Roborat, exercet, disponit, munit, adornat,
Imbuit, armat, agit, cœlestia bella peruriget.
Nec supplenda viros modo Christi ad mœnia cogit,
Quin bellatrices admittit in arma puellas.
Quarum Cæciliæ præfulgida facta feruntur,
Sanguine quæ generosa pio, generosior actu,
Nobilitate poli terræ ornat nobilitatem.
Nocte die hæc casta volvens sacra famina mente,
Assidue precibus Dominique in lege vacabat;
Vestibus auratis quam dum decorare parentes
Ausonidum veteri sponsarum more solerent,
Velleris hircini hæc velamine membra domabat.
Illustri desponsa viro quæ Valeriano
Urgetur thalamis legi parere jugali;
Acceleratque tædas superatus amore petitor
Invitans lætas epulis gaudere choreas
Organico psallente melos achromate festi,
Illa Deo mentis cithara sua festa canebat,
Cor mundum casto tribui sibi corpore poscens.
Interea crebris cœlum pingentibus astris
Sponsus cum sponsa secreta cubilia sumit;
Magnanimus sed virgo prior penetralia cordis
Cui pandat fidei fidum scrutatur amicum;
Ille fidem firmans nullo se promere pacto
Abdita testatur, hæc corde tegenda fideli,
Tum casta virgo poli civem depromit amantem
Custodemque sui multo se ardore tuentem,
Cujus in impuro procedat ut ultio tactu
Ferì queratur amor tutamine virginitatis.
His stupidus juvenis, divino ac numine fixus,
Pandere cœlicolam petit hanc quem jactat amicum.
Illa favens spondet modo se sinat ante piari;
Hic rogans quis ad id sese mundare valeret,
Accipit Urbanum veneranda heroa senectæ
Hoc aptum sanctoque Dei purgamine doctum:
Sic notat monstrix per quos, ubi quærere monstrat:
Invenit accelerans cursor mandata beatum
Pontificem, fassus qui jam divina secundo
Principibus coram, sacra inter busta latebat.
Virgine cui gnara dum famina missa feruntur,
Gaudia magna trahens animo, genua in sola figit
Dans lacrymas gaudendo, manusque ad sidera tollens
Altithrono regi grates que precesque profundit
Ac verbis aperiri ejus hæc corda precatur;
Votaque dum promptus supplex hæc destinat astris,
Æthereus supero venis moderamine vultus
Sidereis auroque notis signata tabella,
Ac diva irradiata fide perlata citatur:
« Unus adest Deus, una fides, baptismatis unum »
Attremit his sponsus, credit, prostratus adorat,
Erigitur faturque fidem, fluctuque sacratur
Sincere doctus, sponsæque remittitur almus.
Dum veniens illum paranympho cœlite fultam
Repperit orantem, qui candida lilia sertis
Anteferensque rosas properantia præmia pandit.
Huic germanus erat rebus Tiburtius unus
Præ cunctis charus, cui postulat ille salutem,
Pollicitusque poli se civis in astra receptat.
Interea montis struitur dum tiro colendus
Pro votis dilectus adest Tiburtius, intrat,
Admiratur odoriferam se nare rosarum
Percepisse auram, viduo quoque floribus anno,
Et jam se dulci memorat novitate refectum
Prosequitur frater fidei, denique salutem
Alterno reserare studens afflamine lucem,
Supplet virgo juvans, grato nec egere jugalem
Permittit spolio, vitam vitæque tenorem
Atque viam pandens apprime informat alumnum,
Uberibusque fovet geminos, et lacte Sophiæ.
Vix una tantum quæ credita nocte marita,
Nubere namque putata, suum parit ipsa maritum;
Hoc quoque ne parvum credatur pignore feta
Augetur genitus pro telluris ecce supernus:
Gignitur ergo fide matris Tiburtius hujus,
Perque ministerium papæ producitur undis,
Filius Ecclesiæ, rationis et ubere gliscit.
Jam post lac majore cibo nutriuntur alumni;
Excrescunt juvenes culmen splendenter in altum;
Robore perfectæ jamjam virtutis anhelant;
Attollunt inopes, fessos solamine portant;
Excisis solum superest quod dedere munus
Exequiale parant celebri pietate viriles,
Turbidus Almachius Romæ præfectus amicos
Omnipotentis heri pœnis cruciabat acerbis;
Hunc livore niger, sanctæ dulcedinis hostis,
Peste per armigeros tellis lita tela ferentes
Denotat almorum blandi solaminis actus.
Tenti lethiferis, hoste instimulante, ministris,
Tirones justi censori adiguntur iniquo;
Qui, titulum objiciens famosæ nobilitatis,
Arguit hos vanæ quod more superstitionis
Personas sua dilapident patrimonia alendo
Indecores, lethoque datis pro crimine honesta
Busta parent, quo se doceant his fœdere nexos.
Illi se famulos quorum accusantur amici
Exoptant, interque calentis spicula luctæ

Victores lepido dantur certamine fratres.
Cognitor at rabidus mistoque furore diremptus,
Luce triumphali præstantem Valerianum
Dedecore affligi censens dat robore cædi;
Gaudet at ille, monetque suo ne vulnere cives
Frangantur, veri at maneant virtute viriles.
Verbere deficiens lanius jubet ense feriri,
Ni libent Jovis ut statuæ mactetur uterque
Maximus intererat, qui cornicularius actu;
Hic flens prosequitur lætos ad funera fratres,
Flens, quia gauderent præsentem amittere vitam
Illi proponunt aliam semperque manentem,
Hanc hujus perhibent reprobatu percipiendam,
Ut vitæ renovatur avis discrimine phœnix;
Surgere ad hæc, modo vera probet, jam Maximus [optat.
Promittunt huic in Domino ostentacula fixi
Corpore qua Dominus dabit hos spoliare hora,
Vita sequens quo sumatur spectare decore,
Testetur se vanificum deponere cultum.
Juranti maudant spatium impetrare diei,
Ad cujus perducti, ipsis rogitantibus, ædes
Divinis formant monitis ipsumque domumque.
Aurea nocturnam pingunt dum sidera pallam
Cæciliam ecce sacerdotes comitantur ad istos
Perveniunt præbentque novæ baptismata proli.
Aurora retegente solum fugientibus umbris,
Siderei ductrix affatur castra duelli,
Abjiciant horans tenebrarum obscura beatos
Tirones, rutili et capiant pia luminis arma.
Maturant bellatores, gladioque recisi
Libantur, fragiles carnis ponuntur amictus,
Divaque perpetuæ capiuntur præmia vitæ.
Complentur promissa, videt donum exsequiale
Maximus æthereos cœlo properasse ministros,
Corporeque egressas gremio sumpsisse puellas,
Virgineumque decus superas vexisse per auras;
Quæ lacrymis enarranti per gaudia fusis,
Credentes multi supero se subdere regi
Gaudent. Almachio sublimia facta feruntur,
Maximus atque sui quia Christi signa sequantur.
Ille indigna fremens, et pondera dira furoris
Ostentans, plumbi facit hunc per verbera tundi;
Dum levis et gaudens exit jam pondere liber;
Quem quoque virgo decens hujusque magistra pa- [læstræ
Juxta ubi condiderat fratres locat ipsa sodalem,
Nec sinit auspicii fideique latere probamen
Sarcophago quin pingit avem qua credita vita;
Post mortem cujus patuit paradigmate lumen.
Ductatrix post belligeros ad præmia missos
Poscitur ad bellum, optatumque vocatur agonem
Dum cupidus censor fratrum patrimonia quærens,
Cæciliam hoc jubet arctari moliminis astu;
Hæc ubi pauperibus divisa removet, eamdem
Thurificaturam veluti lictoribus aras
Præcipit ad rabibas rabido certamine duci:
Illa sed invertens avidos ad lucra ministros,
Lucrantesque lucrans, et ditia fenora condens,
Ductores sceleris pietatis in edita ducit,
Participesque Deo Urbano sacrante coaptat
Qui intra septa domus divino fonte beatæ
Virginis emundans animas, prolem edit opimam
Ecclesiæque sacris penetralia casta venustat.
Hic testis celebrans mysteria sancta diebus,
Detrimenta hosti, Domino pia lucra parabat
Nuntius Almachii gestorum ubi perculit aures,
Præsentem jubet ille dari terrore puellam
Censuræ; rogitans fit celsior illa; rependens
Verba probat stolidum, vanam dat culminis auram,
Arguit ignarum, sontem, probitatis et hostem
Pandit confusum, docet omnia falsa secutum,
Insuper ostentat cæcum risuque petendum.
His immane dolens abduci visibus illam
Inque domo propria thermali ardore cremari
Præcipit invictam lucis virtute puellam.
Inclusæ multo suffitur robore fervor;
At nulla arte dato petitur pia virgo calore,
Quin alacris tota persistens nocte dieque
Flammis congestæ assiduis interrita silvæ,
Ceu fringente loco nullo sudore notatur;
Utque triumphum atrox clarum capit aure tyrannus
Conatur tegere ac sævo restinguere ferro,
Hanc inibi crudo mandans mucrone litari.
Jussa ferri dirus tendit complere satelles;
Virginis at teneræ jugulo vis ferrea cedit,
Ter librata neci, ter mitia colla fatigans,
Nec caput a tenui cervice revellere noscens.
Carne tribus post virgo manens ad vota diebus,
Pastori commendat oves, quas mater alebat,
Urbano, meritis functæ qui funera curans
Exsequiis, inter collegas hanc locat almos,
Castaque præsulibus conjungit pignora castis.
Qui sacer argento postquam edit cuncta sacrati
Vasa ministerii, multosque ad sidera mittit
Martyrio claros, capit inclyta præmia consors.

CAPUT XI.

De sancto Pontiano papa et Hippolyto presbytero.

Hinc Pontianus jura supplet regminis,
Digneque summi bella tractans principis,
Ob hæc dolosa fraude Sardiniæ datur;
Quo destituta patre plebs prædonibus
Animæ pateret, perdito grex ut duce
Lupis patescit abditisque furibus.
At ne relictus pergeret solatio,
Hic papa, longe segregatus civibus,
Ignota ruris, competenti presbyter
Hippolytus illi mente diva jungitur;
Cives adoptat dives exsul fœnoris
Multiplicandi barbarorum per fora;
His æger hostis institorem fustibus
Mactans opimam celsa mittit mœnia
Cujus beata Fabianus pignora
Præsul relata dat Calisti inter pia
Decore busta consito mausoleo.

CAPUT XII.

De Anthero papa et ulitione sextæ persecutionis.

Antherus hujus exsulantis culmina
Capessit alta prosequens vestigia.
Hic digna diligenter acta martyrum
Causa beati mortis almæ Maximi,
Qui carne martyr se sæculis solvitur,
Notat requirens ac recondit in sacra;
Quorum meretur, Maximino principe
Nostros agente post Neronem turbinis
Sexti selecta lege, contubernia,
Quæ lata decessoris odio Cæsaris,
Cujus pio nitebat aula nomine,
Mansura multo quam forebat strenue.
A Grassatur atrox dira contra præsules
Clerumque sacræ culta plebis regmina,
Tribusque in annis fine regis clauditur.
Violenta cujus turgidos in principes
Illata juste, ceu luis Ægyptios
Turgore sexti fulminavit verticis.
Nempe hunc perempto Pupienum cuspide,
Cum fratre regnans cæsus ipse creditur.
Nostri quot annis enecati præsules,
Datis tot orbis ad necem primatibus:
Hinc Gordianus bella spectat prospera.

CAPUT XIII.

De duobus Philippis imperatoribus et Pontio martyre et sancto Fabiano.

Egregia post hos splendescens pace Philippus,
Prævalido superæ decoratus nomine legis
Participem læsus genitum facit esse Philippum;
Pontius hos martyr divina et munia Christi
Instituens monitis, præclaro dogmate vexit.
Fulget at his martyr palma sub Valeriano.
Excelsum primus regem, prolemque, patremque
Concordi venerans cultu cum prole Philippus,
Inclyta sceptra regit consorti fulgida cultu.
Fascibus hic altus, Christi ad mysteria curvus,
Dum Paschæ excelsis ferri sibi sacra rogaret,
Expulsos inter stare et sua crimina flentes
Præcipitur, fuitque et propria flere piacla.
Ille sacerdotis voto mandata capessens,
Pectore stat prono, despellit culmina mente.
Maxima supremi residit dum culmina regni.
Lugubris at tandem patrataque crimina lassus
Implorat supplex summi rex numina regis,
Divinumque timore pio sibi corde timorem
Deprimens, quæsita humili sacra pectore sumit:
At Dominus pronum solito sustollere curat,
Fascibus amplificat; sibi pia jura trementi
Census hic confertur honos supero ordine regi,
Urbis ut educta præsignia gaudia plebis
Augusto hoc moderante micet millesimus annus,
Eximii cultus æternum celebrans honore,
Quod decus inclyti numinis inter sceptra feratur,
Urbs et apostolico jam dudum dogmate clara,
Numinis atque pii sancto insignita decore,
Principe Christicola celso hoc polleret honore.
Septies at postquam vestitur gramine tellus,
Segetemque replet cœlestis omnia fructu,
Munere divino terris regnante Philippo
Gentibus et populisque nitentia jura dicante,
Extrahit antiquas viresque recolligit anguis,
Afflatus toties per tanta tempora relisus;
Insidiisque parat Christi vexare phalanges,
Latronemque dolis Decium sibi præparat aptum:
B Instruit anguina liventis fraude veneni,
Exacuit stimulis agitatque ad furta furentem
Ille dolos volvens inopino crimine justum
Aggreditur, furvoque necat molimine regem.
Principe sublato pervadens sceptra tyrannus,
Quæ sua sunt diro curat producere nisu,
Prosternit genitum, totum movet arma per agmen;
Hinc majora petens, Domini subvertere castra
Nititur; haud mora ductorem moderaminis hujus
Impetit, atque data Fabianum lege trucidat.
Crudelis Scythæ velli agmina sancta jubentis
Sumpserat hic celebri præsul moderamina nutu;
Fertur enim digressus agro, comitatus amicis
Ecclesiæ penetrasse domum, qua concio plebis
In diversa studens certabat, et optio patris;
C Astitit ille nihil subeundæ conscius arcis,
At summam tantæ visurus ad extima curæ.
Hic discors diversa crepat dum flamina cœtus,
Dissociata parans digne sociare columba,
Pacis amica, venit livorem telis abesse
Præcipiens fibris; sentire dat omnibus unum,
Unum de multis censens præponere cunctis,
Unus una petens caput eligit omnibus unum,
Concordesque omnes patrem connectit ad unum
Conclamant cuncti cœlesti culmine dignum,
Pontificemque legunt divino numine notum,
Atque Petri cathedræ Fabiano regmina cedunt.
Quique triumphorum servet ut gesta piorum,
Colligit hocque studere operi decernit alumnos;
D Ecclesiam fulgere docet quoque legibus almis;
Ipse triumphali mox ut conjunctus honori est,
Dispergimtur oves, lacerantur, carceribusque
Truduntur, quorum Moyses ergastula longum
Post tolerata nigris petit ætheris edita septis
Diversis diversa gerit prædonibus hostis,
Exterius patulis, intus latitantibus armis,
Latronemque novum furtiva ad bella novatum
Deligit impugnans binis pia castra catervis.

CAPUT XIV.

De sancto Cornelio papa et Cypriano martyre sociisque ipsorum.

Providet inde pio Dominus charismate patrem
Deserta egregium plebi; Cornelius urbi
Dum præsul datur eximiæ Petrique cathedræ,
Ad quem dulcia ceu patris fomenta benigni

Dispersi properant gnati lapsuve recisi,
Maximus et reliqui, confessoresque fideles
Inclyta bella poli tractant rectore fideli.
Fertur hoc instructus doctore ad bella gerenda
Cœlica Pancratius, patruo ductante beato ;
Impius exhorrens dolet agmina sancta coire,
Densatasque parans Christi turbare cohortes,
Ductorem rapit e medio, pellitque relegans
Extorrem Centumque locans juncto ordine Cellis.
Militiæ procerum, nequit adse jungere amorem ;
Principis agminibus properant invisere multi
Atque levare pro pulsum lenimine papam.
Tunc Africæ lux, ore fide Cyprianus opima,
Huic jungit radios jubari signando beatis
Grammatibus validæ Celerini gesta palestræ :
Comperiens multos papæ solamina ferre
Grassator, revocat falsoque sophismate justum
Insimulat, contra quod publica jura libellos
Sumpserit ac schedas peregrino a littore latas.
« Grammata suscepi Domini super (ille) corona,
Non rem Romanam vel publica commoda contra. »
At veris furor auditis effervet, et ora
Tam prompte plumbo tam pura fatentia tundit.
Oppressare hebeti nisus discrimine verum
Ducitur hinc præsul Mavortia sacra litatum,
Sin temnens renuat, crudas mactetur ad aras.
Dum sacra facturus properat magis ipse sacrandus,
Hac ex militia quidam Cerialis adacta
Quinque per æstates cunis pro conjuge poscit,
Hujus ut in visu valeat gaudere salute
Ejus at ille domum subiens hanc erigit (aiens) :
« Surge, tuisque insta pedibus sub nomine Jesu. »
Illico læta subit percepto robore, verum
Esse Dei genitum clamans Sallustia Christum,
Et currens vas implet aqua, conjurat et orat
Ipsa lavacra ferens sacris se spargier undis ;
Cunctorumque preces hujus mox vota sequuntur ;
Qui puniri dati pedibusque advolvitur ultor
Concessi, poscitque datum sibi munia ferre ;
Subditur addicto consternaturque subacto
Ille sui tractatores verso ordine tractat,
Captoresque capit, devinctoresque revincit,
Emaculatque undis esse fœdare parantes ;
Quique laborarant hunc associare profanis
Participes Christi pia dat per mysteria sacris.
Addit et Ecclesiæ intentes se addere larvæ,
Annectit nexis tendentes scindere nexos,
Sævus id auræ trahens Decius mittitque tenetque
Candidulos, ducique sacris cum præsule mandat,
Mox puniri aris si ponere thura retractent.
Tirones divina rudes ad bella magistro
Præcedente abeunt, ne fors a principe turma
Desciscens hosti præcepta tropæa remittat.
Incedit præsul tutus cœlestibus armis,
Quem gaudet nova turma sequi, sputoque sacello
Sumere conspersi maturant sanguine palmam ,
Papa coronatus quos æthera ducit in altum.
At Lucina pio mulier venerabilis actu,
Fulta Dei clero, famulum stipante caterva,
Sanctorum sacra membra legit cryptaque Calixti
Inque suo cultu pollente recondidit arvo,
Hujus Lucinæ Cornelius iste rogatu
Sanctorum procerum catacumbis ossa levarat,
Legaratque Petri sub monte Neronis in aulam,
Aureus in Vaticano qui dictus, et in quo
Arcitenens nactus habitarat delubra Phœbus.
Ipse locum juxta cruce quo conscendit in astra
Sidereum Cephas Dominum per celsa secutus,
Pignora tunc Pauli studio via sumpsit eodem
Hostensis, capitis qua corpore cæde solutus
Quæsitum Christo subiit convinctus honorem.

CAPUT XV.

De sanctis Abdon et Sennen.

Haud tantum in proceres totum quin sævit in agmen
Militiæ furor hic rabidus, lateque petendos
Decernit Justos, patrias lymphatus in omnes,
Qua dominatur heræ probrosa potentia Romæ,
Insequiturque pios magnus qua tenditur orbis :
Discutit Occasum; ditem rimatur Eoum
Sepositosque procul quatit hæc injuria Persas.
Huc Decii rabies furiis advecta pererrans.
Primates gentis Sennem sibi mandat et Abdon
Præsentes fieri, cultum quibus opprobrat almum,
Utque Deos contemnentes sint jure subacti
Romanis merito, victores imo fatentur
Se Christo tribuente Deo, quo regna triumphant,
Perfidiæ, cujus laudant in sæcula culmen,
Dumque catenatos custodia suscipit arta
Glorificant Christum, decus id quod semper ama- [rant
Ejus magnifica gratanter laude ferentes.
Hinc alii tenti supera pro lege necantur.
Bis binos plena post fronte resumpserat orbes
Cynthia, Romulæis Cæsar dum mænibus istos
Invehit atque parat de invictis clara tropæa,
Fert se victorem velut ense subegerit hostes ;
Qui quo victores perstant studuere duello,
Acciet Æneades, magnates excolit auro,
Exhibet ornatos baccis cinctosque catenis,
Monstrat honorificos sese superasse toparchas.
Laudes in proprias studet, excitet ora popelli,
Prætenditque feros hostes pietatis amicos :
Jactat devictos cor libertate tuentes,
In manibusque datos calcantes sceptra fatetur.
Miratur procerum stupidus reverenda senatus
Ora beatorum Christi ; constanter at illi
Dum coram intrepidi præconia cœlica fantur,
Devicto Decio traduntur Valeriano,
Qui ni thurificent belvis hos pabula leget.
Ille viros ferus aggrediens segmenta revellit,
Lathoidæque litaturos velut admovet aris :
Cujus ut exspuerant faciem, exsecranda probantes
Ora Dei plumbo sub tecti terga petuntur.
Fortiter ista piis tolerantibus, ecce ferarum
Poscitur hos contra auxilium, geminique leones :

Quatuor atque dati metuendi rictibus ursi,
Sanctorum usque pedes fremitus horrore feruntur.
Hicque agni veluti pacto jacuere stupendo,
Ut feras ut in obsequium venisse probares
Belligeratorum Christi quos pace tuentur.
Belluarum feritas humana in pectora transit,
Belluasque legunt homines fervore petendos
Protinus a belvis humana lege petitos;
A Mittunturque homines furiata mente frementes,
Atque feræ mites quos servavere, trucidant.
Perfecto sic emeriti certamine functi
Athletæ subeunt victo polum ab amphitheatro.
Inde pius quorum noctu sacra membra Cyrinus
Eripit atque vehit, plumbique recondit in arca,
Quæ, Christo retegente, patent post lumine pacis.

CAPUT XVI.

De sanctis Parthenio et Calocerio.

Parthenius Caloceriusque vigore nitentes,
Cæsareum fidei positi servare cubile,
Egregios casto decorabant corpore mores,
Et Christo et regi sua munia ferre probati,
Quæ regis regi, quæ Christi reddere Christo.
Quos opibus pollens Anatolia virgo relicta,
Consule patre pio decedente Æmiliano,
Quamque docent mores et opes conjungere Christo.
Dum vanas qua detrectant orare figuras,
Ignibus injecti superant incendia tuti,
Tortibus et ipsi scandunt cœlestia læti.
B Terris virgineo rapiuntur corpora ferto;
Sidereo cœlis capiuntur flamina regno.

CAPUT XVII.

De sanctis Anatolia et Victoria.

Impugnare viros lanio nec sufficit atro:
Quin ferro teneras pellit super astra puellas,
Quarum Anatolia pia mundi et Victoria vincunt,
Dein mundi proceres cœli convexa petendo,
Harum regna bonam melior provexit in alta,
Moribus et sanctis castam castissima composuit,
Ac vernans nitidis ornatam cultibus auxit.
Nam desponsa viro ductrix Anatolia sævo
Dum refugit tædas et jura subire profani,
Mittitur huic lectos suasura Victoria nexus,
Pagano desponsa viro jam jamque jugata
Eugenio, quæ deproperans suadere docetur,
Et captare parans capitur, venansque prehensa est.
Frigitur versare abiens opus omnipotentis,
Complacere petens, fit opus venerabile Christi:
« Audi me, soror, incipiens Anatolia (181), et ipsa
Christi sum famula, ac novi legalia vincla
Non damnare Deum, sanctos hæc vincla prophetas,
Hæc nuisse patres quorum benedicta propago;
Audi, me et sociare viro qui celet amicæ
Secretum sortæ Christi nec prodat alumnam,
Quin faveat nostris blandæ dulcore maritæ. »
Hæc illa texente, refert Anatolia: « Vince,
O victoria, ad hoc Zabulon Victoria vere
Esse queas; vacuo Omnipotens mortalibus olim
Crescite mandavit mundo, multoque replete
Fœnore tellurem, qua jam modo germine plena
Humano, Christus postquam descendit ab æthra;
Multiplicate fidem, crescat dilectio clamat;
Approperat regnum, cœlos replete, supernum. »
Tertia post infert: « Ego quæ per viscera Christi
Ornamentorum explicui sata facta meorum,
Cerno die juvenem in somnis diadematis auro
Cultum, purpurea gemmata et veste nitentem,
Meque tuens hilaris grato sic ore profatur:
« O pia virginitas quam mors evincere nescit,
« Perpetua quin morte rapis tua jura sequentes!
« O bona virginitas tenebrarum ficta refutans,
« Sidereo semper degis quæ lumine compta! »
Auditis quibus evigilo fletuque rigata,
Inque pavimento Dominum prostrato fatigo;
Hæc mihi, qui tulerat, referat dulcissima rursus.
Sic stratæ mihi prosequitur gratissimus isdem.
« Virginitas nitide regalis purpura vernans
Est qua qui induitur reliquis præstantior exit;
C Virginitas divi gemma est pretiosa monilis
Virginitas regis inopinum munus habetur;
Thesauro insidias latitant huic tendere fures,
Quem tu sollicito advigilans tutamine serva;
Divitias quoque potius has noscis habere:
Hoc tutare magis furva ne fraude fatiscant. »
His aliisque piis animata hortaminis orsis,
Distrahit omne decus varii Victoria cultus
Quæsitumque Deo pretium largitur egenis.
Accipiunt sponsi pactarum insignia gesta,
Et quoniam Christi nequeunt laqueare columbas,
Pellere præcipitant, Decioque sinente per arva
Propria legantes arcti modo fragmina panis
Vix vel sero ferunt; sed non jejunia frangunt
D Quas Christi confortat amor; mel mina nulla
Proficiunt tædis has inclinare vel aris;
Durant invictæ post plura stupenda patrata;
Martyrium celebri cum virginitate jugantes
Lilia mista rosis a Christo serta capessunt;
Virgineos equidem præclara monilia flores
Junxit, ubi gladium Victoria corde recepit.
Percussor cujus, Taliarchus, vindice lepræ
Percussus, languore brevi, sex scilicet intra
Solis amare orbes exesus vermibus efflat.
Virginis at pignus curatum munere digno,
Virgo decens effulta piis Anatolia factis,
Plurimi postquam ægros curarat anhelos,

(181) Videtur legendum *Victoria*.

Dæmoneque invasos, lunæque recursa paventes,
Venatur varia Tyrian perducta palæstra:
Cum serpente quoque illæsam nox integra clausit;
Mox ipsum monstro anguilegum parente vorandum
Mane rapit Christique Dei pietate venustat;
Quique palam Dominum fassus se credere Christum
Carceris hac clara sub laude retruditur antris;
Virgo pia extensis manibus dum vota profundit,
Transfigitur ferro latus, ut per utrumque recluse
Admissus dextro penetrat et mucro sinistrum.
Spiritus Altithroni thalamum conscendit amati;
Suscipiunt thecam Tyrenses cuspide fossam.
Audax ad Christum anguifero conversus ab astu,
A claustris rabidos rapitur jam mitis ad enses:
Mox caput abscissus, mortemque triumphat et sanguine,
Et quoniam hinc patria mactus transfertur Eoum

CAPUT XVIII.

De sanctis Pergentino et Laurentino.

Tunc Pergentinus Laurentinusque beati,
Flagra apud Aretium pueri pietate gemelli,
Dura triumpharunt miracula magna ferentes;
Tum ferro laceri simul aurea regna capessunt;
Mœnia corporibus florent animabus et æthra.
Hæcque nitet gemina gaudens urbs luce piorum.
Et multis Decius sanctis ubi gaudia vitæ
Præparat æthereæ, quos de cruciatibus astra
Dirigit, indicens generalia septimus arma
In Christi populum rabidi post bella Neronis,
Barbaricos inter cuneos luit acta cruore;
Et qui regnantem patris genitique trucidans
Fraudibus implicuit famulum cum prole Philippum,
Mercedem meritis, Christo cum Patre ferente,
Rex regno procul evectus cum prole receptat.
Idque parum cruor ulcisci per quæque rigavit
Arva, petit se sanctorum in laniosque feroxque
Censores, delatores nutuque faventes:
Exeritur passim Romani in climata regni
Ultio peste vagans, corruptoque aere crudos
Infundit pecudumque hominumque venena per artus:
Nulla vacat regio, non urbs aspersa cruore
Justorum, cunctasque domos perstringit et ipsis
Exantlat meritis nece spectatoribus actis;
Ac ceu pestifero trivit quondam aera rura
Grando ruens Pharii divino verbere regis,
Cultores, segetes, jumenta et pascua sternens,
Æthereo veniens æquo libramine regnis
Æneadæ pestis digna sub clade tyranni
Urbes, ruricolas, pecudes et pabula vastat.

CAPITULA LIBRI QUINTI.

CAPITULA LIBRI SEXTI.

CAPITULA LIBRI SEPTIMI

INCIPIT LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De sancto Lucio papa et Stephano.

Lucius expositos sequitur splendore sacrati
Pontifices juris cujus, moderamine fulgens
Mœnibus exuitur patriaque abducitur exul:
Servatur profugus salvusque reducitur urbi ·

Munia disponit, jussis moderatur habenas.
Pontifici censet lectos astare ministros,
Et testes vitæ præsenti semper adesse,
Ipsi pontifices pacis quæ vincula servent,
Sacrilegis super arcendis quæ jura sequantur;
Denique Dei populum pro regimine dirigit æquo.
Pastoris fulgore cluens sub Valeriano,
Truncatus cervice petit cœlestia martyr.
Quoque potestatem properans contradit alumno
Præcipuo Ecclesiæ Stephano summoque ministro.
Papa datus non inferior virtute vel ore
Patre nitet Stephanus, leges promulgat, et ornat
Ecclesiam, sacris tantum ad sacra vestibus uti
Decernit; hic ovile Dei dum Valerianus
Cum socio octava velli dat theomachia,
Ductat oves fortis dux, inter bella leonum,
Colligit, hortatur, solidat præstare duello
Externosque vocat divina in pascua multos
Pollentesque viros, quos inter honore tribunus
Nemesius cum plebe domus ac prole Lucilla
Depróperat, quæ cæca diu reparatur utroque
Lumine corporis ac mentis revocata tenebris.
Hac se præclara Christi irradiante lucerna,
Fascibus excellens accedit Olympius æquis,
Conjuge cum genito famulisque fidelibus auctis,
Qui flammis aurum velut argentumque probati
Symphronio cœli subeunt juncto ardua clari.
Nemesius Christi levita sacratur ut aris.
Hunc sine judicio proceres quacunque repertum
Præcipiunt plecti. Superans virtute repletus,
Non cessat lustrare domos atque antra piorum:
Quærit et abstrusos, censu solatur egenos,
Adveniensque viam quæ priscis Appia dicta
Comperit hic sacra pendere Valerianum:
Et, genibus flexis, cœlum terramque Regentem
Exorat, tantum secus ut sub nomine Christi
Quem terris misit dignetur ferre salutem,
Consilium fraudis hoc quo solvatur iniquum,
A laqueis Satanæ miseri ut resipiscere possint.
Maximus intus erat consul qui, dæmone captus,
« Nemesius, mox exclamat, me incendit et hujus
Christicolæ dira cruciatus me oratio torquet. »
Delubro egressi quidam tenuere beatum,
Quem probris dum conficiunt, en Maximus efflat.
Hi Nemesium perducunt Valeriano;
Quique dolo mulcens insignia prisca recenset,
Ejus consiliis fuerat quæ expertus et actis;
Hortaturque coli divos quibus hæserat ante.
Tum madidus lacrymis respondet ad ista diacon:
« Semper ego infelix verum stultusque refugi,
Effudique reus sanctum innocuumque cruorem;
His quoque flagitiis vergentia colla gravatus,
Sero licet, plastem propriæ cognosco figuræ;
Propitiatoris Christi utile pignus adeptus,
Hunc timeo, veneror, famulatum impendere certo,
Omnia tacta manu abjurans simulacra refuto. »
His Cæsar furiatus atrox hunc mancipat antro.
Tertia dum revehit posthac aurora labores,
Cæsaribus præsens agitur, comitante Lucilla,

A Quam patris ante oculos plecti dant, hac subigen-
[dum
Flamine robustum divino cæde putantes;
Lætior et sobolis sub strage ardentior atque
Efficitur jam præco Dei; nec posse probatus
A Christi valido flecti fervore fidei,
Dux præcipitur Martis sic ante sacellum:
Jam virtute triumphatam mucrone palæstram
Terminat, abscissusque caput petit æthera mactus.
Membra addit Stephanus cognatæ terrea terræ,
Quæ Sixtus relegens post accuratius abdit.
Symphronius hujus post funera fidus alumnus
Sistitur arctatus fidei pro luce tyranno,
Mandaturque dari eidem ad tormenta tribuno,
Utque facultates perquirat Olympius acti
B Nemesii; qui suscipiens præcepta revolvit.
Symphronius: « Domini census si quærere jussus,
Jam retuli Christo regi famulariter apto;
At si sacrificare jubes, sacra libo libenter,
Sed Jesu Domino votorum ac laudis honorem,
Cui Dominus se Nemesius meus obtulit auctor. »
Hæc ad dicta truci repletus Olympius ira
Imperat extensum fustes tolerare castata.
Aureus allatus tripoda post verbera Mavors
Cera ut ab igne fluens ad verba resolvitur hujus.
Cognitur his stupidus secedit et acta jugali
Commemorat divi confessor ut ora liquarit
Bellivagi, atque reo veniam placet esse petendam;
Consilium menti quod ut amborum utile sedit,
Fortior ut fuso fuerit qui Marte petatur,
C Nocte simul veniunt, gnato comitante, sub ipsa,
Theodoto genitus qui solus utrique parenti;
Sicque sui pedibus vincti se sternere gaudent,
Salvari orantes ac pœnituisse probantes.
Accitus præsul monitis cœlestibus illos
Imbuit, æthereaque nitescere perficit unda
Gratia quos Christi pluvia penetravit opima.
Auditu procerum quo fervida pectora sanctos
Hos sibi præsentes fieri torvo impete mandant,
Candentesque igni belvis raptantur acerbis:
Symphronius ferro pressus strictusque capistris,
Nudus et exertus grato assignetur agoni.
Augusti memorant pœnas differre tribuno,
Sint velut indubii divos hunc linquere nolle
Semper adoratos, prius ad quorum sacra multos
D Supplicius egit, nec iners fudisse cruorem.
Impius hæc. Ille: « Ut non sicut Olympius egi;
Pœnitet at sceleris, lacrymasque effundo Tonanti,
Cui famulor, Patri et Genito cum Flamine sancto,
Parcere dignetur probris quæ immania gessi
In sanctos, quorum per me arva cruore rigantur. »
Consumi pariter flammis sententia mandat.
Ducti mox ante ora Jovis holocausta parantur;
Ignibus appliciti, Christo pia carmina dantes,
Intacti flammis, pereunt ad celsa vapores;
Atque ita dimissis recipit manus integra thecas.
Cum clero Stephanus sociis et religiosis,
Laudibus affusis hymnisque ex more solutis;
Pignora quæ Sexto posthac translata gerente

Martyribus curam celebrem fecere Decembrem.
Hos etenim inquirat per munia Tertullinus
Quem divi Stephanus fontis splendore novarat,
Nec mora presbyterum larga bonitate sacrarat.
Cui castos inter monitus et verba salutis
Cæsorum Christi perquirere corpora possit,
Per biduum sacris vix debita solverat aris,
Tentus et a Marco stat ductus Valeriano:
Huc ille extensum mactari robore tradit,
Cæditur acclamans: « Grates tibi pendo, benigne
Jesu Christe Deus, quia me non dividis almis,
Ut mihi jam Dominus jungatur Olympius, acto
Qui me martyrio præcessit ad alta sequendus. »
Hæc dum proclamat, lateri mandantur utrique
Apponi flammæ, constansque ea lætus et inter:
« Matura quod agis, miser, ut pernicius, inquit,
Me hoc fervore leves holocaustum et aromata Christo,
Peccatis gravidum licet, hoc tamen auspice fultum. »
Invidet his lanius, differt, rapit ignibus atque
Tradit Sapricio trucior qui creditus ipso;
Rebus id ille probat, saxis nam proterit ora,
Sicque diu torquet pensum amburitque catasta.
Ignibus in mediis divino tutus honore,
Prædicat esse Deum cœlis super omnia Christum.
Invictus pœnis, ubi fertur Valeriano,
Mox caput abscidi celeri mucrone jubetur.
Tormine depositus jugulum petit æthera sectus.
Hymnidicis præsul Stephanus locat ossa Latina
Stipatus cuneis scissaque recondit arena,
Presbyter hacque bonos (182) Faustus Maurusque [recepti.
Tunc, aliis septem junctis qui tempore in ipso
Cœlica martyrii subeunt penetralia lauro.
His cinctum studiis, missas ad busta piorum
In specubus celebrare, sacros huc cogere cœtus,
Lymphati proceres Stephanum ad tormenta requi- [runt,
Militiæque manu raptum tenuere, jugatis
Pluribus e clero senibus fidisque ministris;
Præsule Cæsareum jusso penetrare tribunal,
Sed solio: « Tu ne es Stephanus, huic Valerianus,
Publica conaris regni qui vertere jura,
Suasibus et pravis populum monitisque malignis
A patrio divum cogis discedere cultu?
— Non equidem, antistes, nitor rem vertere regni,
At moneo quo, desertis qui in fana coluntur
Dæmonibus, Dominum vivum verumque renoscant,
Qui cœli terræque Sator, qui cum Patre Christus
Flaminis et sancti virtute in sæcula regnat,
Ne pereant simul æterna cum dæmone mulcta. »
Valerianus ad hæc Martis præcedit ad ædem
Hunc minui capite, effigiem ni numinis oret.
Aspiciens ductus Mavortia fana beatus
Dirigit ad cœlum visus et corda. Tonantem
His poscens: « Domine omnipotens, Pater unice [Christi,
Qui destruxisti variis Babylonica turrim
Fatibus, ora terens, hoc tu quoque destrue fanum,
Qua populorum animæ cultu perduntur iniquo. »
Annuit Omnipotens votis, tonitrusque fragore
Respondet precibus summa de nube coruscans,
Fulmina dissiliunt, et Marte potentior ædem
Martis humo sternit. Mavors imbecillis ad ista (183): Hæc
Panditur et Christi, Jovis hæc non fulmina nutu. »
Diffugiunt lanii, non hos fiducia Martis
Continet; haud fidos, haud se tutatur, alumnos.
At liber pia sacra Deo libare sacerdos
Christisona exsultans abit, adgaudente caterva,
Quam factis dictisque regens, ac robore multo
Solatus solidans, mysteria mœnibus almæ
Dum lætus celebrat Lucinæ, turbidus ille
Valerianus agit cuneos et ovile luporum
Agmine vallatur, nescit, licet undique septus,
Pastor magnanimus rabie trepidare furentum;
Fixus et intentus sacris, Domino auspice, fortis
Impavidusque litans sua se quoque munera perstat.
Nec sentit rabidos strepitus, nec vota remittit,
Intrepidusque libensque aries mactatur ad aram,
Cœpta sequens. Hunc sacra manus cum sede beati
Sanguine respersa patris arce recondit in ipsa.

CAPUT II.

De sancta Eugenia.

Carbasa nunc zephiris inflantibus, arva Syenes
Visere Pellæumque juvat contingere littus,
Mox rapido Ausoniæ repetamus ut edita cursu:
Accipimus siquidem hoc æstu præsigne tulisse
Martyrii decus Eugeniam, quam patre Philippo
Urbis Alexandri Præfecto arvique Canopi
Æneadum ex apice procerum dat Claudia mater.
Quis splendore nitens hæc moribus altior esse
Deligit excellens casto pietatis honore,
Quæ pagana licet vi casti numinis, alta
Consule, vincla Proci geniti virtute perhorret,
Dum sophicis ardens curis percurrere quæque
Certat honore animi conscendere in edita Pauli,
Quæ tanto fervore capit jam mente beata,
Ut summo regis flammescat amore superni:
At Christi quia reppulerat pater urbe clientes,
Cum castis sociis castisque sodalibus, altum
Alta sequens rimatur iter. Proto atque Hyacintho,
Ardua quo valeat montis tam scandere celsi.
Mente polo illapsa patrem petit arva videre,
Prædia collustrare sinat, jocundior isto
Intuitu ut redeat menso regionis amœno.
Cedit ad hæc genitor, comitesque hærere fideles
Injungit, dominam salvo ductare pudore,
Quæ, Pauli instrumenta legens dum fertur in agros,
Christicolas melicis modulantes vocibus audit
Psalmigraphi laudes: « Omnes di dæmones Ethnon.
At Dominus cœlos septemplicis edidit orbis. »

(182) Sic cod. uterque. An. pro *Bonosius*,
(183) Hic desinit ms. bibliotheca Sanctæ Genovefæ Paris.

Curriculum illa jubet consistere, clamque sodales
Convenient: « Sophico constat vos dogmate claros,
Subtilesque hominum mecum permixta studendo
Digna, indigna dolis astuque reperta catorum,
Scrupea Aristotelis docti versuta sophistæ,
Sectam Epicuream, miri figmenta Platonis,
Socraticos monitus et Stoica quid legat ora,
Quod sparsere sophi, quod cantavere poetæ,
Pellitur hac odo Christi qua concio gaudet
Accipimus nihil esse deos, simul omnia vana
Numina responsis sanctorum addiscimus aptis:
Divinis igitur credendum et vera tenenda,
Ni mages oblectat mentes per falsa perire
At sapiens sapienter agat decet, impia sanctis
Segreget, utilibus properet secernere inepta
Justitiæ summam subeat quo tramite quærat. »
Dum serit hæc sociis rationis in arva, parantur
Corda trium celsam ire viam: parit innuba casti
Consilium voti, pariter pellere alma beati
Tecta Heleni cujus præstantia facta nitebant,
Restituit visum cæcis et dæmone captis
Solvit corda, adhibens medicamina plura gravatis
Hanc quia sacra Dei meditantem invisere nulli,
Sancti aut septa senis licitum penetrare puellæ,
Robustos animos habitu insignire virili
Virgo legit: vacua ignaris lectica vehatur,
Ut reliquas dominam fide comitentur alumni.
At reparatur honos, arguta incepta geruntur:
Tres cante socii mundana pericula tranant;
Præsul adest laudes cinctus reboante caterva;
Fit via recta piis, sanctorum iter omne paratur;
Suscipiunt juvenes divina oracula leti,
Auspiciumque viæ rogitant de præsule plebem.
Accipiuntque tropæa viri quo parvulus olim
Luminum vestate sinu consueverit ignem
Cereamque magum flammis exuerit algens
Tres se virgo notat fratres ad sacra venire
Christi postulat hæc fieri quoque nota beato
Præmonito in somnis patri, signantur adesse
Ille genus nomenque rogans capit urbe Quirites.
Germanosque domo, dat nomina virgo duorum,
Se Eugenium memorans secretius esse prehensos
Agnoscunt se, præpositoque manere jubentur
Sacranturque, monasterioque almisque jugantur
Solamen capiunt, certamina quæque gerenda
Prædocti a sancto, cui cuncta recluserat auctor.

At temone levi vacuoque abeunte veredo
Fit gemitus populo tantos lugere parentes
Amissam sobolem tam caro pignore captos.
Discutitur regio, vici, nemora, oppida, montes;
Delphica scitantur, vanus rogitatur aruspex;
Dis rapta asseritur cœlique recepta remotis;
Creditur obscure quod post credatur aperte.
Dat pater effigiem divam sibi collocat auro,
Contentus genitam caro pensasse metallo.
At mater fratresque dolent, nec credita credunt.
Virgo decens animoque habituque virilis et actu
Certat opus Domini, meditatur dogmata Christi,
Lege vigil supera, memori dum mente recondit

A Bina Dei bino sibi testamenta sub anno
Nec modo nescitur mulier, sectanda virorum
Quis agit egregiis, quam virginitate, pudore
In præcelsa ferens humilis dilectio ducat,
Laudibus in Domini, precibus, pietate, vacantem.
At prisci comites dignissima gesta sequentes
In cunctis dominæ satagunt parere beatæ
Hæc in vota datis jam tertia volvitur æstas
Emeritusque loci pater alta ad præmia transit,
Quodque in se melius sibimet præponere cunctis
Complacet, Eugeniumque legunt, licet illa sequentem,
Nisibus et totis fugientem sumere fastus
Tandem evangelicis parens instructa profatis
Culmen prona subit monitis servire subacta;
Subdita præficitur quasi servula tramite Christi.
B Non dominetur; at ut cunctis inserviat una,
Infima præcellens renitet subjecta ministris,
Ultima subjectis servit servire paratis;
Interna externaque studet succurrere cura;
Laudibus in Domini semper jussisque supernis
Degere cum sociis omni virtute laborat;
Crescit et in miris animo mirabilis olim
Dæmonas imperio perturbat sedibus actos;
Lumina pupillis cæcorum infundit apertis,
Plura gerens quorum late respergit odorem
Accedunt multi vario languore levari:
Febribus acta diu quædam Melantia venit,
Quæ mox incolumis depulsa peste recessit;
Munera at illa parat medicinæ pendere dono:
Mittit gurda scyphos solidis auroque repletos.
C Respuit hæc Domini præsago flamine plena,
Ac jubet indigeis tribuat, marcentibus addat.

At contra dirus medicamina prospera serpens
Tetra venena coquit, salvatam corpore mente
Perdere præcipitans, opus obscurare benignum,
In bona non reputans Christum mala vertere suetum.
Nam sanata salutiferam dum sedula visit,
Assultans alio rapitur languore furoris,
Egregiamque tuens formam aptum spirat ephebum
Pellicibus, cæcoque miserrima carpitur igne
Quo pressi plures. Pretiosi ponderis offert
Dona levem spirans animum hac vincire catena.
Omnia cui supero cernens sordere vigore,
Uritur hinc gravius furiisque agitata recludit
D Quem male concipiens animo confoverat æstum
Nec sufferre valens tantos secretius ignes,
Pandit operta sinu vastare incendia vestes:
Produntur flammæ; juvenis censetur inani
Frugalis cultu macie tabescere vana,
Accepti decoris juvenilem perdere florem,
Ceu tristes Deus accipiat, modo gaudia charos.
Temnentes habeat delectamenta peritos
Colligat, aut hominum cruciatibus altor ametur.
Ingratisque tributori videre tributa;
Quin videat credatque sibi solaminis esse
Concessam meritis, requiem finemque laborum,
Lætitiæ sociam, rebusque accedat opimis:
Largiri Dominus quam et opes et sanguis adornet:

Nec Christo injustum juvenem sumpsisse maritam
Hic pia virgo, premens anguinæ sibila vocis,
Fida tegit decoris speciosum culmen honesti,
Et laqueis animam tentans evellere mortis,
Ostendit miseri vana oblectamina mundi,
Ut fugiant, subito dum credita posse teneri,
Dulcia prætendant, ad amara pericula ducant,
Cultibus invitent maculis, fœdare suescant,
Gaudia promittant, et mœsta perennia tradant
His aliisque parat letho servare subactam,
Illa repleta malis, caligine mortis operta,
Cui furor aspidis obstructas oppresserat aures,
Saxea marmoreis transibat durior antris.
Ruminat ægra dolos, externum subdola morbum
Nequius interna mentitur perdita peste;
Flagitat hujus opem meditans auferre salutem;
Invitat medicum cupiens abolere medelam,
Ingressam petit obscenis lupa nisibus agnam,
Effugit amplexu accipitris velut ungue columba
Addit et increpitans: « Digne Melantia nomen
Nigra tibi, quæ perfidiæ ferrugine livens
Struxisti tetri larvis habitacula cordis,
Discede, impostrix, canis illecebrosa, recede,
A Christi pellax agnis discede colubra;
Non hac militia Jesu sancta agmina certant,
Nomine quin Domini virus superabimus istud,
Atque triumphantes clementia proteget alta. »
Vulnere at illa gravi præfert perculsa pudorem,
Diro corde nefas cumulans, ducitque petendum
Improba præfectum querulo clamore Philippum,
Ni falsis petat, ipsa peti verisque notari
Vafra pavens, juvenem passamne questa scelestum
Hunc nisi succursum prope captivasse pudorem
Christicolam memorat, cultuque operire pudorem
Ille his accensus, juvenem sociosque teneri
Mandat et innecti, ferroque ergastula pressi
Ut foveant, dum sæva fame paret ora leonum.
Queis subigat discerpendos tradatque tremendis
Rictibus, impuri paveant audita pudici.
Paretur jussis, gravibus nodantur ahenis,
Censentur meriti perferre asperrima lethi.
Exspectata dies exit tempusque palestræ,
Exponendi ursis Libycisque leonibus agni
Ducuntur nexi; fit quæstio certa vicissim:
Diversum Eugeniæ bellum, victoria præsto
Quam prohibet pietas, aliena pericula tardant,
Insontemque jubent discrimina sontis adire.
Æquius e cornu sed dexteriore duellum:
Candida signa movet justos pessumdare iniquum,
Prodere justitiam, castis scelerata jugare,
Sidereum super hæc Christi fuscare nitorem.
Accedunt famuli tristes, dominæque sequuntur
Ac scelus accumulant; cornix candore notatur;
Inficitur fico præclara columba nigello,
Quæ, licet exoptet celsi penetralia nidi,
Martyrio concussa poli captare quietem,
Indignum sed patre pati pereunte retractat,
Quem servare queat, fratres matremque lucrari,
Hostis sed miseret, poscitque admissa remitti.

Consiliumque diu tectum, quod mente superna
Sumpserat, hic tandem rupto manifestat amictu
Femineo robur se corpore ferre virile,
Femineamque maris carnem virtute nitere.
Pandit se Eugeniam, patrem matremque fatetur;
Commemorat fratres, quis Sergius et quis Avitus,
Eunuchos retegit, factum factique tenorem.
Expediens paucis. Sobolem pater ipse recognoscens
Adstupet, amplexu fratres lacrymisque sorori
Adgaudent; famuli dominam gratanter adorant,
Deproperant, certant primi qui gaudia matri
Hæc inopina ferant: rapido vix credula cursu
Maturat stupido nova carpere gaudia visu
Promuntur vestes auro gemmisque coruscæ,
Curritur, invitam licet, exornare puellam,
Fulvo percolitur habitu exonerata catenis,
Tollitur inque altum, rapitur patris ante tribunal:
Unum cuncta Deum clamat Christum esse corona
Laudibus accincti si qui ad spectacula mœsti
Christicolæ astiterant, irrumpunt agmina læti
Glorificantque palam divæ magnalia dextræ.
Addit et Omnipotens hunc magnificare triumphum:
Flamma Dei jussu celsa demittitur æthra,
Absumitque domum pellacis et omnia vastat
Pellicis infaustæ, linquit modo signa favillæ.
Nascuntur populis nova gaudia mista timori;
Sacrandis patet aula Dei, dispersus in unum
Cogitur Ecclesiæ reparato cœtus honore;
Præfectus sacris genitique uxorque novantur,
Jura piis reddit procerum dat pace nitere
Fascibus in præfecturæ ceu præsul haberi.
Cernitur Ecclesiæ pensans miti omnia jure;
Christi passim ædes in celsa cacumina surgunt,
Florent pace pii, livore teruntur iniqui.
Torquentur requie sanctorum, uruntur honore,
Armantur sævo rabidi fervore veneni;
Contendunt Romam sanctum insimulare Philippum,
Tam longoque pati ducunt leve calle laborem,
Ioniique minas et sæva pericula temnunt:
Sollicitant querulis proceres plangoribus esse
Christicolam præfectum, ipsum suadere colendum
Urbibus Ægyptum Christum, omnia vana videri
Jam populis figmenta Deum, fanisque relictis
Cœlicolum, venerari hominem cruce funere passum:
Augustos proceres antiqua et publica jura
Æneadum temni, Romanaque sacra revelli.
Moti his sceptriferi legant decreta Philippo:
« Aut divis solita deffundat per delubra liba,
Aut rebus cedat dejectus honore secundus. »
Ille sagax possessa poli transponit in arcem
Rideat ut fures, minitantia culmina spernat;
Augendas committit opes et munera Christo.
Spe cassus crudam rapitur successor in iram,
Hunceque neci dare disponens inhibetur amore
Devincti per blanda viro modulamina vulgi,
Anxius ille dolos ægra sub mente volutat,
Affingitque nefas; armat mittitque, reperta

Fraude, viros; simulans socios, comuntur ovina
Pelle lupi, celerique dato conamine fortis.
Qui veniant pandunt, proceres votisque vacantem
Percutiunt Patrem vestigia diva sequentem
At populus monitis structus, virtutibus auctus,
Qui per eum cæcis visum larvisque repulsam
Viderat inferri, stringit traditque latrones
Latroni: geritille suos sine crimine mores.
Utque reos capit, ut gratos dimittit amicos.
Martyris ossa monasterium quod virgo pararat
Filia virginibus recipit, quo Claudia mater
Pauperibus fessisque via pia donata condit,
Prædia delegat, dignis res usibus aptat.
His ita dispositis, Romanam nacta regna
Cum gratis repellit robusta et virgine grata
Præfecti genitos capit applaudente senatus
Lætitia, claris et honoribus afficit auctos;
Candidulis ornare Dei hic quoque floribus aulam
Undique collectis non cessat virgo virilis,
Dumque serit nitidis candentia lilia sertis,
Sanguine regali accedit Bassilla renidens,
Quæ fructus respersa pie fragrantis odore
Tum dulcis visu decoris flagrare beato
Cœpit; at obsistit diversa professio Christi;
Sed rogat institui cultu tam suave redolentis
Nectaris, allectis intercurrentibus, orsos
Mascula virgos hilaris votorum munere notos,
Affatur comites, accingi ad jura duelli
Mandat honorifera, condicta ad munera tradit
Præclaræ hæc Domino dandæ per dona puellæ.
Suscipit illa velut famulos, veneratur ut alti
Legatos Domini cum queis ad sacra supremi
Nocte dieque vacans cultus ornatur herilis
Culminibus decoris, sanctoque ad sancta vocato
Perficitur papa divaque renascitur unda;
Lilia secreto jam sæpius alba jugantur:
Jungitur Eugeniæ pulchro Bassilla decore,
Æterno potius splendor radiare nitore,
Virgineique chori celsæ approperare magistræ
Fit clari cœtus decoris, fragrantia late
Spargitur, atque poli prærelsa palatia replet,
Unde micans lucis rutilo fulgore coruscat,
Emicat alma dicens penetrans interna duorum,
Atque æternus honos æterno lumine gliscit;
Alterutri comitis fit proxima nota corona.
Interea Eugeniæ lactis dum rore rigantur
Illustres genitæ, mellis Bassilla cibatur
Nectare depacto. Produntur gesta sodali
Pompeio, qui, sollicita dum mente requirit
Virginis alloquium, fit onustior ore negato
Pondere fervoris, cæcoque incenditur igne:
Fratibus eximiis gregat allegatque puellas,
Quæ simul ambitæ debellent pectora pactæ;
Illa, velut turris constanti robore tuta,
Spicula missa teris nullis cessura pharetris;
Quas capit hostiles, placatque, adigitque catervas.
Quæ, simul aspersæ diva dulcedine roris,
Desesciunt armis atque improba bella remittunt,
Barbaricoque duci servire ad frivola temnunt.

A Tollitur in diros juvenis rancore furores,
Nec jugi Augustis miseras plorare querelas;
Cernitur aut sponsam tandem Bassilla resumat,
Aut jugulum spernens legum dependat honori;
Eugeniam vel numinibus sacra pandere jussis,
Vel subigi pœnis et atroci morte perire.
Diversa assurgunt ventorum flamina turri
Robusto innixæ lapidi; Bassilla relictis
Suasibus appetitur, diversæ conditiones,
Ætates, sexus, varia instrumenta laborum,
Machina nulla valet; Christo hæc effulta resistit
Immoto cunctis animo, sponsumque nec aure
Ni Christum admittit, cui pectora fida reservat,
Ast ubi tot nimbis jaculorum invicta probatur,
Furtivo appetitur dum lux natalis apertum
B Decutiat ferrum, inque domestica septa triumphum
Ense capit, terræque polo permittat honorem,
Mox sancti comites dignæ pia dona magistræ
Captantur, dominæ velluntur pignere mactæ
Et despecta ad fana Jovisque trahuntur ad aras.
Hinc regi supero dum vota patentia legant
Labitur ante pedes ictus virtute superna
Qui deus orari cultu mandatur iniquo,
Solvitur in cinere pulvisque probatur inanis.
Corde sub obscuro Nicetius artibus istud
Deputat athraciis, victoresque ense recisos
Regna triumphantes ab agone ad cœlica mittit.
Tum petit Eugeniam religatque, efflagitat artes
Christicolæ quibus innisi magicamque revelet;
Illa Dei summi præconia mystica libans,
C Prædicat hæc Zoroastræis potiora figuris.
Queis stupidus mentemque nigra caligine tectus,
Hanc præfectus agi dat Venatricis ad aram
Truncarique, deæ vel sacrificare Dianæ,
Illa preces cœlo dum dirigit ante sacellum
Delubri tremit ima vibrans fundamina tellus.
Nec gentile sacrum venerandæ ad verba puellæ
Stare valens, splendore velut dissolvitur umbra,
Cyclopeæque ruunt fabricæ quasi sole favillæ.
Acclamat populus sanctam; pars nequior atram
Infremit esse magam: saxo sic colla jubetur
Pressa dari fluvio. Sed non immergier undis
Terrestrique valet cœlestis pondere subdi:
Solvitur at supera saxumque avellitur alta
Vi Salvatoris: regitur secretius atque
D Navigio victrix agitur super æquora divo;
Quæque manus Petrum quondam per cærula rexit,
Eugeniam rapido latent ne gurgite vexit.
Clauditur ignitis virgo invictissima thermis;
Sed fugiunt flammæ, cunctus dejungitur ardor;
Admissaque magis fornaces virgine frigent
Quam nivibus lapso arctois si flumine pressæ.
Ignibus absumptis debellatisque caminis,
Accipit immunis tenebrosa ergastula victrix.
Lumine discluso multis escaque diebus:
At pactam interno cœlique nitore micantem
Haud sinit externis sponsus latitare tenebris,
Luminis emisso refovens cœlestis amœno;
Hincque diem præter lux altera mittitur orbis,

Visitat et fidam Christus solatur amicam,
Æthereoque cibat dilectam pane clientem,
Quoque sibi societ thalamo super astra revelat
Instituitque diem qua terris editus olim
Virgine virginea venit gaudere marita.
Fatibus immotis stat pollicitatio regis ;
Decretaque die jusso mucrone satelles
Horridus approperat, ferroque ad regna puellæ
Pandit iter ; cœlum illa petit gaudentibus aulæ
Spiritibus superæ, qua missa die mera terræ
Lux ortus spleudore sui psallentibus æthræ
Agminibus summæ divoque aspersit honore.
Virginis egregii thecam rapuere propinqui,
Nec procul urbe via proprie posuere Latina
Cespite sanctorum multis quo busta pararat.
Cujus ad exsequias luget dum Claudia mater,
Gnata piis comitata choris solamina defert ;
Vestibus et rutilo auratis quæ compta nitore
Lætitiam matri mansuraque gaudia portat ;
A Impertitans gaudere simul proditque receptam
Luci se thalamis, sanctorum patre senatus
Sedibus applicito superis apicique perenni ;
Designansque diem qua sit potitura polorum
Pace pia, mandat decus asservare supernum
Admoneat fratres quos possit habere sodales
Lux monitus comitata micat splendore caducos
Exsuperans nimioque hebetans vibramine visus
Cœlicolæ cum luce Deo modulamina ferre
Vocibus auditi melicis, nec ab ore ferendis
Mortali, Christus tantumque et Spiritus almus
Accipitur. Regressa domum dat Claudia gnatis
Sollicitæ fratrum cœlestia jussa sororis.
Atque die ostensa cœlo fruitura recedit.
Quam genitæ geniti associant, legata fideles
Jussa colunt dignique polorum munere vivunt ;
B Lucraque curantes acquirere ditia Christo,
Damna parant Erebo, densissima fenora cœlo

CAPUT III.

De sanctis Ruffina et Secunda.

Ruffinam hoc bello capimus pariterque Secundam
Regna hominum vicisse pii fulgore triumphi,
Desponsos quarum cuneis desciscere Christi
Pessima sub dubiis monitrix formido coegit.
Hincinfensæ animis pactorum fœdera temnunt
Degenerum, turpesque legunt vitare sodales.
Prædiolum aggressæ voti solatia, magnam
Nobilius multo decernunt linquere Romam.
Sublimesque humilis sub culmo degere tecti
Aurato mersæ quam culmine in urbe manere.
Explorant reteguntque fugam comiti Archisilao
Eversi et causam socii, qui more columbas
Accipitris sequitur, volucrumque advectus equorum
Præcipiti prendit fugientes agmine nidum ;
Quas revocans Urbis præfecto ac legibus offert
Donato, clausas gemino qui separat antro,
Corde cohærentes uno quod dissociare
Arte valet nulla. Post hæc dum tertia reddit
Lux elementa operum, præsto sibi mandat haberi,
Excipiensque prius penetralibus appetit orsis
Ruffinam : « Illecebris, natu cum nobilis, inquit,
Eniteas, cur serviles sectare labores,
Nexibus ut malis gravibus captiva sedere
Libera quam grato florens gaudere marito ? »
Reddit virgo : « Duo prorsus hortaris inepta ;
Omnimodis dubium incertus promittis et unum ;
Sacra litare jubes pœna queis perpete plectar.
Perdere amore viri das virginitatis honorem,
Tamque adversa sequi durantia gaudia nectis,
De tete ignorans an crastina tempora cernas. »
His super hanc præses cædi admittique. Secundam
Præcipit. Illa videns flagris recubare sororem :
« Quod facis, exclamat, divini numinis osor,
Quod facis, o trucium scelerate, quid est quod ho- [norans
Invide germanam, me indignam hoc culmine ducis ? »
Quæsitor : « Pares insanior esse sorore. »
Illa : « Nec insana est soror, haud insanior ipsa ;
Christi sed cultu Domini connectimur ambæ ;
Congruit et pariter cædi quas culpa ligat par
Quo simul ornemur Christi ut simul alma fatemur. »
Sicque fidem prompta superam dum laude retexunt,
Tradit eas tenebris fumumque fimumque ministrat
Improbus exactor : sed aromata stercore surgunt
C Nectareique locus flatu repletur odoris ;
Vincitur obscurum rutilæ vibramine lucis.
Tum jussæ inde rapi thermisque ardentibus indi
Dum simul enectæ hoc missi fervore putantur
Corpora qui tollant, sed pressa incendia cernunt
Igne Dei blandoque alacres algore sorores.
Adstupet his judex victricesque amne tegendas
Decernit Tyberi, saxo quæ colla gravantur.
Fluctibus abduntur ; vix transegere sub undis
Horæ dimidium et referunt sua pondera lætas
Quæque ierant nudæ tegumento vestis in undas
Vestibus ornatæ emergunt immunibus amne,
Christum laudantes clarumque celeuma canentes.
Cognitor his pavidus comiti pietate fatetur
Harum se victum magica seu fraude subactum
Reddit et addictas ipso vel judice mulctam
D Accipiant censore suæ vel vadere possint.
Archesilaus eas nil emollitus ad acta,
Abduci nemorum, mandatque in lustra perempta
Pabula silvicolis mitti alitibusque ferisque.
Gratia sed Domini cæsas nec in abdita linquit
Plautillam accipimus, cujus hæc rure patrata,
Matronum visæ cui sunt residere parato
Gemmatæ in thalamo, et sibi talia jussa ferentes :
» Desine flagitiis, cessa, Plautilla, scelestis ;
Cultibus idolii jamque impia vivere linque :
Et credens Christo propriam rem visere perge,
Corporaque inveniens loculis ibi condito nostra. »

Exsurgens mulier monitis explere propinquat,
Et data reperiens sibi munera, credit, adorat,
Inque Dei laudes veneranda sepulcra coronat.
Hoc plures actu passim cœlestia scandunt;
A Hoc superant Basileus pariterque Jovinus in astra
Aurea regna via cœli petiere Latina,
Levitana parit dum quinquaginta triumphum.

CAPUT IV

De sancto Sixto papa et Laurentio.

Regimen apostolici munia venerabile juris
Post Stephanum Sixtus dignus moderatur habenis,
Qui Romam sophicis clarus regalibus Athenis
Dumque furore nigro tentus detruditur umbras,
Et penetrare simul Laurentius expetit antra
Cohortaturus, positis hinc rebus, agonem
Ecclesiæ jam lætus adit prædicere ministro
Proxima bella; dein ductus libare sacellum,
Et partim sternit, libat caput Omnipotenti.
Junctis levitæ cui, felicissimus atque
Agapitus, comitesque duo sibi quatuor arcti,
Traditur, et quartus veneranda tropæa secutus
Interea expensas capitur Laurentius [illegible]
Depromens dotes simul ac se ostendere promptum:
Nempe datas legatus opes in viscera Christi,
Circumiens cryptas, perlustrans antra piorum,
Indignus refovens gemina curaverat esca;
Et viduam capitis Quiriacam absolverat æstu,
Evacuans tristes longum quos passa dolores:
Hauserat amissum Christi Crescentia signo
Lumen, clerique referens hæc lucra fidei
Cernere certantem cœli qua optavit athletam,
Explicitis opibus properam qui sanguine palmam
Quæreret, differtur. Patiens in ferro palæstram
Censetur: patris retrusa talenta jubetur
Pandere servandus, dum quæstio sæva teretur.
Traditur Hippolyto cujus devinctus ahenis
Lumina fert cæcis; Lucillum instaurat utroque
Interno externoque levans qua luce refusa
Plura simul surgunt cœlestis munera corusci.
Hippolytus cum plebe domus divina capessit
Numina, et æterno rutilus fulgore nitescit.
Exhibet irradiatorem post talia jussus,
Tectarum rogitatus opum qui aperire crumenas,
Dulcia dat sapiens æris tractator honesti,
Atque interstitium poscens opulenta ferendi
Venia, tres capit ampla dies promissa daturus,
Magnum mox inopum vulgus ditemque catervam
Fenoris adensat, Christi altos condit acervos.
Et decus Ecclesiæ numerosa examina cogit,
Aggestisque opibus promit fecunda tyranno
Munera, mendici præbens densa agmina cœtus.
Quæsitor furibundus atroxque atrocior exit
Ridetque fremit, rabidus spem ponere avaram:
Arma acuit, truciore parans sævire furore
In vinctum virgis subigens quem sulcat acutis;
Lamina dum, fervens lectus, plumbataque parantur,
Dum tormentorum ac mortis genus omne revolvens
Expetit, asperius vitam quo crimine pellat,
Exhibet apta truci necis instrumenta lanistæ
Infrendetque minas: Epulas hæc martyr amatas
Deputat, ac validos crescens robore lassat.
Tempta fide ardenti cum lamina vincitur ardens
Plumbea præstanti superantur pondera mente;
Omnia ridet, ovans cœli polamine fortis;
Dumque triumphata frangit tormenta catastæ,
Lumina divini torquentum corda capessunt
Præsidii: miles Romanus ad orsa beati
Belligeri mentem cœlesti lumine tactus,
B Cernere se clamat radiantia cœlitis ora
Oraque certantis divo fulgore corusca,
Auxiliumque petit ne in tam scelerata residat.
Annuit Omnipotens tortorem angore fatigans
Æstuat ergo animo, nescit quo se regat æstu,
Utque recrudescens hostem ferventior ira
Conficiat, jubet exsolvi tempusque remitti
Invicto, ceu tractandi victumque levari
Se quærens monstrat, quid dimicet arma retrectat
Apta sibi ferri Romanus tempora cernens,
Approperansque polo lymphas queis splendeat affert:
Victorisque pedes precibus submixus adorat
Salvari poscens sacrante et fonte piari.
Nec differt levita rudem lustrare sodalem;
Abluit, armaque candidulo victricia tradit.
C Tyro novis novus addiscit pugnare sub armis:
Assuescit rigidis quoque vincere fustibus ictus;
Eximioque probans sese munimine tutum,
Victor et expertus ferro cervice recisa,
Aspernatus humum præcedit in astra magistrum.
Suppliciis pulsatus item Laurentius, alta
Mente hilaris vultuque manet, contusus et ora
Saxis perstat ovans; Christique in laude triumphans,
Constrictus nimio torquetur tormine. Tortor,
Cuncta nolens vacuo consumi tela furore,
Invidet hunc ictu celeri super æthera tolli,
Invictumque Dei tota virtute lacessit,
Bellatorem lento tandem consumier igne
Præcipiens, flammas volucer ne transeat acres;
D Assarique jubet tepidis sub vate favillis.
Igne ministrato prunisque ardentibus auctis,
Applicitus chalybei nudato corpore lecti
Ceriens ore nitet martyr nec gaudia tosto
Diffugiunt, fractusve lepos ad vota tyranni,
Arma cadunt lanio, surgunt insignia passo:
Offert se lætus holocaustum nobile Christo
Solanti grates Domino laudesque rependit,
Gratificasque inter superi charismatis odor
Emicat e prunis, cœli fulgore coruscus;
Regnorumque petit Christi alta palatia victor,
Judice confuso. Pignus venerabile lictum
Hippolytus pariterque socer Justinus honestis

Curant exsequias, Quiriacæ et conditur agro
Jungitur ac sanctis Crescentia cæde triumphis.
Traduntur passi tunc Claudius atque Severus;
Virtutum eximii decoratur honore sepulcrum
Levitæ, innumeræque nitens splendore medelæ
Mirificis radiat reverendum crebrius actis,
Et quaquaversum decori loca martyris almi
Eduntur, veneranda micant monimenta salutis.
Sic ejus templi dum fabrica lapsa Brionis
Restruitur cæsæque trabes et tigna parantur,
Trabs inventa brevis meritis producitur hujus,
Atque favet votis visa est quæ futilis arbos;
Robore tensa opere variæque repensa medelæ
Proficit hæc: fabricæ fidei quoque proficit auctæ;
Proficit indiguis tribuens pia dona vigoris.
A Sed nec Mediolanensem minor extulit urbem
Levitæ egregii cultus, ubi nobile templum
Nomine sacrati superato martyris igne
Crystalli calicem specioso stemmate servans;
Sanguine divino claro de vase clientes
Potabat cœli speciem cœlestia præbens;
Quod manibus lapsum sacram tollentis ad aram
Frustatim nimio dispersum fragmine cessit.
Pallidus, exanimis, pavor inficit ora ministri,
Qui sata frusta legens altari martyris infert;
Et fidens virtute Dei fidei arma capessit:
Excubiis precibus lacrymis dans tempora noctis
Aram mane petit, vas damni immune resumit;
Idque fide solida solidatum pectore fulcit,
Et cumulo fidei cumulat solemnia voti.

CAPUT V.

De sancto Hippolyto.

Martyris exuviis celebri decoramine functis,
Hippolytus rapitur tosti quod membra magistri
Legerit, arguitur; Christi mox verna repertus.
Verberibus quatitur; fidus fortisque probatus
Antiqui Hippolyti mulctam perferre jubetur.
Christiloquæ famuli sectæ rumore notati
Ducuntur, Domino ad mortem servire parati;
Confessoris eos inter concordia nutrix,
Promptior ut reliquis fidei fervore videtur,
Culmina prima subit plumbatis incita cœli;
Cætera mox fortis famulorum inventa caterva;
B Jactura cervicis heri super æthera bigas
Præcedunt, metaturi Domino ardua regni.
Ille decem atque novem famulis ad sidera missis
Subsequitur, completque sui integritate secundam
Perfectus seriem, cœlos per scrupea vectus.
Quem sævi rapiunt passis ad cœlica plantis
Cornipedes, monstrantque polum callem ire per arcum.
Et tribulis tritum mittunt super æthera mactum.
Justinus laceros variis appulsibus artus
Colligit, emeritoque pium dependit honorem.

CAPUT VI.

De sanctis Herennio et Abundio.

Tuncque intercepti subeunt Herennius atque
Officii consors felicis Abundius æthram.
Enectos idemque sacer, sordente cloaca
Hippolyti quia nutricis hinc membra levarant,
Proripit, illustraque sacris sacra pignora thecis.
C Nec longum sepelitur ab hoc Tryphonia quondam
Funesti conjux Decii, quæ, fonte piata
Divo, cum genita superis terrestria regnis
Nec mora permutat, veroque nitescit honore,
Inter vota precum celeri capta agmine cœlum.

CAPUT VII.

De ultione in Valerianum et regno Romanorum.

Multa per Æneadum sanctorum millia regnum
Hæc postquam succensa feri fervore draconis
Suppliciis ad regna lues cœlestia misit,
Letho ac suppliciis gravius fert dedecus auctor,
Et qui servili multos sub lege rotarat
Vertitur officio servili ac turpe capessit
Servitium, captus Babylonica regno regentem
Romulidum princeps plantis ut dorsa gravatus
Incurvus sustollat equo pensamine digno.
Luminibus miser effossis quo Valerianus
Consenuit plexus prius ut fixisse probaret
Se cæcum tenebras et furva pericla secutum.
At non sufficiens tot funere millibus actis,
Sanctorum probris unum caput hisce subactum,
Dum variis cruor effusus regionibus orbis,
Non modico in sævos ulcisci sanguine poscit.
Undique enim laxis surgunt nova prælia frenis:
Ac, veluti quondam Pelusia rura locustæ,
Barbaricæ Romana tegunt ita culmina gentes,
Germani Italiam post Rhetica rura pererrant,
D Hæcque Alamannorum terebrata et Gallia trita
Turbinibus, Pontus, Macedonia pressa Getarum
Fluctibus, inque Asiam hac populatur Græcia plaga;
Ablata penitus Dacia quantum abserat Ister
Sarmata Pannoniam incursu profligat eodem;
Euphratis Mediam fluviorum ac Tigris alumnam
Diripiunt Parthi Syriamque abradere missi;
Germanisque peregrinis Hispania cedit,
Et ne tuta quies intus per viscera regni
Securos alat, immunesque fovere putetur
Fors aliquos, bella interius civilia totis
Fervescunt latebris largumque effusus ubique
Plurimus Æneadum cruor, insistentibus ipsis
Barbarieque, in se sanguis quos sparserat almus

Sed data pax justis pacem confœderat orbis
Bellorumque truces sopitis ignibus æstus
Pace terunt populi, decorantur munia Christi,
A Oppressis passim trucibus per probra tyrannis,
Lugubris ante quidem, floret pia concio tandem
Laudibus inque Dei gaudent nullo impete tunsi.

CAPUT VIII.

De persecutione Claudii et sanctis Lucio et Marco, Petro et Theodosio.

Claudius exstinctæ rediviva incendia flammæ
Donec et obtectos reflando resuscitat ignes:
Qui Decii prolem, divo Jordane patrem,
Tormentisque minas, monitus et jussa profani
Felicem crudo peragit mucrone Cyrillam
Militiæ plures, quos fonte novaverat almo
Successor Sixti Dionysius, arctat et atra
Rubentes rabidi periunt præcepta furoris.
Quatuor hos inter validæ fervore fidei
Lucius et Marcus, Petrus, Theodosius alte
Flagrando mox ensiferos properare tuentur;
Poscunt præpropere primis cœlum ictibus ire:
Quos et Justinus tumulis sanctamque Cyrillam
Præterea multos cinctus pietate receptat,
Confessorque sequens consors adhibetur honoris.

CAPUT IX.

De ducentis et sexaginta simul martyribus.

Fertur ducentos cœruleis glareis
Simulque sexaginta ductos martyres,
Hic rex gravi labore tunc exercitos
Turmis petitos et sagittis saucios
Ad regna cœli a servitute terrea
Vinctus corporis extulisse tempora.
Horum tulere membra servi cœlici
Marius pia jugali Martha præditus
Junctisque votis Audifax et Abbacuc,
Quorum notantur apta cœlis nomina,
Orationis gratia qui ex Perside
Apostolorum venerant ad limina
Joanne fulti nobilissimi advenæ,
Honore dignus qui nitebat presbyter,
Cultuque honesto colligentes linteis
Emptis sacra ossa condidere Salaria.
Tunc et Quirinum amore Christi qui vigens
Proscriptionem, flagra, vincla, funera,
Spreto triumphum passus hoste sumpserat;
Quem dum tenetur foverant ergastulo
Tiberi revectum Pontiani interserunt
Bustis, decore quo decebat martyrem.
Post hunc prehensi cum Valentino in domo
Ultro manentes, qua beatus ille sacer
Confessionis clausus almæ gloria
Animas sacrabat, clara dans miracula,
Quem cæcitatis erutum caligine
B Gaudere pulchra præstat Asterium face
Sublato puellæ restituto lumine,
Plures tenebris luce agens hac liberos,
Ipsam patremque, conjugem ac domesticos
Tam verberatus nec subactus fustibus
Truci capessit sectus ense cœlicam
Mercede capitis quam paravit regiam.
Hinc exhibentur advenæ illustrissimi
Actique flagris, terga cæsi robore,
Regi superno vota reddunt gloriæ,
Mox igne tosti et ungue fossi ferrea
Pensi catasta, gratia Deo litant
Christique clara in laude læti concrepant.
Manibus recisis inclytumque in dedecus
C Ad colla nexis, territis spectaculum
Ducti per Urbem triste dant Quiritibus,
Sic colla secti regna scandunt cœlica.
Caput cruore Martha gaudet tingere,
Quæ mersa lympha cœlum ab undis expetit:
Nec tanta adjectos cæde mites sufficit
Quin ne sepulcris muneraret charitas
Rogis litata conflagrarunt corpora.
Semiusta fertur ossa sed Felicitas
Rapuisse diris occulenda ab ignibus
Bustisque proprio condidisse prædio
Pure levatam conjugans viraginem.

CAPUT X.

De sancto Cæsario martyre.

Tempestate sub hac, divino numine ductus,
Cæsarius Terracinam devenerat urbem,
Sacrilegaque videns dum mente redarguit alta,
Principe Firmino, divos nutante, prehensus,
Carcereque inclusus, protinus affligitur artus.
Suscepit additum, post ista Leontius atque
Luxurium sermone probans feritate lacessit:
Nam præ curriculo pergens agit ad sacra Phœbi
Vestibus infectum post terga manuque revinctum;
Quo dum percutiens Domino pia vota refundit,
D Latoidæ non jussa ferens, fundo ruit ædes
Pontificem pariter Firminum amplexa ruinis.
Sacra triumphantem populus ne laude coronet
Mox nigris victor divum retruditur antris,
Qua Domino junctus toto mansisse sub anno
Fertur, et hinc plenum supplet dum Cynthia cursum
Redditus inde foro precibus dum transilit astra
Luminis induitur subito fulgore superni;
Externis lux lata oculis interna penetrat
Corda virum: superno splendore Leontius auctus

Credere se prodit chlamydisque obnubit amictu
Præbentem nudo spectacula corpore vulgo
Nec mora, diluitur divaque renascitur unda,
Vitæ et sacra piæ, Juliano dante, capessens
Fusis mox precibus celeri petit æthera saltu.
Presbyterum sanctum Julianum almumque ministrum
Cæsarium princeps ejus sacco insuit urbis
Luxurius, parricidalem quasi sumere mulctam
Promeritos, gremio sumpti qui in cærula ponti
Ne maris ebiberent fluctus lymphantis amaros
Vorticibus scandunt Thetidis cœlestia summis.
Littoreis thecas, reddentes illico arenis,
Eusebius quas inde pius monachi bonus actu
Dans terræ terram dictam prope condidit urbem
Quorum ad busta preces Domino ac jejunia libans,
A Dum multos cultum a vanis convertit ad almum
Presbyter æthereo felix quos fonte novabat,
Efferus æquivoci pietate Leontius ambos
Rapti inconcussam stringit genitoris ad arcem,
Inde foro inducti nulloque rigore subacti
Tum tenebris trusi, dum terræ flamina tremunt,
Excipiunt cruces migrantque ad sidera læti ;
Corpora fluminei lymphis exposta lavacri
Ad mare concedunt, custodem quippe fidelem
Cui sese dedant quærentia munera dignum :
Quartus ad id Capuæ perductus ab urbe sacerdos
Littoribus legata levat commissaque perfert
Curriculo sublata casam, cupita atque requirens
Invenit, hæcque sibi se ultro pandentia sumit
Junctaque corporibus qua pignora sancta locarunt,
B Doctorum tumulis collata recondit honestis.

INCIPIT LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De sancto Felice papa.

Felix in cathedræ applicitis moderamine Petri
Succedens, bene gestat onus, bene tractat honorem,
Mystica decernens victorum ad busta litari
Atque coronatus fusoque cruore triumphans,
Quem jubet impendi, impensum caput ipse decorem.
Eutícianus eum officioque fideque secutus,
Nequaquam inferiore studet pietatis amore
Gliscere in emeritos, nam per diversa trecentos
Quadraginta duosque ferunt polyandra locasse
Cæde coronatos, manibus quos ipse recondens,
Martyribus digno cultuque affecit honesto.
Nec mora, conjunctus victores evibrat inter,
Testibus et testis convertitur auctus honore.
Ipse quibus loculos habitu contexit amœno
Occurrunt læti socio aurea regna petenti
C Luceque conspicuam ducunt gratanter in aulam

CAPUT II.

De sanctis Basilide. Mandali et sociis.

Tunc imperator incitatus manibus
Aurelianus castra regis cœlici,
Edicta cudens nonus indignissima,
Vexabat, evitanda certans prælia.
Basilidis isto Mandalisque traditur
Tripodis simulque his decem sodalium
Romæ triumphum nacta virtus impetu :
Via receptos quos ferunt Aurelia.

CAPUT III.

De sancto Agapito.

Agapitus Prænestinum fervore sub ipso
Illustrat virtute solum : qui luce beati
Functus Porphorii, celebris pietate magistri
Ut fontis liquidam sitiens desiderat undam
Martyrii summum fibris ardebat honorem.
Vix natus post quinque decem compleverat annos
Sceptriferi jussis et tentus ob inclyta Christi
Quæ non cessabat præconia spargere dictis :
Crudis subrigitur nervis flagrisque severis ;
Invictus tandem lasso cæsore probatus
Censori Antiocho datur appellendus ad aras,
Spurcis qui latebris antroque nigrante receptum
Quatriduo tenet impastum sumptuque carentem ;
Exhibitus posthac ardentes vertice prunas,
Suscipit exultans testis gratesque rependens
Omnia servanti seque hæc in bella levanti.
Cæditur inde flagris nudus, suspenditur acto
Ad terram capite, ac fumo perfunditur acri
Ille inter : « Frustra sapientia vana laborat
In fumo, præses tua. » Turbidus ille profatis
D Vexat item crudis, lanio alternante, flagellis,
Inque vicem sibimet succedere quattuor addit.
Hinc ventrem profudit ei ferventior unda,
Frangunt maxillas, laudem perfringere Christi
Sed nulla arte valent Satanæ superante ministri
Ast ne sacrilegis longum subsanet inultum
Cognitor athletam Christi dans effera tutus,
Hæc inter subito caligine cingitur atra,
Deque tribunali recidens virtute subactum
Martyris addiscit delatus robore inanis,
Lectoque applicitus, tristi sic funere functus,
Plenam felle animam vacuas emittit in auras.
Acta hæc Cæsareas stupidant dum protinus aures
Ipse leoninis dicat haustibus esse vorandum
Victorem humani per tanta tropæa furoris
Mitent corda feræ, naturam ponere gaudent,

Mansuetæque ruunt, vincti et vestigia lambunt
Securum ergo feras inter magis esse dolentes
Flagitii fabricatores scelerisque clientes,
Belluina quam inter homines feritate furentes.
De medio testem multa virtute probatum
Abripiunt, procul abducunt, colla ultro litantem
Celsithrono feriunt ferroque ad sidera tollunt.
Deproperant noctuque legunt sacrata fideles
Membra sibique suæque vehunt tutamina plebi

A Ac nova tum loculo, divina mente parato,
Ilicet invento pretiosa monilia condunt.
Hoc inter tormenta Deum læto ore fatente
Quo regitur Christum, quidam ex astantibus illic
Clamat Anastasius: « Vere magnus Deus ipse
Præter eum nullus. » Dictis stupefactus et amens
Nuntiat Augusto seductum martyris arte
Præses Anastasium, quem mox jubet ille perire
Sicque pium cælos pia fert confessio testem

CAPUT IV.

De repressa persecutione Claudii.

Nec longum turbare datur Christi agmina sævo,
Qui mox inter acerbissimi primordia belli
Dum dictat leges, fera dum decreta recenset,
Turbinibus nigris actum per nubila fulmen
Proruit ante pedes feralia scita serentis,
Omnibus horruit trepidis formidine visus;
Haud secus Ægypto dudum caligine pressa
Horrendæ noctis stupuisse feruntur alumni
Servantes Pharii crudelia jussa tyranni

B Nec mora Cæsar iter carpens perit impete turbæ
Non hominis pro velle probans sævire flagella
In famulos Christi supero mage numine ferri.
Pacis item suda Christi sponsa unica gaudet
Hinc nullo terrore palam conterrita lethi,
Legibus ense dato, donec Diocletianus
Accensus furiis, Bellona armatus Averni,
Producit flammas Acherontaque vergit in orbem.

CAPUT V.

De sanctis Chrysantho et Daria.

In quosdam furuisse licet rex Numerianus
Tradatur, multo palmarum culmine mactum (184)
Cum sociis sanctum qui mittit in astra Chrysantum.
Terrenus generis proavorum stemmate clari
Auctor Alexandrinus erat Polemius isti
Qui genitum studiis dans liberioribus uti
Imbuit et sophicos callere per abdita fucos
Is dum sollicitus multorum inventa revolvit
Tandem evangelici scandit solidamina portus,
Doctoremque etiam legis sectæque requirens,
Carpophorum reperit, casto qui jure sacerdos,
Civica jura cavens, nemorum spelæa fovebat.
Quo duce sidereæ modico sub tempore callis
Nactus iter, graditur clivosa per ardua liber,
Intrepidoque palam Christum sermone fatetur.
Fertur id ad patrem, procerum qui jura tremiscens,
Claudit in obscuro fœdi spurcaminis antro
Afficiensque arcto gnatum, jejunia solvit
Grata cibo; gaudet juvenis quæsita subisse,
Gratatur, favet, assultat, complectitur, ambit,
Sæque diu se exerceri promptissimus optat.
Suggeritur genitori ardor genitique voluptas,
De cruce pendere et jejunia lætus inire
Christicolarum animos tali sub more suetos,
Gloria queis et honor hoc crescere jure putatur,
Quin studium vertat, tales non hacce premendos
Lege viros, contempla ferat, vitiata reponat,
Deliciis subigat, connubia clara procuret,
Nexibus his nodet, trahat hac in vota catena
Audit at ipse libens monitus et jussa facessit,
Instruit et thalamos, amicit triclinia curis,
Protinus et genitum squallenti carcere raptum

C Munere præcultis pretioso vestibus ornat:
Invehitur cellæ nitido splendore venustæ.
Applicitæ lepidis animum mollire puellæ
Lusibus electæ vultuque habituque decoræ;
Infarcire dapes, opulentas ponere mensas;
Carcere quæ graviora ferens immobilis obstat
Vir valido fixus lapidi Christoque cohærens
Cœnum delicias, angues reputansque puellas,
Oscula et amplexus, clypei velut ære sagittas,
Discutiens armis validæ objectuque fidei,
Sternit sopitas cantu sapiente colubras:
Victis nobilior primis rationis acutæ
Fatibus, exquisita venit, speciosior ore,
Conjugio Daria velut socianda sodali;
Capto dum reddet patrique deisque Chrysantum.
D Crescit, ea subeunte, datum varia arte duellum:
Nobilitas, species, lepidæ facundia linguæ,
Impugnant valido temnentem cuncta renisu
Gratia quem, fideique pecus, sapientia vera
Cinxerat, alterutrum, adversis confligitur armis
Illa deos præfert divino jure colendos,
Iste docet miseros divoque nitore vacantes,
Idque probat veris patulisque edisserit actis
Virgo probe cedens rationis acumine tandem
Christi victa jugo accedit submittere colla:
Virginitas servanda placet, fictumque subire
Conjugii multo decorandi pignore nomen.
Abluitur sacro conjux baptismate virgo,
Sicque pares casto Christi vincimine juncti
Gignere cœlesti non cessant fenore gnatos
Multiplices, cogitque virum pia castra Chrysanthus,
Femineas Daria densat sub signa catervas.

(184) In margine codicis I eadem manu scriptum: « *Mactum* veteres Romani vocant *auctum*. » etc. Scaliger, lib. I, epist. 20

Agmina plura videns hostis tota Urbe coire
In Christi sacra jura ducis, claramque repulsam
Indici penitus priscis arisque jugisque
Livida tela vibrans diro excitat impete turbas,
Inque pios movet atroces ardore tumultus
Urbis tunc præfecturam Celerinus agebat,
Qui hos cuidam legat tentos ad flagra tribuno;
Claudius huic nomen qui septuaginta Chrysantho
Tortores adhibens crudis astringere nervis
Hunc satagit, sed stat subito virtute solutus
Siderea nulloque jugo sibi vincla cohærent;
Stringitur hinc validi nodoso robore cippi,
Tertius hic morsus crus ut divaricet actum,
Ligna sed in tenuem cippi resoluta favillam
Nec vim, nec pondus valuere indicere sancto:
Putente inde lavant artem depellere mictu
Sudantes, in nectareum sed versus odorem
Belligerum læto fragrans spiramine mulcet;
Inde recens rapto vituli sub tergore sutus
Stringitur urgendusque faci datur Hyperionis,
Jura sed ignorat Phœbus ponitque vigorem,
In testis tantum validi tepefactus amictus,
Nec sentit fervere cultis mitissima solem:
Artubus ut detracta manens ex corpore robur
Forte trahens sancto cessit cui Cynthius ardor;
Inde manusque pedesque subactum et colla catenis
Carceris injiciunt barathro cæcisque latebris:
Nec mora, solvuntur cuncti nodamina ferri,
Lux micat innumeris radians ut consita lychnis.
Supplicii artifices referunt hæc cuncta tribuno
Ille sibi exhibitum nemoroso verbere cædi
Mandat, at applicitæ rigidissima brachia silvæ
Lædere membra pavent, lento ac flaccescere lapsu
Incipiunt; omnem inque manus posuere rigorem.
Claudius ista tuens sanctum tellure levari
Præcipit atque tegi, genibusque advolvitur orans
Seque suosque pia sanctorum lege sacrari.
Mox catechizatus divinas excipit undas,
Pluribus applicitis paribus sociaque jugali,
Hilaris junctis genitis, qui Maurus, Iason,
Militibus pariter quoque septuaginta jugatis.
His sibi subjectis multisque hærentibus auctis
Numerianus ut acta capit, vitreo æquore subdi
Ingenti implicitum saxo fervore tribunum
Deputat insano, tum septuaginta jugatos
Jasonis et Mauri pariter capita ense recidi.
Antiqua latitans erat arte cuniculus illic
Qua cæsi testes, quem noctu sorde levantes
Christicolæ multis decorando monilibus ornant.
Colligit Hilaris genitorum membra tribuni
Exsequiis perfuncta piis, ubi vota profundens
Continuansque preces arctatur ad acta profanis.
Dum trahitur poscit se implere precamina mittant;
Sicque gradum signis Christi dum mystica sumit
Atque genuflectens palmas ad sidera pandit,
Æthera cum precibus scandit cœlum accipit orans.
Tam subito stupidi raptores fine rapinæ
Quæ comitabantur famulas ad funera linquunt;
Hæ dominam extremo famulantur munere, condunt
A Basilicamque super, pro posse in culmina tollunt.
Interea Augustus truclore furebat in altos
Signiferos ira; trudit squalore Chrysanthum
Carceris honorifici, qua stercora fluxa cloacas
Extenuant: Dariam meretricia septa receptant.
Suggeritur clauso sed lux divina Chrysantho,
Balsama respirans pariter fragrantia fertur.
Evadens caveam Dariæ leo mittitur audax
Servator decoris cellamque ingressus honorat
Orantem, astratus placidoque rigore tuetur,
Dumque ferunt Christo plures reverenter honorem
Mirificis trepidi visis, præfectus in ipso
Fornicis ignem aditu multa trabe præcipit edi:
Bellua raucisono flammis pavefacta rugitu
B Perturbare locum, cui virgo animosior: « Exi
Secure, emigrans nullo lædore tenore,
Liberat ille quidem te in me quem mitis honoras. »
Exhibitus posthac præfecto aptatur equino
Sub trabe tormento porrecta immane Chrysanthus
Machina sed refugit, rapiturque in flabra minutis
Dissiliens frustis, sparguntur vincula passim,
Lampades applicitæ, depulso ardore, gelantur.
At Celerinus, eo concussus corda stupore,
Gesta refert domino. magicis qui fraudibus acta
Dependens, castos pretioso fine jugales
Grandine saxigero submergi mandat arenis;
Tramite quo cœli Stephanum super alta secuti
Lacteolo roseoque innexas flore gemellas
Stemmate perpetuo rutili meruere coronas;
C Largoque per populos dum spargunt dona salutis
Crypta supra tumulos claro fabricatur honore;
Quo dum sæpe coit votiva frequentia plebis,
Æneadum dux sæva fremens, celebrante caterva
Mystica, voti aditus claudi jubet ora levato
Pariete, conclusumque premi vasto aggere templum,
Sicque manet dum cruda pios tribulatio tundit
Sculptilium pulsa donec Urbs sorde piatur
Et Christo sacra busta, Deo retegente, notantur.
Restitit at quædam sacris intecta fenestra
Qua sanctorum inspectari monumenta licebat:
Visitur argentum hac intus quod vina litare
Plebs olim intulerat, clausaque resederat aula.
Hac quidam, jussus specie, penetralia, prædæ
Spe, irrepit, rapiturque rapax rapiente rapina;
D Sic raptus rapiens extra prorepere nisus,
Haud valet egressum introitus reperire reperti,
Circumiens tota gyroque vagante laborans
Nocte nec inveniens aditum quo claustra relinquat;
Dum lucis spatio cœlum nigresceret acto
Exitus hinc rursum petitur rursumque negatur,
Nocte notata die tota cataracta recedit;
Sic tribus elusum jam noctibus ægra fatigat
Cura laborque vacans; reddit lux tertia cuncto
Jura foro, pueros ferulis vulgusque plateis,
Diversoque reum certamine carcer adurit:
Hinc pudor, inde fames rapiunt incerta trahentem;
Quid cui præponat libratur vita pudore:
At cruciante fame panso decus interit ore,

Egrediens tandem, populo spectante fatetur
Flagitium, pressante pudore, non ære gravatus
A Damasus ut factum longo post tempore sumit,
Obtegit os ædis, sacra limina versibus ornat.

CAPUT VI

De sancto Gaio papa.

Sedis apostolicæ Gaius post Eutychianum
Culmina sortitus, moderamine tractat honesto,
Nam statuit gradibus sacrorum celsa subire,
Saltibus a nullo Ecclesiæ superarier arcem.
Militiæ Christi primatum ut nemo capessat
Ni tirocinio per singula munia surgat.
His aliisque ditans sanctorum ductibus altum
Sacra columba petit, superas in fastigia fertur,
Augetur, colitur, vernat, mulcetur, amatur,
Regnum dilatat, decoratur, magnificatur.
Lividus antiquum nigranti felle venenum
Anguis inexhaustæ mentis torvo agmine volvens,
Suggerit atque dolis animosque accendit ab altis
Caulis hostibus, suadetque domestica bella,
Frater fratrem ut invideat corporaque lacessat,
Mordeat, mergat, civilis fervens ardor.
Sic magis inspiciens externa pericula posse
Sumere proventum postquam tanta viscera turbat,
Languidulum in vulgus robustum suscitat hostem
Tartareis armans flammis Diocletianum
In Christi famulos totum qui concitat orbem :
Et quia nonnullos cumulabat fascibus altos
Militiæ clemens, primo hos depellere, flagris
Vel censet subigi, totum mox sævit in agmen :
Sacra diruat, decreta sancit, præcepta resignat,
Ecclesiarum sacra lapidem evertantur ad unum,
B Scripturæ superæ diro exurantur in igne :
Quilibet insigni nostrorum suffultus honore
Culmine sublato nomen prætendat inane :
Servorum si quis Christo famularier optet
Sic maneat penitus spe libertatis adempta,
Primo hæc leguntur, post hinc truculenta seruntur :
Ecclesiæ proceres rapi sub vincla monentur
Omnimodisque adigi pœnis ad sacra jubentur.

CAPUT VII.

De sanctis Marcelliano, et Marco, atque Sebastiano.

His incitatos orbe toto fomites
Conflatur atrox flamma Christi per sata,
Solum vacasse cæde nullum creditur,
Quanto minus Romana belli incendia
Haustum cruoris nescivere munera.
Hic comprehensi destinantur vinculis
Gemini parentum clara fratres lumina,
Marcellianus atque Marcus, nobili
Sat stirpe celsa provehentes stemmata.
Eis semelque traditis clientulus
Sebastianus, vir Deo plenissimus,
Sub militari veste quamvis abditus,
Honore clarus, regibus gratissimus,
Juge exhibebat in dies solatium
Consulta firmans vividorum pectorum,
Quo blanda cedant, dura temnant sæculi,
Fluxu labantis quæ fatiscunt pulveris.
His dum calorem mentis armis roborant
Minasque stabuli et flagra cordis transeunt,
Capitis subacti læti eunt sententiæ,
Pariter genitrix, conjuges ac liberi,
Eos amore prosequuntur nexili.
Quo fit dierum ut impetrent inducias
Præfecto ab Urbis tredecim Chromatio ;
Reddantur aris ut jungantur legibus.
Pulsantur ergo plurimorum fletibus
Auratum : eos amica turba concutit.
Quid saxei, quid perseverent ferrei ;
Patrem abducunt, tormenta matri præparent,
Demant sibi ipsis respuendo gaudia,
Spernantque vitam deserantque gloriam
Necemque tempus appetant affectibus ?
At se parentes filiorum dulcium
Meminisse pandant, vel citati pulsibus (?)
Mox mater intrat se misellam clamitans
Soluta canos exhibendo lacteos,
Pectus retecta, fert papillas pendulas
C Lacrymis retexens ejulando crepundia,
Pressum nec ullis confitenda se malis
Tribulatione, sponte lethum liberos
Sequi petentes, quos tulissent barbari
Sequeretur audax per catervas hosticas,
Novo applicari pugionem funere,
Gladium neganti vim neci diram inici
Senes parentes liberorum ultroneam
Spectare mortem, filiis superstites.
Hæc dum seruntur, tum senex et debilis
Pater ab sequela servulorum adducitur
Qui pulvere caput sordidando cygneum,
Hujusmodi ægras implet auras vocibus :
« Vale daturus ultro lethum adeuntibus
Accedo gnatis, quæ meo paraveram
D In liberorum præbiturus funera.
Et quæ repente nata, gnati, insania
Amare mortem, proh dolor ! vos addocet,
Quos imbuebat eminens peritia
Et singularis mentis ornabat vigor ?
Vobis quid appetita solum in prosperis
Adversa nulla quæ timeri non jubent ?
Venite, patres, inhibere talia,
Contingat unquam ne pati vos talia.
Juvenes, adeste, flete sponte perditos ;
Lacrymis rigata proh trahant caliginem
Senii perosa desiliuto lumina.
Ferro feriri ne dulcescens tetem
Ægræ senectæ, flere quos non pertuli

Ferulisque quondam vapulanter horrui. »
Natos ferentes prosequuntur conjuges
Obtutibusque grata pignora ingerunt,
Quorum relinquant se querentes fastibus
Jugalem amorem queis putentur perdere,
Dominos domorum ac filiorum quos probent
Sic lancinatori ultro tradi gaudeant,
Spernant parentes atque amicos nesciant,
Pellant maritas abdicentque liberos
Has inter auras conjugumque lacrymas
Ac nesciorum pignorum suspiria
Animi resolvi militantum cœperant,
Læso dolorem contrahentes pectore.
Horum beatus altor huic spectaculo
Sebastianus militari schemate
Latens adesse non inane duxerat ;
Vidensque belli fasce frangi milites,
Perrumpit agmen concionis lividæ,
Medium tumultus se ingerens victoriæ,
Lassosque adortus his petens palæstrides :
« O milites virtute jam fortissimi
O prælii cœlestis instructissimi,
Palmæ vigore mentis altæ proximi,
Sic nunc coronas frivolis ineptiis
Juvat perennes nugularum ponere :
Sed, quæso, discat fortitudo mitium
Per vos fide potiore cunctis instrui
Armis rigore quæ parantur ferreo ;
Victoriæ nolite vestræ insignia
Per blanda perdere feminarum murmura,
Hostis subacti colla ne dimittite,
Calcate bella ne resurgant vivida,
Neu victa vobis se erigant victricia :
Licet hujus experti acre fortis prælium
Repetita scite duriora vulnera,
Quin gloriosa celsa belli culmina
Amore longe terreo sustollite,
Nec parvulorum fletibus deponite ;
Nam lugubres angore quos attenditis
Gaudere staret, noscerent quæ noscitis ;
Nempe æstimant hoc esse solum vincere
Quod temporali jure mundo vivitur,
Quo desinente vita nulla splendeat :
Scirent enim si mortis ac molestiæ
Securam ei in qua regnat immortalitas,
Ac sempiterna commorantur gaudia
Vobiscum ad illam currerent pertingere ;
Hac flocci pensa, concupiscerent eam
In gratulatione quæ jugi manens,
Omnino habere nescit unquam terminum :
Lugat (*sic*) inde vita qualis ista transeat,
Quam falsa, quam dolosa, quam celerrima
Malesuada, vafra, circulatrix, perfida,
Quæ dira pravos invehat per crimina,
Quo diligentes ducat, et quid præparet
Æterna procreata mors ut ex ea
Huic servientes jure sumit perpeti
Ut exsulare protoplastos egerit
A Vitæ perennis destitutos patria.
Hæc vos, amici, fallit, istos ludere
Vitam petentes quos manentem sistitis ;
Hæc vos parentes ad decorem cœlicum
Gnatos euntes detinere suggerit :
Hæc conjuges honore blando martyrum
Lethale mente ferre cogit poculum,
Assensa vobis queis adessent tempora,
Jam separari contigisset perpetim,
Vobis nec illos æterna inter tormina
Unquam deinde cederetur visere,
Incredulorum ubi flamma carpit pectora,
Edunt dracones labia blasphemantium
Vorant colubræ, perfidorum viscera,
Strepit ejulatus, fletus hic et dissonus,
B Plangor gementum quem exigunt incendia
Pœnæque nullo finiendæ termino,
Ustus cremandus dum novatur millies.
Hæc ergo et istos transilisse linquite,
Vitare et ipsi mente cauta pendite,
Hosque ad coronas destinatas mittite,
Nec separantur, absit hic vobis timor :
Vadunt parare quin domus in æthera
Manere vobiscum atque læti vivere
Ubi sempiterna gratulentur gloria :
Quod si domus hic diliguntur terreæ
Quam sunt petenda structa domata obryzo
Præclara gemmis fulgide stellantibus
Qua non decor marcescit unquam florens,
Nemus virente se coma nunquam exuit
C Rivis decenter irrigata molleis ;
Hic nunquam amœnum prata perdunt floscida,
Grato perennem odore vitam flantia
Lumen sine umbra, nec diem nox terminat
Serenitatem nunquam inumbrant nubila,
Securitatem nulla rumpunt improba
Dapes celebres nulla sistunt tristia
Lamenta, luctus, ejulatus, sibilus
Non audiuntur hic, nec unquam perstrepunt :
Horrenda, tetra, sordida aut deformia
Non hic videntur ; pulchritudo, amœnitas,
Splendor serenus ac nitens, formositas
Oculos fovent hæc semper intuentium :
Quod corda vexet nihil resultat auribus
Ubi angelorum læta psallunt organa :
D Hic fulgur, aut coruscus, aut tonitrua
Nunquam nitentem verberarunt æthera ;
Amaritudo nulla gustum conficit ;
Virgulta gignunt cinnamomum et balsamum
Quorum saporem grata fert fragrantia ;
Non ulla stercus esca cogit, nectaris
Digestionem non agit refectio ;
Ut cum bono pascuntur aures nuntio
Nares odore lumen aspectu optimo.
Quod quisque sumere ambit, hic mox percipit ;
Frustratur appetitus illic nemini :
Istic rebellis qui illecebris exstitit,
Et quidquid hic dimisit affectu Dei,

Multiplicatum consequetur centies. »
Vitæ creatum, morte juxta consita,
Hominem timere cujus intra debeat,
Vitæ futuræ quale regnum quærere
Cur hæc voluptas sit domanda corporis,
Bona respuenda quæ Creator ediderit,
Narrando promens clara doctor lumina,
Veras opes et vera pandit gaudia :
Ab his ad illa quo migretur tramite
Horumque amicis quid paretur postea.
Quam tetra sint tormenta, quam crudelia,
Sinant beatos hæc cavere martyres
Patienter ista ob illa ferre qui sciunt ;
Vertantur in tranquilla gaudia lacrymæ ;
Jamjam quiescant desinentes plangere
Regnare quos constabit alto culmine
Christoque junctos sceptra cœli sumere ;
Quin ad coronas se petendas excitent,
Hostemque partum inesse foveam noverint.
Hæc dum beatus miles Agni disserit
Qui militem ore proferebat sæculi,
Firmare signis dicta supremo Patri
Paret, corusco fulgurante cœlitus,
Illuminando disputatorem suum
Mox cœlicorum visitatu civium
Gaudens renidet, veste præclarissima
Juvenisque fulgens osculum fert pollicens
Sui perennem gratiam consortii.
Zoe, Nicostrati uxor, in cujus domu
Isti et geruntur ore sex clauso silens
Manebat annis pressa vi ægritudinis :
Quæ mente sana dum capessit edita,
Tacens superni tantum honorem luminis,
Stupore tortus (sic) exprobrans manu innuit
Quod bene patenti corda non dent lumini
Et advoluta quis valet rogat notis.
Sebastianus, ut capit silentii
Causas, « Ego, inquit, verus esse si probo,
Servus Tonantis, vera si sunt omnia
A me relata, hæc credidit quæ femina,
Solutor ejus solvat ora Zachariæ. »
Exclamat hæc sub voce Zoe gratulans
Gratesque pangens ac medentem prædicans
Vidisse testans ab superis angelum
Missum et volumen attulisse cœlicum
Virumque pansa luminasse pagina.
His adstupens vir ejus indulgentiam
Astratus almi flagitat vestigiis,
Christi clientes quod gravasset nexibus,
Manusque baccis occupatas eximens,
Rogare sanctos liberi reciderent
Sese beatum et expiandum prosequens
Horum recessu si mereretur pati
« Quo fiet, aiunt expediti martyres,
Perfectione vestra tanta si fides
Crescat, velitis pro necandis ut mori,
Qua fronte tanto roborati tempore
Prodemus haustum passionis proprie
Nam larga Christi constat affluentia

A Potiora præbens quam rogatur munera
Qui tam supremo vos nitentes culmine
Perfectionis addet eminentia »
Hæc atque plura dum profantur inclyti
Fratres, parentes atque amici pertinax
Persuasionis flendo parvitudinem,
Parti, jugo carpere Christi promere :
Sibi sancta tradi urgere primiscrinius,
Sebastianus hunc redactos vinculis
Jubet gregare, simul capessant mystica,
Stupere Nicostratus ut reatibus
Pressi subire sacra possint munia,
Caput superne dignitatis præsulem
Pro liberandis morte peccatoribus
Mortalium se contulisse obtutibus ;
B Id tradidisse credulis mysterium
Funes resolvi quo valerent criminum
Paret reorum obsessor omnes aggregans,
Quos allocutus miles almus invenit
Promptos supremi servituti principis.
Polycarpus exhinc advocatus presbyter
Gaudet tuendo lucra divini horrei
Hortansque divis imbuit prolatibus
Casto sacrandos præstruens jejunio.
Hæc ergo Nicostratus ut fert omnia
Patrata Commentariensi Claudio
Mox ille gnatos, peste varia languidos,
Quorum fluore venter unum turgidum,
Frequens leprosum fecit ulcus alterum,
Adducit, imo se fidem sub pectore
C Tenere fassus, Christus horum gloria
Quod imminente mortis a periculo
Restituet illos sanitate reddita.
Quos dum beatus fonte Polycarpus sacro
Tingit, residunt nulla morbi stigmata.
Felix notantur atque Felicis simul (*f.* Felicissimus),
Feliciores jam pati parentibus,
Post inde Tranquillinus æger artubus,
Marcelliani fratris atque prosator,
Dum se fatetur corde puro credere
Et post lavacrum si luet, non desinat,
Litus sacrato sospitatur unguine ;
Liber dolore podagrico ac chiragrico,
Ut absolutus stagna saltu irrumperet,
Verum invocans, quem mundus ignorat, Deum.
D Post hunc amici diluuntur pignorum :
Crescentianus, Justus, Urbanus quoque,
Vitalis, Euthycianus, aucto Aristone ;
Deinde Nicostratus et Castorius,
Sequiturque Commentariensis Claudius
Zoe dehinc et Symphorosa ac Martia,
Vernaculorum et turba primiscrinii,
Cum carcerali de rigore liberis
Omnes quaterni decies atque septies
Pro sacrati fonte Christi in laudibus.
Noctes diebus copulantes ambiunt.
Ferro supernæ consecrari curiæ
Dilationis expedito tempore,
Vocante Tranquillinus et Chromatio,

Grates rependens redditis pro liberis,
Quibus astruit se redditum, ipsos et sibi,
Adgaudet his præfectus et ferant jubet
Dis thura, sed Christi audit ut præconia,
Clamat subactum liberorum insaniæ
Errore captum haud eruisse erroribus.
At iste quid sit error apprime explicans,
Quam dogma nostrum errore sit liberrimum
Ratione lucis orat invictissima.
Ast qui triumphos destinavi percito
Signare curru fervido axe volvere,
Omitto et ista transvolans, et plurima.
Præfectus illum sessione proxima
Ut audiendum dimoveri postulans
Noctuque mittens advocat secretius,
Aurique magna præferendo pondera
Petit revelet quis viget medicamina
Ipse ut salutis his resumat robora.
« Scito, inquit iste, Dei furorem perpeti
Christi putantes nundinalem gratiam,
Fide parari quæ valet, non obryzo ;
Credas modo illum sanitatis præsulem,
Vitæ datorem, sospitatis præficem,
Gaudere quibis integra cum gaudio
Salute mentis gratulans et corporis. »
Judex ad ista pandat hunc flagitat
Quo Christianus vi salutis gaudeat
« Possim, inquit, ipse Christianus degere
Ut sanitatis nuntiarit gaudia. »
Polycarpum at ille dicta et acta digerens
Ante ora secum proripit Chromatii,
Medium bonorum cui salutis munere
Præfeetus offert, cœnum ut iste respuit,
Christum colendum sospitatis fenore
Modo hac salutem merce dandam prædicans.
Struit faventem ac imperat jejunium,
Nec segnis implet quod fiendum præmonet,
Sebastiano fultus inclyto duce :
Hoc jure postquam dedicarunt triduum,
Commilitonem visitare eunt novum ;
Hunc sustinentem dum salutant actuum
Fidem vigere jam medullis hauriunt :
Poscit, parentem ceu piorum erexerant,
Nodositate se resolvant artuum ;
Illi dolores sempiternos præferunt
Crudelitate terminandis impares,
Eos timendos, præcavendos admonent :
Charis salutem competendam perpetem.
Præfectus, ut mos est sacrandis, unicum
Dat nomen, augens filium Tiburtium.
Sebastianus sancta sancte tradere
Doctus salutis corporalis præmonet
Subire sacra ne petat modo gratia,
Vitæ perennis corde quin spem colligat
Mentemque veram, si salutem diligat,
Ad visionem veritatis excitet ;
Quis sit creator omnium fide probet,
Cultore semper gaudeat qui simplice :
Vulgus deorum vel dearum reprobet

A Frangat figuras quas colebat fictiles ;
Nec posse fonte sanctitatis ablui
Secus nisi omnes idolorum singulas
Prius abdicarit, strage quorum sanitas
Redintegrari sauciato debeat.
Queis annuente et vernulas Chromatio
Ad hæc jubente, non sinunt doctissimi
Duces inertem hoc prælio manum dari ;
Bello supernis imo tuti principes
Cinguntur armis, vana abortu schemata
Rotare, divum mox dæmonia vel simplicius
Figmenta larvis fabricata conterunt ;
Queis comminutis gratias Deo ferunt.
Dilata suadet cura diligentius
Hunc sciscitari, pressius hæc disserit.
B Quid mente gestet, si qua vel resederint
Illæsa monstra turbidorum numinum,
Dubiove corde subnotatum scrupulum
Adulterina pandit ille machinam
Vitrei cubilis arte cultam cœlica,
Portentuoso signa dantem ænigmate ;
A patre plura fabricæ hujus pondera
Auri litata nil domi esse charius
Monstrant docentes id salutis æmulum
Nil esse fidum, aut veritati consonum
Figmenta vafris cæca nugis volvere :
Nil puritatis, nil juvaminis edere,
Probantque clara luce divi muneris
Nil veritatis his latere mœchicis.
C Stupet retecta luce vere languidus,
Deumque solum legis hujus prædicat,
Qui tam serena luce servos evibrat,
Favetque demum confragosi numinis
Subire damna, salutatis arcem duplicis
Sic appetendam confitens se credere.
Exponit ergo si quid ornandæ domus
Signi residit gemmei seu vitrei ;
Fragilis metalli dum teruntur stemmata,
Chromatii se præferens obtutibus
Juvenis corusco splendet ore flammeis,
Missum asseverans se supernis sedibus
A rege Christo sospitatem vividam
Credentis ægris ut refundat artubus,
Ad hæc vigente sanus omni corpore
D Præfectus audax post medentem currere,
Cœleste corpus inhibetur tangere ;
Sebastiani sed tenens vestigia
Fatetur esse celsa Christi culmina,
Solum hunc colendum prædicat Tiburtius,
Paulo ante sanctos destinans fornacibus,
Sebastianus Christi alendum tegmine
Spoliare mundo deligit Chromatium.
Suadetque successore lætus exeat
Mundi occupatione ; poscit gratia
Deo vacandi rebus arbitrum urbicis.
Fidem rogatus, voce pandit libera
Abominatus corde celsus idola ;
Scitatus an peccata cuncta deserat
Causatur hic non proditum sibi antea,

Rerum ante nodos dissipandos asserens,
Dum mercedi ut praestat indulgentiam,
Omne relaxet debitori creditor,
Grassante si quid abstulit cupidine,
Juste repensum mox reformet integre
Se concubinis, se resolvat vernulis.
Renuntiare libet ut quem probes
Juvenis honestus et decens Tiburtius
• Renuntiandis et, patri, impetus
Quos obligare rite tempus flagitat,
Ego impetrandas, his libellum rogo
Susceptionis exsequendi cum actionem,
Ut advocatus coelorum pro gratiam,
Non terrenorum, tradar aulae coelitum.
Sebastiano hunc vacante amplexibus,
Polycarpus almus imbuit liquoribus,
Pater morosa nec retricans tempora,
Mundi abdicatis integre negotiis,
Hominem veterem se exuens lavacris,
Novum induit candore fontis lacteo
Cum quo renati continuo sunt his septies
Honore divi candidati gurgitis,
Quos servitutis expediverat vinculis.

Sic acta flagris sancta Christi Ecclesia
Crescebat inter persequentium verbera;
Tritura fortis sic replebat horrea.
Furoris ignis acrior proruperat,
Sed lacta Christi pullulabant germina
Jus abrogatum civibus Christi, fori,
Fontesque circa, et terminos stertusculi
Quibus liceret, quem nossent hinc egredi
Per rura et urbes id studeat, per insulas,
Omnis negata jam piis civilitas.
At vix docente inclytus Chromatius
Fovebat omne ovile Christi creditum,
Necnon modo et corporalis commodum
Piis parum subsidiis subministraret.
Sed dum tenebris lumen abdi non valet,
Respergit arva doctor ab orbe longius
Semper ut tenellas Christi oves Chromatius
Servaret semper per varia pabula,
Campum late, seq moderatis gratia
Praemeditatis adire contra praelia:
Ad bella jam praeparantur milites,
Campum docuit tempe vestem linquere,
Quo per furentis culta se hostis subdere
Adversa nerunt tela cuncta frangere.
At doctor almus et Petri vicarius
Pastore custos ne remitti Gaius:
Ad irriganda parvulorum pectora
Polycarpum abire neophytis cum fratribus
Jubet, coronam pactam blandum scivere
Legis ferens haud immemor licentiam
Corroborandos ire cum Chromatio,
Cui jungit aptum ceu sodalem filium.
Ast ipse fortis tiro castra linquere
Deforme ducens meritatus Spiritu
Exclamat: « Oro, sancte praesul praesulum,
Ne me velis dare terga bellis obviis;

A Stat semper gratum valde jam et militiis
Caeli flectam, pro hoc vero mori,
Quo fons ignarum inde vitam consequar, •
Congratulans his populus quas filiat,
Capit (sic) petitique Christi ex victoriam
Fortes resident ergo castris milites:
Marcellianus, Marcus atque horum parens
Sebastianus ipse cum Tiburtio,
Fratresque Nicostratus et Castorius,
Zoeque, Victorinus atque Claudius,
Cum liberatis hisce mortis liberis,
His pacta sacra dividens moderamina
Moratur ipsis junctus in palatio,
Custos fovebat aedium quos Castulus
In laude Christi fletibus jejuniis
B Illic diebus et vacabant noctibus.
Orationum grata Jesu munera
Devotione deferentes sedula.
Aegris medelas exhibebant prosperum
Larvas fugando, dando caecis lumina.
Haec dum geruntur neophytus Tiburtius
Quondam plateam sole quamdam transiens
Delapsum ab alto repperit juvenculum,
Quassata cujus ossa discrepantibus
Cessere frustis, corpus ac summum caput
Ita comminutis dissipabat artubus
Solum ut sepulcro cerneretur congruus.
Huic appropinquans fundit Symbolum
Precesque jungit ore latas coelitus;
C Mox integratis sic resurgit ossibus,
Salute laetus ac vigens homunculus,
Contusionis ceu nihil subaverit.
Tenent euntem sanitatis prodigum
Pueri parentes offeruntque servitium
Resuscitatum sive poscat amplius;
Quos apprehensos procul a turbis segregat
Summique vires numinis pare tradunt,
Cernensque cornu roborari pectora
Timore Christi, praesuli offert Caio,
Illum ferentem quaesivitum gratias
Baptizat auctis gaudio parentibus.
Primos novella colligens ex arbore
Fructus fidei, possit ut cognoscere
Lignum decore praeditorum fecundum.
D Furibundus hostis, inter tanta crescere
Dolens fidei, hanc dum laesum publice,
Congressione clanculum aggreditur quoque,
Legensque notum criminis satellitem,
Delegat almum mentitor sapparem
Juvenisque patri clara vertat pignora,
Capietve laeta; occupatus abditis
Quem dum frequenter arguit Tiburtius,
Tonsoris arte quod repexos digerat
Fronti capillos, quos gratellum perradat,
Quod praeditorem sedulus se lucibus
Det, feminarum pendat nimio amplexibus,
Orationi et subtrahat jejunia;
Vitet manere Christi in hymnis pervigil.
His acre tactus, fronte mitem protegit,

Tulisse mente fingit orsa simplici ;
Dolos sed alto corde fraudis ruminans
Instaurat arma perfidis, secum æmulum
Prodens precatu ac mente cœlo deditum.
Ducuntur agnus et lupus nexu pari,
Animo remoti, cogitatu dispares.
Fabianus Urbi præsidebat cognitor
Pium cruorem diis litare militans,
Vinctum reatu qui petens præcognitum,
Professionem ac nomen edicat jubet.
« Torquatus ille et Christianus prædicor.
Præfectus inde jussa texit principum.
Ast hic magistrum dat sibi Tiburtium,
Eum sequendum et ejus acta proferens.
« Audisne judex iste qualia asserat
Confessor æquus jam diu fallaciter ;
Se Christianum jactat, inquit, perfidus
Simulator iste, vis at ipsa nominis
Rapi gravatur moribus contrariis,
Ferens moleste vel vocari ab improbis,
Virtute nomen fulget istud cœlica
Christus sequaces quo nitere præstitit.
Vere excoluntur qui sophiæ cultibus
Et obterendo militant libidines,
Nec credere Christianum istum fore
Fibras alentem molliter lenonibus,
Tonsore lætum gestientem nutibus
Nisuque gressus fluctuantem turgidi,
Viris fugacem nexilemque feminis.
Non hasce pestes Christus unquam colligit
Nam qualis ante vixit, ecce comprobat
Quod acta nostra se secuturum asserit,
Præsente te mentibus approbabitur. »
Censor saluti persuadet consulat
Explere jussa principum nec abnuat.
« Melius saluti, martyr ait, haud consulo
Divum refutans vulgus unum quam colam
Fatearque Christum sæculorum principem. »
Torquatus ultra conditi silentio
Celare cæco vim veneni non valens,
Prorumpit ossa dirus in nefaria :
« Crudelis, aiens, Christianus non modo
Hic, quin suadet decipitque plurimos,
Magicæque fraudis occupatur sedulus;
Socios scelestis imbuit cantatibus. »
Confessor inquit : Falsus haud pertransiet.
Impune testis, quem vides, vir eminens,
Nunc Christianos improbantem perfide,
At nil cohæsit Christianis amplius
Ni probra cordis sanctitatis nomine
Tegens, fidelis crederetur perfidus,
Dira ut fideles arte sævus luderet.
Redarguebam sed giganteam gulam,
Vino et sepultam castitatis regulam :
Antonianus ut suetus helluo,
Edebat, esuribat, absorbens, vomens,
Siti flagrabat et bibebat ebrius;
Non Christianos culpat, urget, arguit,
In nos quietum cognitorem suscitat;

A Trucem moranti præbet ensem judici
Suadetque larvis colla sancta subjici :
En vota parent, en latebra pectoris
Produntur, atri torva sanguinis sitis :
Parare dira carpe jussa, carnifex,
Adhibe catastas, Christianos applica.
Bene nos capessis, ure, damna, percute.
Vis exsulemus sic sophi urbe patria
Tormenta profers; carcerem, his evadimus
Ab ore blandi quo Patris sejungimur ;
Ignes minaris, sævior cupidinis
Devicta nobis flamma cessit liberis.
Decerne quod vis ; pura conscientia
Triste omne temnit, cuncta vilent aspera. »
B Tum censor atra comminatur, suggerens
Lethique poculum, rore mellis oblitum ;
At miles altus, anguis ora supprimens,
Probrosa divum furta prodit proterens,
Deumque prompta laude Christum prædicat.
Prunæ jubentur igne coram fervidæ
Sterni, super quas thura ponat, aut terat
Plantis easdem, ab involucris liberis.
Mox ille signo se crucis communiens,
Pedes retectus intrat ignem exercitos.
« Depone mentem, judici aiens, perfidam.
Edisce solum hunc imperantem conditis
Quem confitemur esse cunctorum Deum ;
Molles rosarum nam videntur flosculi
Teri vigore gloriosi nominis,
C Viden Creanti qui creata serviant. »
« Magica a magistro præditos quis nesciat? »
Stupidus videndo clamat ista carnifex
Beatus : « Obmutesce, non felix, ait,
Meo nec infer hæc nefasta auditui,
Rabido ore probra ne latrantem perferam »
His censor ira dicat actus fumea (*sic*)
Cadat resectus ense colla vindice.
Sic urbe Lavicana ductus compita.
Cervice prompta pugionem suscipit.
Unoque ab ictu victor æthram competit
Locoque eadem busta mactus percipit.
Zoe beata, cujus ora solverat
Fides negata, longo inorsa tempore.
D Sacrata Petro dum frequentat atria,
Cœli coronam mente, voce postulans,
Arctata pagi traditur naumachiæ,
Libens patrono thura Marti incendere,
Temnens deorum et sacra ridens principum,
Statim latebris noctis atræ clauditur
Dies, cibusque, potus atque demitur,
Sic sole cœno destituta linquitur.
Pensam capillis arbor inde suscipit
Funique celsam dirus horror impetit.
At illa Christum conditorem confitens
Convexa cœli scandit alta culmine.
Aiunt quid ultra jam ministri funeris
Restat gerendum, celsa victrix exiit,
Superisne sacrent Christiani ut hanc deam
Linquetur? an profunda inibit æquora ?

Ad hæc ligato membra saxo vitreis
Trahunt fluentis, Tibris alveo ingerunt.
Martyr magistro non tacens hæc occuli
Sebastiano gesta subito serit.
Hæc ille sanctus narrat ut sodalibus,
Vir inquit hujus : « Quid moramur ? feminæ
En advocantes nos coronas præeunt :
Fiunt maritæ martyres quod vivimus. »
Accensus ergo apostolorum limina,
Accepit unde optata conjux, visitat
Oransque manifesta Pauli ad limina,
Repetita patrum dum nitent solemnia,
Dolosque passus, imbre saxorum viam
Stephani secutus alta scandit culmina.
Datisque prono flumini almis artubus
Tiberina funus abluere cærula.
Itemque Nicostratus, atque Claudius,
Simulque Victorinus et Castorius,
Symphoriano rebus aucto, corpora
Tibridis per oras dum reposcunt martyrum,
Fieri inter undas promerentur martyres :
Capti exhibentur nam notato judici,
Hortatur illos thura ferre qui deis
Blandisque et asperis per dies agens decem
Movere nullo prævalet molimine :
Fractoque nisu pandit ista regibus :
Tum lancinari tertio tortoribus
Jussi, atque torti flagra ludum deputant ;
Humo subacta, destinantur æquori :
Libet palæstram marmora intra claudere,
Libet fluentis ferri in æthram limpidis
Mundique fonte consecrantur gurgite,
Postquam hi recedunt astra pulsi a perfidis,
Torquatus almi fraude cœtus hospitem
Ducit petendum : comprehensus Castulus
Ter suscitatus ter catastæ culmine,
Fortis repertus dum Deo fert gloriam,
Foveæ barathro mersus alto glareæ,
Sub fasce tantum clausus imo corpore,
At mente liber, celsa scandit sidera.
Marcellianus, Marcus hincque ab impiis
Tenti, foratis alligantur stipiti
Plantis, secuti Conditorem stigmate.
Tormenta fratres ferre Christi consona
Lætantur hymnis diva dantes organa,
Jam territantes voce sedula territant,
Et gratulantes gloriantur optimo
Directionis stare fixi robore,
Optantque abire hoc præditi fulcimine
Vota audiuntur, perseverant laudibus
Sic nox diei hac in palæstra jungitur,
Crucisque Christi ut expleantur munia
Latus hinc utrique perforatur lancea,
Sic et sequuntur regna Christum in aurea.
Regi talentis his lucrorum redditis
Sebastianus, expeditus insequi,
Fertur regenti sceptra diis contrarius :

A Vocatus astat in deorum injuriam
Latuisse contra principum tutamina
Culpatur ; ille principum pro gloria
Vera precatum se fatetur sedulo
Jesum benignum, saxeis non formulas,
Quos postulare mentis esset perditæ.
His sævioris imperator turbinis
Afflatus ira : « Miles, inquit, prorue,
Proceres et alma despuenti numina
Ne dent citatum fervidi ense exitum,
Denso cohortis impetatur agmine,
Crebra suatur spiculorum cuspide,
Cingat corona fronte nexum in stipite
Signumque telis præstet irruentibus. »
B It obsecundans turbidi agmen militis,
Parant patente jussa campo, farciunt
Ferro pharetras, ambitumque digerunt :
Lunantur arcus, exeruntur spicula :
Eunt in unum hinc inde tot arundines,
Certant quis aptiora figat vulnera ;
Cute ille summa tela cuncta suscipit,
Vis nulla sedem mentis ingredi valet :
Solus petitus tot pharetrarum agmine
Viris tot astat arx inexpugnabilis,
Christi lorica quem tegebat muniens :
Silvescit hirtus tuta setis ut fera
Quem judicantes post necis tot ostia
Lanii tenore posse nullo vivere,
Linquunt, nec actum mortis antris ambiunt
Cui tot videntur funeris vestigia.
C Noctu relicta martyris Zetarii,
Curare funus lancinati gestiens,
Vivum reducit quem petebat mortuum
Ædes in altas ductus hostis robora
Paucos resumit sospitatis in dies,
Fugamque inire suggerentes in fide
Magis triumpho roborata roborat ;
Ipsisque pandens regibus sese intimat,
Surreptiones falsitatis arguens
Hostesque verbis veritatis increpans.
Mirantur illi quem necarant vivere ;
Ad supprimendam reddit iste insaniam
Se restitutum qua beatos atterunt,
Offendit ergo Viminosos (185) admonens.
D Jubetur hinc eousque cædi fustibus
Dum concitatus astra scandit spiritus.
Hanc Christianis invidentes gloriam
Sævi cloacæ membra dedunt sordidæ ;
Squalore mergi sed vetat Divinitas
Tot consecratum corpus olim prœliis
Lucina castis hic vacabat actibus
Matrona, sancti plena luce Spiritus,
Hanc allocutus per soporem cœlitus
Martyr. « Require nostra mandat abdita
Circi cloaca quæ levabis pignora,
Suspensa gumpho (186), sordibus nec addita
Hæc tu reperta apostolorum regia

(185) An sacerdotes Jovis Viminii ?

(186) Clavo.

Locabis alma ad principum vestigia »
Exsurgit illa læta, somnum discit.
A Parentque junctis nocte eadem vernuli
Jusso recondit nacta honore munera.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM

De sancto Gabinio et Susanna.

Frater erat Gaii Gabinius, ille Suzannam
Nutribat sobolem, supero quam ornaverat auro,
Fama aures hujusce terens Diocletiani
Nuntiat egregiam forma sensuque puellam ,
Ille parans sagam genito vincire maritam,
Dirigit illustrem quemdam, horum carne propin-
[quum,
Qui catus ista serat tædarumque omnia firmet.
Hinc patrem ille petit ; pater at patruusque Su-
[zannam
Inveniunt firma penitus radice vigere,
Semina quæ dederant nullo agmine flabra timere.
Claudius imperii summos proponit honores,
Eximiam regis prolem, patris alta sequentem,
Et ditione pari sublimia sceptra regentem,
Præcipuum juvenem splendore ac robore celsum :
Illa fidem servans cœlestibus, ima refutat
Fœdera, divino humanum postponit honorem,
Sidereo fastu terrestria culmina sordent,
Perpetuis regnis mortalia regmina vilent.
Diversa alterno dum famine vota seruntur,
Qui capere advenit, capitur, laqueansque tenetur ;
Instruitur patribus, scelerati pœnitet actus,
Fluctibus abluitur divis, supero amne novatur ;
Tingitur atque domus geminæ duo lumina prolis,
Quæcivas et Alexander, Prepedigna jugalis.
Integer esse Dei cultor dum Claudius ambit
Atque sequi Christum ad cœlestia sceptra vocantem,
Cuncta facultatum vendens largitur egenis,
Singula quæque valet vinctorum ergastula lustrans
Sanctorum sese pedibus prosternit, et horum
Tegmine vel victu satagit relevare catenas,
Ipse precum poscens per eos pietate levari.
Pluribus Augustus hunc exspectare diebus
Fert, firmare putans solidissima fœdera jussi.
At neque consumptam reparat dum Cinthia formam,
Ad celsas ædes vel festa theatra reversum,
Quærit utrum longe discesserit, an remeanti
Quidlibet obstiterit ; credit languore moratum,
Hujus erat secum frater comes ordine rerum :
Maximus hunc illi solatum invisere mittit.
Ægroti qui strata levet, qui fervida sedet.
Turbida componat, fastidia cruda repellat
Insuper inquirat dotes et pacta puellæ,
Quid gestum referat, poscat quæ dona rependat.
Maximus accedens precibus cum plebe vacantem
Reperit Ecclesiæ fratrem, stupidusque renutat
Quid sibi res pangat ; mirantem Claudius almos
Proripit ad Patres, recti qui pervia callis
Dum retegunt, famulant (?) agitantque ad lumina
[mentem.

Credit hic acceptis vivisque infunditur undis,
Culminis eximii contingere nititur arcem,
Addicitque foro census ac libat egenis ;
Utitur hac in re fido Trasone sodali :
Is, velante toga, Christi texto igne calebat,
Chrismate quem Gaius dudum sacrasse notatur
Noctibus ille adiens vicos, ergastula lustrans,
B Indignis alimento Dei sub honore ferebat,
Gesta recondebat, titulis monumenta colebat.
Ast ubi sollicito reserantur facta tyranno,
Qui sævis subigat mittit cruciatibus almos
Julius, exsilio fratres qui missus ad ista
Deportat gemino et Prepedignam pignore fultam.
Cœlum vinci impossibiles holocausta per ignem
Hi subeunt pariter, rutilo fulgore nitentes ;
Ostia relliquias quorum capit æquore lectas.
Obsessus cum prole nigris Gabinius antris,
Longum ubi continuas teritur limando catenas,
Emicat e vinclis penetrans cœlestia liber.
Æstuat imperii furor ægrescitque decoros
Ire pios, mandatque suæ perducier aulæ
C Dotale invictam sociamque venire jugali,
Quam stolidus famulam ignorans pietate superni
Regis, ea reputat flecti ad sua jussa Suzannam.
Accipit at postquam votis et cantibus illas
Exæquare simul noctes, ita condere soles
Christi laude, jubet soboli revocata paternis
Ædibus, ut presso subigatur virgo pudore.
Adgaudens juvenis spem præripit atque reductam,
Nocte abdente nigræ terras velamine pallæ.
Appetit, ingressusque domum splendore corusco
Hanc radiare videt, superoque nitore micantem.
Obstupet horrifico tremefactus lumine, pallet
Marcidus, exanimis, repetitque palatia cassus.
Anguis id Atracio gestum dans perfidus ore,
Mittit eum Numicis (?) cogat qui subdier aris.
D Jussus in ista Macedonius dum flectere tentat,
Robore subnixam divo non cædere parcit,
Fustibus ignavis quatiens pia viscera flagris.
Gloria virgineo regi sonat ore superno,
Continuansque Dei laudes invicta feritur ;
Ense triumphalem subiens attollere palmam
Eque domu patris æthereàm transcendit in aulam,
Intrat et æterni thalamos dignissima regis.
Membra Serena legens tenebris dat, aromate multo
Condit, et involvit nitidis promptissima velis
Atque pium manibus satagens componere funus,
Patris Alexandri secus ossa beata recondit.
Nec patitur sanctum tellure latere cruorem,
Carbaseo rimas scrutans quin sumit honore
Candentique levans tegit inclyta dona metallo.

Quæ secreta colens intraque palatia servans
Occulte Romano sese libabat in ævo,
Hujus dum meritis evecta levatur in astra
Sanguine martyrii Christo cœlesti onusto,
Inque poli regno merita rutilante corona.
Marcellinus et sedis succedit honore
Ac sequitur lætis, sub eodem colla tyranno
Desertus, cælum et pretio cervicis adeptus.
A Cuique Artemius, tum Claudius atque Cyrinus
Membra ubi nuda jacent triginta et quinque diebus
Post a Marcello cum laude leguntur et hymnis
Sæva per immodicas tribulatio canduit orbis
Hæc partes, uno tantum sub mense dierum,
Ut septem atque decem tunc millia cæsa ferantur
Tempore nec parvo cultum ætas undique sanctis,
Præsule præcipuo sedes Romana vacarit.

CAPUT II.

De sanctis Primo et Feliciano.

Tunc Primus et Felicianus, auream
Evecti ad urbem, cæde cœlum competunt.
Qui glorioso dum renident culmine
Christique cultu gratulantur sedulo,
Calumniantur a profanis Romulæ
Cives quod urbis lege Christi viverent.
Quæruntur, exhibentur ambo regibus
Tradique dantur, ferro vincti, in carcere;
Qua sublevati cœlico solatio
Gaudent superni reges ubi nuntio:
Item reducti principum conspectibus
Fano applicari deputantur Herculis,
Cui liba ferre forte si contemnerent
Inmane tortos flagra dira subderent.
Tormenta victi nuntiant dum milites
Levant furentes hos Promoto principes
Cruda necandos quæstione præsidi.
Item tenebris mancipantur carceris
Iterumque cœli roborantur nuntiis.
Plures teruntur ubi dies, præses jubet
Foro ad tribunal exhiberi præsidens:
Responsa forti proferentes pectore
Quos separari fraude censet subdola,
Fraterna credens quos tuentur robora,
Vel segregata supprimant certamina.
Felicianum tunc cædi mandans, foro
Spectante, plumbo proterentis verbere,
Aut, deneget, proponit ut laxos dies
Aut cogitandis maceraret machinis.
At ille: « Cui servire legi, servio:
Fere jam octoginta cursus temporum
Mihi terque dedi ut veritatem comperi,
Queis nil retrectans sæcula de singulis
Servire summo Conditori præsuli. »
Sic gloriantem præses ardens vincere,
Statui reuicti destinavit stipiti
Sudibusque palmas perforavit ac pedes;
B Denique tortum, nec cibis per tres dies
Potuve fovit: alta Christi sed manus
Alit levando protegentis; qui Dei
Dum laude gaudet permanere immobilis
Item flagellis imperatur affici;
Nec sic subactus, letus antris truditur,
Sanctusque Primus lancinandus sistitur
Qui valde sævis maceratus fustibus,
Victor catasta sublevatur editus,
Circum flagrantes accipitque lampades;
Invictus alto dum renidet prælio
Humi refusus applicatur lectulo,
Plumbumque in ora bulliens dum funditur
Felicianus dira visere additur.
Angustiatur præses ambos intuens
C In laude Christi gloriari immobiles,
Gemensque victus, amphitheatro jubet
Dari furore bestiali, ut expleat
Quod non flagellis, igne, ferro prævalet.
Missi leones ad pedes horum ruunt
Agnique facti torva corda nesciunt,
Aguntur ursi, et hi piorum gloria
Immanitatem mente mutant sobria.
Isthæc corona contuens spectantium
Mirisque tacti corda decertantium
Dextras fidei ad mille quingentos ferunt.
Angore septus præses undique horrido
Mucrone cædi gratulantes præcipit;
Regni coronas sic triumphantes petunt,
D Sic regna cœli gloriosi subeunt,
Pioque Numentanus agger cespite
A Christianis rapta condit pignora.

CAPUT III.

De sancto Pancratio.

Pancratius puer hac reges sub strage triumphat
Æternamque parat capitis mercede coronam.
Membra pio rapiens studio Octavilla venustat.
Haud procul Urbe tegens, votis ubi digna petentes
Damnat inimicos verique adversa ferentes.
Traditur huc si quis veniat perjuria tractans
Edere, vel diro rapitur spiramine captus
Vel delapsus humo vitales deserit auras.
Hinc multi hunc adeunt discrimina certa rogantes,
Quem patruus fovit Dionysius, atque dicari
Fonte dedit vitæ, Christique accendit amore,
Robore firmavit fuso fulgere cruore,
Sicque diem claudens pietatis pace quievit.
Tunc virgo illustris verum est lucrata salutem
Corporis attritu capiens hoc turbine palmam
Sacra Deo Soteris (?) et mente et corpore felix.

CAPUT IV.

De sanctis Claudio, Nicostrato et sociis.

Claudius atque Nicostratus cum Symphoriano
Castorioque renidebant, excidere docti
Marmora, priscorum facies effingere ad unguem.
Sceptrigero hinc chari formant ad jussa metalla,
Cunctaque pro votis quæcunque incœpta sequuntur
Dum signo munire crucis molimina curant
Simplicius quidam, dispar mente, arte sodalis,
Dum comitum nequit ingenio conferre laborem,
Sollicitusque manens quærit vel quis Deus horum
Nomine sub cujus tam compta edantur et apta,
Symphorianus ei hoc studio secreta roganti :
« Credere si valeas, inquit, pandemus ut artem
Invenias, capiasque jugem sine limite vitam. »
Moxque fide ostensa solidant, sanctoque Cyrillo
Sacrandum assignant, diva quem diluit unda
Informatque sacris, et mystica dona revelat
Nec longum a sophicis delati munia Christi
Decertare, nec indictos excudere divos
Velle, jubentur uti doctæ moderamine linguæ
A Lampadio disquirantur consente tribuno.
Quos ille aggrediens Hyperiona suadet adorent
Consilium delatorum quo vertere possint
Illi constanter « Manuum nunquam edita, nostrum
Oramus Dominum cœli, sed qui imperat orbi
Filius ipse Dei, qui condidit omnia, vivi. »
Pluribus hinc orsis, varia quoque fraude petitos
Dum perstant validi custodia publica sumit ;
Atque fide Christi verti non posse probati,
Tegmine nudantur flagrisque secantur acutis.
Lampadius dum dilaniat torvo impete sanctos
Dæmone correptus, tetro demittitur Orco,
Auditis quibus Augustus furiaque repletus
Mandat uti plumbo loculi ducantur et illic
B Claudantur vivi, fluviique tegantur in undis,
Post mensem bis sexque dies inventa fidelis
Nicodemus quidam levat undis, alma domique
Pignora cum loculis pretiosa talenta recondit.

CAPUT V.

De sancto Severo ac Severiano.

Severus ac Severianus postmodum
Simulque Victorinus, atque horum comes
Carpophorus, acti ad sacra, nullo subjacent
Litare suasu, nec minis, nec fraudibus
Queunt moveri colla dent ut impiis.
Hæc turbulento dum citantur principi,
Jubet applicentur ante sacra Asclepii,
Quæ ni precentur, cæde plumbea cadent,
Mactata mandans in platea corpora
Canibus relinqui vel feris volucribus.
Quæ sole quinto exposta postquam sic jacent
Levant pii collecta Christi vernulæ.
Præmissa juxta collocantes funera
Ubi et coronis gloriantur quatuor.

CAPUT VI.

De sancto Genesio.

Mimorum princeps lepidæque Genesius artis
Vertitur et quatitur tritura hac, atque probatur,
Inventusque probus dignusque, poli horrea scandit.
Hic torvos nugis animos lenire suetus
Principis, atque feros ludo componere sensus;
Deditus et placitos grassatori edere gestus,
Festivum simulare dolum, in derisa referre
Crudeli infensos captori ludicra ritus.
Ergo die quodam tentans ludenda parare
Perverso spectatori mysteria Christi
Nugator, medio proponit acrama theatro
Ut cubet ægrotus poscatque salute lavacrum.
« Heia, inquit, nostri, gravis en, levis, expeto, red-
[dar,
Collegæ? — Fabrine sumus, te aut runcina nostra
Esse levem faciet? » Populi ridere corona
Vesani : ille subit : « Christi volo cultor obire
— Quare, aiunt? — Summa, ille, die quo transfuga
[sumar. »
Ecclesiæ accitus venit exorcista, sacerdos,
Qui lecto secus assidunt quasi lusibus ægri.
Ecce repente Deo fraude inspiratur abacta ;
Dumque rogant quid eos vocitaverit, omnia ponens
Prisci furta doli, puro jam corde fatetur
C Se charisma Dei totis ambire medullis,
Quo renovatus aquis, pravis rapiatur ab actis.
Utque sacramenti complentes mystica Christi
Vestibus hunc decorant albis, mox milite raptus
Sistitur ut ludo specie scitetur inani.
Ille datus coram subit edita sicque profatus
Inchoat : « Audi, Auguste, jocis exercitus astans
Audiat et populi sapientes urbis opimæ
Advertant : ego Christicolæ vel nomen abhorrens
Christi insultabam famulis ipsosque parentes
Nominis exsecrans titulo tam risibus apta,
Rebar ut in nostrum mysteria vertere ludum
Niterer excito turpare arcana cachino ;
Ast ut aquas tetigi fideique profata rependi,
D Cœlitus emissam video mihi verticis alta
Protexisse manum, cœli me ambisse colonos
Lumine fulgentes, supero libroque citantes
Quæ gessi a puero mala, delentesque lavacro
Scripturam hanc ipso tinctus quo candidus asto.
Et nive candidiore dein splendore corusco.
Inclyte nunc igitur princeps, populique sequaces,
Omnes qui mecum hæc mysteria gesta probatis,
Esse Deum verum Dominum quoque credite Chri-
[stum.

Hunc lumen radiare putat, verum hanc pietatem
Sumpturos veniam, si pœnitet esse, per ipsum. »
Indignatus ad hæc ira repletus amara
Fustibus hunc, dire et vehementi verbere tortum,
Præfecto addicit Plutiano cogere sævo
Tormento, cujus lacerans secat ungula pensum;
Lampadibus tostus fidei in proposito durat.
« Præter eum, dicens, quem vidi, quem colo, non est
A Rex ego quo ornatus nullius ipse mancipio :
Quem cœpi Christum, rapiet mihi nullus ab ore :
Nunquam a corde meo Christum tormenta repellent.
Pœnitet at nimium latrones quo collisus est,
Serius et Regem quod tiro superbus adivit. »
Hic perstans clarusque Dei sub laude resultans
Martyrii tandem æternam capit ense coronam.

CAPUT VII.

De sancta Lucia.

Nobilis hujus anus stragis Lucia rigore
Cœli celsa petit vidua quam pluribus annis
Dextra Dei sanctam supero servavit honore
Filius hanc famulis Domini quæ præfuit olim ;
Adversa defert Christi illis vivere lege.
Quam jubet adduci ductam aggrediturque tyrannus
Quod crucis confixum colat insistatque sacellis :
Vivere si libeat, divis dare thura propinquet,
Quo sibi propitii per sacra litamina pareant
« Propitii, illa, sibi neque, nec talibus ipsis,
Nam mihi propitius Dominus meus esse suevit.
Nec linquet pœnas pro cujus amore paratas
Quaslibet intuleris, sum ferre, et vincula et ignes. »
Femineam capiens robur vincique pavescens
Carceris hanc coluber mandat vafer abdier antris.
Hic hominum desolatam lumine cuncto
Rex suus haud abiicit, cœli dignatur honore
Tollere et æthereo solans renovare nitore.
Volvit atrox furiis leo tormentoque rapinam
Carpere bacchatur coramque redacta beata
Femina subigitur rigidis ad verbera lignis ;
Dumque diu teritur, subitus tremor incutit ædem
Delubrumque Jovis lapsu dissolvit opimo,
Parietibus lapidi ut lapis haud hærere valeret.
Sævior at dirum gravius coquit ira lanisten,
Afferrique jubens amplum vasti æris ahenum,
Repleri plumbo, pice mandat, et omnia circum
Robore siccandi latera hinc atque inde gregato
Immergique truces victricem flammosis in igne
Qua dum læta tropæa tribus canit illa diebus,
Visere crudelis tota ut subsederat hostis
In cineres legat, recipit quæ salva resultet,
Nec feritate vacat perculsus culmine tanto
Virtutis lanius, furias neque ponere motus.
Præcipit insanus ferro plumboque per urbis
Ducatur mulier victrix onerata plateas.
Illa ornata means gravibus per compita baccis,
Accedit foribus civis cui Geminianus
Cognomen, pollens opibus qui thure penates
Innumeros suffire solens stolido igne colebat,
Utque domum pertransit ovis mactanda tonantis
En subito cœlis visa est allapsa columba
B Et super effigians ter stigmata Geminiani
Clara crucis caput amissa moderante resedit.
Is quoque suspiciens cœli alta patescere cernit
Proripiensque fugam, celeri petit impete campum
Qua mulier virtute animi tormenta fatigans,
Prævalidum duro tractat luctamine bellum,
Currentisque petens prono vestigia cursu
Cernere quod cessum pangit sacra munera poscens
Quo duce sydereo Protasius ire sacerdos
Præcipitur divoque avidum purgare lavacro
Jussa gerit, puroque virum sacrat a nive piatum,
Tertia ab inde dies victricia bella reformat
Cum rege Æneadum læta tirone recenti.
Tormentis quos ille novis pœnisque repertis
Impetit, hisque furens cassis addicit atroci
Quem truciore via retur sævire lanistæ,
Suppleat ut si quid torturæ desit in hostes.
Ille quid ingestis valeat superaddere volvens,
C Victorum rigido cervices robore tundit
Moxque solo incusso procerum terit ædis adacta ;
Victores contra capit hinc apofrasius arma ;
Quinque sub hoc palmas et septuaginta capessunt
Qui juga subierant Christi virtutibus acti,
Quas Deus in famulis miro patrabat honore.
Funera post quorum, judex abjectus in undas
Præcipitatur, equum duce concutiente sinistro
Alto a ponte petens imam demersus abyssum ;
Corpore Tænareo cum mente voratus hiatu :
Nam miseræ exuviæ nullo post littore visæ.
Post contra athletas portenta tropæa nitentes
Insurgat Stygiis Megalesius anguibus actus
Invictosque probans nullo superarier astu
Aggreditur gladio mittens trans sydera ferro.
D Inclyta membra rapit mulier cui Maxima nomen
Utque triumphantes decet abdit honore venusto.

CAPUT VIII.

De sanctis Marcellino et Petro.

Hoc Marcellinus sub agone Petrusque triumphant
Quorum multimodam Petrus exorcista palæstram
Luctatus gravidas clausus limabat ahenis
Carceris obsessor gnatam obsidione dolebat
Dæmonis astrictam, Dominum quem credere Petrus
Hortatur Christum summi genitum esse tonantis,
Quo sobolis pacta valeat gaudere salute.
« Miror consilium, prudens Artemius inquit,
Te Deus eruere haud potis est tuus, et cujus ipsum
Ipsius ut plagas et vincula nomine portes

Qui salvare meam poterit si faxero prolem ?
Atqui (ait ille) Deus valet hunc meus omnibus atque
Pœnis eripere, at præstat certare duellum
Fortiter, æternum ut valeam captare triumphum
Credere si me vis, custos, geminabo catenas,
Te quoque in ima tenebrarum sub vincula solum
Detrudens caveæ claustra omnia tuta relinquam,
Omnibus et credam, si te Deus eruet istis.
Dat Petrus assensum se ejus testatur ad ædes
Venturum, non ad libidum tentaminis (inquit)
Id fiet humani, quin ad deitatis Iesu
Lumina demersis hominum pandenda tenebris.
Ille, caput quatiens : nimiis delirat hic actus
Tormentis (infit) ; properat, narratque jugali.
En subito noctis, solem claudentibus umbris,
Petrus adest, veneranda crucis signacula gestans ;
Illi ejus strati pedibus clamare supernum
Esse unumque Deum, Dominum sine figmine Christum.
Filia mox plenam sumit Paulina salutem,
Et Christum, quos illa domus retinebat, adorant :
Dæmone se Domini profitente vigore subactum.
Vulgatur circumpositis, curritque virorum
Tercentus major cuneus, sexusque secundi
Amplior irrumpit numerus, spectacula clara
Visuri dantesque Dei præconia summi
Tum Petrus Marcellinum cupientibus illis
Sacra subire vocat, cunctos qui, presbyter almus,
Abluit ablutosque pio connectit ovili
Sacratosque reos jungit custode solutos,
Nexibus exemptos, vitiis quos expedit atris
Comperiens censor mandat sibi sistier ambos,
Presbyterum atque exorcistam, fatusque sacerdos
Vera, ubi prosequitur, dictante furore jubetur
Carnificum sævis tundi per viscera pugnis.
Deficiunt lanii, sacer insuperabilis astat.
Sejunctum inde Petro densata cuspide vitri
Trux nudum jubet insterni cæcisque latebris
Luminis auxilium auferri victumque negari
Ingemit abjungi Petrus sævoque tyranno :
« Cum vocitent subjecti (inquit) te forte serenum
« Nubilus es per cuncta tuis tenebrosus et actis. »
Sic quoque constringi ipse datur, sic nexibus indi
Arctarique pedes ligni pressantis hiatu.
Astrigera desolato cœlestis alumnus
Presbytero summi legatur ab arce tonantis,
Erigit hunc plagis, proprio circumdat amictu,
Proripit in cippo ac ferro qua Petrus agebat ;
Hunc simul expediens ambos perducit in ædes,
Quo majori læti votis et laude vacabant
Consiliis munire novos candentibus agnos,
Præcipiens post hac cunctos accedere duro.
Albescente polo noctis dum tetra recedunt,
Dispositis luctatores repetuntur ab antris.
Queis minime inventis, Artemius ipse jubetur
Arctari, atque deis sacra ferre litamina cogi,
Stans sub honore Dei, cum prole ac conjuge forti
Rudere mandatur junctis affectibus abdi,
Cæditur ipse quidem gladio per limina cryptæ
Filia cum matre abjectæ saxisque notatæ
Mortem evadentes capiunt sine limite vitam,
Ductores esse laniis ante ora ferentes
Terrorem incutiunt, comitati plebe frequenti
Carnifices ipsi retinentur et intercepti
Stant, sacra dum celebrans consummat rite sacerdos.
At confessores sibi jam differre coronam
Horrentes partam, populum secedere mandant,
Se vinclis ultro, gladiis se sponte ferentes
Ergo canes rabidi nulla dulcedine moti
Præmissos ubi dilacerant, acuuntque furorem
Non ponunt proceres, æterna trophæa petentes
Nexibus invadunt, nodisque ad robora jungunt,
Quodque ferant lethum properant rogitare magistrum.
Is monet abduci in sylvam quæ *Nigra* vocata
Candida facta piis nemora, atque sub abdita cædi.
Obscurum ducti in saltum lucosque sub altos
Avulsis spatium cædis sibi sentibus aptant,
Inque vicem suplices, pacis sibi ut oscula libant,
Vota genu dantes posito sed corde levato,
Lethiferum prompta gladium cervice receptant
Virgineæ gemmis animæ visuntur et auro
Præcultæ specie superæ cultoribus aulæ
Celsa subire poli, cœlum penetrare per auras,
Carnifici hæc concessa truci spectare feruntur,
Qui dum visa refert, torvis dum pœnitet actis,
Jam senior vitæ meruit sacra dona per undas.
Digno danda solo retegunt sua membra beati,
Quæ Firmina levat pariterque Lucilla, venustæ
Sanguine matronæ, mentis mage lumine claræ,
Admonitæque, specu positus Tiburtius almis
Qua floret meritis sacrata in septa recondunt.
Damasus hæc quondam quæ percussore ferente
Compererat stricto licet edita carmine vulgat.

CAPUT XI.

De duobus sanctis Felicibus.

Presbyteri divina duo per sacra nitebant,
Nomine Felices, felices actibus ambo,
Fratres lege Dei, germano sanguine fratres.
Correptus senior procerum dictante furore
Judicis invehitur secreta ad numina Dracchi
Æreus urgebat Pelusia sacra Serapis
Hebræos olim duce qui Tricante subegit,
Cujus, ut insuffat patribus suplicata vetustis
Ora, velut vento folium, vasta æra labascunt
Hinc alias victor simili deductus ad aras
Insultat Maja genito virtute reliso,
Nec dea venatrix arcuque et arundine terrens
Oris flabra pii restare ad tenuia fortis.
Judicis ad sedem post clara trophæa reductus,

Tormento erigitur, quo carmine tanta rogatur
Tam dira acta dedit, divos qua fraude refregit
« Non maleficia, inquit, sunt, at bene facta tonantis
Non hæc fraude vigent quam laude Dei omnipotentis. »
Censor item legat vertenda ad fana beatum :
At ne forte solo sonato sacra sedula cogat,
Quæ viridi viget assistens radice sacello,
Arboris ornatas frondes et robora mandat
Ille preces effusa censet radicitus arbos
Corruat evertens longo sacra tempore tecta,
Amplius hic vanis ne decipiantur inanes,
Una potens robur paret, præcepta facessit,
Obvia fana terit quatiens vastatque premitque,
Atque inanulatam spargens protrita revellit.
Cognitor hæc sciens jubet hunc ultore subiri
Ense, ferisque dari, communi pira negari
Tramite decreti metam scandebat agonis
Lætus et accelerans parta gaudere corona
At magis ut niteat socium Deus applicat auctum

A Qui dum sollicite capit cædisque edicta frande
Obvius adducit promptum se ad regna tenenti
Offert exitio currens apprehendere palmam :
— Atque ego, proclamat, legi summittar eidem
Qua nitet hic senior, Dominumque ipsum colo Christum. »
His rapitur dictis et sancta per oscula junctus
Felicis pariti meritis sub strage jugatur,
Et simul exsectus cælorum ad gaudia surgit ;
Hujus post nomen quia nescivere minores
Ob decus infusæ vocitant virtutis Adauctum
Aggressi tacita justi sub nocte laborem
Qua vastum convulsa sinum patefecerat arbos
Corpora humant conduntque pii tellure triumphi ;
Tabescens livore nigro manus improba tentat
B **Vellere deposita insigni de rure talenta,**
Quique ruunt operi furiis raptantur Averni
Tempore qua pacis fabricata educitur aula
Martyrum et illustri præculta tropæa nitela

CAPUT X.

De sancto Chrysogono et Anastasia.

Chrysogonum in vinclis Anastasia fovebat
Pluribus hæc etiam solatia plura ferebat ;
Nam vir hic asservatus annos ergastula binos
Plurima perpetitur, Christi sub nomine, victor
Insuper et Rufum custodem acquirit et ejus
Quæque reperta clientela est servare penates,
Cum qua vincit ovans Dominus certamine mactus.
Anastasiam conjux, ne invisere possit
Carceribus positos quos Christi ut membra colebat,
Obscuris solam injiciens penetralibus abdit
Præclara hæc ortu celebri, præclarior actu,
Servit addicta viro, votis at dedita Christo,
Hæret mente pius, cæcis obsessa latebris.
Chrysogono sed anui gerula pia grammata legans,
Signat uti parvam sacrari præstitit undis
Mater eam, diva quæ religione nitebat
Cujus post requiem infidi juga dira mariti
Sumpserit, at nexus morbum mentita refutet,
Nocte die Domini amplexans vestigia **Jesu ;**
Vir cum sacrilegis ejus patrimonia vastans,
Se tenebris mersam penetralibus egerit atris
His quoque corpoream jamjam dimittere vitam
Autumet, ob **Christum gaudens quam ponere malit ;**
Tristetur sed opes, cælo quas vovit ad assem
Virtutis, invisos scelerum famulentur amicos
« Quare, serve Dei, supplex te deprecor, inquit,
Ores instanter Dominum vel corda jugalis
Subjuget ipse sibi, vel si **videt igne vorandum,**
Ferre locum jubeat, satius quod credo negare
Quam Dom**inum fontemque manere fatentibus illum,**
Testis Christus adest quod, jam si libera degam,
Sanctorum hærebo pedibus curamque piorum
Mente velut cœpi vigili exercere laborem. »
Rescribit precibus lectis confessor ad ista :
« Turbinibus tibi sævasti undique procellis
Adveniet propere gradiens super æquora Christus ;

Et fera belligeri fauce incita flabra draconis
Uno præcepti reprimet sermone relisa.
Ergo, maris velut in medio, patienter adorans
Expecta Dominum cum sancto mente propheta,
Proclamans : quid me turbans anima ægra fatigas ?
Fide tuo in Domino, nempe ipsum pressa fatebor :
Ipse mei præclara salus, et gloria vultus.
Muneris ætherei geminum amplexabere donum :
Cum tibi reddentur terrena, superna ferentur ;
Namque ideo Dominus longum bona protrahit alta
Ne sit vile quod impertit, cita neu data migrent ;
Nec turbere, pius quod quondam adversa sequantur,
His equidem neque deciperis quin fixa probaris.
Haud tibi per hominem constat defensio tuta :
C Nam maledictus homo in hominem spem ponere ni-
[tens,
Et benedictus homo in Domino spem figere gau-
dens.
Denique cuncta cave vigili peccamina mente.
Christi jussa tenes, ejus solatia quære,
Ille cito aspiciet placito sibi tempore versus,
Post noctis tenebras florentia lumina cernens.
Post hiemis glaciem, Boreæ post frigus abactum,
Aurea verna tibi cedent, spirantibus austris :
Tum pressis sub amore Dei præsentia præbens
Nexorumque levans solamine vincula blando,
Siderea accipies et fine carentia dona. »
Erigit his animum caligine clausa virago,
Lumen ut interius nequeant fuscare tenebræ :
D **Fortior at pollet pressuris, gaudet agone,**
Angitur infelix socius, cumulatque furorem ;
Afficit obsessam potuque ciboque negato ;
Vix impendit aquam, consumptæ ut morte jugalis
Liberius dominetur opum quas deserat illa.
Quæ recipi se jam sperans hæc ossa relegat
Consolatori : « Finis mihi corporis instat :

Esto memor nostri, tenebris animam egredientem
Ipse ut suscipiat pastor pro cujus amore
Hujus amus mici nobis quæ carperis ore.
Ille sub hæc : « Lucem semper progreditur umbra
Constat et ægroto licitum exspectare salutem ;
Vitam post mortem : sic uno fine tabescunt
Omnia mundani vel læta vel aspera cursus,
Quo sit spes mœstis desitque superbia lætis,
Velificant uno nostræ vectæ æquore cymbæ,
Remige sic uno cunctis corda acta feruntur.
Hic firma nexæ quædam compage carinæ
Turbine pulsatæ superant vada concita ponti ;
Nonnullis trabium male capula juncta phaselis
Tranquillo admissum rimis parit æquore pontum,
Et cito dispereunt tricantes quærere portum
Ast animis tu, verna Dei crucis inde tropæa,
Aptans te Domino, quo postquam vota subibis
Martyrii scandens palmæ cum culmine ad ipsum. »
Nec mora legatus peregrinis Publius oris
Efflat, et egelidum revocatur corpus in urbem
Conjugis. Hoc viso custodes limina linquunt
Diffugiuntque ; probum tuta Anastasia vatem
Expetit enarrans lacrymasque et gaudia miscens
Quid factum, pia contingerit oracula quorsum.
Libera sic vinclis vinctorum servula Christi
Enitet asservans ergastula, vota ministrans.
Arbiter in sanctos hujus tam pestis acerbæ
Mactabat testes aquilinæ in partibus agni ;
Nec satis est lanio præsentum sanguine tingi,
Romanos enses latum quin spargit in orbem ;
Carceribus servat quos præfectura per urbem
Diro mandat agi gladio ; sibi mittier almum
Chrysogonum ; sequitur voto gravis ære ministra,
Làrgaque devinctis etiam hic solamina præbet,
Denique Chrysogonus grassantis in ora draconis
Perductus, petitur laqueis, quatiturque secundis
Suadetur, vel præfectus, vel consul adoret
Numina Romulidum, neu spernat sacra parentum.
« Unum (ait ille) Deum veneratum mentis adoro,
Corde colo suplici, sinceris prosequor actis.
Vestrorum simulacra deûm quæ vana probantur
Utpote dæmonicas contemnens exsecro thecas.
Famine quo pandens animi insuperabile robur,
Terminat egregiam, desectus colla, palæstram,
Membra salutifero populis ne jure niterent,
Livore æquoreis demersa lavantur in undis.
At non nereio præsumpta vorantur hiatu
Non ad portum hostis, vel inhospita littora, læta
Sanctarum ad saltus veniunt legata sororum,
Cyoniæ, Hyrenes, Agapesque, senex ubi justus
Conderet hæc Zoilus casto servanda cubili.
Panditur inde seni qua sit caput æquore vectum,
Inventumque velut sectum mox cæde recenti
Deligitur, propriaque super cervice locatur.
Pace fruens martyr superaque in luce beatus,
Ipse sui curatoris memor esse probatur ;
Apparensque seni dictarum bella sororum
Jam patranda, piæque docet solamen alumnæ
Hunc sumptum ire datam sanctorum sede quietem.
Ille ferens sacri divina sororibus ossa
Ter decimo expletum testis post sole triumphum
Celsa sibi scandit penetralia martyr parta,
Pignoris eximia lecti mercede recepta.
Hinc in prædictas grassante latrone sorores,
Ut sibi fert jussum, non deserit alma ministra
Carcere detrusas Anastasia sodales,
Impendens geminum pietatis munere victum
Nec minus indignos rebusque foroque repulsos,
Nomine sydereo, gremio genitricis adoptat :
Omnia sollicite curans, patrimonia cœlo
Condere deposcens, votis operaque laborans,
Ne qua latere sinat terris quæ voverat astris ;
Grassatorem etenim sequitur qui strage piorum
Ardet ubique loci vastas effundere cædes
Ac velut haudquaquam valeat reperire necandos
Qua pergit ; ductare studet sub vincla repertos,
Quos inter Macedum dictas perducit ad urbes
Germanas nullo sudore abtrice dirempta,
Quæ celso superat corde scruposa viarum
Quamque supernus amor per dura, per ardua tollit
Pharsaliæ quærens aptos ad dira ministros :
Trux leo victrices rapit huc ad sæva sorores,
Quas pia solatrix acres non inter agones
Deserit, haud mactas post clara tropæa relinquit ;
Hisque æternorum festiva palatia nactis
Regnorum, meriti thecas cultu ornat honoris.
Hujus per multos superis legata supellex
Dum pollet celsis jam centuplicanda talentis
In terris augere bonum, pietatis amator
Non renuit gemina hanc præstans retinere lucerna,
Dum parili jungit Theodotem luce micantem.
Hostibus hæc addicta sagax evadere curat,
Mundani, saltu astra petens, laqueamina retis,
Zelantique proco sibi debita prædia linquens,
Nectitur æthereæ studio exercenda magistræ
Quælibet apta foro discens impendere cœlo.
Hæc omnis cura ambabus, hæc sola cupido,
Matres ut genitis, solatia pendere sanctis,
Subsidium ferre indignis, dare robora tritis,
Præsidium pavidis, suffragia tradere mœstis,
Latis cœlo opibus, raptisque ad sidera justis.
Quæsitos solito lustrans ergastula mater,
Dum probat emeritos Anastasia migrasse,
Se lacrymis desolatam solatur amicis,
Quæ fletu madida ora rigans secus antra reperta
Intrepido Christum nisu quia fassa roganti,
Traditur Illyrici stipato jure forensi
Præfecto, scitansque datum nihilominus ille
Accipit egregium tenero sub pectore robur
Quærentique genus, causamque interrita pandit :
Adventus, Jesum super astra sedere profatur,
Præsentemque solo sanctis solamina ferre ;
Nec negat his se sollicitam servisse ministram
Quos impugnarunt : trepidis auxisse vigorem,
Arma dedisse, viam monstrasse, levasse laborem
His se desertam queriturque repente relictam,
Æmula corde pio post hos fervore ferentem,

Hosque sequi cupidam, hinc et aperto lumine pau-[sam
Quo post exactum tandem vestigia censum
Ipsa triumphantum ad cœlos vel sera sequatur;
Comperiens claram præses gentisque togatæ
Stirpe satam, regi ducit depromere dignum
Se prætextati sobolem servare prehensam
Christicolæ tanto sextæ nodamine captam
Nomine sub Christi, jugulum quæ pendere malit.
Præcipit ille datam studio servarier omni,
Jussa tenens quid censor agat, quæ munera ponat
Exquirit præfectus opes, patrimonia poscat;
Accipiens impensa polo, liberrima profert
Probra Deum capiens, insana oracula censet
Dementem demens vocitat, probat illa socordem,
Invalidumque animo veris accepnere falsa.
Quæstor dicta refert regi, furit ille requirens
Milite quo fixam superet, queis diruat armis,
Sacricolam eximium capens uxore vacantem,
Tradit hunc vel subdendam, fanoque, thoroque,
Vel si restiterit, subigendam tormine letho.
Ille datam gaudens varia in penetralia ducit,
Dissimilis diversa monens discrimina belli
Hinc gladium, hinc aurum, gemmas hinc, inde cata-[stas;
Mollibus hinc cunis argenti strata refulgent;
Ignibus inde feris ferri usta grabata renident;
Inde penu dapibus nimia stipe dite refertum;
Inde specu tenebris testisque horrescit acutis.
Quæ verum lutum fortis testata virago,
Cernere se cunctos opulentos stercora censet,
Ferrea vincla poli pretiosa monilia ducit.
Ille putans spatio a cœlis ad terrea verti,
Fert tribeam invitæ jam jamque superna tenenti,
Allegatque decem sagas pervertere corda,
Indomitam visco laqueisve ligare columbam
Hanc illæ variis attentant retibus: aurum,
Ardentes gemmæ, Parthique feruntur odores
Illa polo defixo oculos, elataque palmas,
Stat precibus hærens, nec corda nec ora reflectens,
Non escam somnumve petens, sensuve pigrescens;
Cornicum ut voces aquila spernente fatiscunt;
Sic fusi suasus, immota hac stante, labascunt
Cessum ubi post spatium muliebria tela relisa
Improbus insistens athleta libidinis audit,
Irrumpens sacra jam penetral per vota dicatum,
Nititur amplexus cœlesti inferre puellæ,
Quem subito cingens tenebris horrenda vallat
Gyrat inane domus, Christi contingere servam
Invalidus; surdos vacuo vocat aere divos:
Queis tandem elusus, pestisque rigore coactus,
Astantes foribus clamans ciet, hisque receptus,
Evehitur, cultasque diu defertur ad aras,
Sacra litat, vitam a mortis deductibus orat,
Ursa capit se digna pati dementibus ausis,
Tartareasque agitur raptus tysiphone sub umbras.
Libera bellatrix sociæ magalia visit,
Et sibi gesta Deo Theodotæ ex ordine pandit
Sonibus atque Dei noctes in laudibus addunt.

A Bebricia interea Theodotes urbe petitor
Adveniens, opibus juste perfunctus inique,
Hanc sibi connecti studio flagrabat inerti
Dumque dies vano insistens terit impete plures,
Invenit hanc pariter quæ roboret ore sodalem,
Quam feros abripiens censori addicit atroci,
Primatique suæ Theodotem destinat urbis.
Ille piam sceleri nitens substernere tetro
Dum probat intrepidam, natum sub tormina primum
Destinat Evodium, pueri præcelsa profata
Indignans, flagris et malels in ora lacessit,
Robora cui genitrix cumulat sermone virili
Verberibus testans his gaudia sumere Christi.
Arbiter impuri dat scortatoris honestam
B Sordibus addici, posthac meretricibus addi.
Incesto castam nisu temerante petenti
Naribus exundans valido fluit impete sanguis,
Improbus et clamat juvenem fulgore nitentem
Auratæ vestis solamina dedere matri,
Cujus agente datum pugno sibi naribus ictum
Præcipit hic censor vastum succendier ignem
Et trina cum prole rogo demergier almam.
Quæ grates Domino referens, benedicit ovanter
Omnipotentis heri nomen, clementia cujus
Pignore se proprio nec sæclo separat isto,
Nec patitur Christi confessio sancta revelli,
Sed nec martyrii sinitur sub agone relinqui
Cœlica cum natis scandit sic prævia victrix;
Illyrici præfectus hians opplere crumenas
C Munere, proventus matronæ obsederat, abdens
Romuleam claustris matrem custode frequenti
Obseptam, tentansque animum sub pectore, sexus
Infirmi, validum, suadet præcepta magistri
Expleat, et facili census sibi dote remittat
Temnentem temnens imitetur munera Christum,
Illa ferens firma calentia spicula parma;
« Vertere me mandata jubes quæ Christus egenis
Præcipit, ipse tibi locuples impendier orans,
Dum neque te mensa dignum decreverit auctor,
Pauperibus poni quam jussit amore benigno.
Munera quin si nostra juvant, quod egere pro-[baris
Accipito, et largis fidei ditesce talentis.
Dumque alterna serunt, censor rationis opimo
D Deficiens antris victricem claudit opacis
Impugnansque minis panem vix sero ministrat.
At Dominus charam in tenebris non linquit alumnam,
Huic redhibens comitem dudum cœlestia nactam;
Nec patitur desolari solamine dulci,
Noctibus insigni Theodotem lumine cinctam
Sedibus a superis ad cæca cubilia legans,
Cui socianda polo, ut sancto sibi vinxerat actu,
Hæc dapibus mensam, varioque decore paratam
Apponens, pariterque preces ad sidera tollens
Ætherei solamen ei fundebat amoris,
Sensibus et carnis superum impendebat honorem,
Cœlica regna petens cœlesti ut luce frueret
Divinoque poli gauderet nectare pasci.
Hoc ubi ter denæ decorantur lumine noctes

Defecisse fame, tetrisque horroribus hosti.
Hanc ratus inquirit tamen an vel fraude superest
Fortius illa vigens, meliusque reperta nitescens
Pellitur undique curam vinctæ hoste ferente,
Mutatisque sigillato custodibus antro
Mergitur, et tenebris latet abdita mense secundo
Nec sueto de more tamen solamina desunt,
Nec charam linquit comitem dilecta sodalis:
At solito refovens cœlestibus educat escis,
Clarior illa nitens, hilarique augustior ore,
Dum dape siderea, divoque nutrimine floret,
Liquitur hostis iners, nisuque fatiscit inermi
Destituique tuens hoc se molimine, tentat
An pelagi invictam terris queat abdere lymphis
Admiscensque reis Thetydis jubet indier undis.
Flatibus acta ratis vastum raptatur in æquor;
Fluctibus atque feris spoliata addicitur armis,
Bis sexagenis sociis onerata tegendis;
Undivagam lethi fremitu quatiente carinam,
Præsentem expositis intentant omnia mortem.
Ast animas horrore legens educere diro
Cunctipotens, famulæ trepida sub sorte sodalem
Mittit, nutantis relevet quæ corda tumultus.
Approperans æthra Theodote margine cymbæ
Subsidit; firmansque animos de puppe labantes,
Componit celeri sternens tumida æquora nutu,
Et solans comitem vinctos simul advocat astris.
Eutichianus eos inter pietate serena
Pollebat, qui rura et opes amittere gaudens,
Fixus amore Dei contempsit gaudia sæcli.
Qui quotiens quæsita palam promoverat orsa:

A « Non mihi tollet (ait) Christum et qui vertice demet! »
Quem dum magnificant celebri sub honore sorores
Altera fluctisono ponti vallata susurro,
Altera vesano turbatum libera motu,
Christi facta Dei præsentia pectora sumunt,
Inque sali medio, statione quieti
Ceu portum, cum nocte diem sine turbine jungunt
Tertia lux terras palmarum nomine dictas
Fert, quæ nonnullis vario certamine trusis
Gaudentes fulgere, pars augentur et istis.
Præcipiens coluber quibus egerentur arenis
Spectari, teneant alacres quæ jura, capessit,
Et valeant, quid agant, Christum quod corde sequantur.
B Ille furens sævos celerat legare ministros
Crescentes reprimant nisu qui quolibet ausus
Maturant rabidi præcepta patrare lanistæ.
Tum mentes mulcere dolis, terrere flagellis,
Invitare humiles, donis ferre ultima duris;
At non egregios aurum, non vulnera frangunt.
Non mors ipsa, animos properant ad funera fortes.
Bis centum hic subiere viri vario æthera ductu,
Quos septingentæ comitantur agone puellæ.
At ductrix robusta manus exercita, fixis
Vincta pedes palis, medios exsultat in ignes.
Exsultansque animam radiantia tollit in astra.
Funus Apollonia matris servante fideli
C Curatum, multoque ut condit aromate membra,
Basilicæ fabrica celebrique decore venustat,
Christus et emeritos insignibus auget honores.

CAPITULA LIBRI OCTAVI.

CAPITULA LIBRI NONI.

CAPITULA LIBRI DECIMI.

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

De persecutione Maximiani et sancto Marcello papa et sociis ejus.

Tractus per varios vestigia diva legentem
Dum sequimur matrem, decretam liquimus urbem,
Ausoniosque procul missis excessimus agris
At ductrice poli quæsita sedilia adepta,
Propositum repetamus iter, redeamus in urbem:
Quos hic incendat rabidus, quos excitet ignes,
Climata collega furiis [illegible] tenente,
Quos inflet strepitus videamus Maximianus;
Quas strages diris, quæ bella peragat armis.
Marcellus vacuam longo jam tempore sedem
Nactus apostolicam, vigili tutatur ovile
Commissum studio: quo quis certamine sudet
Discutiens, quæ tecta gerat, quos certet agones.
Hæc datus in specula Thrasonem ope castra levantem
Repperit, humana cunctos pietate foventem,
Supplementa cui Sisinnius, et Cyriacus
Addebant operi, Largus simul, atque Smaragdus,
Instantes, agiles, virtutis amore ministri.
Dux bonus hortatur proceres, succurrit et istis
Rite ministra manus Sisinnius et Cyriacus,
Dignius ut niteant operi, insistentque labori.
Dumque ministerio explendo noctes quiescunt,
Tertia [illegible] penetrant lictoribus antra,
Antra tenebrarum, [illegible] hinc dantur arenæ:

A Hærentes operi decreto, aliena levare
Pondera decertant, læti laudesque ferentes,
Carminibus divis regique Deoque benigni,
Ut capit hæc Cæsar, mandat Sisinnius ut
Assistat, nomen carmenque referre rogatus,
Servorum Christi famulum vernumque fatetur
Laudibus attollens præconia cunctipotentis.
Herculis anguis [illegible] tribues vel adorea sacris
Vel tua funestis addicam viscera flammis. »
Iste sub hæc jugiter devota mente cupita:
« Hæc mihi contingent, meritis si forte coronam
Quæsiti reperire dati censebor honoris. »
Lauditio posthac præfecto traditur, illum
Qui custode cato septemque decemque diebus,
Obsidet, offerri hinc sibi præcipit Apronianus;
B Præsentem custos ubi dat fulgore superno,
Hunc radians videns, vocem simul haurit ab æthra:
« Approperate, patris benedicti, sumite regna
Jamdudum vobis, mundique ab origine parta. »
Famine quo tremefactus adit vestigia testis,
Adjurans liquido se mox purgamine tingi,
Ut queat æterni contingere dona decoris.
Nec longum dilatus honos ubi vota capessit
Decisus jugulo quæsito stemmate fulget.

Inde senem Saturninum Sisennius antris
Cœpit habere parem, cujus relevatur amore,
Nuper eum duro solans ut fasce levabat.
Sicque dati septis plura obsidione gehennæ
Agmina solvebant quærentum munera lucis,
Dogmate purgantes tenebris, et fonte sacrantes,
Atque ita quinquaginta duos datur abdere soles.
Hinc nudis acti pedibus, vinctique catenis,
Præfecti in vultus sistuntur et ante tribunal ;
Ærea defertur tripos, atque litare jubentur.
Tum Saturninus : « Sceleratos atterat (inquit)
Hic Dominus divos ! » tripodem qua voce resolvit,
Impetu ut acta procella lutum, tremit alta satelles
Jura potestatis Christum Dominumque Deumque,
Papias, Maurusque cient ; mox ora relisi
Grandine vulnifico, traduntur carceris antro,
Distentique duces nervis, pensique catasta
Velluntur flagris, torrentur in æthere flammis.
Dumque ferunt grates nec cessant edere laudes,
Depositi cœlum cæsa cervice merentur.
Cum Joanne solo claudit pia pignora Traso,
Marcello confessores tingente piatos
Judicio præfectus agit, quos diva fatentes
Munia, sacra refutantes gentilia, sterni
Rure jubet, ignisque terit nihil ore sonantes
Munera ni Christi ; lignorum robore trito,
Plumbea plumbens, annectit quo pondere agonis
Pondera ponentur : cœlorum ad culmina surgunt ;
Corpora Joannes venerando presbyter actu
Dat Petri ad nymphas ubi cœlica dona ferebat.
Interea sanctum custodia longa ministrum
Cingebat fessis Cyriacum robora dantem,
Oppressis columen, septis caligine lumen.
Principis at sævi soboles Diocletiani,
Flamine vesano fervens Artemia diro
Perculerat patrem furibundi vulnere cordis ;
Ipse fatebatur dæmon nisi voce jubentis
Non se egressurum Cyriaci. Mittitur atque
Nexibus exemptus thalamos penetrare rogatur.
Luctam ingressus init, cum tetro dimicat hoste,
Huncque reclamantem, multamque labore minantem,
Pectoris invasi propulsum eliminat antris ;
Nec vacuum patitur vas inde patere latroni,
Gurgite quin sacrum sensu renitere fideli
Præstat, et æthereæ decorandum destinat aulæ,
Solvitur his actis, libertas munere fertur.
Nec mora longa orientalis legatio regis,
Post longos maris emersos, terræque meatus
Romanam sedem petit, imperiique cacumen,
Non belli terrore pavens, non indiga pacis,
Non pacto, augusta non majestate coacta,
Mitia Chaldaici prodens orata tyranni
Romuleum civem quærentia adesse Sapori,
Non sceptris rutilum, non ostro auroque coruscum,
Pauperis ast habitus Cyriacum vilibus actum,
Contentumque sagis, devotum, humilemque mini-
[strum,
Hostem qui nequeunt reges quem pellere pellat,
Regis et absolvat genitam nexu anguis adactam.

A Augusto montus panduntur at ipse jugalem
Barbarico pro suggesto dat abire petitum.
Levites haud horret iter, haud abnuit hostem
Promptior in longos oneroso tramite ductus
Ac petit Eoum, regina adhibente veredos,
Cum Largo comitante solum, socioque Smaragdo.
Externas hostem procul insectatus in oras ;
Sed nec equo patitur tolli, rhedisque juvari ;
Quin baculo contentus abit, superatque jugales ;
Ast ubi perventum radiantem regis in aulam,
Auro præcultus rutilante tyrannus egenum
Stemmate contentum vili dejectus adorat,
Invitatque auro penetralia fulva subire,
Quis captiva sedens multo non quiverat auro
Injectis redimi vinclis, exire catenis.
B Ingrediente salutifero secreta ministro
Regia, torquetur tortor, vincitur adactor,
Multa gemens et multa querens, dimittere tandem
Cogitur, invasam torvo molimine prædam.
Sicque fide replens vacuatam dæmone mentem
Membra triumphator cœlesti protegit unda.
Proficuum soli nec ita datur esse puellæ :
Solvitur hæc vinclis, manifesto exempta furore,
At pater interno cæcoque ligamine liber
Redditur, et Christo pectus dicat hoste piatum.
Nec solus rex sacra subit, comitantur amici,
Bis deni et quadringenti baptismate culti.
Munera sceptrigeri pauper contingere temnit,
Præmia magna fidem ducens, pane usus et unda.
Glorifici Persis Cyriacus honore triumphi
C Sublimis remeat, capit inclyta Roma ministrum
Egregium ; pudet huic bellum conferre tyranno ;
Pace frui annuit, invitus fera continet arma,
Hunc tamen in solum, quod ei sub munere præstat.
At dilata patris genitus supplere calescit,
Atque vicem patris exercet, veramque paterna
Se prolem feritate probat ; furit impius hæres
In pietatis amatores ; punire benignos,
Devotosque flagrans, Cyriacum tegmine nudum
Opprobrium reliquis cultum procedere rhedam
Præcipit obstrictum gravibus, septumque catenis :
Mitior erravit si quid pater, iste piare
Contendit, famulosque Dei sub agone lacessit.
Carpere Carpasio Cyriacum verbere tradit.
D Ille furens vincti pice verticis alta nigrare
Perfundit candens picei caput igne liquoris ;
Iste ferens grates, offert præconia Christi
Congaudens, seseque Deo dant dona sodales.
Crescentianus unus horum tollitur
Altus catasta, crescit atque tormine,
Tensusque nervis fuste crebro cæditur
Ac membra aratus jugulis irraditur
Dum supernam voce clara gloriam
Præfert, adactis incalescit ignibus,
Interque laudes, inter ignes spiritum
Emittit astris luce pura fulgidum.
Hoc ita præmisso, comites custodia claudit.
Quatuor exactis Cyriacus solibus istis
Eximitur claustris, suasusque litare profanis,

Solus Domini sequitur libamina Christi:
Attractus nervis cæsusque libramine tensis,
Laudibus et precibus regem persultat Iesum,
Carnificemque viri superat patientia fixi.
Ille pudore gemens properat narrare tyranno,
Et præceptori devicta renuntiat arma;
Qui furibunda fremens omnes quos claustra retentant
Cum Cyriaco ensi jugulum dependere mandat;
Atque ita bis deni clarum super astra ministrum
Sectantur testes, roseo fulgore nitentes.
Pignora Joannes senior rapit, abdit humoque
Deponit; Marcellus abhinc, comitante beata
Lucina, celebri comens disponit honore;
Suscipit hæc etiam socios Largum atque Smaragdum,
Quos dominæ capiunt Juliana et Menica busto:
Fratris tunc etiam affectus Artemia sensit,
Germani framea capiens cœlestia regna.
At Lucina facultates ex asse ministrat
Ecclesiæ, traditque domum, qua rite sacrata
Lege licet plexa mysteria papa frequentat,

A Quo comperto, hostis stimulata mente retractat,
Quid pœnæ statuat, dum publica bella renutat;
Deputat ergo domum stabulum, patremque ministrum
Jumentis adicit; prono qua corde subactus,
A Domino illati medicatur vulnera Iesi,
Temporeque hic longo gemino dum pabula ritu
Suggerit, ac bifido diversa animalia victu
Pertovet, emeritus paradisi in septa levatur
Finetenus duro tectus membra incluta sacco
Nocte die precibus divisque vacabat ut hymnis.
Joannes artus sacer et Lucina recondunt
Ædes Carpasio Cyriaci munere cedit
Sævitiæ, ingressus fontem quem papa sacrarat
Obsceni luxu maculat sordente lavacri:
B Qua dum scenica cum pravis et fœda frequentat,
Tartareum subiti torvo lethi agmine raptus,
Complicibus junctis, descendit ad usque profundum
Sic pia clausa domus diris, intranda benignis,
Terrorem sævis adhibet, solamina justis.

CAPUT II.

De sancta Lucina et sociis ejus.

Sanctorum plures Lucina beata fovebat,
Cui conjux Pinianus, opes et prædia linquens,
Ut Sisinnius ac pariter Diocletianus,
Grandine saxorum pressi, Florentius atque
Congaudente piis ab eo data busta capessunt.
His quoque susceptus meritorum fulget honore.
Imbuit hanc martyr sublatus ab ore cloacæ,
Temperet egressa ut proprias jejunia vires,
Corpore dote nucis gerula cornice referto,
Parva daret vitæ cui sorbitiuncula curam,
Quam petes eductis jam fratribus alma Beatrix
Simplicio gemino ac Faustino luce nitebat;
Queis vario sub agone poli penetralia nactis,
Corpora verticibus Tyberinis abdita nutu
Redduntur patefacta Dei quæ Crispus honore
Joannesque levant celebri junctaque sorore
Debita militibus dependunt munia mactis.

Ast inhians quidam contermina rura piorum
Subdere vicinis propriisque annectere fundis,
Ad fera fana Beatricem Lucretius urget,
Quæ scelus exhorrens clamat: non libo profanis,
C Altithroni cultrix Domini; » sic carcere trusa
Dum retinetur ab infesto divellitur hoste:
Præfocata nigris sub nocte latenter in antris.
Quam fratres secus explicitos Lucina receptat
Ambitor rus ingrediens, indebita gaudet
Pervasisse colens opibus convivia raptis;
Quo securo epulis laute recubante sinistris,
Parvulus avellens os matris abcolere clamat:
« Audi, Lucreti, post cædem invasa capessis.
Traderis en hosti infelix possessio factus. »
Acceptus sub voce feri laqueamine lethi,
Prandia perturbat patinas et pocula miscens
Tartaraque irrumpit, flagris agitatus erynnis

CAPUT III.

De sancto Joanne et Crispo.

Joannes Crispusque, ubi plura decore nitenti
Pignora justorum natali tegmine condunt,
Ipsorum macti meritis, capiuntur in astris
Quorum sede pia mandarant corpora glebis.
Ipse etiam dives sanctis qui multa ministrans

D Servierat Thrason, gibbo cedente cameli,
Lumina transit acus, gratumque expertus agonem
Martyribus conjunctus abit palmamque capessens
Cum sociis gemino petit aurea regna triumpho.

CAPUT IV.

De sancto Erasmo.

Multa quidem quæcunque loci celebrata trophæa
Hoc fervore micant. Quanto cumulatius arva
Credimus Ausoniæ rutilo radiasse nitore.
Tunc bellis clarum Campania pandit Erasmum,
Pontificem dignum, crebro sub agone probatum.
Grandine quem plumbi qualiens Diocletianus
Invenit ut validum, valido dat verbere rursum

Mactandum. Rigido tritus qui robore sylvæ
Invictus victo superat tortore flagella
Arctatur coluber: Varia exercere palæstra
Athletam meditans, vario parat unguina fotu,
Diversas rapido species simul igne resolvens,
Resina, plumbo, cera, pice, sulphure, olivo
Permixtis; talique refecta liquamine membra

Respergat, desquisitos non passa calores :
Stat pius illæso spectacula corpore præbens,
Tutorisque fidem mirantum cordibus addit.
Carcere vallatus magno quoque pondere ferri
Depressus, posthæc dira obsidione tenetur,
Missus at æthereus summa delabitur æthra,
Largiturus opem testi pia bella gerenti :
Vincula dissolvit, patefactaque limina reddit,
Educit tenebris raptum, dat abire solutum.
Sic, dum plura gerens populis miranda lucrandis
Oppida, rura replet factis insignibus, ales
Fama palatinis etiam notat auribus acta
Jamque triumphator proceris virtute prioris,
Culmen in alterius mandatur inire duellum
Laude lacessitus raptat quem Maximianus
A Suppliciisque agitat variis duraque palæstra
Exercens, æris lorica induct adusta
At flagrante nitens tunica stat nescia martyr
Membra gerens ignis, spretoque ardore coruscat
Vi supera ; recrudescunt tormenta, redactæ
Præmissæ refluunt species fervoris in olla,
Miles et ignipotens flammatis mergitur undis,
Quas tepido veluti fotus, gaudensque lavacro,
Cuncta simul superans molimina dira triumphat
Egrediturque alacer, divoque levamine tutus,
Fruitur duce sidereo, campana peragrans
Arva, fidemque piam multorum in pectora plantans,
Et tenebris plures ad veri lumina ductat,
Sicque Deo jussus celebres consummat agones.

CAPUT V.

De sanctis Sossio et Januario.

Aulæ ministrum cœlicæ hac tyrannide
Misena clarum præferebat Sosium
Qui sanctitate, dote qui prudentiæ
Juvenile robur protegebat strenue.
Quare beatus sæpe Januarius
Benevento ab urbe qua nitebat pontifex
Hunc visitatu sublevare sueverat.
Unde et petitum clara Christi dogmata
Domini sub aula dum citantem respicit,
Cernit comantem abire flammam vertice.
Solusque tali convibratus lumine.
Mox exiturum prædicavit martyrem.
Haud immorata, haud ducta longum famina.
Pauci rotantur post prophetiam dies,
Et ecce, tentus dum astra levites fovet,
Levare solers vincla vates advenit,
B Atque apprehensus fit palæstræ particeps.
Hærent sodales optimi, diaconus
Honore Festus, lectione et elius
Desiderius. Hi, sæva post egastula,
Mulctam subire destinantur verticis,
Qui præstitutam dum ferunt lethiviam,
Cumulantur aucto dignitatis ordine,
Puteolana nempe ab urbe Proculus
Levita fertur cum duobus obvius
Et plebe justis (hique Acutus, Eutices,
Isti rogantes cur necem justi petant :
Ubi probantur plebis almæ nobiles.
Simul jubentur colla secti occumbere ;
Pariterque septem cæde plexi compare
Rapiuntur acti gratiæ prædonibus,
C Variique cives busta dant tribulibus.

CAPUT VI.

De sancto Domnino.

Julia Cæsarei procerem primumque cubilis
Domninum fera vitantem consortia regis
Felici hospitio capiens, mox læta triumpho
Persultat : rabies quem consectata cruenti
Carnificis, rapit, æthereis gladio erigit astris.

CAPUT VII.

De sancta Barbara.

Tuscia tunc vidit certans ut Barbara virgo
Clara trophæa tulit, genitor Dioscorus arcta
Quam longum obsidione terens dat præsidis iræ,
Qua nudata flagris crude divellitur atris,
Dumque manet stabilis nervos et taurea ridens
Fricta recrudescunt hircina vulnera palla,
Inde recepta antro cœlesti luce levatur,
Costarum applicita flammatur lampade cratis ;
Malleus incutitur, capitis libratus in arce ;
Præcissæ diro teneræ cæsore mamillæ,
Stigmata deinde crucis nudare retecta plateis
D Ducitur, atque diu truculenta cæde resecta.
Culmina sortitur juguli mercede superna

CAPUT VIII.

De sanctis Secundo et Alexandro.

Castra etiam scrutabantur, quo si quis in armis
Christicola inventus, nomen legemque professus,
Aut nece Cæsareum, aut satiaret thure furorem.
Lapsacidas inter proceres tunc forte Secundus
Nomine deprensus, reliquis virtute priorem
Cœlestis quem fecit agon, post vincla, tenebras,
Perpetuum specimen caput ense recisus adivit.
Hujus Alexandrum legionis in agmine sacra
Sidereæ audierat luctæ sumpsisse tyrannus
Ritibus appositis petit hunc libare profanis.
Is cœli convexa tuens : « Mihi gratia talis
O utinam præstaretur quo vana repellens

Sensibus ista tuis et vertere corda valerem !
At tecum patriciam, video insanabile vulnus.
Ille quoque qui cunctas vocat ad sua munera gentes
Consiliis at parce feris, Satanæque sensus
Linque tuos et pange malos quæ gesseris actus,
Viventemque Deum qui condidit omnia nosce. »
Motus ad ista obicit Cæsar jubet arma neganti
Invitumque sacris rapiumque litamine cogi
Ille fide fretus, colubri præcepta refutans,
Confundit torvos interno robore vultus,
Mensam calce petens, glebis superaddita miscens.

A Mox furor hunc frendens ultore dat ense feriri ;
Stat trepidus ferro nutans titubante satelles ;
Quem ferus increpitans judex succendit inertem
« Hujus at ipse caput pro me mons magnus habetur,
Unde tremunt membra, horror mihi sensibus ictus. »
Ille alios adhibet, plures ciet unius ora
Qui resecent ; properat martyr, gaudetque resolvi
Procumbensque genu telluris ad ima volutus,
Mucronem petit ac prona cervice capessit
Sed prece præmissa mactusque ut ardua castra

CAPUT IX.

De sancto Theodoro.

Theodorus validis staret cum miles in armis,
Strenuus altithrono pendebat munia Christo
Crimine quo raptus celsa ad prætoria fertur
Jura Dei fassus, differtur vertere sensus ;
Irrevocanda tenens æterno pectora vero,
Sistitur Æneadum censendus regmine legum ;
Agitus intremis, cohibetur carceris antris
Ostia signantur, sed non solamina diva
Arcentur claustris relevato ; visibus altis

B Judiciis restauratus, trabe tollitur altus
Unguibus excisus, ferroque insectus ad ossa,
Costarum cratem lacerata carne renudat
Inde roge data victorem sententia prodit,
Qui vexilla crucis rapiens partos petit ignes,
Cleonicumque sequi vestigia fortia mandans
Glorificansque Deum, mentis litat ignibus ignem
Funera devote Eusebia satagente coluntur.

CAPUT X.

De sanctis Victore, Felice atque Nabore.

Victor canitie fideique decore nitebat,
Sanguine qui Maurus, primisque fidelis ab annis,
Cæsareas animi decorabat honore phalanges.
Felicis patria civis civisque Naboris,
Africa quos cæsos urbi dat Mediolanæ,

Cæsare compulsus fanis impendere honorem,
Victor perduransque pius fera robora vincit :
Lignorum tritus longum, ignarusque dolorum ;
Stansque expers ignis, plumbi perfusus ab undis,
Augusti gladios sic post tormenta triumphat.

CAPUT XI.

De sanctis Carpophoro et Abundantio.

Maturitatis hoc calore copiam,
Carpophorus aucto percipit Abundantio,
Spoletum agone qui venustant gloria,
Prior sacerdos ac minister subsequens
Pro laude Christi nam subacti fustibus
Primum, inde tetro mancipantur carceri,
Potus negato vetetiti solamine
Ductore at inde proferuntur cœlite,

C Semenque verbi in arva spargunt pectorum.
Rursumque tentis ora saxeus rigor
Tundit, levantur hinc equlei culmine ;
Fortesque diro dum probantur tormine
Iterum tenebris ingeruntur horridis
Queis macerati, ac præparati laureis
Tandem ense cæsi celsa scandunt sidera.

CAPUT XII.

De sancto Gregorio martyre.

Tunc et beatus sic subegit presbyter
Anguis furorem lividi Gregorius
Cui Flaccus inquit : « Tu rebellis principum,
Temptor sacrorum tunc testis numinum ? »
At ille : « Nosse si velis constantiam
Qui me creavit e luto Deum meum
Ab inchoante non relinquo infantia. »
Sic perseverans in fide fortissimus
Dilaniatur dorsa tritus fustibus,
Nodisque versi venter actus vellitur ;
Dein ligatus crate palmas ac pedes,
Arctatur ignis subter aucto pabulo.
At mox soli coacta divellit tremor

D Qua parte lapsa civitatis occidunt
Super trecentos sacra dantes delubris
Ferro hinc onustus atque septus carcere,
Levatur usus cœlico solamine.
Genua inde carduis atteruntur ferreis,
Latusque utrumque flamma torret lampadum
Dicente sancto teste sævo judici :
« Si perdis omne corpus, haud me deseret
Mediator almus qui benigne perfovet,
Sanat, reformat nostra Christus viscera. »
Tum tractus amphiteatra spargit sanguine,
Sectusque colla gaudet alto culmine.
Diris vorandum corpus objectum feris

Intaminatum et dente et ungue permanet
Respicit inde pignus almum femina
Pietate fervens martyris Abundantia
Gratis sed obtinere quod nequiverat
Triginta quinque sumit aureis datis
Honore condens quo decebat martyrem.

CAPUT XIII.

De sancto Sabino episcopo et sociis ejus.

Triumphat hoc Sabinus æstu pontifex,
Qui disciplinis nobilis cœlestibus,
Sensu pius, sermone facundissimus,
Venustiano tentus adstat præsidi
Junctis sacræ Marcello et Exuperantio,
Aræ ministris, pluribusque clericis.
Cui præses obdit aureum Jovem suum,
Ad supplicandum veste fulva fulgidum.
Hoc ille sumpto vota Christo dirigit,
Deoque trito dorsa terræ percutit,
Et comminutum dissilire projicit :
Venustianus hinc furore fervidus,
Manus recidit proterenti numina,
Comites castatæ lancinandos applicans,
Quos dire acerbis maceratos fustibus
Sævis secando sulcat atrox sanguibus ;
Post igne tosti confitendo gloriam
Christi beatum in astra legant spiritum,
Danturque lymphis membra mersa gurgiti
Quidam vividarum persecutor gentium,
Juncto sacerdote, alma tollit munera,
Yiamque juxta lecta ab undis collocat.
Præsul Sabinus carceri detruditur,
Devota servit cui Serena, lumine
Captum nepotem Priscianum quæ dolens
Perducit ejus sublevandum tegmine.
At trunca, clausos præsul orbes brachia
Super coaptans, flammat exstinctas faces,
Oratione clara fundens lumina.
Virtute visa subditi custodiæ
Pii datoris competunt vestigia,
Mox fonte loti consecrantur undecim :
Quæ nuntiata dum patescunt præsidi,
Languore lippum quem coquebant lumina.
Ut nec cibus, nec somnus huic captabilis.
Mittit jugalem cum duobus liberis
Poscens Sabinum adesse, venire e carcere.
Pedesque visi cum dolore et lacrymis
Petit recisi, dando pœnitudinem ;
Lamenta conjux auget, atque filii
Sacro dicari se petentes gurgite,
Intinctus unda pelve ut exit candidus
Præses, dolorem haud sentit ullum luminum.
Annuntiantur hæc patrata Cæsari,
Qui raptus ira dans Sabinum tormini,
Venustianum capite plecti præcipit ;
Quem cum jugali ac liberis fert Lucius
Letho tribunus, nec rogatum judice,
Spoletum in urbem qui Sabinum dirigens,
Cædit beatum dum dat astris spiritum ;
Glebam Serena quæ manus aromate
Condiverat complexa vitri dolio
Domi receptans mœnia secus collocat.

CAPUT XIV.

De sanctis Felice et Fortunato.

Hoc fervore triumphantes Aquileia vidit
Felicem ac Fortunatum, caro, gratia fratres
Quos dedit, at Christi ferro præconia necti
Prodiderant ; quique Enfimii sunt præsidis acti
Huc rostris, ubi dant Christi fortissima laudis
Robora. Qua pectus furiati judicis ira
Oppletum, tela in testes crudelia torquet,
Applicat, appenditque feris cruciatibus arctos,
Mente quidem celsi tolluntur honore catastæ;
Lampadibus latus appositis urentibus ardent,
Quæ tamen almorum divino carmine frigent ;
Vincunt igne animi flagrantis lampadas ignis ;
Viscera perfusi, ardentique liquore madentes,
Flammas interimunt hymnis, oleoque superni
Unguinis exsuperant ignes ferventis olivi ;
Perstantes in laude Patris sine limite fortes,
Urbem extra ducti fluvium secus urbis alumnum,
Verticis e multa capiunt cœlestia regna,
Et ferro expliciti subeunt fastigia cœli.
Nocte pii sublata viri sacra membra receptant.
Aulæisque obnupta novis, et aromate condunt.
Pignora chara referre viros Vicentia mittit ;
Nisibus at cœptis obstans Aquileia sancti,
Tandem agitata piis sopitur pugna querelis
Pacto jure caput capiens Aquileia sancti,
Felicis, Fortunati simul ossa capessat,
Pectora Felicis caput et Vicentia fratris.

CAPUT XV.

De sancta Afra.

Traditur hac rabie procerum perpessa furorem
Afra Dei cultrix, Zabulique erepta rapinis,
Hospite Narcisso sublata libidinis antro,
Lumine cœlesti squaloribus eruta cœni,
Solis uti radiis sordens uligo (187) fatiscit
Quam sacer aggressus laqueis eduxit Averni,
Subversaque lupæ cavea Christi edidit aulam,
Nec solam evellit ; famulæ comitantur amicæ,
Quamque sequebantur furiis, pietate sequuntur:
Digna vel Eumenia, spretoque Euprepria luxu,

(187) Humor terræ.

Lampade nocturnas diva superante tenebras;
Qua lustrante etiam mater se prole trahente
Hilaria asciitur cultum confessa profanæ
Cypridis, addictam cui fert contamine gnatam.
Unde gemens hostis, prædamque amittere mœrens,
Tristes induitur vultus, ægerrima præfert
Ora, nigrans elephantinæ scaber ulcere pestis,
Vimque pati queritur, proprii dispendia juris
Ingeminans, nec posse dari sua vascula Christo,
Cogitur at nolens Jesum, adstrictusque fateri,
Pro noxiis Dominum peccatorum ultimo passum,
Accipit æqua sequi servum possessa petentem
Tutoris, propria Dominique reposcere jura,
Qui furem subigat, captiva talenta reportet
His ille oppressus, belloque tenore subactus,
Ad versuta preces fraudem detorquet agonis,
Posse referre potens animam vel retibus unam:
Attollunt præmissa animum, solantur egenum.
Roboris elatus jam spem consumit inanem,
Furta dolosque sacer calcans ligat ore latronem
Jurantem proprio, prædam mox enecat actam
Si Christo penetrare imam jubeatur abyssum.
Munera constricto præsul depacta resignans

A Lethiferum lethi tradit sub jura colubrum,
Colluctantem angore terit, fontem capit angui
Ipsius in charum vertit tela hostis amicum:
Sordibus emaculans captata monilia purgat
Sanctificans animas pia post jejunia lotas
Hilariam genitamque, ancillantesque puellas,
Plures præterea affines charosque sodales,
Ecclesia instruitur, templo sacer ordo dicatur,
Presbyter et Zosymus sacratur avunculus Afræ,
Dispositoque pater clero petisse Gerundam
Fertur, ubi martyr juncto Felice triumphat.
Afra beata piis pravas largita crumenas
Pauperibus, sectra crucis sectatur honorem;
Capta manet fortis; nec desperatio, nec vis
Hanc a spe removere valent, vel laude superna
B Mente petit prona tormenta, amplectitur ignes,
Exsultat, gratesque litat circumdata flammis,
Hostia viva Deo nitet, hostiaque ignibus exit;
Hostia fit, nec tanta focis purgata probantur
Membra; recepta rogo mater famulæque beatæ
Hæc tumulo dum rapta locant ipsæque merentur
Emeritam splendore sequi, cœlumque per ignes
Ingressæ Domino perfecta holocausta feruntur

CAPUT XVI.

De sancto Eusebio.

Eusebius, post Marcellum jus excipit almum
Urbis Romulæ: Christi pia sacra venustans,
Diruit hac pressitque hæreses, et ad æqua redegit
Prava per obliquos errantia corda Meandros:
Sicque nitens meritis consortibus additur almis.
Nec mora Melchiades sequitur, decorique probatur

Esse piis, terrore ferox apparet iniquis;
Perversos retegit; festis jejunia solvit;
Ecclesiam socians sacrato munere ditat,
Nec patitur scindi, Christi sub amore ligari
Emitens mentis quæ post monumenta fidelis
C Emicat emeritus cœlesti sede receptus,

CAPUT XVII.

De sancto Timotheo.

Patre sub hoc Romam veniens urbe Antiochena
Timotheus, Christum per compita per fora pangit,
Dapsilis hunc juvenis sanctæ pietatis amator
Silvester, cupiens attolere laudibus ardet,
Plurima qui postquam populorum corda sacrando
Continuo bis anno Christum, et quadrante fatetur,
Tentus laude crucis præfecto traditur urbis,
Verberibus sectus, longo squalore catenæ
Tritus, ac invictus mulctam ter judice surnens
Fortia suppliciis solidans ter pectora sævis,
Morte sequens Dominum sævis in funere mixtum,
Probrosos inter capitali cæde coruscat,
Ut spinas inter rutilans rosa fulgurat hirtas
Intempestivo Silvester noctis abacta
Membra domum referens, papa cleroque vocato,
Martyrium excubiis, divis quoque dedicat hymnis.
Corpus humo mandat proprio veneranda Theonem,
Asciscens horto secus inclyta pignora Pauli,
Cui pro discipulo socium cognominis addit,
Basilicæque domu venerabile funus honorat.
Deficiens præfectus in hunc, in pectora torquet
Hospitis arma pii, dimissa talenta reposcens
Pœnis impliciti, vincto graviora minatur
Nec postquam addiscit non adduxisse crumenas

Punctum, sedet ira fremens, invisaque jura
Nominis objectat, terrens sacrare sacella
Si petat, efflabit tormentis cæde propinqua:
« Suppliciis (Silvester ait) hac nocte labantem
Femina diva ferunt animam de sede revelli
Cordis stulte tui, quo pectora torva resultas,
Protinus æternæ subiture pericula mulctæ,
Ut cæsos gaudere videns sine fine gemiscas,
Et quæ inflixisti sub puncto, interminæ sumas,
Infelix quos punisti tuerere beatos »
Tarquinius dapibus discedit inane replendus;
Silvester ferro properat sub honore premendus.
Interea poscente pio, prandente severo,
Judicium summa rectum procedit ab æthra,
D Gaudiaque in pœnam, pœnamque in gaudia vertit.
Denique deliciis ventrem infarcire paratis
Gutturis annitens avido præfectus hiatu
Os piscis rapiens incauta fauce volutat,
Internis raptare volens conamine nullo
Profficit egerere, assurgens nisu urget inani,
Methodici, empyrici, logicique dolore jubente
Acciti, nulla gaudent ratione medendi:
Carmina nulla valent, nulla experientia prodest
Tortus et ad medium noctis horroribus actus,

Tetram tartareas animam demittit in umbras,
Ad pœnas pœnis cruciatibus ad cruciatu.
Cogitur, ad tenebras mundi de luce superbus.
Eximitur tenebris, exitque ad lumina justus.
Ducitur ille rogo qua verbera voverat hora.
A Privati Dominum juris plangente tumultu ;
Ducitur iste domum, quo tempore sæva putatus
Flagra subire, poli toto plaudente senatu,
Victorem quoque livores reverenter adorant,

CAPUT XVIII.

De sanctis Marino et Almachio

Innumeros usque hanc urbem compsisse triumphos
Accipimus, postquam præcelsa insignia Christi
Huc Petrus Paulusque ferunt, larvasque fugantes,
Signa superna crucis rutilare in mœnia præstant
Non intantum apicem prisci vexere parentes
Romam lite truces, fraterna cæde madentes ;
Non Numa, non Decii, Marii, Camilli,
Bruti, Scipiades, Cicerones, sive Catones
Non reges, proceres, non annua jura gerentes,
Non orbis Domini mundi fulgore potiti.
Quam quot prætulerant regnis ad summa relatam,
Tot simul addixere jugis ad sæva subactam,
Queis hanc signiferi crucis athletæque potentes
Solvere compedibus certant, cœloque coaptant,
Diversis ducibus multoque ardore nitentes.
Ex quibus Onesimus, Pauli sub vincula gnatus,
Verna Philemonis, famulus sed munere Christi,
Quondam durus hero, post ipsi et pluribus aptus
Propria quem magnus commendat visere Paulus,
Pontificemque sacrans delegat semine verbi.
Pastorem hunc Ephesi memorans Ignatius ipse,
Hunc sibi doctorem prafert charumque magistrum.
Inque ejus præstare greges hortatur amore :
Magnificans Dominum tali qui pro duce caulas
Servandas retinere dedit, quem Roma petitum
B Nube premit lapidum, conditque sepultum,
Nec retinet longum, sedique gregique remissum.
Hic etiam occurrit clarus virtute Marinus
Almus et Almachius, valida qui mente furores
Indocilis vulgi spurcasque redarguit aras
Qua solitum insanire die libamine nugis
Anno plus reliquo ; dumque atra recidere tendit
Cordibus atque calet stolidis avellere dira,
Mystica quo festo data circumcisio Christo.
Bacchantum furias in se rotat, atque furentes
Tot turbas prohibens solus, tot millibus unus
Obsistens ratione feros, pietate severos
Aggrediens vesana animis avertere torvis
Enitens, gladiis grassantibus appetit atque
Sordibus indignatus adit cœlestia dignus.

CAPUT XIX.

De sancta Agnete.

Inclyta nobilitat venerandæ virginis Urbem
Agnes fama, decus tenero quæ nacta sub ævo
Martyrii, tumidos mundi calcavit honores.
Hæc dum lege Dei pueriles consecrat annos,
Summis mente vacans studiis, specie terit alti
Sanguinis impubem, præfecti patris alumnum,
Qui gemmas, aurum pretiosa monilia ferre,
Divitias, pompas, famulos, agrosque, domosque
Prodere, dotalem donis, precibusque parentes
Muneribusque petit. Virgo hæc ut stercora ducit
Serpentis velut ora proci capit ; æthera terræ
Præfert ; Æneadum rectori stemmata Christi
Præponens ; aurum, gemmas, redimicula, vestes
Spernit honore poli gemmanti lumine cultam
Se memorans, sponsi thalamos melioris, inisse
Nobilitas cui præcellens, potiorque potestas,
Pulchrior aspectus, præ nectare gratia dulcis ;
Gazarum se addens inopino pondere pactam,
Continuans et opes, et gaudia nescia mœsti,
Organa curarum dulcorem mella prementem
Munera, fulgorem, vires, fastigia, numen
Cælicolas subicit ; hinc solem ac sidera subdit,
Quæ bona provideat, præstet quæ præmia texit.
Carpitur igne fero juvenis morboque perustus
Decubat, haud perferre valens tam pondus iniquum
Insinuant patri sævo decumbere gnatum
Oppressum medici ; puero replicantur ab illo,
In vanum ; a genito frustra' dispersa per auras.
C Illa dati inviolata refert jam vincula pacti
Permansura, fidem æterno durare sub ævo
Præfectus generis sperni se sanguine quovis
Adstupet, indagansque capit Christi ardua ferri ;
Lætus at ille tumet, jussis ceu parta furori ;
Perstrepit hanc sisti, blandusque minaxque resultat.
Illa æquo præstans animo tumidumque piumque
Uno fert vultu, similique rigore perhorret ;
Aspera, nec frangunt stabilem, nec lenia fallunt,
Ille videns vacuo labi molimine fraudes,
Arma serus manifesta rapit truciore paratu,
Cernensque hanc optare necem, tormenta vocare,
Omnia præ votis hanc temnere dura supernis,
D Quæ magis horrescat versuto providet astu,
Pelliceoque jubet nudam raptarier antro,
Quodque magis doleat, per turpia ludicra velli.
Accedit luctatrici pia gratia Christi,
Tegminaque effusis crescunt per membra capillis,
Densantur raptim crines inoperta tegentes
Corporis, a Christo fusi non unguine creti :
Ast ubi belligerans obscena libidinis antra
Virgo subit, lucis subito fulgore coruscans,
Emicat ætherea specus irradiata nitela,
Accedit, magis insolito pulsante palæstra
Sidera, cœlicola, summa nam vectus ab æthra
Congrua belligeræ fert indumenta puellæ,
Suscipit illa stolam cœlesti lumine cultam,

Tegmenque ignotum, membris et virginis aptum
Cœlesti ductrice pia, quo tegmine compta,
Antrum spurcitiæ templum fit lucis amœnæ.
Ingressi numen superni splendoris adorant
Quique inspurcari soliti ibant fornice mundi.
Improbus at juvenis, castæque petitor amatæ,
Irruit, exprobrans lumen venerantibus almum;
Contemnensque pium divini luminis ignem,
Irrumpit medias immensi luminis auras.
Nec datur indignis decus attrectare sacratum
Impuro manibus; sævo quem dæmone plexus
Vertitur, elisaque exspirans fauce necatur;
Postque moras tandem inventus spiramine captus
Innuitur patri, gemit hic solamina rapta
Ingeminat crudas cædes; perit at monstratur actu
Virgineo, non hanc magico sævisse furore.
Hæc preces fundens cœlo, perducit ab antro
Nigrum tartareo, redivivo munere; patrem
Attollit stupidum; clamor diversa frementum
Increscit, variusque ardet fervore tumultus.
Innocuam quidam, plures reboare dolosam
Fraudibus hanc cæcis, lumenque exstinguere divum.
Turbam actor fugiens decreta vicario subdit,
Exstruitur rogus humano fervore flagrante,
In mediasque agitur populis grassantibus Agne
Læta pyræ flammas, ignes fugiente calore
Fervor abit cedens, atrox discinditur ardor,
A Ac petit insanos, horrens pia tangere membra;
Sicque tot turbas agit ignibus æquore vasto
Virgo loco nec mota Deo quo vota profundit.
Flagrabant flammis fremituque furente phalanges;
Illa Deum medios inter venerata vapores,
Supplicat, immunis cuncti trepidi agminis æstus,
Orans se recipi cœlis, gratesque rependit
Muneris impensi, cujus prece cuncta residunt
Culmina flammarum, sed nec vapor ullus anhelat.
Ponere nec noscens rabies ignita furorem:
Vertitur in ferrum igne exarmata subacto,
Sicque exempla sole thalamos petit innuba celsos,
Lilia mista rosis, sertato vertice vibrans,
Gaudia perfecti radians subit ardua sponsi.
B Victrici superis laudes, imisque resultant.
Funera ducentes ignorant flere parentes,
At talem gaudent meruere quod edere prolem
Cujus se meritis fidunt et honore levari.
Plebs pia Romulidum veneranda sepulcra frequentat;
Lividus invidia, lethæoque uritur hostis
Igne; venena coquens, inimicaque pectora flammans,
Incitat insidias devotæ tendere plebi;
Incessunt armis sola pietate vigentes,
Impugnantque pias telis sudibusque catervas.

CAPUT XX.

De sancta Emerentiana.

Hic Emerentiana virgo virginis
Mactæ sodalis educante ab ubere,
Dum fortis atris exprobrat tumultibus,
Plebis resistens improbæ furoribus,
Lapidum petita nube, tumbam ad martyris
Martyr beatum in astra legat spiritum.
Quæ sacro necdum fonte Christo, at credula,
Cruore tincta conservatur proprio.
Elementa sævis excitantur actibus:
Tremore tellus comminatur funera.
C Cœli serenum densa raptant nubila,
Crepant superna vi fragoris culmina,
Christusque in hostes tela torquet igneus;
Sternuntur armis bellicosi cœlitus
Quidam, miserto mentis auctore insciæ,
Servantur assertoris uti dogmate;
Cessant tumultus hinc quiescunt turbidæ
Rebelliones in sacris conventibus.
Agnes parentes sic sodalem colligunt
Dantes sepulcro in arva collactaneæ.

CAPUT XXI.

De visione parentum sanctæ Agnetis.

Namque pio sobolis celebrant insomnia ritu
Pro tumulo mediæ lethæa silentia noctis,
Sorte data fessis ducente laboribus orbis
Lumine præfulgens rutilo splendentibus agmen
Virginibus dicti aspiciunt quæ vestibus auro
Irradiant textis, quas inter micat Agnes,
Eximia renitens auri insignissima cultu.
Virginis ad dextram candet nive clarior Agnus.
Attoniti supera mortales luce rigescunt.
Illa gradum comites paulo defigere mandat
Alloquiturque suos: « Cari excellite parentes,
Gavisi genitam præclara sede locatam
Ne lugete nigram, optato quæ juncta supernis
Lætor ovans sponso thalamis, mihi nunc cœlis
Quem toto colui terris. » Hæc fatur et almis
D Se recipit sociis, nisuque volante recedit.
Multorum hæc volitans crebrescit fama per ora,
Tandem Augustigenæ donec post tempora proli
Traditur, ulcerea squalens quæ peste fluebat
Mente vigens, gentilis adhuc, at credula veri
Spemque capessendæ properans sortita medelæ,
Testis nocte petit tumulum precibusque moratur
Inque moras dulcis correpta sopore quietis,
Agnem solamen cernit sibi tale ferentem:
« Crede Deum, constanter agens, Constantia, Christum,
Per quem membrorum celeri potiere salute. »
Virgo excita subit sospes, stupet ulcere nullo
Ulceris aut signo per libera membra relicto;
Gaudia fert patri, fert fratribus omina læta;

Urbs simul exsultat; soli torquentur iniqui.
Illa patrem fratresque petens dat virginis aulæ
Membra renitendi mausolæumque locari,
Tum sibi mandat ibi ut maneat cum virgine virgo,
Fama propagatur, currunt ad dona salutis
Undique salvandi; nullum spes fallit inanis,
Lætantur justi quæsitam ferre medelam,
Virginitas aut regigenæ placet hancque venustam
Fine tenus colit, accumulansque insignia lucra
Pappa studet Christo creditum duplare talenta,
Asservatque sacrum sub religione amore
Cum sociis Agnem, prosequitur ut ora magistræ,
Cujus in exemplo tractant cœlestia multæ.
Hæc ego naufragus vulnus licet horreo tetris,
Lintre vagans pelago, Ambrosii sed vela secutus
Virginibus venerans collata monilia legi,
Quarum me precibus fusca peto sorde piari,
Ut capiam veniæ meritis quæ non queo dona.

INCIPIT LIBER NONUS.

CAPUT PRIMUM.

De sancto Valentino.

Luce Valentinus cœli rutilante cluebat
Præsul doctrina, virtute et nobilis alma;
Huic Craton genitum sophicorum fotibus altum,
Viscereæ gravido pestis sed pondere pressum,
Cui nomen Cheremon, relevandum casibus offert,
Fœdere sed pacto, puero quo sospite, Christi
Sub juga colla ferat, Dominumque sequantur alumni.
Robore corporeo nati mens prædita patris
Eximitur tenebris, implet promissa, sacratur,
Cum stipante domu, nec longum summa capessit
Munera militiæ, martyr dum terrea linquens,
Aurea sidereæ sortitur præmia vitæ.
Flagra Valentinus virgarum, et tormina passus,
Carcere detrusus, calcat dura omnia lætus,
Invictusque manens sub vestis silentia noctis
Exigitur latebris, cæsusque admittitur astris;
Pignoris impuberes glebam furantur alumni,
Proculus atque Apollonius sub noctis opaco,
Ecclesiæque ferunt propriæ, et dant ultima castæ.
Excubiis qui dum jugibus sacra munera servant,
Tenti, antrisque dati tum quœsitore petiti,
Nec victi stant blanditiasque minasque ferentes.
Immoti tandem deduntur vertice plecti,
Nec procul exuviis urnam sunt patris adepti
Domna, paresque micant gemino hic sub honore coronis.

CAPUT II.

De sanctis Antimo et Maximo.

Romuleas quoque clara vias portumque venustant
Festa tropæa polique Erebique flagrantibus armis
Queis mundus mundique subacta potentia Christo
Hinc sale, sancte, tuo condita salaria gaudet
Anthime virtutum laudisque insignia regis.
Qui factis atque ore ferens super astra fluentis
Ingereris tutus Tyberinis eque procellis.

CAPUT III.

De septem fratribus.

Tiburtina tegit cineres septem aggere fratrum
Appia Cæciliæ testes centum octies addit
Hæc quoque Trasitium recipit sub busta Calisti,
Munia qui veneranda gerens, assecla sacrorum,
Tempore dum quodam Christi sacra mystica ferret,
Sacrilego offensus capitur, trahiturque tumultu,
Prodere discutitur quid tectum occultius abdat.
Indignum ille ferens gemmas exponere porcis.
Lignorum ac lapidum tanto contenditur imbre
Dum mentem cœlis capiendam emitteret astris
Nec decus hoc incorporeum subit æthera solum
Corporei quin rapta simul mysteria panis
Excutiunt equidem vestes et membra revolvunt
Infandi, nec sacra valent reperire negata.

CAPUT IV.

De sancto Bonifacio.

Pro meritis decorat Bonifacius æde Latinam
Impensis dominæ pietatis honore lucratæ,
Qui dum furta tori proprio sudore lavare
Procurant, superi nutu moderaminis acti
Decernunt pariter Bonifacius alma levatum
Corpora festinet Christi prostrata decore,
Si fors obsequiis sanctorum ad vota pientur
Spectator properans belli, fit belliger ultro,
Jesum magnificans alieni laude duelli,
Magnificetur uti proprii parat impete belli;
Vincula prælambens, vinclis appenditur altus;
Athletas armans, mox capto armatur agone;
Attollens plagas, plagis laceratur ad ossa;
Affixos firmans, calamis infigitur ungues,
Prælia ferre movens læte, fert prælia lætus;
Gratificum fervens nequit os occludere plumbum;
Immersumque olla pix fervida lædere nescit.
Suppliciis lanius denuntiat ultima victus.
At tremit abscisso tellus, mons atque trementes,
Inque fidem cogens, Christi præconia pangit.

Jam cœlorum cœlis gaudentem, labe piaque
Læsuri mussant socii, sortesque tenent
Quem requirunt, supera inveniunt dulcedine functum.
Mercari sacrata petens, merces receptas
Allata, sacer ipse emitur, pretioque refertur,
Sparsus aromatibus, merito decoratur honore;
Cœlestis Agle res præcursore notatur;
Occurrit non jam famulo, quia serva fidelis
Obvia fertur hero, capiensque optabile munus,
A Parta sede locat, templumque nitore venustat,
Mundi exempta jugo servorum colla resolvit,
Libertate novans famulos, fit libera vere,
Dum Christi famulum factis se pandit honestis;
Sæcli se expolians pompis, virtutibus ornat,
Res terræ largita, Deo, ditescit opimo
Culmine virtutum, signisque corusca nitescit,
Consummansque pius cursum feliciter actis,
Martyris ossa domo, cœlo mens inditur alto

CAPUT V.

De sanctis Gorgonio et Dorotheo.

Hæc inter geminas meruit via pignore laurus
Gorgonii comi, Dorothei et honore sodalis
Imbuerant comites fidei præstare vigore
Unde quoque in Christi dantem tormenta tyrannum,
Objurgant famulos, seque hac pietate calore
Pectore et ore notant; hoc sese fervere cultu,
Omnibus tamen animum sociis, hoc vivere jure.
Luce data hac, totis lacerantur viscera membris,
Pellque discerpta, sale et infunduntur aceto,
Fortiter hæc passis cratis substrata jubetur
Igne vaporari, lentoque calescere totu,
Ne ferat optantes raptum succensio mentes,
Reliquiæ se jam victo tortor flagrorum
Hic superaddidit, vinci si forte coquendo
Ossa queant longo testes ardore medullis:
Damque pudet fidei vulcanum ardore subactum,
B Membra rapi semiusta monens nidore lanista
Erigit arce crucis sustollens luce triumphi,
Eductique astris penetrant cœlestia læti.
Raptus et angelico sueti duce redditus aris
Cessa talenta colit quo munere vertice plexus.
Maximus hunc sequitur, cujus vice corda piorum
Roborat, ac præstans validus cæde æthera captat:
Membra solum servant solitus quo vota litare.
Bassus abunde subit Dionysia sacra refellens,
Atque terit flatu cererem, spiramiue divos
Qui sternens temni, cæsus petit ardua cœli,
Sic Fabius longum vinclis et carcere tritus,
Astra sacer tandem conscendit vertice plexus;
Victor, et emeritus cœli conscendit honorem
C Bis centum hanc comunt quoque sexaginta duoque:
Pignoribus testes quos hæc via celat arenis,
Et cui dat famam ventrosa cucurbita clivus.

CAPUT VI.

De sanctis Luccia et Acceia.

Tum comitante salutarem Luceia caterva
Regis, et Acceiæ victoria barbara comit.
Qui properant explere, poli se rege vocante,
Zenonis insignis manans juge gutta palæstram
Millia quem sectata decem tres atque ducenti.

CAPUT VII.

De sanctis Archelao, Hippolyto, Vincentio et sociis eorum.

Romuleum detent etiam pia munera portum
Archelaus, simul Hippolytus, Vincentius atque,
Præterea plures Quiriacus, et Herculanus.
Exstet hic martyr fortisque, decensque Hyacinthus,
Ignibus immersus superat qui incendia lætus,
Inde datus rapidis vorticosi fluminis undis,
Incolumis sicce redhibetur in aggere ripæ:
Tum gladio sectum servis comitata, capessens
Julia, rure suo celebri disponit honore.
Titulis triumphis lege Christi fulgidis
Notantur istic advenarum martyrum,
Cum Martiale, Aprilis ac sodalium,
Felicis atque cæterorum plurium
Istosque præter cognitorum uni Deo,
D Qui circa et intra laude dignis Romulam
Urbem coronant efferendo fascibus.

CAPUT VIII.

De sancto Sylvestro.

Sylvester, cathedræ sortitus culmina Petri,
Patrem se plebis magnis minimisque probabat;
Errantes revocans, sectantes orthodoxa firmans,
Regmine sollicito clerum, populumque gubernans.
Res post Ecclesiæ purpuræ dono libabat
Insignis, templi et Tiburtii, dignisque ministris.
Quos quoque dispensans cuncto sub honore dicabat
Moribus hos sanctis, superno sole, vestibus ornans.
Atque vacare Deo discreto tempore mandans.
Præterea certamen et cum gentibus ingens,
Falsa refutanti assertis, et vera tuenti,
Quidquo ad id usque datam, manus ut contraria ponat,
Hic bellum cum Tarpeio grassante dracone,
Carmine qui sacro occidit, ritque profano,
Igne tamen diro rupis vicina terebat,

Incautos populi suprema peste fatigans
Convocat ille patres cœlestia dona merentes,
Prædicat et ternis jejunia danda diebus,
Queis precibus castis, votisque insistit anhelis,
Parte sub hac Christi ut manifesta potentia gliscat
Tum pastor visus defert solamina Petrus,
Cum monitis sacri sumantur in ordine cleri
Theodorus senior, ac Felicissimus, atque
Tertius his socius Dionysius, inde ministri,
Romanusque, et Honoratus mysteria libet ;
His prius annisus posthac descendat agoni,
Additur et quid reppererit, quid muneris edat,
Hostem quo dirum subigens certamine vincat
Aggrediens init aversa terrente cohorte ;
Instructus latebram, intrepidusque barathra penetrat ;
Appellens tandem rabidi ad spelæa chelydri,
Obtrudensque hostem, valvas sidi ducit ahenas,
Mox chalybis vinclo cyclos, atque ostia munit,
Ferro atque ære luem subdens, et clave coercens ;
Hinc voti compos repetit spectacula victor.
Anguicolæ demum portenta subacta probantes,
Livida projiciunt exuti pelle ferina,
Candentisque tegi gratantes vestibus agni.
Nec longum cessat, clauso serpente, cerasta
Proturbare pios, instigat in arma profanos ;
Christicolæ divos suplicent edicta propagat;
Queis laceram fervore novo quatientibus urbem.
Qui magis impetitur, sanctus Pater, urbe relicta,
Soractis secreta subit, rurique moratus
Cum cleri cuneis reddit sua vota Tonanti,
At princeps quem suasus agit discriminis error,
Constantinus, uti sanetur mente, feritur
Corpore, quemque elephas dira prurigine turpat,
Nec modo fœdari infandis dolet ora papillis,
Quin properare pavet funesto fata veneno ;
Quærit aruspicibus, quærit suffragia divis,
Omnigeno explorat conamine jura medelæ.
Nulla manus prodest, nullo medicina labore
Proficit, artifices cunctos ars irrita fallit :
Ast inventores scelerum umbrarumque ministri
Invisum tractant facinus, horrenda lavacra.
Crimen inauditum, medicinæ dona ferentes,
Insontique lui maculas dant sanguine sontes.
Atque salubre viri multorum funera dictant.
Mittitur arva teri, famularum adducitur ordo ;
Millia natorum rapiuntur, millia matrum,
Mortis in obsequium matres sua pignora gestant :
Fundendum jamjam nutriunt quæ lacte cruorem.
Ut visum superare nefas, data criminis hora
Ad necis Augustum spectacula sæva trahebat ;
Quo strictis gladiis scelerata lavacra petente,
Obvia turba ruit, nudato pectore matrum,
Passo crine, trucem lacrymarum et flumine mortem
Prægressæ, fassæque gravi plangore dolorem.
Exhorret scelus Augustus ; tremefacta potestas
Expavet, ac fletus regalia lumina reddunt ;
Figitur, et procerum cinctus patrumque corona,
Tactus corda pia mentis probitate perorat :

A Seque [illegible] monuit sub conditione creatum
[illegible], atque pari qui surgit ab ortu,
Nec [illegible] sui [illegible] pardi.
Servati [illegible] hostes.
Subjectisque pudet [illegible] : superbis
Hostibus [illegible] patrum, crudelem [illegible] hostem :
Victores [illegible] populorum [illegible] victos,
Legibus atque suos [illegible] :
Sicque [illegible] mores,
Vincere [illegible] :
Contemnit [illegible] sacrorum.
Atque dari lacrymis mandantur pignora matrum.
Percussa [illegible], ac [illegible] pulsat.
Credere non facili suadetur tramite ; [illegible]
Augentur trepidis solamina, [illegible].
B Adjumenta viæ, lamentis gaudia crescunt ;
Ut quæ lugentes invisa ad mœnia ducte
Dura resultabant, hilares sua tecta revisant
Unde egressa poli pietatis semina pulsant,
Secessus superis proceres a sedibus alti,
Dum sapor angorum properat sedare tumultus.
Splendida mittuntur regi duo lumina mundi
Claviger æthereus Cephas et quis fuit alter,
Excoluit totum verbo qui gentibus orbem,
Seque Dei pie ferunt monitus, finemque furori
Impositum, domitosque animos, et gesta benigne
Rectori superum placuisse levamina pandunt ;
Seque datum missos reducis consulta salutis :
Audiat ac peragat, nec cœlica jussa renutet.
C Sylvestrum latebramque notant, et quærere mandant
Hunc sibi qui valeat conferre lavacra salutis ;
Moxque vicem studeat talem redhibere Tonanti ;
Ecclesiæ inflictas curet moderamine plagas
Restituat fabricas, sese spurcamine purget
Dæmonico, solum, Deus est qui verus adoret ;
Ejus velle sequi toto conamine certet.
His simul astrigeram posthac repentibus aulam,
Imbutus superis affatibus induperator,
Accitum legat divo medicum auspice notum.
Ille tuens rapido Augusti se milite cingi,
Tempus adesse putat capiendæ sanguine palmæ,
Atque monet prompto socios certamen inire
Pectore, gestandæque crucis vexilla petenda,
Sectandum Dominum exemplis ad vera vocantem ;
D Sicque Deo se committens, oransque, ferensque
Oscula pacifico subjectos munere firmat.
Discipuli fortes patrem comitantur euntem,
Gaudentes pariter plexi mage tormina ferre,
Quam patre sejuncti dapibus recubare caducis
Ast ubi sollicitas perventum regis in ædes,
Tandem hilaris surgit, stupidumque salutat amicum
Rex resalutatus ; sedes perducit in altas,
Incipiensque actus et cœlica visa retexit,
Continuansque rogat, qui dii, quæ numina visa
Sint Petrus et Paulus, sibi talia jussa ferentes.
« Hic pater est unus, colimus quem ritibus almis :
Omnipotens cœli, terræque, marisque creator :
Unus et ipse Deus, qui viribus omnia replet.

Istius Petrus, Paulusque secundus alumni.
Qui Christi docuere Dei gentilibus [illegible]
Monstrarunt, orbemque suo splendore venustant ;
Hæc testes Domini, primique in sede superna
Sanctorum assedæ, cœli dominantur in arce,
Sanctorum summi proceres. Quæsurgentis amici. »
Cæsar ad hoc : « horum vultus num livor vultus
Exprimit? » Ostenditque sibi argumenta reposcit :
Visorum titulos papa monstrante figuras :
« Verus haud quidquam hos (inquit) mihi jussa de-
[disse.
Te mox assiduo, debere lavacro salutis
Te [illegible] nostri, quibus [illegible] consilio [illegible] »
Lætus ad ista, simul fidei fert [illegible] regi,
Hortaturque fidem promptis [illegible] mente
Credere ac ille refert, [illegible] patrono,
Hujus enim legis ritus quo jure [illegible]
Destantur mox munera [illegible] tyranno ;
[illegible] nova [illegible] parato,
Arida pro capitibus [illegible] jejunia somnis,
[illegible] tu ;
[illegible] pro [illegible] fulgore palati
Fixa mandantur [illegible]
Pro [illegible] credulibus [illegible]
Ora triumphantis resonant [illegible] Christi.
[illegible] gemitus mulctati sanguinis ortor,
Delubra clauduntur ; larvarum illa [illegible] ;
Debita pauperibus fiero donantur ab omni ;
[illegible] in urbe ;
[illegible] et variis cruciatibus acti
Solvuntur [illegible] ;
Digentur digni dignæ [illegible] ad agenda ministri.
Excipit Augustus, [illegible] quoque [illegible]
Et Christum verum Dominumque Deumque pro-
[fessus,
Vana probans simulacra, crucis signacula sumit
Pontificesque [illegible] insignis catechumenus exit.
Papa sacris cantus docet jejunia [illegible],
[illegible] pio sibi jungit [illegible] labore.
Ritibus expletis per vota [illegible] dignis
[illegible] Christi [illegible]
[illegible] altissima templa [illegible],
Fonsque [illegible] munere lymphæ
Fontis [illegible]
Corporis [illegible] morborum dira levare.
Summus it antistes [illegible] Toparcham,
Ille Dei summi virtutem [illegible],
Sordibus[]impurus, [illegible] aris :
Tingitur et sacris trino [illegible] in undis,
Et subito [illegible]
Lux radiat [illegible] solis.
Tum crepitus [illegible] resultat,
Qua surgens [illegible] mente ac corpore mundus
Egreditur salvus. Christi [illegible]
[illegible] ;
[illegible] gaudet ;
[illegible]
Candida sumit ovans, et [illegible] propago :
Hanc [illegible] urbis

A Qui sibi sæva [illegible] tribuisset læta salutis :
Hunc qui blasphemet punitio digna sequatur ;
Christicolas [illegible] premantur ;
Romulidum papam veneretur episcopus omnis :
Si reus Ecclesiam petat, ut censore tegatur ;
Præsulis annisu modo templa locentur in urbe :
Cæsareæ [illegible] decimæ religantur in almas.
Albis depositis, ardentia ut ostra resumit,
Mundus et incolumis Petri mausolea visens,
Sternitur in faciem, capiti diademate dempto.
Et lacrymis stratum Tyriosque infundit amictus,
Sæpe reum memorans sancto de sanguine fuso,
Excitat populi fletus gemitusque sonantes
Mixto pangentis lacta nova gaudia lætis.
B Rex servile aggressus opus, chlamydisque nitorem
Rejiciens, [illegible] petit, fossorque bidentem
Arripit, et glebas prono conamine vertit,
Atque viam pandit sacri fundamina templi
Qua figuntur Apostolici, quo curvus honore,
Egesta fundamenti scrobe rite locandi,
Bis sex fert humeris cophinos tellure gravatos.
Curriculo residens aulam hinc cum præsule scandit :
Altera lux terras roseo spargebat amictu.
Sanctus et Ecclesiæ sacrare palatia surgit
Rex Lateranensis fabricæ, passimque revelat
Altithroni juga sub Domini se colla dedisse.
Lege data pauper si quis se subdere Christo
Deligat, ut vestem capiat candore micantem
Munere Cæsareo solidosque decem geminatos.
C Accrescit Domini messis, populique, nitentes
Sacra Dei summi, linquunt scelerata sacella ;
Millia candentum renitent duodena virorum,
Infantum præter matrum quoque debile vulgus,
Quorum stat numerus cœli mensore libratus,
Romulidum Patribus fidei fugientibus alta,
Haud sinit Augustum Pater indignarier almus.
Ille throno residens aulæ plebemque patresque
Lumen in æthereum radiantibus excitat orsis.
Non debere deos testans dicive colive
Qui manibus fiant hominum, tueantur et actu,
Quos conservandis restaurent casibus actos ;
His se conjicere indignos placamine divo
Qui reparare queat tritum et revocare salutem ;
Quodque in se factum liquida stet luce probari,
D Artificem Christum ritu venerarier æquo,
Unde superstitiosa petant jam numina finem,
Solus adoretur qui cuncta quit edere solus ;
Qui servat dignus, non qui servatur, honore ;
Sit cæcis visus ianime (*sic*) imperitetur
Auditus ; desistat ab his sapientia nostra ;
Ecclesiæ pateant Christi, quæ jura profanis
Flaminibus servata, piis sint cessa ministris.
Cœpimus ergo operam Christi, quo regia templo
Nostra micet, videat passim romana potestas
Nulla subesse animo dubii vestigia nostro.
Conclamant ad dicta Patres, fortesque Quirites,
Christum attollentes, clauditque sacella petentes,
Templa patere Dei Christi, qui verus et unus.

Præstitit Augusto subitam sine more salutem :
Urbe repellantur Christo vincente profani.
At moderator ad hæc pandit qua mente colenda
Jura Dei, quæ corde flagrent, quæ sponte petantur ;
Invitus nullus, nullus subigatur adactus
Censeat ultro animus justum deliberet æquum,
Quod verum inveniet sumat ratione librata.
Hanc omnes vanis etiam laudare subacti
Legem quæ nullum impellat nullumque repellat.
Urbe coronata Phœbi lux lampade multa
Vincitur, Ecclesiam gratantia gaudia replent.
Sanctorum rutilo ornantur splendore sepulcra ;
Exsiliis trusi claro sub honore vocantur,
Quique sua læti patria gaudente recepti,
Regis et asciti meritis venerantur amici.
Interea genitrix Augusti, femina veri
Scrutatrix, Helena partes lustrabat Eoi,
Bebrycias peragrans urbes et regna Pelasga,
Quæ dum monstra Deum venerari cauta renutat,
Deligit astrorum regi famularier uni ;
Unde favens veteri Judæa litamina sectæ
Censebat sectanda, monetque hortamine natum
Sumere Mosæam priscorum tramite legem,
Haud credi debere Deum cruciatibus actum,
Ast illi divum medicamina læta repulsa.
Gnatus ad hæc, summo sese moderamine vectum
Culmen in eximium tractans, præcedere mentem
Humanam, ut cœlum, terras, divina fatetur,
Nec quem delegit defendere numine cultum,
Ne tam præcelsi ritus sibi conferat ausus;
Doctores at Christicolæ, gentisque vetustæ
Conveniant certaturi libramine veri
Lege sacra, libris cultus, et dogmate divi
Alterna quid præcipuum sit lite revelent,
Cervicem cui summus apex, cui sæcula subdant
Undique Rabbini, legisque citantur amici
Carnalis, superique gregantur Flaminis hostes,
Culmina sectantum paleas duodena leguntur,
Romuleam Græco Latioque lepore politi
Quique habiles visi scribæ legantur ad urbem.
Huc quoque pontifices Christi pietate nitentes
Sedibus asciti variis in bella vocantur,
Dumque legi alterni litis qui summa capessant
Censentur Christi famuli, Sylvester in uno
Spem fixus Domino bis senis se objicit unum.
Pars adversa suis horrens superarier armis,
Hæc prohibet tangi ; Cæsar probat apta triumpho ;
Pars inimica suis dum sternitur obruta telis,
Æthereus consurgit agon, capiturque duellum.
« Blasphemant stolidi tres nos orare Tonantes. »
Papa libris pandit priscis tria Numine summo
Complecti, totumque creasse triformiter Unum,
Qui sibi nil dispar majusve minusve receptet.
Uno hoc eliso geminus prosternitur hostis.
Objiciunt Jesum Christum pericla tulisse
Idque peroratum priscorum panditur orsis,
Omnia quæ Christo factis implentur in uno ;
Promitur adventus et causa rogata laboris,
UtqueDei gnatus hominis susceperit artus.

A Hæc sacer exponens diva ratione resolvit,
Jamdudum et veris tradebat colla tumultus.
Restiterat solus belli conflictibus expers,
At Zoroastræo nisus molimine Zambri,
In quo sacrilegi fiducia summa triumphi
Exprobrat iste levi ut socios certamine versos,
Actibus et se, non verbis, conferre palæstram
Poscit, et indomitum quam sævumque juvencum
Virtutem summi valido quo numinis actu
Prodit, et audito labatur nomine taurus ;
Quod nil ferre queat vivens, nec sufferat auris
Vix haud ulla pati valeat, vel habere notatum.
Exhibito juvenum multo sudore juvenco
Cruribus implicito, vinclis et funibus acto,
B Fraudibus innitens insultat vera tenenti,
Morte probet cultum mandans, vel morte probetur.
Cœpta sequi justus patiens dimittit iniquum
Ille bovis dirum mussans immurmurat auri,
Labitur atque miser mugitu flamina linquens.
Et nece spectantum consternans corda virorum.
Tollitur ingeminans clamor confusa coronæ.
Ut leo Sylvester fidens interritus astat,
Nec turbæ curat strepitus, nec probra pavescit,
Fixus opem cœlis tota quin mente precatur ;
Tum rogat Augustum vel sera silentia mandet ;
Quæ voces, ubi jussa premunt, excelsa sacerdos
Ascendens, ad vera piis populum erigit orsis :
Se vitæ auctorem, Dominum se ferre salutis
Auribus Ausoniæ, cœcis qui lumina, surdis
Reddidit auditum, mutis affamina linguis,
C Dextras restituit mancis, vestigia claudis ;
Hic verbo lepras, morbos hic depulit omnes,
Rettulit et reduci defuncta cadavera luci :
Ille Deum sese indiciis patefecit apertis
At qui morte ferit, vitam nisi reddere possit,
Supremus non ille Deus : fraudem nam mortis amici
Dæmonis hic viguisse liquet, ni rapta rependat.
Æstuat Abracius cultuque et corde recisus
Justa nec aure valet patiens, nec sumere mente,
Postulat et latrans superasse, silentia poni
Collucatori belli, neque jura relinqui.
Haud Pater [patet] id dignum, priscumque orasse
[prophetam
Papa refert, Dominum vitæque necisque potentem
Ut qui morte premat, flabris qui motus reddat
D Percutiat, sanet, validus moderator utrinque
Unde probum superas post funera conferat auras
Omnia rite sibi quo credula corda parentur.
Instat ad hæc fallens vafer atque silentis poscit
Virtutem repetens pandi solemniter actis,
Spondenti vitam attonitus demensque repugnat ;
Cogitur at Dominum verum summumque fateri
Flamina qui functo referat, denotat et addit
Seque suosque sequi cultus insignia Christi,
Si data Sylvestri cedat promissa patrari.
Edit papa preces, non murmura surda susurrans,
Clara sed auditu cunctorum vota profundens,
Atque palam Christum auctorem, vitæque datorem
Invocat æthereumque, haustus repetente juvenco

[illegible] positos, Numen monstrarier optat.
Accedensque feræ nomen proclamat Jesu,
Nomine sub cujus revocatum surgere taurum
Imperat, absolvit laqueis, et pergere mandat.
Protinus exsiliens stupidæ miracula plebi,
Lætitiam justis, mœrorem importat iniquis,
Ac sese armentis valuata in pascua reddit.
Vincenti prostrata ruens vestigia turba
Mox [illegible] petit poscens [illegible] salutem.
Ipsaque regna ferens [illegible] publica raptis
Egreditur, veniamque dari sibi prona precatur.
Nec solum bos sentit opem, pugnantiaque arma.
Sylvestro vincente, crepant quia flumina nigra
Linquere se, captos cœli quos gratia salvos
Reddit, et æthereis plures sacer addit undis.
Crescit et ornatur Christo desponsa columba
Templis, muneribus, cultuque ditatur ameno.
Exsurgit fractis elisus viribus hostis.
Ægypti primogenitis sub tartara mersis,
Pallens acies cum æquoris gurgite volvunt,
Victoremque sequitur Jesu ductore triumphant.
Sensit et internis percussus Maxentius armis,
Qui, terrena turrium diversaque jura lacessens,
Par Pharaonis lethum subit impetibus undis,
Incurrens foveam pugna sibi fraude paratam,
Dum pius exsultans cœlestibus emicat armis,
Cui cœlis patefacta crucis vexilla coruscant,
Cui promissa favet victoria voce superna.
His genitrix Augusti actis feliciter aucta
Atque animum firmata fide persensit amaro
Invasit ad Solymam [illegible] laborem,
Exsiliensque sacrata Dei loca lambere plantis.
Expergisci sciens [illegible] livore patratum
Cæsaris, [illegible] sacra rura sacellis,
Religione pia sanctisque altaribus ornans.
Pervenit ad Solymam, quæ lecta cuperat, haurit
Perscrutans oculis, ubicumque insignia rerum
Indagare crucis cœli sedet inclyta ligna,
Quæ pretium mundi vitale pependerat orbis.
Dum via nulla patet, qua terra latentia petantur,
Aretus variis cœli [illegible] magistris.
Golgotha supplici discrimina nosse laborat;

A Quæ patefacta, viris diversæ partis utrinque
Consona testatis, regna aggressa capessens
Spem divinam animis, scrobibus rimatur operta;
Nec mora longa operi: connivent vota labori:
Manus et ambitum cupidis se visibus offert;
Tecta diu infidis arcana fidelibus adsunt.
Gaudia sed lucri obnubit titubatio certi:
Dum, tribus inventis, quæ crux erectio vitis
Vivificæ steterit nutat discussio veri.
Arbiter at summus curas componere anhelas
Discernens, animum reginæ numine tangit
Sidereo: functum illa recens exsangue cadaver
Imperat inferri, donum virtute probari.
Producitur gelidis torpentia viscera venis;
B Admotæque cruces: pœnalia ligna latronum
Temnuntur, promit vitalia robora vita,
Vita resurgentis vitæ arbore gaudia complet,
Qui spectatores redivivo munere pascens,
Inter mirantes sese miratur euntem.
Sic divo renitens crux clarificata decore,
Votorum obsequiis, claraque assumitur aula,
Quæ cultis rutilo radiat laquearibus auro.
Fertur et ad regem pretiosi portio ligni:
Crux sibi tota manens late sua robora spargit,
Damna nec admittit largo cum repleat orbem
Munere, perpetuum retinens sine more vigorem.
Queis mundi pretium divina talenta librata
Clavorum ex acie regalis culmina coni.
Tutantur compti, frenique sacrantur habenæ,
C Vis cujus præstans effrenas difficit umbras,
Quod fidei meritis, princeps Justine, probasti.
Nec mare frustratur tantæ virtutis honore,
Cujus sedati fluctus, obstructa vorago.
Lintea quæ texere crucem neque cassa residunt;
Robore quin sumpto morbos, et frigora pellunt,
Dæmonas ejiciunt, cæcis sua lumina reddunt:
Mutis sermo datur, paralytica membra levantur.
In vexilla crucis labarum transvertitur ingens.
Præficitur cuneis, acies illustrat honore
Signiferos sociosque tegit, nec clade laborat
Evector, nec tela queunt temerare vehentem;
Linquens signa perit, gerulus servatur in hostes.

CAPUT IX.

De synodo quæ facta est sub sancto Sylvestro.

Sylvestri imperio coeunt, et lumina Patres
Catholicæ retegunt fidei, damnantque rebelles;
Lucis et Ecclesiæ [illegible] vulnera condunt;
Pontificalis apex colitur, clerique senatus
Legibus [illegible]tenitur; sacrorum jura feruntur;

D Templa nitent fabricis, sacrantur munera templis,
Pignora apostolici decoris multo ære teguntur.
Emicat oppressis victoria clara tyrannis;
Gentibus effulgent præcelsa tropæa subactis,
Discussisque pios tenebris lux læta venustat.

CAPUT X.

De Gallicano et Constantia.

Tunc Gallicanus rege mactus inclyto
Victoriosis sublevatus infulis,
Dum gratus Augusto atque cordis [illegible],
Christo dicatam lege necti perpete,
Sibi [illegible] postulat Constantiam.

Rex æstuare mente cœpit anxia,
Sciens necari posse natam, quam teri.
Hoc illa nitens mente vulnus patria
Avertere, infit tunc: « Jugandam perhibe
Me Gallicano, dum Scythas evicerit.

Mox consul ut generque fiat regius »
Arrhæ feruntur inter hæc altrinsecus,
Fratres Joannes atque Paulus virginis
Celsæ magistri castitatis præsules,
Ambasque virgo Gallicani filios
Sibi retentat Atticam atque Artemiam
Quas ore votis ipsa Christo dedicat.
Procus subinde clausus urbe Thraciæ
Gentis Scytharum inferre pauca dum pavet
Formidolosus signa multitudini,
Acervat aris sacra Martialibus ;
Increscit hostis, invalescunt tristia,
Linquunt Quirites signa, cedunt barbaris,
Princeps volutans exeundi copiam,
Portum salutis satrapis Constantiæ,
Paulo ac Joanne percipit, votum Deo
Summo polorum qui monent enuntiet,
Christo ut dicetur erutus discrimini,
Fietque victor quam fuisset clarior.
Voventis ore quod probatum ut personat,
Juvenis statu videtur ecce præminens
Humero crucis vexilla promptus ingerens :
« Sectare et (inquit) me mucrone præditus ! »
Quem mox secutus bellicosos en videt
Viros utrinque præparatos prælio,
Se roborantes atque præbentes opem
Subeat jubentes castra tutus hostica,
Ensem retectum hinc inde securus vibret,
Dum regis ad secreta scandit barbari.
Quibus ille visis pronus ad vestigia
Jam Gallicani, vota fundens, sternitur.
Vitam petendo cum suorum sanguine,
His impetratis, deditur cum liberis :
Posthac tributa se daturos asserunt,
Pactis et hoste liberantur Thraciæ.
Hinc jam tribuni redditique milites
Christi parantur militare muniis.
Princeps sacratur, nuptiis abstemius
Vovens manere, sic triumphator redit.
Nec ante Romam provehendus introit,
Sacrata Petro dirigens ad limina,
Grates datori quam litet victoriæ.
Augustus huic cum prole factus obvius
Ut rescit acta, cingit hunc amplexibus
Cœlo dicatas nuutiatque filias.
Aulam petenti rege fulto principi
Regina sancta nepte nixa nobili
Occurrit ejus, exhibetque pignora
Lacrymis opima proluuntur gaudia.
Privatus ille gestit ire fascibus,
Celsis vocationis arcem præferens.
Rogatur autem consul aula prodeat ;

A Sumens honores, quinque solvit millia
Vernarum, habens servitute eximens.
Quos ditat arvis atque cessis ædibus ;
Censusque præter filiarum proprio
Foro subactos spargit indigentibus ;
Comesque sancto factus Hilarino subit
Virtutis alta, serviens egentibus ;
Domos benignus hospitales ampliat,
Socii cohærent qui fuere servuli.
Vulgatur orbe fama toto prodiga :
Ardent videre præminentem consulem
Pedes ministrum diluentem pauperum.
Hostensi in urbe templa Christo construit,
Et excubantes hic ministros destinat,
Levita magnus visus huic Laurentius,
B Hortatur ejus edat ædem cultibus
Qui jussa supplens, nuncupat Laurentiam.
Præstare præsul haud favet rogantibus ;
At qui nitescat hoc decore deligit.
Vicem rependit distributor munerum
Tantamque confert claritatis gloriam
Quo spiritali præditi ver[illegible]
Mundentur, ejus ut feruntur visibus.
Magna ergo fultus sanitatum gratia
Splendet micanti sanctitatis copia.
Hinc Julianus hostis innocentiæ,
Ut re potitus elevatur publica,
Arctat statutis christianos subdolis
Ne possiderent indigentes quippiam :
Tum Gallicani tecta, queis egentium
C Levat labores, si quis ingredi petit,
Titulos daturus pensiones aut agens.
Ultore captus lancinatur dæmone ;
Exactor actus ut lepræ spurcamine.
Responsa produnt his rogati spiritus
Rerum quod ejus occupatores ea
Vitare possint haud secus pericula,
Ni Gallicanus diis agat litamina,
Sanctum sed audet inde, nemo dum virum
Tentare, dirus præsul aulæ destinat,
Mandata legans ut deis ferat sacra
Latiisve cedat, aut remotus finibus,
Rebus relictis. Ille Alexandri petit
Exertus urbem, seque confessoribus
D Christi per anni jungit ultro circulum :
Deserta deinde jure scandit arduo :
Huc sævus hostis insecutus principi
Jubet beato thura sacret impiis,
Qui suasionis temptor ensem subdita
Cervice sumens lætus astra competit.
Locatur ejus ædis alma nomini,
Qua dona Christi honore fulgent martyris

CAPUT XI.

De sanctis martyribus Joanne et Paulo.

Hujus magistri ad vota fratres incluti
Christi Joannes atque Paulus pauperes,
Opibus relictis virginis Constantiæ

Dum christianos recreando perfovent,
Fertur tyranno ; lenibus quos convenit
Actare verbis hæreant rogans sibi ;

« Iniquitatis (inquiunt) causa hæc
Communionis publicæ est absumus.
Jam te salutatum ire non exhibemus
Nam Christi altaria veritate degimus.
— Considerandum est, his refert apostata,
Aula nutritus regi adesse regia
Debere primos, ut culmen palatii.
Contemnunt autem : quæro ne temnit quoniam. »
Fratres : « Tibi hanc fatemur haud injuriam,
Mortalem quem præferimus ut tibi,
Cœli, ac soli, telluris atque præsulem,
Qui fecit usquam quidquid est præponimus.
Hominique temporalis hujus gloriam
Fugimus, superni regis hæc gravidi
Tempusque scire nos salutato tuo
Cultum nos adesse jam petitis.
— Demum (tyrannus) vos illustres edere
Concedo munera cantionis tramite,
Sodalitate ut sponte nostra stamini,
Aut publicos plectens ut homines punio. »
Viros beati tum fideles absolvunt.
Res ordinantes quas reliqui præmavere
Toto vacantes corpore cœlestibus
Indeclarato tegendo tempore.
Posthac Terentianus hos sub propria
Adortus æde vota dantes reperit :
A regno tenens æternum mitti Jovem
Cui thura fragrent, his et libantibus,

A Aut obstinatis colla mucro transeat,
Ne rege digne qui noluit regia
Vulgarium cædantur acti obtutibus.
« Dominus tuus et Jesus (inquiunt)
Habeto pacem jam tuo cum principe
Nobis et alius non erit, Pater nisi,
Natusque solus, sanctus atque Spiritus. »
Is quem renuntiare non est territus,
Huic et Dei projectas a conspectibus
Conditionis sibi parere complices,
Summor alto procedens certamine
Aperire terram jussit, et venientibus
Focus sepulcra perrupit domestica,
Mox et essentiis vellet submergit scopulo
Vulpes jubente quod exaltares Cæsare
B Quam post procellam jam serena reddito
Multo subacto vindicis strage impio,
Sanctorum agmen confitentes dæmones
Possessa tecto vasa (inquiunt) limine.
Terentiani hæc acta proles flamine
Clamat beatis sese adiri fratribus
Pater patrilis mentatus filii,
In ora lapsus, prædicat piacula,
Petit lavacra, luctibus dat lacrymas
Piorum ad urnam solvitur dum filius
Tam passionis gesta quæ peregerat
Confessionis dira purgans lacrymis
Certis arata propalavit paginis.

CAPUT XII.

De sanctis Januario, Gordiano et sociis.

Patres beata tergiversator nece
 Christi sacravit deluga
Dum crescit atrox ira victi publicos,
 Legat pios custodiis ;
Dito prehensum jure Januarium
 Tunc Gordiano deputat :
Pii sacerdos regis almus capitæ
 Datur fere vicario.
Qui, dum modesta verba corde percipit,
 Flatu repletur Spiritus ;
Uxore juncta ac Mariæ nomine
 Mox fonte divo tingitur ;
Fecundi pœnites sacri domus quanquam
 Dominos sequuntur amplius.
Quæ gesta sævo dum forjictor arbitro,
 Scriptis utrumque percutit,
Et Gordianum subrogato judice
C Antro retrudit publico ;
Castam jugalem dans aquas ad Salvias
 Servire mandat rusticis
Clementianus Gordianum sedibus
 Vinctum catenis applicat,
Qui, laude Christi fortis atque immobilis,
 Plumbo severe cæditur,
Confessionem nec relinquens cœlicam,
 Cervice cœlos obtinet.
Candens cadaver judice actum pessimo
 Custos tegit non dormiens,
Quod Christiani nocte milliario
 Ab urbe raptum collocant,
Pridem beati martyris quo pignora
 Collecta erant Epimachi.
D Diesque festo læta voto compares
 Attollit una martyres.

CAPUT XIII.

De sancto Pigmenio.

Hæc fera crudelis rabiem quoque sanguine tingit
Doctoris, sub lege Dei quo latus alumno,
Pigmenii, Romæ tituli qui Presbyter almus ;
Pastoris quem strata sua per membra furore
Condere comperiens, recedere mandat ab urbe,
Præmia se redimere ferens, quia mittitur exsul ;
Nam perdet alterum primo mox sternere jussu
Persarum petit ille solum, quo luce moratus,
Corporis orbatur, mentis sed lumine pollens,
Præcipitur Romam, palmæque requirere causam,
Cui tandem puero gressus moderante reducto
Obvius expulsor rheda sublimis et auro

Dis grates inflatus agit pompante tumore,
Incensusque Acherontæo flammante furore
Præcipitem vergi Tyberinas mandat in undas.
A Mens pia sic cœlos repetit, terra edita terram;
Pignora quæque Abundio Abundanteque capessunt

CAPUT XIV.

De sancto Herculio, Hilarino et sociis.

Donatus lector studiorum in agone sodalis
Et condiscipulus sancto hoc sub patre tyranni,
Ense truci genitor genitrixque ubi sidera sumunt,
Fugit, Aricinamque petens apprenderat urbem.
Dumque, pio junctus Hilarino, nocte dieque
Vota Deo legans, jejunia crebra frequentat,
Gentilis Surana oculis ac corde tenebris
Obsita cum genito cellam perrumpit opimam
Quamque fide imbutam Satiri dant præsulis ori,
Nascentis lætus fidei qui lumina cernens
Atque Deo grates referens, jejunia mandat,
Fert cines stratum, dat dura cilicia amictum
Instruit atque lavat, cum qua subit unicus undas
Herculius; lumen mox frons tenebrosa resumit
Et Christum verum vitæ lucisque potentem
Exclamat mulier, sobolem radiata renoscens.
Quod certis capiens rumoribus Apronianus,
Donato attonitum diro spiramine gnatum
Defert, qui sociis Hilarino ac præsule junctis,
Insistit precibus; pulso sic flamine votis,
Incolumem puerum, gaudente parente, reformat.
Assidue hinc gradibus virtus et gloria cressit
Accedit quidam Eustasius, fiscalia cujus
Munera ut abdiderat terræ, defungitur uxor.
Ille gravem tolerans torvo exactore furorem,
Donati petit auxilium qui corde fideli
Præsidium tractans, superum subit aggeris antrum
Nomen et inclamans functæ per numina Christi
Adjurat, crucis adjungens in stipite fixi,
Quod factum dicat, qua rapta pecunia fisci.
Jussa refert uno verbo Eufrasina sepulcro,
Tecta domus adito latitat quæ gaza rogatur;
Æs notum egeritur, pergit vir fasce levatus.
Jam dignus Satiro meritis ad regna vocato,
Donatus sacris ejus vice fungitur aris.
Qui dum diva, die quadam, mysteria tractat,
Sanguinis et superi populis dat dona minister,
Impete gentili impulsus ruit, atque sacratum
Comminuit calicem: mœsta cum plebe sacerdos
Angitur; angorem Christi sed dextra serenat:
Lecta equidem devectantur fragmenta beato;
Ille madens lacrymis summusque, ubi vota profundit,
B In priscam revocat solidato fragmine formam.
Barbaries perculsa novi spectacula facti
Aspiciens, laudare Deum cum plebe canora
Incipit, atque animæ citra octoginta dicantur.
Multis præterea signis divina potestas
Donatum illustrans testis sustollit honore:
Tentus enim, pariterque Hilarinus, saxa jubetur
Thure rogare dato, jussis cui rite reniso
Os teritur saxis; Hilarinus fustibus actus
Temptam linquit humum, quæsitam percipit æthram,
Ostia membra rapit, Donatum claustra receptant
Hic quoque plura Deus per quem magnalia Christus
Dum populo plaudente gerit, diro ense resectum.
Educit tenebris, veræ capit æthere lucis.

CAPUT XV.

De sanctis Prisco, Priscilliano et cæteris.

Hac præter istos nube multi cælicos
Petunt honores abdicando terreos.
Priscus sacerdos ense scandit æthera;
Priscillianus quem secutus clericus
Parilem coronam sorte sumit compari.
Benedicta sectans hos pudica femina
Subit piorum regna per vestigia,
Faustus triumphans sceptra regi jungitur;
Fausti Dafrosa, post jugalis gloriam,
Exsul negata segregatur patria
Poloque ab ense pulsa terris sumitur;
Qui Biviana prole cum Demetria
Florent parentes, clara nacti pignora:
Quarum hoste coram ducta dum Demetria
C Confessionis enitescit gloria,
Mentem superna condit inter sidera.
Funus Joannes gloriosus presbyter,
Ubi sole bino triste dat spectaculum,
Foro rapina colligit laudabili
Piis sepulcro copulans parentibus,
Quibus sororis membra jam jugaverat
Quem Julianus, dum nec auditu probat
Dignum suo, Phœbæam ad aram præcipit
Cervice plecti: quem legit Concordius
Pari sacerdos sorte fulgens præditur
Sacrumque cultu honoris ornans debiti
D Locat beatos martyrem inter martyres.

INCIPIT LIBER DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De sanctis Marco et Julio episcopis.

Digressi per bella, pedem referamus in urbem,
Visuri qui sede Petri sint sorte secuti
Sylvestrum: officii quorum mysteria Marcus
Diva subit primus, gemino quæ solis in orbe
Tractans, templa parat, donisque et cultibus ornat,
Busta colit, comptoque gradus sublimat honore,

Absentes scriptis, præsentes roborat actis.
Catholicamque fidem dico tutatur ab hoste
Julius hunc sequitur, bellum cui fure paratur
Hoste potestatis Christi, tribulatio cujus
Virtutem probat, exercet, depromit, honorat;
Gloria quem exsilio revehit: tum construit aulas
Rectori, tum busta parat pietatis amicis,
Decernit leges, statuit fastigia clero,
Componit lites, præbet monumenta fidei,
Protegit innocuos, reprimit sine jure nocentes,
A Permanet immotus, rebus persistit honestis.
Post quem Liberius vario depellitur astu,
Ob sanctam nunc urbe fidem, nunc legis ob orbem
Tramite, divinæ pulso felice cathedræ,
Perstat qui validus firmo quoque robore fixus,
Arguit et lapsum duplici baptismate regem,
Unde datus gladiis capitur feliciter astris.
Funus at ereptum recipit quam struxerat aula,
Moxque pios cleri tribulatio dura fatigat
Presbyteros, pluresque alios, quos morte coronat.

CAPUT II.

De sancto Eusebio præsule, Gregorio et Orosio presbyteris.

Eusebius præsul fortis vibrat arma fidei,
Liberiumque dolet mærens cessisse profano,
Unde furens Scythis arcto hunc Constantius antro
Claudit, ubi invictos precibus persolvit annos,
Cornua Titanis replet dum septimus orbe.
Eruitur hinc claustris, sæve quoque pace potitur;
Pignora presbyteri rapiunt Orosius atque
Gregorius Sixto addentes in busta Calisti.
Atque Dei persolvit honori illatumque decusque,
Accipit ut pietatis opus pia gesta tyrannus,
Gregorium quidem vivum sub funeris urna
Trudit; spirantem sed adhuc Orosius eruit
Nec mora defuncti jugat ossibus ossa sepulti.
Cappadocum propulsus adit Dionysius urbem.
Hic quoque persistens validus defungitur exsul,
Optatam capiens palmam sedisque decorem.
Pignora, Basilio magno rescribente, beatus
Suscipit Ambrosius, dignoque recondit honore
B Eusebius Scythiæ tum Basilii petit urbem:
Vercellis rediens demum repetendo cathedram
Martyriique locum, patitur pius arma furentum;
Psalterium æquivoci postquam decoraverat orsis,
Sedem membra requisitam mens accipit æthram.
Rhetorica Victorinus tunc luce cluebat,
Lustrans subjectam facundo dogmate Romam:
Tandem colla ferens fidei veteranus honori,
Impugnat colubrum sale, condit lumine Paulum.

CAPUT III.

De sanctis Damaso, Hieronymo atque Siricio.

Damasus hinc, post expulsos, pater Urbis habetur
Præsentes clero populoque, favente senatu,
Martyribus sacra templa petit, pia corpora quærit,
Colligit, attollit, numeris colit, et pede prodit,
Probris impetitur, synodoque probante probatur,
Verbis ac scriptis fidei defendit honorem;
Nocte dieque sonet mandat psalmodia ædes.
Hieronymumque petens normam tradente capessit
Sedis apostolicæ sublimat lege cacumen,
Dirigit ædificans subjectos dogmate puro,
Flammans ætherei cœlestia lumina promens,
Subtilesque armis insectans proterit hostes.
C Emeritusque senex scandit cœli ardua victor.
Siricius contra infandos decreta per orbem
Legat, et exsilio removens perversa sequentes,
Purgat ovile Dei, pandit quam cauta receptu
Regula servetur, quam pravis arcta ferantur,
Æthereamque ornat divina lege columbam.
Surgit Anastasius, suadetque assurgere divis
Cum clero populum, verbis fugat ore profanos,
Informatque pios, templum parat, astra recepit.

CAPUT IV.

De sanctis Innocentio, Zozimo et Bonifacio episcopis.

Post hos, nocentes damnat Innocentius,
Et institutis indicens Ecclesiam,
Dignis adornat castra cœli legibus,
Pellensque iniquos pura reddit sordibus;
Tum templa sacrat, dedicatque munera,
Dat festa sacris sabbatis jejunia;
Petitque perstans alta felix sidera.
Zosimus statuta nec falsavit edere,
Aulam ministris, ac ministros palliis
Ornat, petenda dignitatis tempora
Præfigit almos cauta tradens dogmata,
Datasque firmat lege rigida regulas.
Bonifacius, post lite scandens dissona,
Tum mansueto dum recedit spiritu,
Nec insolenter vindicat fastigia,
D Pulso receptus roboratur æmulo;
Certatque sedes nec hinc petatur ambitu;
Sacra censet aræ nulla tractet femina
Decreta celsis nec ministris appetat;
Nullum dicare jure pressum clericum.
Felicitatis hæc beatæ pignora
Templo decorat quo resedit sarcinæ.

CAPUT V.

De sanctis Cœlestino et Sixto episcopis.

Cœlestinus adhuc cœlestia regmina tractat
Allegatque piam rectis pravisque salutem.
Instruit Ecclesiam, ponit psallentia clero,
Religionis opus cumulat, sacra diva venustat,

Summi templa dat domus, et cultibus ornat.
Hunc Sixtus sequitur : majorum scita tuetur
Nec refugit censor sacro consente senatu
Censeri, purgatque notam, justusque patescit,
Humano attritus supero quoque plectitur hosti
Arbitrio, papa pœnam miserante profani

A Cœlicaque intenti servante in funere jussa
Templa levat, multoque colens ex munere ditat ;
Regia dona ipso dare moderante reponit
Carmine sacra colit, memori dicat ære beatos,
His quoque conjunctus memoranda laude dicatur

CAPUT VI.

De sanctis Leone, Hilaro, et Simplicio episcopis.

Hinc gesta altisoni texuntur in orsa Leonis
Præditus Augusto pia qui Chalcedona jura
Dat censenda, Patres quo munere cogit agendo :
Exprimitur geminæ Christo connexalis uno
Copula naturæ : damnantur nexa secantes
Vincula personis, vel non miscenda jugantes
Jussa Patrum crebro rationis dogmate firmat ;
Auget jura, monet reges, colit ordine Patres,
Templa novans ornat, bellis attrita reformat,
Internum externumque decus claro expolit actu.
Hilarus hunc sequitur, decretaque præcipit, orbi
Delegat, sectanda monet. contraria damnat,

Cultibus ædificiisque piam venerare columbam
Præstat : sanctorum merito notat ore triumphos :
Aurea ligna crucis gemmis et percolit auro,
Attollit fabricas, pretiosa monilia condit.
Alligat et Patres, hieros sacrosque ministros ;
Per quem paschali Victorius ordine fulget ;
Culmina Simplicius celsæ scandit inde cathedræ.
Regis honore sui cultus qui dedicat aulas,
Officia instituit, læsos medicamine fulcit,
B Roborat ægrotos, stricto ferit ense protervos,
Jura superna serit, bino sacra munere comit.

CAPUT VII.

De sanctis Felice et Anastasio episcopis.

Ecclesiæ posthac Felix moderamina tractat.
Præcipitans hæreses, leges redeuntibus aptans,
Fraudes discutiens, culpas et noxia perdens,
Regmina Gelasius Felicis rite secutus,
Dissicit errores, propellit ab urbe profanos,
Crimina comburit, miseris vincimina solvit,
Dilatat clerum, vulgus tutatur egentum,
Excolit Ecclesiam, salvat discrimine Romam,
Sancit scita sacris, dat opem feritate repulsis,

Difficiles virtute ferit, facilesque reducit,
Templa polit, dicat, attollit, modulamina condit,
Et gremium cunctis pandens pietate nitescit.
Cœlica defendit divinisque emicat armis.
Surgit Anastasius post quem dans robora paci,
Legatum Christi pacis se munere fastus,
Æquivocum hinc movet Augustum, petit edere pacem.
C

CAPUT VIII.

De sancto Symmacho papa et Paschasio levita,

Symmachus accedens vario certamine gliscit.
Partibus abjunctis, gemini dum culmina sumunt
Judicium subeunt regis ; patet æquior isti
Causa ; sedet præsul, censetque deinde cavendos
Dissensus, gladios, vitandos jure favores,
Dignius et tantæ tribuendos sedis honores ;
Æmulus, indeptus Naccerinæ regmina plebis,
Alma vigere patri pietatis viscera sentit
Et capit ingratus gratis data munera fastus.
Surgit item bellum ac repetit Laurentius urbem ;
Prava ferum manus exagitat livore tumltum ;
Impetitur probris et iniquo crimine justus;
Censorem suadetur ei rex mittere Romam ;
Ascitis Patribus, purgat convitia præsul ;
Censor et invasor præsumpto jure teruntur,
Instauratur honos, justo addita gloria crescit,
Ut decus obryzo sævis fornacibus usto,
Crescunt bella piis, crescunt insignia bellis :
Cruda ruens cædit temeraria turba quietos,
Queis tamen impertit sublimis laurea cœlos.
Fautores positi divino examine, plexi.
Condignam meritis mulctam snbiisse probantur,
Quorum vir clare rutilans Paschasius urbis

Levites passus capiendæ damna coronæ.
Thermarum, fertur datus ut fervore minister
Attamen egregiis hic fulserat actibus auctus,
Contemptorque sui, vitaque insignis honesta,
Cui comes a puero miseratio crevit egentum.
Dogmataque ediderat veri, sale prædita multo,
Flamine queis divo mysteria digna perorat,
Cujus et extrema raptam de veste salutem
D Accipimus fugisse nigra, spolia alma, catervas ;
Isque piis veniam meritus decernitur actis,
Germanique palam visus se obtutibus offert,
Obsequiis terret, pœnam erroremque fatetur,
Poscit et auxilium, precibusque levamina sumit,
Centumcellensis quondam ut possessor agelli
Lympharum ignicolis post fata vaporibus actus,
Presbyterique datus Joannis ad alma ministri,
Obsequiis geminæ nutans sub dote coronæ
Munere qui ereptus gaudet servisse lavacris.
At servare greges et proturbare profanos
Atque fugare lupos pastor non desinit almus :
Exurit simulacra, libros, pellitque nefandos,
Atque domum Christi doctrina et cultibus ornat,
Munera multa serit fabricis, laquearia, gemmis

Pergens, instauratque novas, reparatque ruinantes,
Nec minus exemplo traxit dare commoda sanctis
Insistit, redimit donatque extra [illegible].
Et parat sublimi sibi sedem regna tenentis,
Quin alios [illegible] mactus.

CAPUT IX.

De sanctis Hormisda papa, Germano atque Remigio episcopis.

Hinc Hormisda cathedram, pestilentia tradit,
Templa lavat, lites componere pace laborat,
Graiorum tumidos instat sedare tumultus,
Nec, quia promissis [illegible], alto
Abstinet cœpto, monitus iterare benignos
Haud tardat, fieri Augusto [illegible], sceptriferos.
Qui, donis tentans, nec vi nec munere præstat.
Insuper indigne [illegible] hospitis alas,
Atque superba refert, sacrataque jura repellit:
Nec mora contempti persensit numinis iram:
Ictus et æthereo submersus in ultima telo,
Dignum sceptra suis submitti funere pandit,
Flexo justus ab injusto Justinus adeptus
Imperium, Petri pedes petit omnis sedem,
Ecclesiæ dignus dat omnibus æquaque [illegible].
Vota Patris accessit: legantur figere pacem
[illegible] viri virtute probati;
Capua Germanum tanto dat munere dignum.
Legatis Petri de gratis [illegible] refulget,
Augustus cum principibus, sanctaque caterva.
Et procul occurrens regali egressus ab urbe
Excipit capitis [illegible] pia membra supremi
Terrentur populo, gaudent [illegible] benigni.
Ecclesiæ sacri junguntur [illegible] pace.
Dæmonibusque [illegible], lucis pacisque rebelles.
Vincitur impietas, lethale absconditur virus.
Et, sancte abscissa, læto stant corpore membra
Gaudet pace Oriens, reparatum gaudet et Austrum;
Africa læta subit, sublata resumere jura;
Solis ad occasum laudant a climate Eoo
Salvati Dominum pueri sacri ore magistri.
Gallia doctrinæ nec culmine [illegible] resedit,
Exsultat quod Remigius rutilo ætheris astro
Ac terræ cultore bono, [illegible]
Vomere qui solet satagit dum scindere corda,
Barbara mitificans divino semine rura.
Messis honore novæ charismatis ubere mactæ
Præsulis Cephæ studet [illegible] ornare cathedram.
Dum rex in Christo Clodoveus, filius hujus
Auri ac gemmarum pretioso lumine tendens,
Remigii decus obtenti ductamine regni,
Egregio parens patri devotus alumnus,
Primati eximio Christi pia munera mittit;
Mittit et insignes [illegible] cultus;
Augustus, regesque colunt ornatibus urbem.
Clara pii sub honore Petri dum stemmata legant.
Papa etiam cum corda parat, tum templa venustat,
Seque datur cum mente polo, tum corpore templo.

CAPUT X.

De Joanne papa, Symmacho, Patricio atque Boetio.

Gratia summa dein primæ dat jura Joanni
Sedis, et egregia tribuit disponere cura.
Ausoniam [illegible], quo tempore aditur
[illegible] Petri legatum [illegible]
Pergendi sacratur equus. [illegible]
Corporis [illegible] revocat.
At gaudet servire sacro, [illegible] laborem.
[illegible] celsorum patri præstantis honoris
Occurrunt [illegible]
Lux pateat, lumen [illegible] orbis,
Atque [illegible] intrat [illegible] portas,
Lucifluaque manu tactus fugit umbra meatus,
Et, populo mirante, palam nova lumina fulgent.
Subjicitur culmen, fastus flectuntur enormes:
Imperii fasces Cephæ [illegible] alumno;
Qui petit, orat, largitur et obtinet almus,
Impetrat et pacem, [illegible] præstat honorem:
[illegible] servus [illegible] sub honore parum.
[illegible]
Ipsum etiam patrem [illegible] cogit;
[illegible] beatum
Regia [illegible], cœli [illegible] sortem.
Compserat ecclesias, patrum reparaverat urnes,
[illegible] digna [illegible] revocata cathedram,
Nec longum [illegible] tormenta tyrannum
Debita perpetuas crudeli dantia flammas.
Jam tamen immanes dederat fera bellua clades,
Impugnans bello [illegible] pia mœnia pacis.
Symmachus illuster, genere atque Boetius ense
Subieerant [illegible] munera palmæ
Patricio sed discinctus, plantasque retectus,
Atque manus vinctus papa religante Joanne,
Inditus ignivomæ Vulcani immergitur ollæ.
Symmachus hic consul genitum cognomine Galeum
Caltibus [illegible] sanctis, pia lumina fudit.
Tradita quæ [illegible] anno viduata sub ipso,
Disponit servare Deo, nec tempora curans
Ætatis teneræ, nec opes, vel culmina sæcli,
Sanguinis [illegible] nec fœda notata pavescens,
Barbariem, nec ferre pilos muliebria servans
Nil reputans fœdum Christo nisi tailare tantum,
Militiæque poli toto se pectore dedens,
Cœlis se subjicit castris, immobilis annos
Continuans plures, manibusque et mente benigna.
Prodiga pauperibus votis [illegible]:
Ad [illegible] dum cœlique ad regna vocatur,
Corpore [illegible], se pace levatur:
Solamen Petri, [illegible] et verba meretur
[illegible] digna [illegible] et reddere voces,
[illegible] polo, [illegible] nosse [illegible];

Et pariter charæ comitatum orare sororis
Audit quæ comitari habeat benedicta petitum
Post mensem quod iter capiat, plenoque nitescit
A Egrediens voto, solatia juncta sequuntur
Sic et apostolici compleatur lamina pacti.

CAPUT XI.

De sanctis Felice, Bonifacio atque Mercurio episcopis

Ecclesiæ Felix feliciter usus honore
Scita dicat, pia tecta levat, collapsa reformat,
Divinum attollit columen, sacra jura venustat,
At censet solis mysteria agenda sacellis.
Pace fruens et pace nitens sub pace quiescit.
Ordine divino Bonifacius inde secutus
Succurrit clero, solvit famis atque periclo
Mercurius post hunc supplet loca sacra piorum.

CAPUT XII.

De sanctis Agapito, Cassiodoro atque Vigilio.

Hinc pius Agapitus congesta ligamina rumpit,
Conciliatque gregem, vinctorum pondus adurit,
Errantesque reducit oves, et pacat ovile,
Pergit et ad Graios, pacem quoque regibus affert;
Exceptus sub honore pio divina frequentat,
Restituens gressus claudo, dat famina muto,
Augustum aggreditur, pietatis munia tractat,
Arguit errorem, temnit terrentia regna,
Dissicit et nebulas, et fraudis operta revelat.
Ejicit et sacris colubrum, tenebrisque jacentem
Detegit, et diro mundat delubra veneno;
Plebs purgata nitet,, gaudens Augustus honorem
Dejicit eximium, vestigia pronus adorat
Patris, et expulsa almus apex ita sorde sacratur,]
Papa petita tenet, rebusque ad,vota redactis,
Emeritam pax summa legit componere luctam,
Et Romam referunt victricia membra triumphum.
Præsule quo Cassiodorus splendore senator,
Servitiis Agni se subdens, dogmata clara
Devotis adhibens, Davidis carmina tractat,
Clarificans supero modulata poemata nablo;
Illustransque pias divino lumine turmas.
Attollit gemino mentesque et corpora fotu.
Silverius sine more gradu perfungitur alto
Et, clero obstricto, rapiunt mox fata tyrannum,
Bella terunt patriam, Roma obsidione gravatur,
Surgit dira fames, pestis grassatur. et ensis,
Ui stragis satis exactum, petit ultio papam.
At firmus jam sede Petri robustus agonem
Excipit, Augustique legit stare obvius ori,
Deinde suis pulsum haud redhibendum mœnibus [anguem,
Unde dolos laqueosque subit, quem fraude potestas
Afficit, ornatu privat, sine jure fatigat,
Extorremque fugat, confessoremque coronat;
Hujus et ad tumbam morbis vitiisque repulsis
Assumptum cœlis pandit data gloria terris.
Depositi regimen, sortemque Vigilius intrat,
Arridet pax Hesperiæ, capto hoste triumphat
Urbs, Africæque dolus prisci dat regmina juris
Munera tutori spoliorum gloria Petro :
Lata opis indignis, solatia prona feruntur,
Atque Dei famuli dono pietatis aluntur;
Stemmata apostolici certaminis atque triumphi
Lucis arata stylo, rutilanti compta nitore,
B Huic præsulta favore Patrum delegat arator.
Prædecessoris notus furor hunc quoque vellit,
Sceptriferoque agitur jusso revocare chelydrum,
Eximiis vetitum Patribus maculare sacellum,
Præcipitisque oris persolvere pacta rogatur;
Ille negat, stultumque notat se, ac pœnitet orsis,
Seque tenere vices meminit, Petrique cathedram,
Majorumque probat leges et roborat actus :
Insurgit furibunda manus, petit ultio durum
In patre patronum, lavicis culpatur et anctor
Lethiferi sceleris, ducique in judicis ora
Præcipitur, solus teneat nisi Petrus alumnum,
Cæciliæ inventus septis dans munera plebi,
Et tentus cymbæ, Tiberisque appellitur undis,
Inde ferens populo benedicta huc usque sequenti,
C Opprobriis maledicta capit, pro pace duellum
Invenit, egreditur vulgo perversa frementi,
Patris amatores comitantur terga secantem
Fluminis, atque sali Catinensem actus in urbem
Tradere subjecto fruitur charismata clero.
Inde religatis divæ custodibus aulæ,
Atque gregi patribus minitanti se ingerit urbi
Plebs devota patrem capit, ac proceres fera mandant;
Quæstio dura subit, trahitur contentio longum,
Et rixa geminus tali consumitur annus,
Impia sceptra notans, sævæ pater improba vultu
Sumit flagra manu, miti convitia mente,
Hinc subeunt majora : piis avellitur aris;
Colla ligat funis passim spectacula dantis;
Solvere consuetum stupet urbs pavefacto ligatum;
D Solvere latronem renuens, ut latro, ligatur:
Mergitur in tenebras, parceque diaria fertur
Panis parvum et aquæ; reputat se digna subisse,
Ac reddi meritis consentit debita factis,
Exsilio clerus teritur, mulctaque reorum
Afficitur. Mox æqua trucem subit ultio gentem :
Barbaries inimica ruens ferro obsidet urbem :
Peste quatit famis, immites ad dira coercet
Invadit quoque privatam solamine plebem,
Sed Petri mucrone jubet reverentia parci.
Effugiunt Patres, desolatique sororem
Rite petunt matris, quæsitaque fulcra reportant.
Mittitur et Romam, salvantur ab hoste Quirites,
Salvatique, patris reddi sibi regmina poscunt
Lætificat gestis Augustum gloria palmæ,

Et Sævus revocat papam, precibusque petitum
Reddit eo statum, reroque levamine fultum.
Hic Syracusanam sociis comitatus in urbem
A Pervenisse, languore gravi subit ultima fati.
Pignora depositi repetens urbs Roma recepit.

CAPUT XIII.

De duobus Pelagiis, Joanne quoque et Benedicto episcopis.

Pelagius, modico Patrum moderante senatu
Præmissi malo suspectus crimine papæ,
Provehitur sacris, seque approbat urbe vocata
Innocuum, monet ac censet ne sorte levolli
Quis petat Ecclesiæ culmen, vel captet honorem
Ornatus reparans aris, fundamina templis
Instituit, Petrique urnam sub tecta capessit.
Sanctorum sequitur restaurans busta Joannes,
Quæ puro colit affectu, veneratur honore.
Expensis ornat, dicat, et non integra supplet.
Hostibus oppressis, patriæ tranquilla feruntur
Ingrata, quæ pellere opem ventosa laborat.
Is contra retinere decem, tutavit urbem,
Pacis et usque piæ pro munere ad ultima certat.
Mox famis et gladii Benedicti tempora quassant,
Ausonii eque terent gemina discrimina pœnæ :
At, miserante Deo, Nilus solatia legat.
Pelagius hunc sequitur pelago moris obitur (188) ;
Insurgunt equidem nimiæ cum cladibus undæ ;
Hinc sævis agitur gladiis urbs, inde procellis,
Diluvies, primique putata pericula sæcli,
Conterere quo valent nec destitit alma decore ;
B Hic patris atque Petri argento circumdat et auro
Reliquias, altisque parat pia xenia templis.

CAPUT XIV.

De sancto Gregorio et affinibus ejus.

Inclyta Gregorii subeunt hæc culmina, caulis
Excubiisque gregis custos qui pervigil instans,
Actus atque esse agit ad cœlestia pastus.
A puero justus, renitens, et sanguine clarus :
Apprendit hoc atavus Felix, amitæque beatæ
Tarsilla, Emiliana soror, quæ, mente dicatæ,
Augmentis crevere piis in amore Tonantis,
Corpore dum terris degentes, pectora cœlis
Intulerunt ; titulo quarum Tarsilla priore,
Quæ consumat iter, Felice vocante, supernum
Hanc donum rutilum prior accipit ; orbato orbes
Visere migrantem quam non contemnat Jesus,
Quem solum hæc capiens astantes cedere mandat,
Hæc super astra sequens, vinculosa terrea transit.
Nectareus testatur odor vinlusse piarum
Leetrem dapium paradisi munere plenum,
Qui digne fragrantem opertis spargebat odorem ;
Acta caro ipsa notat calestis, genibusque roteris.
Emiliam hanc longum invitans ad festa sororem,
Terrenas rumperet curas, consortia spondet,
Lætos atque choros, ductique in gaudia ducit.
Summa neque generis decoravit moribus almis,
Exaltat ingenuis, studiis excoluit opimis.
Gregorium juvenem materna legumina alebant.
Nec mollita foco, modo sparsa liquentibus undis
Quemque Christianum eccles simulatus egentem
Naufragio pressum, aggreditur, suffragia poscens,
Cui postquam loculis ter sena numismata pendit,
Instanti et precibus sibi multa perisse querenti,
Scutellam matris, geminaque legumina addit ;
Post, dum pauperibus bis sex alimonia ferri
Præcipit appositis, cernit superare sedentes,
Mandati numerum nequit aspectare minister.
Qui superest jussis nuntivam remittit neve
Gregorius valet, hunc variis vortis ore sub horis
Mutantem, velopusque dedit in alatae missis ;
Personam nomenque rogat ; negat ille notare
Nominis indicium, prodens id premere mirum
Se edoctum fore naufragio cui munera vasis
Contulerit, sibi legarat quod Silvia mater,
Itque habeat certum sedes se regimina Petri
Sumpturum, sic depositum moderamine summo
C Cœlicolam quoque se pandit, perhibetque pavorem
Auxilii memorans ejus se ad munia missum
Custodem, atque precum gestum super astra suarum.
Lubrica sic mundi transcendens gaudia, summis
Attollit mentem radiis, sola temnere promptus,
Solum ardere Deum, meritis acquirere cœlum,
Atque petet sibi missarum percensio rerum,
Notificat quid mente gerat, quæcunque latebant
Corde aperti ; quæ vana tenet pietate remittit,
Cultibus atque sacris subdit, largitur egenis.
Ipseque factus egens Christum sectatur egenum ;
Militibusque locans apto cœli ordine turmas,
Disponit, fovet, exercet, moderatur, adornat ;
Inter et exertos exertæ vibrat agmen,
Tegmine nam trabeæ posito gemmisque coruscis,
D Paupere squalentes habitu non horret amictus ;
Pauperibus Christi quin pauper et ipse ministrat :
Virtutum locuples, sapientia cui prior auro,
Culmina virtutum lapidum potiora nitore,
Gratia cœlestis census, habitusque decore ;
Omnia cui terrena jacent, cœlestia mente
Sola nitent ; inter quæ lumine carnea tranans
Versatur, metam affectans, et præmia quærens,
Nil terrenum aptans, nil jam carnale requirens,
Nil vel habens vel habere sinens sua septa colentes ;
Unde nec immanis properi si forte repertus
Quis nummus alet, docet id paradigmate Justus
Infausto extinctus opertis malesuadis avari
Aurea cui peperit nec magna pecunia mulctam
Torseruntque inter medicamina tresse venena.

(188) Versus corruptus.

Quem pater austero medicum medicamine curans,
Corpora curantis mentem per tormina sanat;
Pumque in morte ferit, plures a morte reducit,
Dum de morte levat munus vitale resignat,
Nec Dominus tantam patitur latuisse medelam,
Germanoque aperit functus solamina vivo,
Sed nec dissimilem cui terna numismata frater
Contulerat sentit mulctam, auxiliique levamen,
Patre monasterii qui proditus ore ligatur
Gregorii raptus, nec adhuc vincimine liber,
Cernitur, abbati promens se carcere clausum,
Dum patris ore data est oratio fusa sepulcro.
Ais reliqui aptantur, cuncto quoque fasce levantur;
Legitimoque simul bellum pater agmine tractat,
Et multos ad regna poli, superasque coronas
Delegat; quorum quidam ventura prophetant,
Ante obitumque sciunt quo sumant ordine palmas
Aspicit hæc certoque refert Gerontius ore;
Accipiunt quidam peccamina missa vocati,
Securique migrant; probat hoc Antonius actu,
Hac Merulus lacrymis, precibusque assuetus uter-
[que,
Florea quem cœlis capiti delapsa corona,
Jucundum tutumque agit ad cœlestia regna.
Visibus et testis fragrantia mira sepulcri
Solatur juvenis pressus languore Joannes,
Erigitur, jussusque ad fata propinqua parari
Cœnatur, memor est jussi, geminoque sub anno
Præparat egressum, accitusque it certus ab urna.
Egregius Pater hortatu votisque laborat.
Lucra sui cumulare gregis, juvat aptio summa
Velle parans, ac posse ferens, cogensque rebelles.
Sensit Theodorus hæc dona, manumque trahentem,
Immitis puer irrisor, captorqne piorum,
Accipit et subitam sorbente dracone salutem.
Faucibus exemptus renuens prohibensque chelydri,
Quem pia vota fugant, mentemque, et pectora mutant
Inque dei cultu statuunt et ad æthera mittunt.
Fructibus his pollens ductor bonus atque citatim
Regmine pennarum visus hoc scandere cœlum:
Fune ministerii trahitur, levita levatur,
Verbis et officio dignum capit aula ministrum
Ecclesiæ patrisque dati responsa ferentem,
Sectantur fratres quos contubernia grata
Dependit, maris errores quo littore vitet
Turbine mundano tutus cœlestia flagret.
Quorum Maximianus ubi redit alma revisens
Septa sibi legata fide ac virtute probatæ
Mentis, et egregii tutelæ addicta magistri,
Adria terrores sævasque insurgit in iras,
Flaminibusque feras furibundis excitat undas,
Æquoreque elato funus crudele minatur:
Rectori amisso pereunt moderamina clavo,
Agmini flabrifero ruit acta in fluctibus arbos,
Velaque mixta vadis undas opulenta sequuntur,
Puppis et omne latus victa compage solutum
Admittit celerem rimis rapientibus hostem,
Gurgite jam summa tabularum immergive plenum
Fert mare vas, ferturque mari dorso æquoris æquum;

A Prodens mors non corda quatit, quin prosipit in-
[stans;
Nil nisi supremum cernunt, sumunt oscula pacis
Mutua dant, per dona viæ vitalia sumunt,
Committuntque animas qui corpora morte coarctat
Flectitur omnipotens trepidis clementia rebus,
Pro muro servare modo discriminis censens.
Quorum adiens stupido tremefecit corda pavore,
Sic plena octo natat lympharum hominumque cadens
Cymba, Deo peragens proprium modo remige
[cursum;
Incolumes nono, dum Cotronense receptat
Gregorii littus socios, quos Maximianus.
Et lintrem egressus sequitur, petit illa profundum,
B Jam non ferre valens hominum sine pondere fluctus.
Gregorii meritis homines quæ vexit et undas.
Maximiani hæc ille tamen delegat honori,
Propria dum vitans fratrum præconia pangit.
Queis aliisque pio Christi sub amore rogatus
Enodat, retegitque viri mysteria clausa
Sermonum invicti, per prælia mille probati,
Discutit enucleansque ænigmata diva revelat,
Sacramenta aperit, secreta patentia reddit,
Syrmateque eximio per plura volumina condit.
Tunc quoque surgentem ventura in lumina pestem
Atterit, et veri jaculis fando obruit, atque
Oppressam penitus prima sub origine mergit:
Sicque triumphator repetens feliciter urbem,
Clade laborantem, recreat solaminis orbam,
C Pastor at eligitur, pastore per anxia rapto.
Dum refugit simplex, indignum culmine tanto
Se censens, apicemque humilis non pondera vitans
Sceptrigerumque petens tentat se fasce resolvi,
Numine percipitur supero, vacuantur inanes,
Irrita vota preces, populi acta feruntur in aulam;
Lætificant regem grati sub honore patroni,
Legatique hilares gratantia jussa reportant.
Principis annisu, clero, populoque petente,
Lecrus ad excelsum Christo moderante cacumen,
Commoda quæ plebi, quæ sint sibi congrua tractat,
Dansque laboranti verti solamina vulgo
Culminis exilium, atque fugam meditatur honoris;
At servat clausas vigilum custodia portas,
Nec latet urbicolas humilis quid defuga volvat:
Attamen excubiis cunctis vigilantior ille
D Per medios fugit ignaros, luditque videntes,
Crateras septus latebramque recedit adeptus,
Et manet abstrusus, donec jejunia plebis
Votaque Romulidum cœlis nova signa merentur,
Nam ductrix quondam populi peropaca columna
Astris irradians, perfundit luce columnam
Ecclesiæ, populique ducem depromit apertis
Illustrans radiis; cives visuntur adire,
Atque redire poli tractus per lumina clari.
Cernitur id soli dignus qui forte repertus
Incola Sylvarum, turbæ mundoque remotus,
Quique Dei tectum notat hoc pro tegmine templum.
His tandem profugus signis, ac lumine notus
Æthereo capitur, tractusque ad limina Petri

Proditur, indutusque pio decoratur amictu.
Evehitur sacris, [illegible] admittitur [illegible],
Sancto insignitur superi charismate doni,
Quoque [illegible] flamine summo,
Prorsus apostolicæ potitur honore cathedræ
Fascibus et dignus digne sibi credita tractat.
Dumque reprensus ut indigne tam digna refutans
Culpatur deses quasi Ravennate Joanne,
Apta reponsit, opus condens pastoribus aptum
Ecclesiæ, pandensque docens, ut vivere rector,
Atque docere habeat, sese servare, suosque,
Quam caste, quam discrete, quam degat honeste;
Inde nec absistit monitis, scriptisque docere,
Appositos ac repositos vocat ore manuque,
Exemplo, verboque polorum ad culmina ducens.
[illegible] per subtilia [illegible] corda,
[illegible] latens [illegible] aurum,
Virtutes notat indiciis, vitasque priorum
Pandit, et exercens armat [illegible] catervas.
Flamine [illegible] pio divo repletus ab ore
Pabula dat gregibus. Testatur scriba minister,
Dictorum exceptor, [illegible] livore [illegible]
Obtrectatorum, quæ visa arcana probarit
Scripta Petrus, supero afflatu, ne fusa cremantur,
Morte secutura, juvans se pandere visa,
Quæque fidem faciens secreta ut detegit, efflat :
Post patris hæc obitum, vetitus vivente, revelans
Ut nive candidior capiti residere columba
Transparente monstrata styli terebramine velo
Mystica cœlorum dum colligit organa præco,
Ore trahens superi divina [illegible] nostri,
[illegible] reserat quæ Ezechielis operta.
Non illum mæror, non febribus ustus ardor,
Viscera vel concisa dolor, seu gressibus hærens,
Sollicitudo urbis, charorum cura clientum
Haud revocat cœptis, et corda et corpora curat,
[illegible] inopis horrore famis periisse putato
Flexit, ut exstinctum propria quem cæde necasset :
Undique collectis et quo succurrere possit,
Quinquaginta libris quondam [illegible],
Omni poscenti tribuebat, amore [illegible]
Nil [illegible] opum, probat id heremita [illegible]
[illegible], [illegible] hoc contentus, et [illegible]
Cetera despiciens, sortem promisse precatus,
Mercedis, cum Gregorio, cui gloria consors
Eligitur, nec magna putans qui prospera sæcli
Temperat, esse parem mundi splendore cluenti
Accipit hunc [illegible] melius tractare [illegible]
Nec sibi quam aliis tutari commoda vitæ
Quam solatricem sibi se defendere cattam.
Qui grates referens promissa impleri orat.
Et cum Gregorio [illegible] sibi donata ferri
Nec modo præsentes, procul hic quia nutrit egentes,
Monticolis notum Sinai quod rupe [illegible].
Oceano quoque divisis toto orbe Britannis
Anglorum dum mente capit gens pulchra [illegible]
Quæ conspecta foro texatur congrua regno,
Avellenda umbris, sacrandaque lumine lucis,
Educenda ira, [illegible].

A Atque Dei laudes cantu depromere digna,
Tendere quo gressum docte verbique minister
Approperat heri, populo retrahente moratus.
Stare locis [illegible] saliente locusta
Ast ubi posse referre [illegible] votis,
[illegible] legat [illegible] inculta colonos,
Expugnare feris [illegible] novalia sentis.
Cordis arare solum pepulit vomere linguæ,
Rura replere sati cumulando semine verbi,
Ipse quod emittit, pluresque referre manipulos
Ut valeat, studet hortatu, precibusque laborat.
Muneribusque juvat, miracula plura parentur
Legatis præstat, gentem cum principe salvat.
Unius atque parum regni curasse salutem;
Insuper augentur populi regesque propinqui;
B Barbara corda feras discunt deponere mentes :
Barbaraque ora Dei certant depromere laudes :
Sternitur Oceani pia sub vestigia fastus;
Indomiti ferro, miti sermone domantur;
Bellis intrepidi, metuunt per verba ligari;
Terrea despiciunt, cœlestia mentibus ardent :
Hujus quæ meritis clarescunt præstita Patris
Qui merito genti sancitur Apostolus illi.
Insuper et pueros ejusdem gentis abactos
Externis pretio redimens regionibus aptat
Ætherei totos fidei, superoque decori.
Sardiniæ quoque ruricolis errore vetusto
Dum volet involvi, pigra præsulis increpat ora.
Quod votis cessisse probans pia munera lucis.
C Proinde Hebræis rapiens ad cœlica donis
Ornatuque animæ decorans et vestibus ornans
Insuper et pueris heresis quos dira fovebat
Patris sollicitam satagit prætendere curam
Sentit et Hesperiæ rectoris tegmina tellus,
Ereptasque urbes recipit Romana potestas.
Laudibus hinc laudes cumulans centonis et instar
Carmina comprendens divina volumina cogit
Sacrorum, atque preces cumulans quo sacra gerantur
Insinuat voto, [illegible] mystica [illegible]
[illegible], atque oculis mysteria sanguine pandit
[illegible], [illegible] refert sacra carnea [illegible].
[illegible] docet [illegible] in carne [illegible],
Ac [illegible] converti in sanguine vinum;
Hæc carnis promens oculis ubi pectora firmat.
D In [illegible] divina lumina [illegible] :
Nec minus egregie palliorum prodita pannis :
Sanguine quos sacro secreto ac robore supplet.
Muneris et summi dono delegit opimo.
Ossa sanctorum poscentis pignora missis,
Quos temere inspectos nimis indigneque retectos
Ac nihili ductos patenti mente retrectat.
Atque preces geminans arcana stupenda revelat.
Dumque secat ferro, [illegible] dat fluxa cruoris.
Legatos stupidat, sternitque ad vota fideles.
Et prius erectos tribuit benedicere pronus
Ac laudare Deum tam diva insignia dantem.
Instruit hoc sacris inter libamina pallas
[illegible] Christi qui nomine [illegible].

Sic tecta sanctum virtute bibisse cruorem ;
Hosque aliosque replens fidei splendore videntes,
Certa rependit item signatis jam munera certis
Quæ dum gestantes Domino magnalia fantur,
Gaudia dant, desideriis qui dona verenti
Dona capit, comit, veneratur, adornat amore,
Magnaque ad hæc Christi miracula dantur honore.
His pollens opibus humiles Pater almus alebat
Exemplis, monitis, virtutibus, atque superba
Ore terens Domino substernere corda parabat
Experti sensere magi quibus urere visum
Magnifici sessoris equum Phlegetonte, subustis
Flagitii stimulis, lumen quos luminis actu
Deserit obstructos, proprioque furore petuntur
Salvo Patris equo, prudens quos censor abacta
Menti pernicie reddit, sed furva manere
Præcipit æternum, tenebras ne luce potiti
Assuetas repetant, puro quoque fonte piatis
Decernit geminum pietatis munere victum.
Mos equidem fuerat papæ mentis insitus almæ
Frangere crudeles, tutari prona sequentes
Dicta probat, probat elatus feritate tyrannus
Ruricolas ac rura terens quæ forte reperta
Primati subjecta Petri, monitusque beati
Legatosque Patris spernens popularier urbem ;
Currebat cui pastor oves tutamine servans,
Occurrit terrore premens : affamine sternit :
Accipit ille pio divum sermone vigorem,
A Menteque mutatus veniam mox subditus orat,
Subjectumque vovet famulum, sentitque benignum
Melliflua bonitate Patrem, spatiumque meretur
Tutoris precibus languore sub ultima versus,
Ad vitam viresque redit, vitæque tuendæ
Consilium suasit meliorque in cætera vivit.
Nec modo præsentes tanta pietate fruuntur ;
Tartareas longo tortus quin tempore in umbras
Insolitam Trajanus opem, mirabile dictu !
Gentili capit inflexi probitate patroni,
Quem votis redimit, lacrymarum flumine tingit,
Susceptasque preces discit non talia deinde
Præsumat visis superis et talibus audit.
Inclyta apostolicæ concinnans munera thecæ
Attollit, sacris delegat, cultibus ornat,
B Exturbans hereses harum loca crimine purgat,
Idque triumphantem gaudet vidisse Suburra.
Cujus nec tacitus templum occultusque relinquit
Spiritus egrediens irrumpente agmina porco,
Increpitant strepitus magno concussa fragore ;
Mœnia percurrens invitus deserit hostis.
Victoris sub honore polo velamine nubis
Admisso tegitur vernans divinius altar,
Nectaris Ecclesiam implet odor, vestigia terror
Arcet, et emisso resplendent cœlitus igne
Lampades insignique iterantur lumina flamma,
Restinctæque faces repetita luce coruscant.

CAPUT XV.

De miraculis ejus monasterii.

Hujus ad effigiem miracula diva patrantur,
Et candela poli nonnunquam accenditur igne,
Ejus cœnobii prælatus honore Joannes
Luxuriæ addictus vinclis dum sæva frequentat,
Tristi percutitur segnis languore podagræ ;
Qui medicinalis tormenti ardore subustus,
Dum desperatus crescente gravedine pestis,
Sordibus abscedit, castoque inservit honori,
Redditur aptatæ Domino parcente saluti :
Ille canis velut impurus, vomitumque resorbens,
Contemptum repetit morbi post tempora sævum,
Lubricaque, et luxua, et sordida crimina tractat,
Nec mora Gregorii seniori visio cuidam
Accedens, ipsa monitus dat nocte relapso,
Pœniteat, turpi convectos crimine census
Dispergat, mox luce dies quem tertia tollet.
Tum stupidum, tantique patris mandata paventem
Pœnituit facti, gazas qui spargere certans,
Correptus languore die per visa notato
Uritur ingentis violento torminis igne.
Oreque projiciens linguam suprema trahebat
Flamina ; custodes obeunti assistere dantur,
Atque sacerdotes Domino dare vota recedunt ;
Regressi post sacra stupent leniora ferente :
Nomen et inclamant, oculos mox evibrat ille
Subridendo quærens se vocibus exagitatum,
Judiciis Christi qui prima a luce diei
Astiterit certans cum perpetis hoste salutis.
C Omnibus objectus quoque quiverit orsa referre.
Andrææ cum Gregrorii solamine functus,
Mensurasque monasterii potusque cibique
Consuetæ pietatis opem solitasque lucernas
Altithroni ante pedum se cuncta tulisse scabellum.
Oppositorum unum tantum purgare nequisse,
Cesserit unde pudore actus, cruciamine tritus,
Prodere rem jussus vatem legasse patronum
Fatur Gregorium, nulli se pandere probrum
Functorum imo domos, meritumque resignat agentum,
Obtrectatores audisse per omnia fratres,
Judicio obstrictum sed famina reddere nulla
Se potuisse fatens, parcant obeuntibus ultra
Ferre cavilla quibus tam multa feruntur ad hoste
Et tam districti properant ad judicis ora
D Presbytero demum sibi qui suprema notarat
Pandere poscenti summi sibi crimen agonis,
Is caput avertens gemitu proclamat anhelo :
« Andræa, pereas isto miserabilis anno,
Qui me consilia in tam sæva pericla dedisti. »
Tum medicum vitæ spondentem lucra repellens,
Psallere deposcit fratres ut cernere possit
Quas prius angelicas conspexerat ipse catervas ;
Has contemplari sese, pallensque tremensque
Fratribus ut poterat signans, humana relinquit,
Magno dimittens monachos terrore subactos.
Ruris et Andræas conductor Barbiliani,
Ad vocem mox presbyteri maledicta ferentis,

Decidit in lectum, et longo languore solutus,
Carnibus exuitur; conjux languore gravata
Tabe viri absumpti, sed non efflare valentis,
Hortatur facinus quo sint tam dira revelet
Voce ingesta sibi prælati fata trahentis.

A Ast ubi confessus quædam nutrimenta tulisse
Christianum cum proposito pretioque dedisse
Indignis, retegit mox carcere, corpore texit,
Supplicii cunctis proprii lectumque prodens
Gregorii legum famuli quid ferre merentur.

CAPUT XVI.

De ministro qui ejus imminuit eleemosynam.

Hic etiam qui consuetas minuisse probatur
Dapsilis impensas inopum solamina patris,
Præmisso præcone caput mandata beati
Dara, dies sibi pro dempta pietate resectos;
Dumque fidem minus impendit pro tempore dictis,
Pariete flagrantem solus subito aspicit ignem,
Quem manibus tentans avertere, carpitur ipse:
Ardore interius febrisque calore voratur,
Atque gravi finem vitæ fervore capessit.

CAPUT XVII.

De monachis ipsius monasterii.

Templo Gregorius quo fundere vota solebat
Spiritus infestus celer, virtute fideli
Robusti ejicitur monachi, licet ictibus actus
Insomnis vani per visa minantia tela
Discere post bellii qui fluxæ pericula visus,
Accipit in visu patris mandata beati
Vivere si caret moriturus fata revelet;
Pandere promittit fungentum et nomina sumit;
Ore patris recipit digitos, quibus ut certe rupto
Exereat innatam dira putredine pestem
Moxque secuta salus mortis hunc finibus arcens
Aggregat hymnidicæ nullo sperante catervæ
Rem stupulis prodit dicta astruit ordo migrantum,
Præsul, nec non proditus, ut ultimus ædit:
Se quoque perventurum, languore sequente coactus,
Credere disponit proprie rem territus ædis

B Tumque monasterium ingrediens mutatur honore
Et monachi sumens habitum mundi abnegat actum
Andrææ tandem sese visente beato
Atque obitus horum patrio sermone notante,
Lætus obit, peragi sibi mox funebria poscens,
Luminibus latis dignis et odoribus auctis,
Ut sancti posceas Fabiani testa rependi.
Gregorium insano monachus pro fratre precatus,
Conspectus fugiente hominum, loca vasta terendo
Aspicit in visu dantem solamina patrem
Quod cernens lacrymis votum susceperit ejus,
Et sanum sibi germanum cum luce reducet,
Presbyter ut clausus venia resolutus abibit.
Crastina lux promissa probat mandante sacerdos
Lavatur papa fraterque reversus amanti,
C Redditur incolumis servitque manendo fidelis.

CAPUT XVIII.

De purificatione fundi ejusdem.

Spiritus hostilis prædictum Barbilianum
Vastabat fundum, simulatus stemmate tauri,
Noxius agricolis instans, ac fronte fatigans,
Custodesque, bovesque suis præsepibus arcens;
Dispersis aliis unus terrore balbutiens
Actus adit monachos trepidus, rem pandere gestit;
Inter et effandum, rustico sermone, recedit
Aufugiens, dominisque celer mirantibus exit.
Mane dein rediens pecudis se horrore fugatum
Infestantis ait tota discrimina nocte
Fervida se passum, mergi ut de ponte renutans,
Fugerit, atque aviis inter molimina prensis
Portarum claustris tutus sit præsule quodam.
Ipse quoque apparens eandem per visa suorum
Gregorius, ruri benedictam spargier undam
Præcipit, et facto labes invisa recessu,
Fines visa dein gyrare, intrare nec ausam.

CAPUT XIX.

De visione Tetgaudi episcopi.

Tetgaudus quidam præsul, privatus honore,
Romam adiens, hoc hospitium præbente subivit
Cœnobio, papa; cui somni pervia tradenti
Visus adesse pater, minitansque exire jussa
Exeat atque cito properans sua septa relinquat
Excutitur stratis, orat, phantasmata ratur,
Atque iterum dormit; rursus pater imminet astans,
Pontificali habitu: « Nostris discedere claustris
Non (inquit) jussi domino quæ dote dicavi
Principis Andreæ quæ diversoria solum? »

D Ille ferens a pontifice hæc sibi jura manendi
Cessa, capit mulctam Christo plectente sub ipso
Sumpturos tam qui petiit, quam qui dedit annos.
Intremit evigilans, facta prece, reddere somno
Se tentat, sonitumque repente capit subeuntum
Limina, valde pavens fingitque sopore gravatum
Ingrediens ita Gregorius, dexteramque tenendo
Andrææ, appropians latori luminis inquit
« Corripe prostratum. » Correptus at ille resedit:
« Aspice nos (sanctus trepido), quia bis mea dicta

Temnens, hunc Domum procerem deducere cogis.
Si mox abscedas hodie, privabere vita
Instante hebdomada sociis simul omnibus auctis.
At si jussa sequens pares, evadere pœnas
Nunc poteris subitas; neque tu neque quis tamen horum
A Degentum hoc tecum, jam rura paterna revisel. »
Proripit hinc se mox stratis, ac visa revelat,
Egreditur septis; complentur famina factis;
Hospitii nam jure carens, adlensque Sabino,
Cum comitatu ipso vita privatur in anno.

CAPUT XX.

De eo qui meretrices monasterio ipsius introduxit

Sic etiam meruit sentire domesticus ille
Supponis pœnam, qui claustra recludere scortis
Non timuit cui suspenso spiramine diro
Gregorius visus: « Mala non tibi cætera (dixit
Sufficiunt, inimice Dei, quæ plurima nostris
Gessistis septis? Meretrices insuper istuc
Introferre ausus fluxæ seu ludicra scenæ,
Crede mihi idcirco præsente peribis in anno. »
Qui se promittens sceleratos ponere mores,
Deponi reddique solo mandatur ab alto.
At quia dissimulat pravos componere sensus,
B Perditione sua vatis probat edita vera

CAPUT XXI.

De visione sancti Andreæ.

Nec minus ejusdem sensit Supponis alumnus
Ille necem quo direpta est domus apta cubandi,
Qui sibi nocte senem visum et se discutientem
Increpitans, fatuumque vocans moderamine virgæ
Leniter attactus, telluri sternitur imæ;
Moxque senem quidam per somnia clericus ipsum
Aspiciens audit, surgat, comitique revelet,
Exeat ut claustris, sese nec provocet iræ
Sanus ut ire queat, famulumque resumere cæsum
Quærenti quis sic sub imagine posse renosci,
Asserit afflicte, intuitus quam lumine sumpto
Comperit Anoream sanctum sibi jussa dedisse.
Signatoque loco prostratum ultore superbum
Semianimem inveniens, clamoribus acciet omnes.
Ac sub apostolico dat nomine famina fuso,
Hocque sibi juncto pandit mandata patrono,
Ille vocans monachos culpæ de crimine quærit,
Hujus et hortatu convulsam percipit ædem
Abscedens restaurari jubet amplius illuc
Hospitio non præsumens divertere sumpto,
Domatis at vulsor letho procumbit amaro.

CAPUT XXII.

De eo qui fontem ipsius inquinavit.

Presbyter ille etiam claustro prælatus eidem
Qui fontem retegens scorto fabricare lacunam
Infelix non erubuit furvumque paravit,
Ultricem vitare manum non posse probavit;
Terribilem quem prostibulo traxere ministri
Pontificis jussu Romani talia fantes
Se gerere, attonito papam nec adesse querenti
Pandunt Gregorium quem læsit fonte retecto
Actibus indignis, auditque jubere rubricis
Se centum cædi, quarum cruciatus acerbis
Verberibus, febriumque calens angore citatus
C Æger equo impositus septis redhibetur anhelus;
Indicat admissum, pœna laniatur aperta;
Inter et assiduæ pestis cruciamina sexto
Jam prolata die tandem miserabilis efflat;
Multisque expertum documentis tabe subactos
Polluti sceleris non longum his vivere claustris.
Fertur adhuc istic libra, et mensura beati
Servari patris, attentet si quilibet ex hoc
Externum nitens in opus componere panes.
Ad numerum non perveniet servire suetum,
Mensis qui superare solet mirante ministro.

CAPUT XXIII.

De visione Joannis levitæ.

Talia dum serit historiæ levita Joannes
Ecce sacerdotis quemdam sub imagine somnis
Stare cachinnantem cernit, cur scribat eorum
Acta solutorum, quorum non viderit ora?
Iste refert sese fidentius edere vera,
Quod nec blanditiis nec sit livoribus actus
Ignotum facie lectu describere notum;
Ille fremens et quod valeat hostile minatus
Usibus istius partam servire lucernam
Pressit, et in tenebris hunc atque pavore coegit.
D Mortis et ancipiti posito nutamine sanctus
Visus Gregorius, stipatus utrinque beatis,
Dextrorsum, papa Nicolao, almoque ministro
Lævorsum, Petro, radiatus lumine multo,
Increpitans: « Modicæ fidei quare dubitasti? »
Hostem papa notat digito Nicolaus apertum,
Quem face Gregorius lata comitante ministro
Infuscans perhibet non hunc nigrasse, sed atrum
Ostendisse, levansque sibi solamine fidum,
Abscedit magnoque locum dat lumine plenum.

Evigilans visit pueros erat ante jacentes
Nec valet erigere stratis licet orsa secundis
A Dum lux æthereas dimissa refluxit in auras.

CAPUT XXIV.

De visione Mauritii imperatoris.

Mauritio imperatori perversa sequenti
Legibus athletasque suos mutare vetanti
Militiam Christo, cohibens animo obstitit alto
Indignans divina sibi decreta minanti,
Rex in pontificem tractat versare furorem;
Cum subito monachus quidam venerandus amictu
Nudum deportans gladium gladio periturum
Prodit Mauritium; liberato sensibus ille
Prodigio precibus terrores vertit et acta
Prava sibi reddi præsenti poscit in ævo
Termine, quo careat pœna sine fine futura
Talia Gregorio patribusque precamina multis
Allegans, augens lacrymis quoque vota profusis.
Nec mora concutitur visis stupet ære rigenti
Fixe præ foribus statuæ se assistere Christi,
Vocis ad effigiem date Mauricium aure fragorem
Percepisse pavens, raptus propiusque ministris
Exhibitus, capit arbitrio deliberet ipse,
Probra sibi præponat, ubi male gesta rependi
Eligit hic in præsenti terrore futuri
Mox tradi jussus cum prole et conjuge Phocæ
De grege militiæ, sumitque oracula sanctis
Diva viris, concessa sibi pia dona salutis
Naufragio doxæ tamen et discrimine vitæ
Glorificat Dominum, grata sub lege tyrannus
B Et subit illatam divino numine mulctam

CAPUT XXV.

De humilitate ipsius sancti Gregorii.

Hæc pater indignum se visibus asserit altis,
Et se dejiciens superari hic sanctis
Commemorat, prosternenti sese sibi per se
Joanni astratus jacuit, dum surgeret ille,
Dicta sua extenuans ad patris larga profata
Magni Augustini, vocitat purgamina farris,
Ac vetat ipsa legi præsens dum corpore vivit.
Sumpserat hic sancti Joannis præsule quodam
Tradente oblatam summo pro munere vestem,
Paschasii cum dalmatica, quæ illata sub ara
Servatur, pluviam optatam quoque prodita prodit;
Et simul excussæ densant, redduntve serenum;
Lampades accensæ crebro divinitus illic;
Cœlica dona Dei cumulatum et pandit olivum.
Has inter pietatis opes, cœlestia mactus
Flamine regna petit, quæsitaque præmia sumit,
Sidereo mutans humanum culmine culmen,
Romulidas ope qua fovit bonitatis alumnos
Desertorum inopes clamant solamine voces:
Successoris opus, solida obtrectatio papæ,
Livoris rigidi monitu correptio crebro
C Lata, probri finis, querulæ tutela catervæ.

CAPUT XXVI.

De successoribus beati Gregorii.

Gregorianæ qua vigebat gloriæ
Sabinianum testis est decessio,
Ignita quamvis addat aulæ lumina,
Foroque farra det famis sub tempore
Secutus istum promonet Bonifacius,
Nec efferenti jura cedens gratiæ.
Arcem retentat ac favorem principis
Una meretur, et statuta prærogat
Ut præsulatus sacra fiat aptio
Successor hujus sorte, jure et nominis
Variis licet gravetur actus cladibus,
Ornare sed legata sedat munia.
Summamque Christi prædicare gloriam,
Hostis profani dissipare insaniam
Fanum unde cuncta quod tenere numina
Stulti putarunt obtinens, eliminat
Portenta divum, sacrat almam regiam
Rectoris æthræ matris atque virginis,
Addens honorem testium Christi omnium;
Hunc festa sancit, et colenda præcipit,
Sectatur orbis, atque ritum suscipit
Secutus ille colle Gregorius pio.
Propriam catervæ gaudet ædem pauperum
Decare, Christi dote ditans ubere.

CAPUT XXVII.

De sanctis Deusdedit, Bonifacio et Honorio episcopis.

Jura Deusdedit inde Patrum subit alma priorum,
Sacrorum clerique altor, revocator, amator.
Dispositor, pax Italiæ quo tempore vernat
Quæ, ne securam nimium pigra otia mergant
Terretur trepido terræ vibrante tremore;
Afficitur vulgus clade impediente vocales
D Patre obeunte sogæ, clero stipendia dantur
Hinc plus ac mitis Moyses laude notatus,
Eligitur sacris princeps Bonifacius aris,
Tutor testamentorum, vel templa petentum
Pignora sanctorum levat, atque baptisma dicatum
Erigit, obsequiis digno disponit honore.

Busta ornat, cleroque stipem dependit opimam :
Supplicium reprobos sequitur, victoria justos.
Consule qui surgit patre præsul Honorius actis
Pluribus effulget claris, doctorque benignus
Resplendet cleri, reparatque colitque decorem
Sedis apostolicæ, argento sacra donata comit,
Attollitque trabes, templum tegit ære petito,
A Edit præterea partes, stabilitque labantes,
Nonnullas pastorum reparatque et renovat ædes.
Dona donis dicat, consolat, largitur et offert.
Sabbata cœlestis sacrat prece, carmine, laudibus
[effert.
Hinc numerosa polis bona centuplicata recepta.

CAPUT XXVIII.

De sancto Severino papa et successoribus ejus.

Inde Severinus Phœbo per signa relato
Ecclesiæ post jacturas internaque bella,
Sede Petri allectus renovat sacra lapsa ruinis,
Mansuetus, clemens altorque benignus egentum,
Dona pio cumulat clero, conquirit alumnos ;
Post captivorum miseranti corde redemptor,
Externas quoque alit patrias bonitate Joannes
Istria quæ novit, Martino abbate, sequestro,
Dalmatiam tutans etiam clementia papæ,
Hinc grata mercede capit pia pignora Patrum,
Excolit hæc fabricis, præclare et luce metalli
Subjectosque fovet præsensque, migransque mi-
[nistros.
Theodorus pius inde pater, tutorque petentum,
Civiles inter fremitus, privataque bella
Permanet immotus, constans, castus atque fidelis,
Dejectis parcens, complectens recta sequentes ;
Debellans damnansque feros et ad atra relapsos,
Errantes revocans, precibusque minisque coercens
Contemptum feriens et colla procacia mulctans.
Pignora sancta levat, veneransque educit arenis,
Disponit templis, auro argentoque decorat,
Erigit atque dicat, fabricas dat munere claras.
Hinc validus veri testis Martinus honorem
Supplet apostolicum, dignoque agit agmine bella.
Tentatus probris Domini, fastuque superbo,
Atque tumore lacessitus, quo scita paterna
Vulsa, furor sacras Christo conversus in aras,
Diruit, alma piam vertens altaria pacem ;
Coguntur super his patres, divoque senatu
Consulitur, verum excutitur, plectuntur iniqui.
Præsidiisque ignes contra defenditur orbis
Et clypeis diversa datis per climata mundi.
B Increscunt et jam adversæ contraria partis
Prælia, regnatorque sacri ducis impetit arcem :
Mittitur exarchus socios laqueare fideles,
Atque tenere patrem ; vetat hoc concordia fratrum
Unanimum, plebisque amor : hinc quoque fraude
[potitus,
Tutatur sacræ tectus caligine nubis,
Cum videat reliquos solum spectare satelles
Non valet eximium, quem cogitat ense necandum,
Frustatis necis insidiis, componere pacem
Cogitur instructor fraudis confusus apertæ,
Turbine bellorum quo post, mortisque redacto,
Dirigitur trucior manifesto jussa furore
Quin implet, apostolicumque viri proculcat honorem:
Huncque aris adimens, Graias perducit in urbes.
Segregat urbe data, nequit sed mente beata ;
Depellit solio, valet haud depellere voto :
Romæ et Constantinopoli manet arbiter idem,
Clementisque pie vestigia sancta secutus.
Chersones subit exilium ; quo sidera nacto,
Quam fidus rigido, quam sit pius usus agone
Confessor, Christoque placens, et ad ultima per-
[stans.
Plurima signorum radiis miracula pandunt.

CAPUT XXIX.

De sancto Eugenio papa.

Eugenius quem prodiderant cunabula sacris,
Tranquillus mitisque nitet, fatuque benignus,
Dapsilis indiguis, sanctus probitate, venustus
D Cleri altor, justi cultor, pietatis amator,
Semper fucorum cum plebe canente refutat.

CAPUT XXX.

De sanctis Vitaliano et Adeodato episcopis.

Vitalianus cultor almæ regulæ
Responsa legans sedis urbi regiæ
Reparat sacrorum prisca privilegia,
Et dona Petro diriguntur aurea ;
Romæ receptum ad sacra ductat Cæsarem,
Vigensque digno sanctitatis munere,
Superna claro scandet auctus culmine.
Succedit almus Adeodatus pater,
Cunctis benignus, mansuetus omnibus
Fovens egenos, commodus, præstabilis
Hoc bella cœpta reprimuntur præsule,
Surgunt tyranni, diruuntur ocius,
Rebellionum barbaris urbs traditur.
Restaurat iste dedicatque fabricas
Actas ruina, destinatque milites
Castris polorum providetque commoda.
Decessione cujus orti turbines
Crepitusque cœli tanta totque fulmina

Stupefacta tot non ante visis territa,
Ruens gregatim obiverit mortalitas
Pecudes, simulque humana lapsa corpora
Precibus profusis, dum quiescit ultio,
Recidiva miro colliguntur ordine,
Sidus refulgens ardet alto vertice,
Secuta plures pestis aufert funere
Dum domus optionis instat tædere,
Templi meatum qui decorat marmore,
Reformat atque largus ædes ordinem
Auget sacrorum, spargit atros, congregat
Prudens benignos ac Ravenna colligit.

CAPITULA LIBRI UNDECIMI.

I. — *De sanctis Agathone, Leone et Benedicto episcopis.*
II. — *De quinto Joanne Conone ac cæteris.*
III. — *De sexto Joanne et successoribus ejus.*
IV. — *De Constantino papa.*
V. — *De secundo Gregorio papa et Bonifacio doctore et martyre.*
VI. — *De Zacharia papa.*
VII. — *De secundo Stephano papa.*
VIII. — *De tertio Stephano papa.*
IX. — *De Adriano papa.*
X. — *De tertio Leone papa.*
XI. — *De Paschali papa.*
XII. — *De sancto Eugenio secundo et Sergio papa.*

CAPITULA LIBRI DUODECIMI.

I. — *De quarto Leone papa et Benedicto.*
II. — *De sancto Nicolao papa, et Benedicto papa, Joanne quoque Ravennate.*
III. — *De secundo Adriano papa, et Hincmaro præsule nostro rege quoque Carolo.*
IV. — *De tertio Adriano papa, et Fulcone nostro præsule Carolo quoque Augusto.*
V. — *De Stephano papa, et Formoso translatione quoque sancti Calisti ad nostram urbem.*
VI. — *De Bonifacio papa et sexto Stephano, Theodoro quoque papa.*
VII. — *De nono Joanne, sanctis quoque Sergio, Benedicto atque Christophoro.*

CAPITULA LIBRI DECIMI TERTII.

I. — *De sanctis Theodoro, Acontio, Servulo et Januario.*
II. — *De sanctis Deusdedit, Victoriano, Anastasio, Redempta, Galla, Romula et Musa.*
III. — *De sanctis diversorum locorum Italiæ, Honorato, Libertino et cæteris.*
IV. — *De sanctis Equitio, Constantio, Marcellino Nonnoso et Bonifacio.*
V. — *De sancto Fortunato episcopo.*
VI. — *De sanctis Martyrio et Severo.*
VII. — *De sacerdote qui defunctus furem vinxit sepulcro.*
VIII. — *De sancto Benedicto et miraculis ejus.*
IX. — *De sancto Paulino.*
X. — *De sancto Datio episcopo.*
XI. — *De sancto Frigdiano.*
XII. — *De sancto Populonio.*
XIII. — *De sancto Herculano.*
XIV. — *De sancto Isaac monacho.*
XV. — *De sanctis Florentio et Euticio.*
XVI. — *De sancto Martino.*
XVII. — *De monacho nomine Quadragesimo.*
XVIII. — *De Benedicto monacho et Mena.*
XIX. — *De quadraginta rusticis et eis qui caput capræ noluerunt adorare.*
XX. — *De sanctis Acontio et Florido.*
XXI. — *De Sanctulo.*
XXII. — *De sanctis Speciosio et Gregorio fratribus, sanctoque Spe.*
XXIII. — *De quodam presbytero Nursiæ et Probo episcopo, Stephano quoque abbate.*
XXIV. — *De duobus monachis Valentionis abbatis, et sancto Surano atque diacono quodam.*
XXV. — *De sanctis Mellito, Theophanio et Petro.*
XXVI. — *De sanctis Severo et [illegible], cæterisque Ravennæ martyribus.*
XXVII. — *De sancto Germano Autissiodorensi episcopo.*
XXVIII. — *De sanctis Theodoro, Donato, Secundiano et Romulo.*
XXIX. — *De sanctis Hermagora et Fortunato.*
XXX. — *De sanctis Cantio, Cantiano, Cantianilla et Probo.*

CAPITULA LIBRI DECIMI QUARTI.

I. — *De sancto Michaele archangelo.*
II. — *De sanctis Aristono, Justo, et sociis eorum.*
III. — *De sanctis Prisco, Antonino, Aristeo atque Paulino.*
IV. — *De sancto Juliano.*
V. — *De Spoletana sancti Pauli ecclesia.*
VI. — *De Eleutherio martyre.*
VII. — *De sancto Jovino confessore.*
VIII. — *De sancto Cassiano martyre.*
IX. — *De sanctis Syro Juventio martyribus.*
X. — *De sanctis Martino et Augustino episcopis.*
XI. — *De ecclesia sancti Zenonis Veronensi.*

INCIPIT LIBER UNDECIMUS

CAPUT PRIMUM.

De sanctis Agathone, Leone et Benedicto episcopis

Hinc læti surgunt Agathonis tempora patris,
Mœsta quidem Phœbes pallore obituque Quiritum.
Læta sed Ecclesiæ pace abjectuque ferorum.
Dum reges patresque Petri consortia sedis
Exposcunt, hilarans legatis Roma sororem
Imbuit, et consanguineos sibi nectit alumnos
Seductorem abjicit, primam pietate cathedram
Illustrat Petri, telisque expurgat apertam ;
Imbre venenifero turgens quæ nevit Arachne,
Abradit reprobos, apto colit ordine dignos.
Junior inde Leo Graio Latioque lepore
Cultus, et organicis assuetus voce choreis
Plebem ad celsa vocat, concessa ad lucra talenta
Spargit, largus inops, inopumque piissimus altor.
A Sextæ scita probat synodi, damnatque rebelles,
Subjectos refovet, sedis pia jura receptat,
Paulo templa dicat, donis et cultibus ornat,
Deliquium lunæ sequitur decessio papæ.
Instructus sacris Benedictus sacra secundus
Jura capit, divo sophiæ qui fonte redundans,
Ore manuque dati munus cognominis implet,
Regminis et dignus larga bonitate renidet :
Mansuetus, patiens, pronæ virtutis amator.
Templorum reparat lapsus, dependit amictus.
Multiplicat cultus, attollit munere census,
Cæsareo florent pariter pater urbsque favore :
Signa polo rutilant Bebiique incendia flagrant ;
Mactus honore sacer regni fastigia captat.

CAPUT II.

De quinto Joanne, Conone ac cæteris.

Stirpe Syra veniens, quintus Romana Joannes
Culmina sortitur, generalis fœdere voti
Strenuus et doctus, moderata et mente serenus,
Quique vices sedis, Græcis, libaverat hujus,
Concilio patrum pietate jugaverat urbes,
Pace nitet patriæ : priscis dum punica regna
Redduntur Dominus, gentes sub pace residunt,
Firmantur sacrata patrum consulta priorum ;
Sanctorum turmæ solantur munere dite ;
Scinditur exemplo hoc cœtus diversa petentum.
Nec parti pars obsequitur, nec bella facessunt,
Donec angelicum cleri decreta Cononem
Attollunt, optantque virum per cuncta probatum,
Relligionis opus perfecto corde secutum.
Ilicet in laudem istius cum plebe Quirites
Dum coeunt digne, scandit sublimia dignus
Regia dona pius caput Augustique favorem,
Et licet ægrotus cœlestia munia tractat.
Nec longum emerito requies collata labori,
Plebs iterum in duo dividitur, nec jungere dextras
Diversis potis est, donec, miserante superno
Numine, præligitur sedatis Sergius armis,
Litigiis divisa tamen cui vota relictis,
Solus qui rigida, ac versuta mente renitens
Insidiis nocuit, furtim dispendia finxit,
Se miser evertit, quavis se fraude subegit
B Clancula quem post auguria, et cantamina tollunt.
Præsul ab incepta studiis qui creverat altis
Cleri militia, gradibusque ad summa vocatus
Subierat, votisque piorum ad singula fusis
Pignora floruerat, virtute et culmine floret ;
Nec cedit sceptris, nec jussa profana veretur.
Immotus perstans, abduci sede jubetur ;
At Petri auxilio pollens, et amore Quiritum,
Servatur cathedræ, servatque satellitis hostis
Propitius vitam, probris qui pellitur urbe :
Rex etiam regno, pia plebs ita pace potitur.
Munera diva crucis secretis abdita thecis
Huic Domino retegente patent, venerantur honore,
Deinde pio sacrisque coluntur tempore fixo.
Hic pater insignes renovat conditque decoris
Egregii fabricas, sacrorum percolit ædes,
C Cultus instituit. pretiosa monilia cudit ;
Ossa patris monitus levat attollitque Leonis,
Apparat ornatus dignos, agit ordine ritus ;
Multiplicatque preces cumulatque et destinat hymnos.
Erratus Aquileiensis discrimina plebis
Corrigit ; absolvit, sanat, disponit, adunat,
Pacificatque greges, unique reducit ovili,
Supremo fert pastori pastorque renidet
Conspicuus, doctisque urbes pastoribus ornat.

CAPUT III.

De sexto Joanne et successoribus ejus.

Sextus ab hinc Græcus sequitur de gente Joannes
Liberat exarchum mediumque furentibus infert
Se turmis, prohibetque ferum sedatque tumultum;
Barbariem posthac abigit aliisque receptat
Muneribus captos, patriisque serena reformat,
Templa pius veneranda colit, clerum ordine comit.
Nominis ipsius Græca quoque stirpe sacerdos
Succedens doctus, satisque lepore disertus,
A Parietibus decus instaurat, pia busta venustat,
Nobilitat formis, vasis sacra ditat et auro,
Jacturas Ecclesiæ reparat, et rapta receptat,
Pœnitet erroris regem recipitque decorem;
Quo patre percepto oritur Sisinnius aris,
Monte ac carne gravis, studiosus mœnibus urbis,
Nec mora languoris fastus quoque pondera ponit.

CAPUT IV.

De Constantino papa.

Mitia corda gerens hinc Constantinus honorem
Suscipit hos, nunc mœsta subit, nunc læta resumit.
Servitiumque famis fœcunda tempora purgant;
Temptores patris multa patiuntur amara.
Quod notat ambobus a Hyrsensis cœlo caria.
Parens imperiis pater Atticæ mœnia regis
Sanctorum comitante petit per carmina cœtu;
Ipse etiam ingresso dum vir clarissimus ægris
Occurrit vix subsistens ad mœnia membris,
Robora læta capit, gaudetque repente medela.
Theodorus, viso sacrorum principe, sumpta.
Hinc jam proceres impendia digna Pelasgi
Papæ dependunt, et sic obvia culmina currunt.
Attollunt, capiunt, gaudent, venerantur, honorant;
B Cæsar et ipse caput, regno redimitus, adorat;
Inter et amplexus celebres festa agmina plaudunt;
Fertur honos cœlo, dantur pia munera Christo
Jura reformantur, delicti culpa piatur.
Lætus et angoris supero solamine liber,
Præcipuæ sedis repetit fastigia præsul;
Inde nec infandos apices, nec sceptra cruenta,
Seu monitus captat, nec regna minuela curat:
Errantes revocat, redeuntes pace serenat;
Transmittit Domino gentilia regmina summo;
Subjectos vegetat, civilia prælia sedat,
Vasa dicata novat, reparata audire meretur
Culmina, pacificis gaudet cessisse Tonanti
Imperii regimen, rectos subiisse decorem.

Quæ sequuntur, abhinc usque ad initium libri tertii decimi, col. 823, edidit Mabillonius in Actis SS. ord. S. Bened. III, 569.

CAPUT V.

De secundo Gregorio papa et Bonifacio doctore ac martyre.

Gregorius post hæc sumit sacra jura secundus,
Vir celebris, doctus sensu facundus et ore;
Jam pridem imperio notus, jam dogmate clarus,
Corde pio pendens, virtutis robore constans,
Hostis discrepantum, defensor recta sequentum;
Interiora studens, sed non externa relinquens
Mœnia qui aggrediens urbis reparare, coquendis
Calcibus insistit, trabibusque labore petitis [139],
Basilicam Pauli renovat, restaurat et aram,
Et consternata, relevat prolabentque ruinas
Templorum plures, lapsumque redonat honorem,
Sanctorum turmas [140] revocat, cum agmina cogit.
Germanas vocat et tenebris ad lumina gentes,
Quis præsul verbique sator Bonifacius almi
Dirigitur, mortisque novo sole fugat umbram.
Gallorum Ecclesias pietatis luce venustat
Rhemensem, et digmas [141] quas censet fascibus ornat.
Martyrioque auctus, virtutis agone coruscat.
Primitus egenis Germana ab origine princeps [142]
Culmen apostolicum petit, et sacra limina Petri.
C Pontificis monitis summi exhortante tyrannum [143]
Præstita firmantur primæ patrimonia sedi.
Civiles strepitus urgentiaque extera bella
Cynthia terrifico præmonstrat tincta cruore.
Scinditur imperium [144], rectus præfertur iniquo;
Belligeræque manus fuso agmine sanior exit
Pars victrix; pacis veneranda insignia [145] surgunt,
Priscorumque fides celebri decoratur honore.
Tibridis horrificis ripas superantibus undis,
Frugiferas circum glebas fervus occupat creber,
Pervaditque vias, hortos, munimina, villas;
Evertitque casas, terretque abigitque colonos;
Arbusta ac segetes; rapit altæ mœnia Romæ
Inde subit vallum, et muros transcendit, et ipsas
D Lymphans lympha tenet fluctu bacchante plateas
Non illis agros licitum exercere diebus
Agricolis, infausta ferunt mœsta agmina festa [146]
Papa gravi motus querularum murmure vocum
Insistit precibus, legatque ad sidera vota.
Nec cœptis animum removet certamine victum,

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII *.

[139] E Calabria. [140] Religiosorum congregationes. [141] Treverensem et Rotomagensem. [142] Teuto dux Bojoariorum. [143] Regum Langobardorum. [144] per Anastasium et Theodorum. [145] imagines. [146] otia.

* Typothetarum oscitantia glossa marginalis quæ ordine primum locum tenere deberet, centesimum trigesimum nonum præsefert numerum.

Dum cogit proprius Tiberim se reddere metis.
Increpitat Bardos, feri pectora munere et ore
Demulcens, mites consultibus et prece servans
Imbuit, ædificat ; hujusque opera apta [147] receptant.
Surreptorum aufert opus [148] ; fraus fraude labascit
Externos etiam benedictio lata [149] triumphos
Concelebrat papæ, victores spongia [150] Francos
Dum reddens Agarenorum tutatur ab armis,
Participes ferri neque læsos vulnere tantum,
Prostratis tali vacuis pro tegmine paucis,
Constantinopolim longa obsidione gravatam
Hæc fera barbaries belloque fameque repressa,
Incœptis obstante Deo confusa, reliquit.
Concilium crudele calet, dolus in nece Patris [151]
Cuditur; imperii mox hostibus oppida cedunt.
Proditur impietas, plectuntur numine summo
Participes, laqueisque suis foveaque parata
Captantur, feritasque in vertice versa furorum est.
Ecclesiam spoliari opibus protectio papæ
Impedit : unde iterum primatum fraude petitus
Eripitur, Christique immunem dextra tuetur.
Nec toties fraus victa silet : sumuntur in ipsum
Arma Deum, decorisque jubetur Iconia prisci
Vastari, quacunque [152] notat pictura triumphos
Augusto faveat præsul, vel gratus amore
Decidat, aut gradibus celsoque recedat honore.
Rejicit, expugnat, temnitque profana sacerdos,
Intrepidusque manet ferventibus undique telis.
Hæret pastori grex impia jussa refutans,
Fortiter et vita pro præsulis atque salute
Decertans ; error damnatur : ponere regem
Papa vetat, bonitate ratus scelera improba verti.
Sternuntur seductores, abiguntur iniqui.
Consilium ferale, Dei moderamine cassum
Destruitur, sed fraude ferum [153] clementia Patris
Protegit, atque sacerdoti suffragia crescunt ;
Barbaricamque [154] manum jungit sibi Roma sodalem,
Auxilioque Patris vitæ discrimina prodit.
Præsul at egregius potiora levamina quærens,
Prodiga pauperibus largitur dona patronis,
Incumbens precibus, votis et sedulus instans.
Nec durus populo, grates dependit amori,
Hortaturque piis fidos persistere cœptis.
Sic sibi, sic Domino servabat corda suorum.
Tum Sutrinse doli captum per retia castrum
Assiduis papæ monitis scriptisque benignis
Redditur, atque Petri Paulique offertur honori.
Primatum diram feritatis fœdere fraudem
Luciferum [155] capimus flammis signasse cometam
Consultum crudele subit, Romamque ducesque
Barbaricæ subici manui ; tradatur iniquis
Justus, in insontem sontes grassentur honorem,
A Consilii pars impletur, capiendaque restat
Roma, sacer dum se solum pro civibus offert,
Præsidioque hærens superno, regem petit hostem,
Quærentique nec dare se conspectibus infert,
Quem Christo moderante piis affatibus urgens,
Emollit fera corda vigens pietate benigna
Sternit, et exsultat vestigia sacra tyrannum
Austeræ posito mentis petiisse tumore [156] ;
Promisisse gregi nil se latum ire sinistri,
Regalesque Petri cultus cessisse decori ;
Dimisso suplicasse humilem diademate regem.
Obtinet inde petens recipi rex præsulis hostem
Accipit exarchum Pater, infensumque tuetur ;
Eripit adversis, fulcris solatur amicis,
Servat consiliis, regit exornatque triumphis.
B Cæsaris ingrati fraudes sub funere papæ
In patulum veniunt, qui stemmata [157] ducta figuris
Palmarum [158] Christi fuscare, vel ignibus atris
Obruere insistens, punit defendere nisos :
Pontificemque pium Germanum assensa jugare [159]
Vitantem, sacris abicit, sociumque furoris
Aris adsciscit. Quem scriptis arguit urgens
Præsul apostolicus, nec deterrere procacem
Absistit [160] : sit, ni redeat, pellendus honore.
Nec silet Augusto, facinusque remittere suadet
Inclyta præterea Patris hujus tradita gesta
Templa Dei circa, cultumque operamque sacrorum.
Ille monasteriis cœtus legesque relictas
Restituit, ponens proprio nova castra [161] paratu.
C Maternamque domum divinis ritibus aptat,
Et facit hæredes cœli in patrimonia cives
Ornatus adhibet, gemmis sacra vasa decorat :
Pauperibus largitur opes. Subit æthera dives :
Tristitiam terris migrans, dat gaudia cœlis.

De Gregorio papa tertio

Culminis hunc sequitur virtutum et nominis hæres :
Mansuetus, sapiens, divina lege renidens ;
Laudibus expertus, sensusque nitore politus :
Hortator cultorque boni, tutorque fidei ;
Prodigus indignis, et paupertatis amicus ;
Captivorum emptor, pupillorum bonus altor ;
Relligionis, amore vigens, pia pectora solans.
Insistens Patris exsequiis de funere raptus
Eximitur, lectusque ad regmina summa vocatur.
D Admonet increpitans reges in signa [162] salutis
Crudeles, pavidum monitusque efferre verentem
Legatum censens, opus integra, improba damnat
Imperia, Ecclesiæque monilia rite tuetur,
Quæ scriptis monitisque jubet veneranda reponi.
Arguit hinc proceres iterum crebroque monendo.
Nec legatorum pedicis quit mens sacra Patris
Averti, penetrant dum scripta palatia, reges

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

147 castellum a Langobardis pervasum Romani recipiunt 148 *id est* dolosorum frustatur fructum. 149 collata. 150 Spongia qua mensa pontificis tegebatur, missa duci Francorum pro benedictione, distributa exercitui, qui victor factus est. 151 papæ. 152 ubicunque signat victorias Christi martyrumque. 153 Eutychium patricium 154 Langobardorum 155 quia lucifer versus est in cometam ; non est proprium alicui stellæ esse cometam, sed diversæ stellæ solent in cometas converti *sic. ms.* 156 ad pedes corruisse. 157 imagines. 158 victoriarum. 159 jungere. 160 cessat. 161 monasterium Sanctæ Agathæ. 162 imagines,

Jamque captantem [163] Levare momentia sontem
Deprimit Augustis, dat Christi insignia signis.
Cœpit ecclesiæ sponsœ, cultumque decoris
Augens, admittit pastorum pignora [164] toto
Orbe petita soli, meritos decernit honores.
Continuasque preces grata et præconia fundi
Aggregat in plenum cœlestia munia turmas:
Instaurans rutilis ditat sacraria donis,
Ornat cultum, quæ implorena lapsa reformat.
Dilatans fabricas, largo locupletat honore.

Civibus auxilium Domini ac suffragia regis
Providet humeri, Francorumque advocat aulam
Mœnia restaurat, totamque præparat urbi
Bella premit sedans animos, pace, munere mulcet
Ecclesiæ compage ligat titubantia membra.
Sic bene dispositus directo tramite rebus,
Internis atque externis moderamine comptis,
Instructisque poli castris [165] ac lumine cultis,
Emeritus petit æternam post bella quietem.

CAPUT VI

De Zacharia papa.

Zacharias sanctus sanctum, notisque benignum,
Clementem sequitur clemens, et parcere promptus,
Irasci tardus, sævis pia reddere suetus
Et gentibus pater amplectens, magnusque, sacrosque,
Pontifices trepidans animam, sese hostibus offert.
Miscuit turbas, premit enses, rapta receptat:
Victos eripiens, Inimicos [166] pace serenat.
A quibus obsequium sumens, victorque regressus
Lætificat plebem, Christoque rependit honorem
Mollibus ubi iterum credis dirosque furore,
Barbaricis animis in tristia bella relapsis,
Pervalidum petitur, servandis currere gnatos [167]
Nec remorator iners: legatis munere pacem
Procurat, non obtenta Christo urbe relicta
Pacis alumnus, patriæ fidens orator et altor
Præmittit socios, propero quos calle secutus
Excipitur pompis regali culmine latis.
Turgida divino charismate pectora sedans,
Quæ sitis gaudet, religiosa luce venustat,
Perceptisque refert Christo præconia palmæ.
Delatum decus excelsi sub honore triumphi
Attollens Dominus versatum subtrahit hostem [168],
Mœrores terremque cumulat per longa quietem.
Tempora pace Pater florens, sacra domata sarcit;
Atria dilatans, opibus sacraria replet.
Instaurat fabricas, venerandis templa figuris
Ornat, lapsabunda novat, priscum auget honorem.
Aulæis dat apostolicas vestire columnas:
Cœlicibus divis armaria sancta referciit,
Ditat sacra, colit partis penetralia lychnis.
Veste Petri gemmis auroque gravi induit aram
Auratis operit velis, varioque decore.
Argento ditum appendit rutilante coronam
Regalem solito legatis visitat urbem [169],
Illustrans fidei [170] titulis, dans vincula [171] pacis.
Adventu quorum turbatio cedit, abacta
Fraus; scelus, insidiæ, fallacia victa facessunt;
Redditur et Domino palmæ urbis subdita prisco,
Discussione doli direxit [172] pacis honore
Commutur merito, referuntque petita patrono.

Francorum regis regali stemmate templo,
Addidit genitus [173] sese et sua munera Petro.
Atque jugum Christi prona cervice capessit,
Ut vacet assiduus cœli sub numina servus;
E domino famulus, supplex de rege minister
Sectari ut summi valeat vestigia Regis
Hic pater ablegandorum sub regna profana [174]
Nexorum, motus mentem pietate paterna,
Impensa recipit cunctos mercede redemptos;
Et capiens manicis, dat libertate potiri,
Atque frui votis, soli servire Tonanti.
Barbaricos [175] iterum motus et temperat iras,
Emollitque animos, auroque et munere linguæ
Urbes et reddunt patriam, removetque furorem
Immutat regem, parit e prædone datorem,
De rapido mitem, de partu tigridis agnum,
Captantemque capit, suplicemque ad limina Petri
Perducit; fastus fugienti ac regna, superna
Christi addit juga cervici, mundique furentis
Eruit insano junctis affectibus [176] æstu.
Informatque Deo cultu servire quieto.
Repperit hic magnum pretio fulgente talentum [177]
Claustris [178] sacrorum; testis caput inclytus olim,
Quo cœli posito Georgius alta paravit
Regna, et perpetua splendentem luce coronam.
Aurea thesaurum sustollunt vela repertum
Et populo partæ gaudente reconditur aulæ:
Qua pius innumeras Rector [179] præstare salutes
Dignatur meritis pretiosi martyris altis
Allegata sacris locupletia prædia cedunt,
Quæ Pater amplificans donis et fœdere mercis
Instruit, exornans fabricis, cultuque decoris;
Sanctorum subicit templis, et dedicat aris;
Innectit vinclis [180], firmatque perennia scitis
Immemor haud inopum, divas dum percolit aulas,
Dirigit accumulatque rogas [181], ac perfovet ægros,
Instituens census cœli mercede ferendos
Justorum loca sancta novat, priscamque reformat
In speciem, tegit excultis altaria cœlis.
Presbyteros clerumque fovens, tutatur alumnos

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[163] usurpantem. [164] reliquias. [165] monasteriis. [166] Langobardos. [167] *l.* gnarus. [168] Hilprandum nepotem Liutprandi regis. [169] Constantinopolim. [170] synodicis epistolis. [171] conditiones. [172] legati. [173] Carlomannus. [174] paganis. [175] Langobardus. [176] uxore ac filiis. [177] thesaurum. [178] in monasterio. [179] Deus. [180] excommunicationibus. [181] stipendia, erogationes.

Tranquillaque suos præstat gaudere quiete.
Ausoniæ solers transmittit lumina [182] Græcis,
Gregorii divo dudum quæ prompta lepore
Dignaque dans unis, capitur monimenta supernis

CAPUT VII

De secundo Stefano papa.

Dura subit Stefanus Petro sacrata secundus,
Prælecto taciti subita vi funeris acto [183].
Almos a puero suetus tolerare parentes
Creverat iste, datus gradibus singula cleri
Munia. Levitico dum claret jure minister,
Ecclesiæ vigilans curis, sancita tuetur.
Subventor tutorque inopum, defensor ovilis,
Constans præco Dei, veteris reparator et auctor
Tutelæ indiguis latæ; quorum struit ædes,
Innovat eversas, et xenia destinat, aptat:
Divinoque ministerium sibi numine partum,
Interno externoque [184] colens disponit honore.
Consiliis gentes [185] pravis in bella feruntur:
Germanum [186] quibus arcendis ad fœdera pacis
Legat, danda simul socios et munera [187] jungens.
Pacta velut plures, statuunt servanda per annos,
Astu revera properi frangenda reatus
Quæ mox exacto Phœbes [188] quater orbe tyrannus [189]
Irrumpens, Patri atque gregi furiosa minatur.
Mittuntur mites [190] rapido spe fœderis urso:
Pacificosque agnos Christi fera bellua temnens,
Dimittit vacuos. Domino sed vota resignans
Dirigit antistes, lacrymas super æthera legans,
Cæsareus mox missus adest, mandata furenti
Deportans regi, resipiscere, rapta referre.
Admonitus blandis grassator inania reddit,
Vafra refert, nisuque truci direpta retentat.
Dumque humana tepent, suffragia quærere dignum
Diva Pater ducit, sociorumque agmina jungens
Aggregat Ecclesiam; monet exorare supernum
Clementemque Patrem: votis ac fletibus instat
Ipse simul; cineres addit, vestigia nudat;
Celsa petunt, importuna prece sidera pulsant,
Utque preces cœlum digne impetrare penetrent,
Actibus in sanctis comites persistere mandat;
Cedere cuncta piis decernit sabbata votis.
Deditus ipse sacris altaria cultibus ornat,
Muneribus ditat, fabricis atque ædibus auget,
Culmina restaurat; sed nec suplicamine cessat.
Concilium capit interea, depromere causam
Francorum regi, Christoque Petroque fideli.
Accipit hanc miserando pius Pippinus, opemque
Ferre parans, promptus legatos dirigit Urbi,
Dignari tantum poscens se visere Patrem.
Pastor amore gregis fervens, egressus ovile
Quærit pacem ovium per turbida lustra ferarum.
Gratia cœlestis [191], chari solatia cleri,
Cæsarei mandata apicis, proceresque quiritum,
A Francorumque duces papam comitantur euntem
Æthereus cœlo præfulgurat hostibus ignis
Climate Francorum, stragemque minatur iniquis,
Prævia prætendens ductamina luminis almo.
Callidus absterrere lupus [192] conamina justa
Nititur; invictus persistit pro grege ductor.
Munera fert hosti atque preces; obdurat ille
Corde Pharaonis, nec oves dimittere captas
Consentit monitus, queruli nec vota patroni
Admittit. Præsul nequaquam ferrea cernens
Pectora molliri, sævæ se abjungit hyænæ.
Qua vocat egregii pietas mitissima regis
Intendens iter, almifico stipante senatu;
Præteriensque dolos, ductori munera Christo
Laudibus ingeminat; glaciales transmigrat Alpes
B Francigenæ properant primates, obvia papæ
Millia festinant, genitis rex atque jugali
Accelerat junctis, terræque astratus adorat
Angelicum Patrem, cœlestia jura ferentem.
Fungitur officiis pronus, pedes ipse beatum
Ductat equo vectum, laudesque et carmina dantem
Rectori regum regali suscipit aula.
Assidet, observat, devota precamina sumit,
Atque libens voti favet, ac parere paratum
Se perhibens, gaudet Petri servire clienti.
Dumque hiemis prohibente gelu repedare [193].
Sancte tui, martyr Dyonisi, limina servat.
Vexatus languore gravi, pereunte medella
Auxilii artificis, trahere extima fata putatur.
C Is meliora sequens medicinæ robora certæ,
Supremum poscit medicum, sacrata frequentat
Templa, requirit opem Patrum sibi adesse piorum.
Deditus et precibus præmissi martyris æde,
Visitur a propriis Petro Pauloque patronis.
Cum quibus et præsens testis Dionysius astans,
Suadetur [194] Patribus languenti ferre levamen.
Ille piis parens monitis, comitantibus ægro
Accedit sociis, pacem denuntiat, aufert
Corde metum, spondet reditum in sua mœnia lætum,
Præcipit incolumis surgat, Domino dicet altar
Nomine apostolico, referat præconia Christo.
Luce salutifera, divo quoque nectare fotus,
Exsilit ereptus, præceptaque munia nitens
Faxere, non sana censetur hebescere mente:
Donec visa refert, sicque edita martyris implet.
D Inque apicem regni patremque et pignora [195] sacrans,
Unguine munifico ditat, stirpemque futuram

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[182] libros Dialogorum a se Græce versos. [183] eo, qui ante eum fuerat electus, exacto, mortuo. [184] spiritali ac sæculari. [185] Langobardi. [186] Paulum diaconum suum. [187] eidem Paulo. [188] lunæ. [189] Aistulfus. [190] abbates. [191] magna cœli serenitas. [192] Aistulfus. [193] *supple* negatur. — *Hoc miraculum ab Anastasio omissum commemorat Stephanus ipse in epistola, tomo* II *Concil. Galliæ.* [194] a Patribus. [195] Pippinum et filios.

Culmine sublimans regali jure decorat
Ornat honore locum, complectat culibus aram.
Tum rex cum regni satrapis claroque senatu
Rebus consultans trepidis succurrere papæ,
Unanimes Christi Petrique ad munia reddit.
Haud ullis valet averti serpentis iniqui
Fraudibus, haud fratris vafro molimine missi
Consiliis; quin germano discrimina præfert
Ecclesiæ, fixoque studens certamine niti,
Præsulis in votis legat mandata tyranno,
Fœdere sub pacis Cephæ sublecta rependat
Terque eadem repetit. Neque cor mollire gelatum
Muneribus suasisque valet, nec proficit ullo
Ad pacem rigidum moderamine flectere pectus.
Unde gregans turmas Francorum agit agmina causam
Ipse acturus apostolicam, mediamque terebat
Recto calle viam cum papa; procacia nitens
Pectora mitificare, petit fera corda moveri
Regis item missis, cum quis mandata precesque
Dirigit, obtestans fundendo a sanguine parcat.
Ille minas contra Petri regique relegat.
Ast hi spem Domino totam committere certi,
Se Christo tutore tegi, cui bella geruntur.
Cujus opem princeps poscens, promissa protervo
Munera fert tribuenda humili Patrique gregique.
Sicque duci sese allegans fidoque patrono,
Cœptum carpit iter, mittens præcedere quosdam,
Ac servare aditus, arctoque astare meatu.
Comperiens hostis regem præcurrere, paucos
Junctis hos cuneis subito inspectatus adorsus
Stratum se ire putat, stragis sed damna reportat,
Victus et a paucis, cum pluribus ipse peremptis
It, solaque fugæ positus spe nititur armis,
Atque tremens urbis sese vallamine claudit.
At justi perversorum munimine verso
Diripiunt prædas. Post cædem vindicis ensis
Rex Patre prosequitur, fultus celantibus hostem
Incumbit muris, pacem dum papa precando
Fœdera pollicitis compellit inire fidelem,
Reddere juratus quæ rapta retentat inique.
Sic sua rex repetens Francorum regna, beato
Dat socios Patri Romam ad mœnia fidos,
Jamque revertenti populorum exenia currunt
Obvia pastori, grates laudesque ferentes.
Exenias Christo Cleri populique catervæ
Excipiunt Patrem præclara tropæa vehentem.
Ille studens recreare gregem, neglecta referre
Munia, nocturnis reparat psallentia sacris,
Carmina digna choris auget, solatia præbet
Commoda, devotis certent ut degere psalmis.
Hostis at assuetas volvens sub pectore fraudes,
Ingeminat facinus, perjuria nota frequentat.
Crescere tentat opus, nihili fœdera pendit;
Invadensque relicta, nefas cumulare laborat,
Atque trahit regni secum sub tartara vires.
Arma rapit, cuneos cogit, miseranda agmina,
Ecclesiæ contra columen, fert prœlia Petro
Et sacra sacrilego circumdat mœnia ferro.
Præsul amatori Christi notat improba regi
Pippino, acta foris contra per castra draconis.
Expedit ille manus, ultricesque exerit arma,
Jure calens in perjuros certaminis æqui.
Cæsareisque et legatis et jussibus obstans,
Nec precibus cedit ve minis, aut munere victus;
Terribilem sese pravis acri impete præbens
Insistit trepidis, dum clauso extorquet ab hoste
Jura reformari recipit redditque beato
Oppida rapta Petro, reprimitque tumentia colla.
Hesperiæ moderans regiones pace serenat,
Gaudentes sub apostolicis se dedere frenis.
Papa Deo grates referens, turrim erigit aulæ,
Argentique colens radiis investit et auri.
Ære tubas fuso attollit, quibus agmina plebis
Admoneat laudes et vota referre Tonanti.
Prospera Cunctipotens auget, removetur et hostis;
Præsulis ad nutum reges et regna reguntur;
Bella soporantur, surgunt sacro ordine fastus
Publica res crescit, dilatat pastor ovile.
Fallaces cavet insidias, ablata receptat
Educensque novas Cephæ splendore columnas,
Fabricat ecclesias, Petro, fratri, genitrique;
Quas fabricis ornat, donisque nitentibus auget.
Atque Petronillæ, regis monitu, ossa venustat.
Actibus his clarus, palmarum et lumine mactus,
Præmia celsa petit Petro ductore beatus.

De Paulo papa (189).

Germanus Stephano succedit in ordine Paulus,
Cum quo devotus pietate et luce sophiæ
Claruerat rutilans, individuusque sodalis
Hæserat in finem, cui mox moderamina cedunt,
Dispersa renitente manu, ceu sole tenebris.
Hic pius ac mitis tribulatis ferre levamen
Certabat, languore graves inopumque grabatta
Visere consuetus, tacitæ sub tegmine noctis;
Carceribus nexos adimens, redimensque subactos
Fenoribus, pupillorum pater ac viduarum;
Catholicæ tutor fidei; quo tramite reges
Admonet, hortatur, petit, insistitque reponi
Schemata sanctorum Domini que polita nitore
Mausolea colens justorum provehit urnis;
Atque urbi reddens, cineres sublimat in aulis.
Is proprios sacrare lares sub culmine Christi
Pignoribus studuit, comens et nomine Patrum
Silvestri ac Stephani, multorum luce piorum
Insuper illustrans, opulento et munere supplens,

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII

dolosi Aistulfi. Pippinum. peccata. sui ad mortem. Romanos. dones. Sancti Petri. campanas. Andreæ et Petronillæ. imagines. honore sanctorum.

NOTÆ.

(189) Deest titulus in ms. cod. In margine tamen legitur *Paulus*.

Hymnidicisque dicans laudis sine fine choreis.
Basilicam primus hic Patribus [207] edidit urbis,
Qua [208] genibus saxo applicitis signata tropæa,
Martyrii jam libandi dum vota profundunt.
Struxit et grandi cultu ac sua membra locandi
Servandoque locum, variis tempore ossa metallis
Ornans, atque Dei Genitricis imagine ditans,
Qua tandem emeritus tumulum post funera sumit.

CAPUT VIII.

De tertio Stephano papa.

Tertius hinc Stephanus, sacris feritate remota
Culminis invasi, Pauli sortitur honorem :
Strenuus et doctus, decessorum almus alumnus
Qui presso latrone, Deique examine plexis
Furibus, et tanti sceleris ductoribus actis,
Concordi voto parilique favore senatus,
Primatum cleri bellique urbisque aurorum [209]
Deligitur, digno præsulque sacratur amore.
Errorum nebulas quo discutiente, cientur
Undique pontifices, ipsoque vocante gregatur
Concilium Romæ, Patrum sacra jura tuentum.
Opprimitur scitis error, multatur et auctor.
Pœnitet illicite junctos in sacra ministros.
Perverso censetur onus [210] resecatur iniquum,
Criminis exemplum, divinaque jura dicantur.
Depulso Romæ, Ravennam proximus horror
Invadit, premiturque pio fervente rigore
Præsulis, a justo nulla improbitate reflexi.
Usus ab obsequiis Teucrorum [211] numine summo
Ravennate lupum mistorum exturbat ovili,
Pastorique pii moderaminis ostia pandit.
Hancque sibique datam cauta bonitate regendam
Instruit Ecclesiam, clerique reformat honorem,
Præsulibusque Petri missas disponit in ara
Rite die [212] fieri lucis. Dominoque protinus
Gloria cœlorum angelico pangatur ab hymno
Ornat apostolicas argenti cultibus aulas,
Utque valet servans proprios tutatur alumnos.
Deceptos patria defendere mente laborat,
Sævorumque dolos studiis sedare benignis

CAPUT IX.

De Adriano papa.

Præclari generis præstanti sanguine cretus
Hunc sequitur constans Adrianus pectore firmo.
Defensor fidei, patriæ protector et urbis :
Solator tutorque inopum, canonumque librator,
Qui prius a puero, frenans se corpore casto,
Cyniphioque [213] terens sacra tegmine membra domarat
Laude vacans Domini jejunia crebra jugabat,
Sedulus et curam pro posse gerebat egentum.
Actibus his radians ascitis præsule, clero
Jungitur, ac pollens animis, gradibusque levatus,
Ordineque imbutus sacris levita sacratur.
Sic magis atque magis gliscente decore coruscans,
Luce operum, verbi populis alimenta ministrat.
Civibus unde pio nimium dilectus amore,
Præsule mox functo legitur succedere dignus.
Nec mora depulsos urbi laribusque reducit,
Carceribus trusos tenebris vinclisque resolvit,
Et cunctis pariter gaudentibus ad sacra surgit
Culmina, præcipuum meritis indeptus honorem.
Continuo vafri suspensus fraude colubri,
Caute vera refert falsis moderatus et orsa.
Pacem non renuit, refugit dum crimina pacis.
Nec trepido lapsu verborum mergitur undis [214] ;
Immo fidem missis censet rebusque probandam.
Sustinet haud Bardus venerandi oracula papæ
At furit anteferens capiendo prælia pacto,
Invaditque urbes, famulos, loca, prædia Petri.
Mox querulæ Patri voces lacrymæque feruntur,
Pastorum crudas agitante dracone rapinas.
Legatos crudo dat scripta sequentia furi,
Desinat insidiis, perverse invasa remittat.
Ille petita negat fieri, nisi præsule viso
Fœdera dante sibi, nitens hunc cogere, litis.
Francigenæ esse caput genti, regnoque fugaces
Ungeret ut pueros [215], patruus cum sceptra teneret
Urbis patricius, Patrisque et plebis amicus
Iste cavens laqueos, nullo seducitur astu
Semina ferre odiis, captatoremque capessi
Mandat, ne rapiat mites quos voverat agnos.
Quique [216] homicida reusque probatur sanguinis atque,
Dum scelus ulcisci antistes medicamine leni
Attentat, Patribus populoque petente piamen
Papa inhibente perit, pœnisque levare volente
Perpetuis animam, cœloque referre novatam.
Pestifer interea non parcit, sanguine, præda,
Ignibus, insidiis, Petri lacerare clientes.
Sæpe quibus super admonitus hortamine blando,
Legatis etiam sacris celebrique senatu,
Nil tacitis dignum precibus tantoque patrono
Reddit ; quin vacuos Christi depellit alumnos,
Præsentemque [217] sibi Patrem jubet ire beatum.
Ille profecturum se fert, latro rapta rependat.
Qua libitum mandet, remorato missa revellat [218].
Ni faciat, sibi pontificis non ora videnda.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[207] Petro et Paulo, [208] ubi oraverunt, jam martyrizandi, pro dejectione Simonis. [209] *l.* favore [210] adjudicatur onus pœnitentiæ. [211] Francorum. [212] die Dominico. [213] hircino cilicio [214] superfluitate. [215] Carolomanni filios. [216] Legatus. [217] ad suam præsentiam. [218] dimissa repetat.

Hæc regis, hæc sacræ sedis legatio papæ.
Nec semel aut tantum his sæpe monere tyrannum;
Quin satagit Patribus sacrato ex ordine missis.
Ille minas contra, terrores, bella, rapinas
Fert, Petrique greges furibundo turbine quassat
Insuper et propriis fugitivo milite turmis
Adjuncto properat Patri vim ferre benigno:
Oppositis donec portis ac mœnibus arctis,
Robore directo reverens anathemate pulsus,
Confususque domum versa impietate recedit.
Miserat antistes regi mandata Sicambro,
Pressuræ auxilium quærens hunc ferre labori.
Legatis Carolus studiosus omnia discens,
Pacificis monet infestum prece, suasibus hostem,
Muneribus quoque discussa feritate ferendis.
Sed neque sic mulcere datur cor durius ære.
Unde manum validam cuneorum robore cogens,
Durus abit censor, dum spernitur ipse rogator.
Accedit septis [219], iterum quoque munera præfert,
Pastoresque petit pacis bellique sequestros.
At nec sic tumidi ferventia pectora sedat,
Firmis qui fabricis præcludens limina regni
Arcebat Francos aditu, claustrisque repulsi
In sua præcipitem meditantur regna regressum.
Una moram reditus tantum nox forte ferebat;
Cum subito terror superi rectoris adactus,
Judicio crudi percellit corda rebellis.
Trabaticans comitum trepidatio pectora vertit.
Mox tacite spretis propere sub nocte tabernis,
Falera fugæ, rebus contempta in castra relictis,
Agmina cuncta simul nullo sectante capessunt.
Cernentes Antenoridæ [220] sine agone triumphum,
Quos divina fugat manus, insectantur iniquos,
Et prædatorum capiunt læto impete prædas.
Clauditur illusor septis tutacula quærens,
Sparguntur trepidi comites diversa petentes:
Cordibus ac tacti quidam meliora sequuntur,
Et sub apostolica posito ditione capillo [221],
Dant se, servitusque ejus sine fine fideles
Sese mansuros, votis testantur anhelis.
At Petro duce rex victor vestigia pressans,
Palantum campis procerum regisque fugacis
Attonitam turmis cingit ferroque Papiam,
Terribusque Padum subit, et Ducominunam
Obsidione quatit, plures capit eminus urbes
Devotos recipit refugas, et limina Cephæ
Visere maturans, Romam Pascha expetit esse.
Cujus in occursum populi Pater obvia mittit
Agmina, gratantesque choros puerosque canoros
Frondibus ac palmis comtos viridantis olivæ.
Præfert signa, cruces, quas ut pius aspicit, alto,
Quo vectatur, equo, pernix rex desilit, atque
Cum satrapis quæsita pedes ad limina pergit:
Exceptusque sacro digne exspectante patrono,
Scandentis supplex gradibus fert oscula sinclis [222],
Amplexusque Patrem sanctum, dextraque prehensa
Almifica, celebrem Petri conscendit in aulam
Laudes dant celsas clerus sacrique quirites,
Qui venit, edentes, benedictus nomine Christi
Sicque pii proceres astrati ad pignera Petri,
Suppremo læti Domino sua vota profundunt.
Ingrediens urbem princeps, suffragia quærit
Poscere sanctorum, venerandaque visere templa.
Paschaque conspicuis magno celebratur honore
Principibus [223] ritu solito stationibus aptis.
Pacta Petro præsul renovari fœdera mandat,
Cessaque [224] jamdudum reparantur culmina juri
Sedis apostolicæ, scriptisque manenda feruntur [225].
His fretus rex obsessum vincire latronem
Deproperat, prompto quatiens data mœnia bello
Major at interius strages fervente furore
Fit pestis, quam bellantis manus inferat hostis.
Tandem æquus capit injustum, subduntur iniqui
Fascibus et stulti: sapiens sceptrisque potitus
Abducit Bardum Francorum in regna tyrannum.
Ast Pater Ecclesiæ, Christique nitoris amator,
Luce fruens pacis, cultu, Salomonius hæres,
Ornamenta domus Domini procurat honesto.
Aurea gemmarum varians hic stemmate vela,
Eximit [226] angelico vinclis ductamine Petrum.
Terga pavimenti sternens argentea reddit:
Aulæisque domum, multo quoque lumine comit.
Porticibus gradibusque colens et marmore secto,
Applicitisque novans trabibus, clarisque figuris
Templa nutritoris decorans rutiloque metallo
Irrigat ipse Petri, multo sudore novatis
Ductibus undarum, repetitis atria lymphis.
Auro interna tegens opulentis vasibus explet,
Ditiaque eximiis ducuntur stemmata [227] signis.
Erigit ære datas [228] præstanti culmine portas,
Basilicamque solo proprio cui condit et actu
Pigneribus multis rutiloque nitore venustans,
Splendorem titulis aris adytisque reformat,
Andreæ reparans argento illuminat aulam.
Urnamque exornat Pauli, numerosaque pendit
Vela, et marmoreis fulgoribus atria pingit.
Auroque argentoque datis polit intima formis,
Culmina restituit, fabricisque peribola cingit,
Inclytaque altari vasorum munera cudit.
Reginæ cœli gemmis intexit et auro
Egressum [229], superi petiit quo limina regni,
Multiplicat cultus, strophiorum nectit amictus
Templa colens purgat, renovat spatiosaque format;
Nobilitans lustrat, donis locupletibus ornat.
Basilicæ Salvatoris segmenta coaptat,
Lapsuram revocat, fontes vestibulaque auget.
Aurea vasa parat, sacræque monilia mensæ.
Tecta novans Stephani, cumulat decoramina velis

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[219] Alpibus. [220] Franci. [221] deposita superbia. [222] *l.* singlis *pro* singulis. [223] a papa et rege. [224] concessa. [225] inseruntur. [226] exemplum depingit. [227] Imagines. [228] ex ære editas. [229] Apsumptionem.

Clementis reparat jam proxima tigna ruinæ.
Culmina cum pallis Laurentius excipit aulæ.
Huicque reformantur nova templa piæque catervæ
Levitæ effigies auro ac sacra vasa renident.
Porticus Ecclesiæ porta fabricatur ab urbis.
Marci tecta pari vernant felicis et actu,
Silvestrique domum simili restaurat honore.
Arcus argenti, calices marco struit auri.
Amplicat Ædisti [230] locupletans dotibus ædem.
Restruit ecclesiam Cyriaci, aulamque Susannæ.
Veste Valentinus, Pancratius atque coluntur :
Huicque redintegratur opus venerabile templi.
Victoris domus æquali pietate resurgit.
Floret apostolici templo vita lata decoris
Restructo; vario ac multo velamine compta.
Restaurata Petri Marcellinique sepulcra.
Argenti radiant Adriani templa nitore.
Quæque novata micant, vasorum et munere pollent.
Tecta reducuntur Sixti sublata ruinis.
Agapiti, Eusebii, Rufinæ, unaque Secundæ,
Euplique, et Hierusalem vatisque Joannis
Felicisque levata nitent : titulumque Pudentis
Theoderique refert, catacumbas, domata Leuci,
Eugeniæ, Sophiæ, Praxedis, Felicitatis.
Epimachus, Zenon, Abdon, Bonifacius, Hermes,
Marcellusque, Saturninus, Jordanisque [231] ossa.
Hoc rutilant cultu, septemque litaminis Agnæ.
Hocque Secundinus, Pammachius atque refulget,
Cum nutrice Agnes, Nicomedes Hippolytusque,
Quattuor atque Coronati, templumque Sabinæ,
Sergius ac socius revocato culmine gliscunt
Ducit Anastasii meliorem ex ignibus aulam,
Vasa multiplicans, vestes cultumque reformans.
Martinæ argento Sergiusque [232] renidet amictu.
Restruitur Pr[illegible] titulus, palliique refulget.
Cum reliquis Cosmæ et Damiani pluribus aræ
Cultibus ornantur, prisco redduntur honori.
Ditantur sacris obrizi vasibus auri
Insuper et muris [233] fert aurea dona levandis.
Mœnia restituens expensis ditibus auri.
Disponens reparat, statuitque monastica jura
Pauperibus fundos, oleas, vineta, casasque
Delegans Christi æternum servire fovendis.
Excolit iste domum fabricis Patrumque [234] [illegible]
Multiplicat renovans diversa lavacra labore,
Virgineæque rigat rivis populi agmine formæ
Atque ministeriis inopum solamine curat,
Diversis monachumque choris psallentia ponens
Restaurat, ditatque greges, ducibusque decorat
Virgineis etiam reparat pia castra choreis,
Dotibus accumulans, et digna rependens.
Sic interna colens, externis addere curam
Ne cesset, monitis Augusta [235] palatia visit,
Legatisque regit, sacra signa [236] tenenda retexit.
Concilioque loco Patrum coeunte priorum,
Dogma pium centum ter quinquagintaque firmant
Mœsta madens spumis Tiberini Roma furoris
Tutoris petit auxilium Patrisque juvamen.
Qui precibus pugnans, ubi fervida cærula sedat.
Rebus compositis, cœlo terrestria mutat,
Et meritis cultam subit excellentibus aulam.

CAPUT X.

De tertio Leone papa.

Tertius huic fastu Leo mox succedit et actu.
Scripturis pollens, animi probitate renidens;
Viribus invictis, lepido sermone disertus ;
Mentis honore catus, pietatis munere largus.
Ægrotos refovens, solaminaque apta ministrans.
His renitens opibus, charus populoque Deoque,
Erigitur properes candens ad summa cathedræ.
Hic humilis quoque mansuetis, durusque superbis
Prodigus abjectis miserendi, justus iniquis.
Ampliat augmentans cleri ecclesiæque decorem.
Aurea dona Petro gemmas, pallasque, coronas
Multiplicans, aulæ pariter tegumenta reformat,
Luminibus lustrans multis, rutilisque figuris.
Hoc Pauli irradiat, hoc plurima templa nitore.
Ponderibus fabricisque opus exæquare patroni [237],
Vel superare studens, numerosa dote laborat.
Non fert invidiam rabidus celare chelydrus [238],
Apparat insidias, laqueos atque arma ministrans,
Instruit occultas fucato figmine fraudes,
Applicat obsequiis præstructos felle draconis
Officium præstans, et melle venena colorant
Inter vota precum laudisque insignia, diros
Expromunt gladios, sævisque furentibus ursis
In gregis auctorem, plebes sparguntur ovinæ
Insiliuntque feræ doctoris in arietis ora.
Unguibus insonti pollutis sanguine fervent
Dilaniare sacras truculento pollice malas,
Irrupta geminas exstinguere fronte lucernas.
Faucibus eductum sacrorum vellere plectrum.
Nec satis est ori semel injecisse mucronem.
Cruda manus loca muneribus [239] vacuata retentat,
Plagisque affectum variis multoque cruore
Respersum rapiunt, tractumque sub antra retrudunt;
Custodes adhibent laceram defendere prædam.
Verbere tentatum sed non miseratio summa
Deseruit famulum, Petrus nec sprevit alumnum.
Redditur huic cœlo lumenque refunditur actum,

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[230] nomen sancti martyris. [231] Jordanorum cœmeterium. [232] Serum, populi Asiæ nomen, serico opere clari. *sic ms.* [233] civitatis. [234] antecessorum suorum. [235] imperatoris. [236] imagines. [237] prædecessoris. [238] dæmon. [239] membra officiis linguæ orbata.

Reflagransque pares lux intrat mira fenestras.
Elingues loquitur, redeunt linguæ organa secto
Insuper accumulat Rector sub ligna passo,
Admittitque viros Patrem revocare fideles.
Arcibus atque Petri cernente, loquente senatu,
Excelsus benefactis, agens miracula solus,
Acclamat populus, laudans promissa Tonantis;
In se fidenti qui lumenque, salusque,
Os et lingua Deus, tutans et numine liberans.
Confortansque virum, famosa gaudia dando
Devotis, tremebunda feris discrimina belvis.

Nec sævire tamen scelus aut supplere quiescunt.
Irrepunt domitis prædis bacchantur et armis.
Providet at Dominus rapto solamina servo;
Spoletique ducem cuneorum robore septum
Dirigit obsequiis, mirantem munera cœli.
Quæ passum respersa ruunt invisere cives,
Diversique gradus, ætates, vulgus, honores
Urbibus Hesperiæ pro mira tropæa serentes.

Hæc quoque trans Alpes in Gallica rura resignant.
Stipantes Patrem supero splendore micantem,
Clarificant divina pio magnalia regi [240].
Qui proceres gentemque suos præcedere gressus
Legans, ipse celer sequitur fieri obvius almæ
Virtutis sacro clarissima dona ferenti.
Undique laus resonat, tonat undique gloria Christo,
Hymnisonis mistus grates laudesque frequentat
Rex terris; refluunt lacrymæ per gaudia fusæ.
Magnificatur opus populis mirabile Christi,
Fertur apostolicum palmæ super æthera culmen,
Et Petri famulus digno celebratur honore.

At furor immitis vacuos tutore per agros
Sacrilego luxu grassatur et ignibus atris:
Augmentansque malum furtis furit insidiarum,
Fraudibus insequitur pulsum lacerantibus [241] hostem.

Nec longum sedet almus apex absente [242] duello.
Hoste quati cæco maculari crimine fusvo
Haud patitur; bellum repetit, campumque reposcit,
Exsertusque urbem positamque retentat agonem.
Comperto ducis adventu, grex obvius ire
Pastori fervens properat; simul agmine facto
Egregii Patres, clerus, cleroque cetervæ
Dividui sexus, variæ regionis et oris,
Laudibus attollunt celebrantque acclamante [243] Patrem,
Culmineque exceptum supremæ sede reponunt.

Fascibus ille licet pollens objecta piare
Haud renuit, dat se inquiri, dat et hostibus ausum
Dicendi. Nihil adversus dum tramite veri
Ferre [244] queunt, Franci tandem censoribus acti
Mittuntur regi: Karolus quoque cognitor urbem

A Aggreditur, primosque vocat sacri ordinis, atque
Stemmatis Æneadum Teucrorum et lumina regni,
Nec tamen ulla Petri censent [245] fastigia sedem.
Immunis hæc cunctorum se crimine cunctis
Expiat oppletis. Proceres præconia Christo
Læta ferunt, regique post natale frequentant.

Lætaniis excultis summique nitoris honore
Sumit apostolica augustam rex sede coronam.
Concelebratur linnas Romanis Patribus auctus,
Imperioque nitent Francorum sceptra decore,
Regis et ad regnum genitus sacro unguine surgit.
Rex mensas argento offert rutilante coruscas,
Aurea vasa super gemmis stellantibus addens,
Altar cum basibus radians, et tegmine culto
Crux claris Evangeliumque micant hyacinthis.
B His Christus donis, Genitrix, proceresque coluntur.

Sacrilegi dantur latii, censente senatu
Exsortes agris, æterna piacula lassi.

Pace fruens præsul, fabricis ac cultibus instat,
Impensisque piis non cessat comere templa,
Muneribus, velis, aris, vasisque, lavacris,
Pauli tecta soli subito collapsa tremore
In melius revocat, cultuque reformat honesto.

Hæc et multa subhinc numerosis dotibus augens,
Jura precum cumulat, servandaque Gallica [246] tradit
Ascendens iter Domini præeuntia vota.

Sic decus Ecclesiæ postquam fervente propagat
Assiduus nisu, pietatis munere; compta
Emeritus superi splendoris sumitur aula.

De Stephano quarto (191).

C Extulerat gradibus Stephanum, conscendere cernens
Moribus ac probitate virum cui cura tenere
Actibus et vita, verbi quæ luce serebat
Utilis unde sacris aptusque Petroque probatus,
Ferre vicem dignus divæ præponitur arci.
Servandæque studens paci, firmandaque jura
Ecclesiæ curans, Francorum illustria promptus
Regna petit, cui celsa piis mox regia servit
Obsequiis culto, donisque potentibus uso.

Effert hinc nostram cœli, qua Francica lumen
Gens subiit fidei Ecclesiam, Remense venustans
Officii templum (192): Lodowico stemmata regni
Cæsareosque addens augustæ lucis honores,
Remigiique apicis fastu sublimat alumnos,
D Cæsare quæ posuit meritis [247] gaudente capessit:
Insuper accedunt donorum insignia macto [248-249].
Quin etiam sedes et jura domestica confert
Imperii consors Romani et culminis hæres,
Hæredem faciens in Francica prædia Petrum.

Papa Redemptoris sectans vestigia servis
Crimina laxantis, sublataque regna [250] rependens,
Extorres patria revehit pietate paterna

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[240] Carolo. [241] inflammantibus papam. [242] absque bello. [243] cantu [244] proferre. [245] judicant [246] rogationes a Gallis ante Ascensionem celebrari solitas. [247] pro meritis. [248]-[249] papæ. [250] regi Langobardorum.

NOTÆ.

(191) Deest titulus in codice. Ad oram textus legitur: *Stephanus*.
(192) Vide Flodoardum lib. II, c. 20.

Et quantum datur Ecclesiam splendoribus ornat, Veri cruceque colens, sacra perpes tumulata [251] condens.

Sed magno terris casu cœlestia flagrans Emicuit; at rapius tenebris, adjungitur astris.

CAPUT XI

De Paschali papa

Susceptum propero Paschalis honore secutus
Resplendet, studiis castus, pius, inclytus, insons ;
Magnanimis, largus, hilaris, devotus, honestus,
Mansuetusque : preces vigil ac jejunia tractans ;
Susceptor peregrinorum, solator egentum
Unde datus meritis monachorum effulserat abbas,
Excrescensque operum fulgore, suprema vocatur
In jura Ecclesiæ centesimus auspice summo,
Romanoque simul votis coeunte senatu.
Hic positus præcepta Patrum vel legis habenas
Robustus solersque tenet, celebrisque promulgat
Scita gubernator, blandus probitatis amicus,
Sacrarum restaurator cultorque domorum,
Conditor almorum passi quæ pignora nactus,
Ampliat iste stipem clero, fert munera cœlo,
Nexibus educit per regna remota subactos,
Ponderibusque auri vinclorum pondera solvit.
Africa transvectos, redditque Hispania captos :
Gaudet quæque suos respectans patria natos.
Martyris hic papæ Sixti solemniter ornans,
Membra Petri meritis florente recondit in aula.
Is quoque sanctorum Processi et Martiniani
Deponens [252] cineres, digno pertractat honore,
Muneribusque colens patroni illuminat ædem,
Argentique libras auri dat pondera signis [253],
Vascula, vela parans, claves quoque fabricat auro.
Contigit ignivomi furibunda fraude draconis
Flammarum peregrina globos per culmina ferri.
His simul absumptis Romana in mœnia spirans,
Porticibus Petri fervens irrepserat æstus.
Pressa obliviferum proflabant pectora poclum [254].
Nuntia dum papæ hæc secreta silentia rumpunt.
Ille fide fidens, rapido petit atra volatu,
Bella triumphantis perstringens arma furoris.
Stat magnus velut oppositus mons, igne reliso
Obsistens flammis, precibusque incendia sternit,
Exstinguitque feros Cepha tutore vapores
Orando pugnans, campum neque linquit agonis,
Noctis dum tenebras votis evincit et ignes
Detrimenta dolens inopum, vastata reponit,
Restituens passis culpæ quæ flamma vorarat :
Aurea dona ferens, vestes victusque reformans
Silvarum superadjicitur data copia tectis
Ut prius odendis. Et ne de fraude patrata
Vel damno Ecclesiæ truculentus gaudeat hostis ;
Rapta focis Petri reparatur porticus aucta,
In cœlum surgens, potiore educta nitore
Pr[illegible] apostolicos [illegible] inserit actus,
Lo[illegible] rabellum templi colit ore decore.
C[illegible] Processi renovans, variaque venustans
Luce, triumphalem fulgoribus erigit arcum.
Partimque excipiens [illegible] pignora [illegible],
Et [illegible] justorum revocat [255] destinat aulæ,
Servorumque Dei cœtum simul aggregat almum,
Instituens Græco pangi modulamine laudes,
Ruraque dat sacris servitorum usibus apta.
Zenonis iste locans cineres, oracula [256] condit,
Accumulans decus argento auroque refulgens
Historiisque colens gemmarum et lumine palmas [257]
Luciferæ dominatricis restaurat et addit
Mœnia, muneribus velisque et cultibus ornat.
Cæciliæ cernens incumbere casibus ædem,
In meliora levat restructis culmina septis.
Defessum precibus quem cœlica visere virgo,
Affarique probat dignum tamen increpat, ut quid
Liquerit incœptum quærendi membra laborem,
Quæ sublata putat popularis credulus auræ.
Ut se res habeat referens, nomenque roganti
Annotat, hortaturque piis persistere cœptis,
Gaudeat invento dum munere. Nam placet, inquit,
Æterno Domino, cujus splendoris amore
Me passam constat, noviter quo me ipse repertam
At te constructi templi munimine condas.
His dictis celeri repetit cœlestia saltu.
Papa revelato lætus tam lucis aperte
Indicio, indagans thesauri cessa [258] talenta ;
Repperit eximiis pretiosa monilia gemmis
(193) Hic Nordmannorum nostrum delegat Ebonem
Barbaricæ genti, lucis vitæque ministrum.
Aurea virgineum celabant tegmina pignus :
Carbasa martyrii rutilabant sanguine clari,
Quæ Pater almificis manibus pia munera tractans,
Colligit inducens urbi instrumenta salutis :
Atque locans thalamo [259] candentia membra decoro.
Infertur simul inventus virtutis amator
Sponsus [260], lucrato pacti cum fratre pudicis [261].
Maximus, Urbanus, consors quoque Lucius aræ
Depositi. Turmæ [262] capiunt pietate nitentes,
Hymnidicosque choros digno solamine fultos,
Vinetis, agris, domibus, famulisque levatos
Cultibus argentum invehit plus mille librarum
Aucta paludamentorum [263] dos multa decentum.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII

[251] vela [252] transferens reliquias. [253] imaginibus. [254] somnum. [255] renovatæ [256] templa [257] victorias, [258] concessa sibi. [259] mausoleo [260] *f.* Valerianus. [261] pudici. [262] congregationes [263] ornamentorum.

NOTÆ.

(193) Frod. lib. II, c. 19.

Virgineasque novans pressa splendore catervas
Restituit prisco, res addens usibus aptas;
Diversisque aulis diversos auget honores,
Aurea dona ferens vasis, inconlibus aris,
A Argentoque colens aras, altaria, conchas;
Marmoreum cumulat decus, ornamentaque Serum.
Hæc polo terris sata centuplicata receptat.

CAPUT XII

De S. Eugenio secundo, Valentino, Gregorio IV, et Sergio papa.

[illegible] Eugenius perfungitur alter,
Corde pius, sensu doctus, sermone disertus;
Iucundus, largus, meditator sedulus almi [266].
Æquus, avaritiæ contemptor, litis et osor,
Sub quo pace nitens atque ubertate redundans
Tripudiat mundus, regimen quantum datur ornans.
Ille Pater ecclesiam cujus splendore Sabinæ
Cassi [267] olim decorat, donis locupletibus auget.
Expulsos dudum cives pietate paterna
Excipiens reduces, cumulato munere ditat.
Pontifici nostro [268], pedibus data jussa [illegible],
Barbara corda [illegible], corroborat ædes.
Hocque inter cœlos super astra [illegible] rapto,
Huncque Valentino [illegible] breviore secuto,
Gregorii quarto lustratur nomine Roma.
Qui licet obsistens, cunctis tamen ordine visis
Arripitur dignus, summaque in sede locatur.
Sparserat ille quidem passim virtutis odorem
Jam juvenem, celebris, solers, probitate refertus,
Sensibus ornatus, salsoque lepore modestus,
Dogmate catholicus, moderato regmine justus;
Æthereæ cultor legis, speculator ovilis;
Pauperibus viduisque pater, miserator et altor.
Terrea despiciens, mentis cœlestia quærens:
Sanguine præclarus, sancto præclarior actu,
Sollicitus, sacra jura, preces, jejunia tractans,
Hunc quæ virtutum rapiunt ad culmina pennæ.
Has quoque sublimi non cessat comere fastu,
Dum decus amplificans templis, cultumque, nitores,
Restaurans decorat sacras ornatibus ædes.
Transfert Gregorium claroque in lumina [269] testes
Profert, muneribusque aris vernisque venustat.
Marci basilicam renovans multo auget honore,
Quam prius excoluit vates, nunc dotibus ornans.
Hanc pariterque aliis [illegible] ditans,
Ductibus antiquam reparat fomenta parari,
Atque domum Petri prisco de more rigari.
Ecclesiam divæ virtutum hæc Parentis
Effulgere videns, devoto attollit honore.
Laudibus instructas exhibet statuitque catervas,
Permanetque domum, donis locupletibus explens.
Disponensque altar, sanctorum busta coarctat.
Diversas revocat fabricas, cellasque, gradusque,
Atria, picturas, exedras, claustra, lavacra.
Præterea curas accendit mente volutans
Hostibus instaurare novis stat [270] operibus urbem.
Fundatamque locans firmis [illegible] [271] muris
Persistat, propriaque vocat de nomine [272], quondam
Hostia quæ persis gliscens sit dicta colonis.
Instruit inde sibi Romæ sociisque futuris
Ædes hospitii, ditansque ornansque dicatas
Cœlicolis aulas, cœli sustollitur aula.
Sergius hinc vacua discussa nube tumultus
Sortitur cathedram, celebri censente senatu,
Culminis hunc fastu præcelso et regmine dignum:
Ut plus a puero castis qui fulserat [273] altus,
Artibus instructus, claris Patribusque nitebat.
B Promissis aptus, pollens et charus alumnus,
Germine præfulgens, notus probitate fidei,
A Christo missus, [illegible] virtute supremus:
Ore cor exprimens sacri mentemque benignam,
Strenuus Ecclesiæ rector, defensor, et altor
Indigni cœtus; commissi tutor ovilis.
Dispersos pietate gregans, servansque gregatos:
Labilium [274] temptor, Sophiæ robustus amator.
Tranquillus, patiens, culpas ignoscere largus.
Culminis infensum vindictæ surripit hostem.
Sicque simul cunctis gaudentibus ardua scandit.
Francus Imperator ubi fastigia nactum
Hunc audit, genitum Romana ad mœnia mittit,
Hesperiæ quasdam sociis populantibus urbes.
Nimbosis subito vernans obducitur æther
C Nubibus, ignea tela micant, juvenumque ferorum
Corda metu sternunt, nonnullos funere pressant.
Augusti sobolem præstanti præsul honore
Suscipit. Interea stipantum dæmone quemdam
Prospiciens raptum, tactus spiramine summo
Valvas papa jubet templique repagula claudi,
Versus et ad procerem, monitis ita fertur adortus:
Sincera si mente venis, si corde benigno,
Ecclesiæ si pro regnique urbisque salute;
Hæc nostro tandem penetra sacra limina jussu,
Sin secus, haud nostra has pandet tibi cessio portas.
Testato se nulla dolis molimina princeps
Volvere, mandatis reserantur pessula Patris:
Ingressique aulam laudes ac vota Tonanti
D Dant Antenoridæ [275] Æneadæque, superna canentes.
Papa tuens urbem immunem, regemque coronans,
Disponit sceptra, Augusti dat regmina proli.
Pontifices comitesque repugnantes sibi, celso
Præterit eloquio, rutilis ferit impete veri,
Mitificans tumidas pietatis robore mentes.
Nec Petri proprios puero servire clientes [276]
Cæsareo patitur juris: quin culmina servans,
Damnatis veniam, censoribus edit honorem,
Oratorique [277] alta præcelsum servans subacta.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[266] amitatis [267] conventi ubi princeps papa fieret. [268] Ebora. [269] in devotione loca. [270] instat. [271] erigere. [272] Gregoriana urbs. [273] fomentis. [274] rerum labentium. [275] Franci et Romani. [276] Romanos. [277] adoratur.

Pacis et instructor populo veneratur ab omni.
Ille Deo laus reparator, aræ et templi venustas
Exornat fabricas, cultus dat tegmina variis,
Muneribus ditat, sanctorum pignora condit,
Dedicat erectam locupletans dotibus aulam
Adsciscit stabilitque greges æterna petentes,
Destituitque scholam divina laude canoram :
Et bene dispositis cathedræ subit æthera rebus.
Hostis et antiquus talibus livore quatitur,
Lucis [276] et Ecclesiæ, crudelia convibrat arma,
Instimulatque Agarenorum de gente latrones,
Qui mare transgressi Ausoniæ penetralia lustrant,
Ac Romam usque penetrantes dirum scelus (!) au-[dent
Templa patronorum Petri Paulique sacrorum
Sacrilego tum cæco temerare furore,
Et manibus spoliare feris, vacuare nitore.
[illegible] gaudere vigore.
Dumque improvisi peragerant sua gaudia fato,
Æquoralibus exsultantes in Punica terræ
Regna, triumphandi verso ordine gurgite mersi
Absorptique undis ultrici vorantur abysso,
Atque maris Rubri prisco præcelsa triumpho.
Sedis apostolicæ pollentia culmina florent.

INCIPIT LIBER DUODECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De quarto Leone papa et actibus ejus, sanctoque Benedicto papa

Multiplicat Dominus mœstæ solamina plebi,
Aspirans animis venerandi jura Leonis
Poscere præponi, quarto hoc se nomine comi.
Qui vir apostolicis clarus fulgebat in actis
Mansuetus, patiens, largus, pius, atque benignus ;
Insons, justitiæ cultor, plebis moderator,
Scrutator legis, vigil, oratuque suetus ;
Serpentis servans oculum, mentemque columbæ ;
Relligione nitens et amans, pietate renitens,
Indignos, refovens, sese et lucra terrea temnens,
Sponte datus studiis puerilibus ibat ab annis
Perfectum usque virum ; monachos interque proba-[tos
Integer elucens monachus, probitate supremus,
Degit ut extremus, quibus ad sublimia vectus
Virtutum gradibus, rutilo splendebat honore.
Hisque micans meritis, Patribus raptatur ad alta.
Præmissis [277] claraque manet virtute cohærens,
Dum subit eximium Ecclesia cogente tribunal.

Hinc quoque præ signis radians, velut alta lucerna
Enitet, illustrans animas sedemque nitela,
Aulas muneribus, culmen virtutibus ornans ;
Pendula restaurans, et consistentia tutans :
Usibus instituens, fabricis et honore venustans :
Vespertina jubet Petro præconia pangi ;
Laude palam decorans abeuntis festa diei.

Terret humus vibrata hominum trepidantia corda.
At Pater almificis insistens pectore votis,
Si qua videt removenda, movet ; disponit honores,
Sacratosque gradus misti aggregat agmine vulgi.

(194) Pontifici nostro Hincmaro bis pallia legans.
Dat primum festis, ad sedula vota secundum :
Ulli quod nunquam testatur cedere Patrum.

Quæ rabidis ausus manibus divellere prædo
Barbarus, is digno satagit reparare nitore,
In fabricis vasis, velis, crucibusque, coronis :
Interea retro cæcis horrore cavernis
Lethifer exoritur serpens, gelidique veneni
Rex basiliscus atrox lethi perniciis instar
Grassatur latebris, mortem propiantibus afflans.
Sternere funesto validus quoque lumine visos.
Territus immani populus lue, nuntiat hostem
Haud accessibilem Patri. Suffragia nota
Ille petens, jugibus votis jejunia nectit.
Tandem clara dies reginæ assumptio cœlis
Regiparentis adest, via dira per antra ferebat
Virginis ad templum : comitatus papa canoro
Agmine procedens, horrendi obscura cubilis
Aggreditur, cunctis paventibus, unus adortus
Accedit, sævæque specus fera limina calcat.
Inque polos mentem, palmas et lumina ducens,
Effusis Christum lacrymis precibusque vocavit :
Et plebem prece contutans, ad sacra profectus
Debita persolvit, mortemque piamine [278] vincens.
Oratu pestem penitus vanescere cogit :
Perniciem perdens, ubi sancta precamina fundit.

His exturbatus foveis, ferus ignea volvit
Corde venena draco, flammisque retentat [279] abactis
Ereptum sibi jamdudum Petro auspice vicum,
Paschalisque reformatum quod dote cluebat,
Gregorii meritis habitatum gente [280] lucrata.
Vires ingeminans in mœnia pervolat ignis,
Proxima quæque vorans. Populorum examina con-[tra
Frangere bacchantes conantur nisibus æstus.
Flatibus at sævis incendia celsius acta
Ædibus absumptis audent petere atria Cephæ.
Auditu præsul perculsus corda sinistro,
Concitus occurrens, flammarum in prælia fertur,
Obvius atque glebis certamina dividit obstans :
Et crucis invictæ digitis signacula prodens,
Altius efflantis spiramina proterit ignis

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[276] honoris. [277] antecessoribus [278] oblato sacrificio. [279] repetit [280] Anglorum

NOTÆ.

(194) Frod. lib. III, c. 10.

Cum prece, tum cruce letales superasse vapores.
Signifer nec ferre valens insignia fervor,
In se collisus, cineres consedit in imos.
Restituens eversa Pater, vacuaque refercit
Cœnobia, numerosos cœtus restaurat, honores
Amplificat donis, sancit rata, roborat acta.
Octavam stabilit festi celebrarier almæ
Reginæ sacræ Regis sine labe Parentis.
Devotum largo populum ditione decorat,
Templaque provisis pretiose sumptibus ornat.
Exsuperat numerum sacras oblata per ædes.
Antiquo muros reparans munimine firmos
Restruit et portas, regit, ædificiisque novisque
Turresque educens, fabricas sublimibus aptat,
Insuper et portum tuto munire paratu
Aggreditur, peragitque opus eximiumque decusque,
Utile sæclis præsentibus atque futuris.
Præstruit hoc vallum, ne invadere [illegible] urbem
Hanc queat hostis, agitque procul navalia forte.
Pignora multorum passim neglecta piorum
Reperiens, levat, abluta conditque benigno.
Horum plura locans templo quod texerat olim,
Basilicæque Coronatis priscum auxit honorem
Quattuor, amplificatque decus, renovatque patronos:
Multiplicat cultus aris, et data dona.
Hinc alimenta ferens complurima pluribus aulis.
Gens inimica fretum, prædasque retentat [281] iniquas,
Qua tulerat lethum, capiens Petri arce tropæum.
Solamen rebus dumque cupidinis haustus
Ferre valens, Italos prædatores nititur agros.
Insperatus suis Deus et suffragia servis
Providet, ac gentes pelagi secreta colentes
Advehit, hostiles contra pugnare phalanges.
Quos Pater auxilii secum venisse probatos
Excipit, et sacris relevat, benedicit et armat :
Prosequitur lacrymis, precibus tutatur et auget.
Qui strati et decorant humili spiramine papam,
Hostibus intrepidi occurrunt. Potiora triumphi
Æthere monstrare studens æternus potestas,
Evocat adversis contraria flabra carinis
Applicitas quæ littoribus propellere cymbas
Insurgunt, tolluntque polo furvoque ratesque.
Fluctibus hinc rapti, mersis sorbentur arenis.
Absorptique vadis, [illegible] marique,
[illegible]
Sese oris ; [illegible] gladiisque [illegible].
Servitiis quidam [illegible] jubente
Servantur, gaudentque pio servire [illegible]
Perveniens [illegible] milites actus
Papa sagax, [illegible] aulas
Mœnibus aggreditur Petri munire sepulcrum,
Æquivocat decessoris cognomine Patris.
Quod nato Domini Francique juvamine regis
Nisu perficiens agit, sancta [illegible].
Et cinere aspersos, pedibus per limina nudis
Circumducit ovans caros plebisque magistros.

A Expletumque precum munit munimine castrum,
Hostium persistare potens et ab hoste quietum,
Sive triumphorum benedicta munere poscens.
Sicque Deo grates referens, Patreque cathedram
Laudibus [illegible] ornans, domosque venustans,
Magnificis Patres, concludit gaudia plebi.
Præsidium quo [illegible], peregrina recepta
Corsica, quos mittit populorum examina [illegible].
Hanc rebus lætæ dispositis, portis, urbe, soloque
Ausoniæ tuæ, digna mercede potitur.
Orphana plebe Patres [illegible] solemne caput,
Se dedens, Patribus [illegible] cum milite paucis,
[illegible] corde petit pronus, se Præsule dignum
Sancit ; nec [illegible] Dominus [illegible]
Servorum gemitus, [illegible] spirat [illegible]
B Ore simul cunctos Benedictum poscere Patrem.
[illegible] quærere tenax, puerili [illegible] ab ævo
Gliscere fecundi studiorum munere fructus
Lætis aquas pectore [282] capax, [illegible] fidelis,
Promulgare sagax, pacis servator honestus,
Compatiens lapsis, tumidis parere benignus,
Cernens providens, tenebrarum vicerat æstus.
His radians meritis in sancto clero senatu
Jura capit, Patribus veneranda luce sophiæ
Conjunctus, blandi refugit captacula mundi.
Indiguis dare opes doctus, [illegible], fideles,
Votaque ferventi Christi meditatur amore.
Ardua quis mactus summa ad fastigia lectus
Pascitur. Ille preces contra lacrymasque levabat,
C Pondere ne tanti supplicans premeretur honoris.
At pia plebs decreta Deo, persistens [illegible],
Vimque inferre vico, sumptisque educere septum
Certatim properans, hymnos et cantica diva
Voce ferens, hilari celsa in sacraria tollit :
Omnis et exsultans urbs gaudia clara frequentat.
Sicque simul cunctis [illegible] apta sequuntur
Sena libris, celebrique Patrum signata notatu
Leguntur, procerum [283] rite insinuanda favori.
Callidus insurgit coluber, [illegible] ferentes,
Damnatoque ligat [illegible] [284] ferro.
Atque dolis nexos ad [illegible] Francica mittens,
[illegible] Romanas [illegible] ad arces
Primates properare [illegible], ac fraude volentes.
His etiam quosdam [illegible] ab urbe
D Jus legatorum [illegible]
[illegible]
Insuper et plebem [illegible] caligine justa
Montibus [illegible], ferroque [illegible] urbem
Introeunt telis, subeunt pravo agmine templum.
[illegible] signa [285] terunt, sacræ hæc ignibus urunt,
Vastant [illegible] populo plangente figuras.
Haud ea sufficiunt [illegible] ; urbe subacta
Commovit Lateranensem ferro impete sedem.
Deponitur propriis, [illegible] caput.
Dejicit [illegible] solio, [illegible]
Nec contrectanda tam [illegible] cathedra.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII

[281] repetit. [282] f. potare. [283] [illegible]. [284] [illegible]. [285] Imagines.

Tegmine nudatus mentis, tetro angue ligatus,
Cultibus exspoliat virtutum luce cluentem,
Plagisque afficiens, subigit custodibus atris,
Damnati damnatus agens damnata ministris.
Urbs gemitu fletuque fremens, ululatibus omnis
Insonat, ordo pius planctu sacraria replet,
Alta sacerdotes suspiria corde trahentes
Infundunt lacrymis pullas squaloribus aras,
Astrati tanta redimi improbitate rogantes.
Venerat alma dies sacrando culmine digna.
At decus indignis indigno quæritur actis.
Legati siquidem procerum turgore frementes
Consilio insiliunt Patrum, punire minantes
Ensibus obstantes, baculisque elidere rectos.
Sed mens pontificum, ceu mons, immota resistit
Flamine fixa Dei, non consentire profano,
Cedere nec pœnis, terrorem temnere mortis.
Cernentes animos divino robore nixos,
Consiliis hostes variis incœpta volutant.
Nunc blandis laqueare viros, nunc frangere duris
Enisi, nunc morte pios superare minati
Illi tradere se potius per singula quæque
Membra trucidandos, quam diro anathemate sterni
Dantes [286] : increpitant rabidos, oracula pandunt
Diva super rebus, quis non obsistere fas sit.
Interea residere tumor, minui furor actus
Cordibus inspicitur, furiosa superbia frangi :
Solvitur improbitas, solvuntur limine cœtus.
Tertia lux rediens templis Romana reducit
Agmina, cuncta petunt Benedictum accedere Patrem :
Hunc solum aptari reboanti voce resultant
Mirantur magis infensæ concordia partes
Pectora, clamque sibi populi capita alma cientes
Conflictus agitant, certamina cæca retractant,
Invitosque probant histos [287] tum lumine veri
A Lustrati cedunt, animo conamina tetra
Linquere, depositumque reum captare repelli.
Rejicitur raptor turpi per probra repulsa.
Gratulansque choris modulamine plebs læta triumphat,
Ecclesiamque decentum [288] splendore venusto
Affectum repetunt, et quo sessore dicato
Attollunt prisco, divum ad præsepe vehentes
Luce coronatum populi candore nitentis
Lætitiæ, precibusque instant jejunia cara
Concelebrant, manant lacrymæ per gaudia ductæ.
His hostes superi radiati lumine solis
Accedunt, tremulo compuncti corda pavore,
Ore ducis lecti vestigia digna petentes :
Fassi errasse, capique Patris bonitate rogantes.
B Matris at ille sinu recipit, puraque benignus
Oscula mente ferens, blandis amplectitur ulnis.
Solaturque metum gaudere coisse fidelium
Christi præcipiens unitum numine templum,
Cæsarei properant legati, præsulibusque
Conjuncti, cleroque simul populoque gregato
Vocibus hymnisonis septum gaudentis ovilis
Restituunt sedi virtutis honore petitæ.
Sic redeunte die divo fulgore decora,
Oblatus Petri solio sacrisque dicatus,
Juris apostolici summoque cacumine mactus
Ætheria ut radiat lux tempestate subacta,
Dat dignis Christi tutilare nitoribus aulam.
Luce micans supera, doctrina præditus alta :
Interiora colens, at non externa refutans.
C Templorum facies pretiosis munere signis
Illustrat, variis ditans fulgoribus ornat,
Vestibus, historiis, vasis, librisque coronis
Replet, lapsa novat, dudumque amissa reformat.
Tamque suis aras quam regum dotibus auctas
Dimittens, renitere poli festinat honore.

CAPUT II.

De S. Nicolao papa, Benedicto papa, et Joanne Ravennate

Sublato pastore Patres Romanaque pubes
Mœstis incumbunt lacrymis, gemitusque resumunt,
Atque precum fervore vacant, jejunia tractant.
Excubiis instant, qui sit succedere dignus,
Virtutum pietate rogant, ostendier almum
Præponique Patrem, superoque nitore vibrati [289],
Unanimes censent Nicolaum jure petendum,
Ut qui primæva radiaverat indole sanctus :
Ludicra despiciens, animis inhonesta repellens,
Sobria suspirans, patienter seria volvens.
Sincerus, humilis, studiorum castus alumnus,
Moribus effulgens, animi dulcedine pollens.
Quis rutilans studiis præsagia clara ferebat,
Se gradibus quondam subiturum culmina celsis.
Hortatuque Patrum cleri consortia nactus,
Profecit cultu virtutum et honore sophiæ.
Hinc Patribus suppar, prædecessoribus aptus
Emicat, annexusque pio famulatur honore.
Charior atque magis renitet, quo clarior exstat,
D Consiliisque datus Benedicti præminet unus :
Asseclis de mille jugem quem præsul habere
Legerat, hoc sanctis socio perfunctus in actis,
Optati extremum calicis [290] dum percipit haustum.
Hujus et evectus humeris tumuloque locatus,
Dimissa comitem gaudet florere cathedra.
Ædibus abstractus Cephæ pavidisque latebris
Qui solio erigitur renuens, humilique reclamans
Se voce immeritum tanto vernare decore.
Impote sed nisu. Nam mox grege, plebe, senatu
Cinctus et abductus, sacratur Cæsare coram,
Augustoque astante sacros sortitur honores.
Et sacer alma gerens urbem candore coronat,
Lætificat regem, convescitur, abdita cordis
Lumina declarat, regis sibi nectit amorem.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII

[286] *f*, fantes. [287] *an* istos. [288] decenter. [289] illustrati. [290] mortis,

Prosequitur dulci mentis bonitate benignus.
Alterutrum, proceres sese amplis ditatibus ornant.
Donis afficitur praesul, famulatibus uti
Cogitur Augusti, regem divalibus orsis
Imbuit, et proprias repetentes cuncta sedes
Oscula dant pacis; discedunt corde jocati.
Moribus almificis degens et dogmate clarus
Papa lepore catus, votis atque actibus altus;
Indiguis largus, viduis miserisque benignus;
Tutator populi, cunctis tot amabilis urbi
Ecclesias varia satagit ditare nitela.
Vasa ferens claris auri argentique talentis
Historiis comit vestes, gemmisque venustat.
Secretoque novat formam urbem fonte rigantem
Pontificum fundans aedes reparansque decorat.
Graiugenum regis legatos ac dona receptat
Solatus veneranda sede responsa ferentes
Dirigit. Kalidum corruptus munere sacro
Deseruit, indagat; verum rea crimina casso
Judicii grave depositum sede removit
Depositique alium digne substituit sacrato
Et pia directo disponit jure regenda.
Militiaque Ravennatum valuere Joannem
Civibus ... posito mansuescere ...
Cedere turbidulis, sedes consistere caris
Illum sequitur ... crudam deflectere mentem.
Conciliis quoque temnentem se ferre [252] vocanti
Dat sacris sacro exutum consente senatu.
Ille proterva sequens, mundi fastigia contra
Sollicitat, legatorumque indutus honore
Sceptrigeri Romam comitatus ... tendit
Militis admissus veniam sed ... reddit.
Hinc Pater expellitur pedem revocare Ravennae
Devulsam ... chirurgi solamine medentis
Pastorem metuens aulam laceratorem ovilis,
Caesaream repetit; sed abhorretur grege casto,
Caesare devoto, fastumque remittere jussus,
Praeceptisque Patris subdi; rem alta refusus
Corda ... patronum poscere voti.
Dantur item duo ... his perditus urbem
Aggrediens, papam ... libramine Sextum
Sentit, et immensa ... laxare ...
Legitima ...
Patribus ... invicta ... robora vertit.
Caesarem ..., saepe in ...
Legatus lacrymis miseri ... cordis
... ad Patrem ... legatos ...
Compatiens ..., ... amore,
Ad vitam revocantis ovem per devia lapsam
Quaerit aberrantem, recipit ...,
Luctibus orantem, leges servare ...
Crimina purgantem, famulatus jura ...
Absolvit laqueis [253], pristinoque ... honore.
Data sella, probat papae decreta ...

Tertius sedato dat limina cultibus alma,
Muneribusque micare piis, vernare figuris
Invisum argentum restaurat rite ministrum
Agni, sollicitus sponsae reddere decorem
Inclytus Ecclesiae paranymphus; quam sine ruga
Et macula sponso intactam perferre flagrabat
Insistit studiis commissae tegmina vestis
Detergere, si qua putri squalerent labe, piare.
Regum discutiens gentis quo jure Sicambrae
Pruat adulterio, fautores ense recidens
Morbiferos, postque precum pietate medetur
Legumque abolere notas, pacemque referre
Dirigit et sese per Gallica rura columbae.
Luce quoque visa, divo rutilare nitore
Certatim populi caelis lustrarier orant.
Aethereas Romam inde petit legatio crebra,
Crebrior et solito, caelique cibaria poscit
Suscipiens dapibus satiat quos papa cupitis.
Irrigat ac caelestibus sitibunda fluentis
Pectora, Bulgariae fundit quoque flumina genti
Australi tribuens Boreas vernare decore.
Saepe nothum [254] inveniens aquilone rigescere, flammis
Ardoris superi missis accendere curat
Igniferis Patribus, comitatis luce valenti
Irradiare pios, exurere luminis hostes.
Mirandi Patris, cui fert eleemosyna nomen,
Indivisae comes vitae patrata Joannis,
Auribus archivo ex Graio resonare Latinis
Praestat, Anastasio jussis parente magistro.
Praesulibus restauratis Placentia pallio
Pervasore caret, pastore Sacesio floret.
Plectitur imperator atrox, Petri aemulus aulae.
Plectitur et papa damnatus judice moechus [255]
Patre recepta suo Graecorum urbs regia gaudet.
Priscorum Pater hic reparans insignia Patrum,
Templorum renovat fabricas, triclinia, cellas,
Bustaque sanctorum relevans splendoribus ornat
Adsciscens fovet almificas stipe duplice turmas [256]
Afflictisque patrem dulci se pectore praebens.
Aerumnas relevat, parat opportuna medendis
Dotibus atque reformatis rigat atria Cryptae.
Gregorio patrum restaurans robore castrum
Praevalido fulcit, muroque ac milite munit,
Ut Domini populum ducens in castra polorum,
Regmine robusto justoque libramine vexit
Indicium sancti mundi per climata late!
Haerebant cui mente pia caelestia curae;
Excubiae assiduaeque preces, jejunia votis
Arridens quem festivitas et copia rerum
Extulit, ostendit largum, docuitque benignum.
Cujus ut egressum flevisse clementia fertur,
Quo tamen is gaudet, gaudent socio agmina caeli.

GLOSSAE MARGINALES MABILLONII

[252] offerre [253] excommunicatione [254] Australem partem [255] Lotharius [256] congregationes monachorum

CAPUT III.

De secundo Adriano papa, et Hincmaro præsule nostro, Carolo quoque rege

Hinc sacra succedunt Adriani jura secundi.
Qui pius ac placidus laudatur, et ordine clarus,
Pauperibus largus, locupletibus atque benignus;
Omnibus et medius, nulli nisi charus habendus
Compatiens passis, patientes improba servans,
Passorumque ferens causa, longinqua pererrat
Scriptis regna, monens rigidos, reparans quoque [fractos,
Justitiæque viam justo moderamine pandens,
Utque Patres superi [296] Regis fastusque coercet.
Ac maculis purgare nigris regale [297] laborat
Nunc monitu blando, nunc asperitate cubile.
(195) Pontificem is nostrum sumit regemque so-[dales,
Hincmarum et Carolum; sociosque laboris adoptat.
Sceptraque sic pariter tutari a crimine certat.
In multis etiam divina lege regendis
Hinc nostrum Patrem sibi fratrem adsciscit agonis.

De Joanne papa VIII et Marino ejus successore (196).

Hoc rapto capit octavus segmenta Joannes
Culminis eximii, quique effulsisse beatis
Moribus adstruitur, doctrina ornatus et actis.
Judicii custos, recti pietatis amator.
De Christi segete crebro zizania pellens,
A Et rationales per agros pia semina spargens;
Utpote doctiloquus, prudens, sensuque peritus.
Sollicitum qui se gregibus præbebat alendis.
Quo Patribus juncto solers subit alta Marinus
Regmina, qui puerulus Domino et decus orbis ha-[betur.
Augustis charus, populorum dignus amator;
Doctrinis renitens, sacra et semina diva
Cordibus infundens hominum per climata mundi.
Nam Græcos superans, pulsis erroribus, unam
Reddidit Ecclesiam, scissumque coegit ovile.
(13) Pontificem nostrum Folconem hic fascibus [ornans,
Instruit ore, manu pastoris comere jura,
Justitiæque ejus congaudet promptus amori.
Inque refutandis præstans suffragia pravis,
Fert se adjutorem, multam minitando superbis
B Hunc fratrem velut amplectens, incommoda re-[velet [298].
Utque fidem monet exhibeat, scriptoque revelet
Hujus et ad nutum Patribus mandata resignans,
Contemptore super jubet exercere vigorem;
Et parti istius precibus se dedere curans,
Francorum regem affectum retinere paternum
Hortatur, solans votisque juvamina præbens.

CAPUT IV.

De tertio Adriano papa, et Fulcone nostro præsule Carlo quoque Augusto, et de Stephano V

(14) Tertius emissos Adrianus honore secutus,
Præsule jam dicto Folcone studente paratur
Remensi Pater Ecclesiæ, tutator et altor.
Jura sibi decoris firmans ut robore apti,
Et contra adversos solatia debita præstet,
Nostrumque affectu regem genitoris adoptet.
Præsulibus patrem pandens se rite benignum.
Quo cito prærepto, Stephanus de nomine quintus
Fascibus evehitur summis, qui præmemoratum
Pontificem nostrum scriptis solando paternis,
Hunc dignum fratris, hunc nomine censet amici
Se promptum firmare ab eo quæ rite petantur.
Ille tamen servum potius se destinat imum,
Attollitque Patrem, Dominique impendit honorem
Exoransque rogatores pro culminis ejus
Reddit luce alios, ac flagrat adire videndum:
Barbaricæ impediant acies nisi vota parati.
Ipsius ergo precum poscit munimine regnum
Tam crudo redimi sævæ discrimine pestis.
Se quoque conari tota virtute reniti
Ejus apostolico tendentibus atra nitori.
Quæ consanguineo magnati impendier audit
Widoni; sibi ceu fuerint impensa, capessit.
Remensi Ecclesiæ Romana præstita sede
Intemerata jugi serventur honore, precatur:
C Utpote juris apostolici cuncta fideli,
Quam certare sibi contra omnia livida norit;
Tradita pauperibus, sacrisque addicta ministris,
Sed perversa feris direpta furentibus ursis,
Adjuvet allisis evellere faucibus atris.
Adgaudet summus redditque levamina præsul,
Seque probat fratris devotum in jure manere:
Hunc etiam et natum sub patris amore fovere,
Noxia quæ patitur ceu propria flagra dolere,
Assiduisque ejus precibus pro pace rogare,
Atque petita modo vel tempore cedere digno,
Præsulibus pervasa jubet quo reddere cogant
Raptorem; sacris, referat nisi rapta, repellant.
Augusto scribens Carolo, præconia Christo
Induperatoris pro sancto reddit amore.
D Quo flagrans sublata diu patrimonia nostræ
Reddiderat sanctæ summo sub nomine sedi;
Ac monet ut peragat quod adhuc hinc restat agen-[dum,
Sumere perfecte queat ut mercedis honorem.
Folconi quoque gratificans, solamina confert

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[296] antecessores. [297] Lotharii. [298] *f.* vellat.

NOTÆ.

(195) Flod. lib. III, c. 20.
(196) Deest titulus in codice.
(13) Flod. lib. IV, c. 1.
(14) Idem ibid.

Affectuque monet cœptis insistere votis
Erga Romanam summi moderaminis arcem.
Conquestus se indigna pati, suffragia legat
Istius ad Patris mandatque juvamina ferri.
Sic peregrinantes sub amore et nomine Petri
Suscipiat petit, ac foveat, tueatur, honoret.
Pace laborantis totius et ordine regni
Grates inde refert, crescatque hortatur ut instans.
Urbis Lingonicæ questus delegat eidem,
Contra vota premi pastorum culmine plebem.
Nec digno impetrare Patrem molimine tentat
Pontifici Lugdunensi mandata dedisse
Significans, atque optatum sacraret honore.
Quo renuente diuque instante labore vacantis
Ecclesiæ, se prolatam suasisse potenti.
Quocirca properans, quæ desunt impleat urbi,
Regimine præficiat rectoris rite dicati,
Præsulibusque aliis papæ decreta revelet.
Hic paratus ad hæc, Patribus præcepta retexit.
Regi jussa monet, quo se promittere noscatur
Rex, domui Romanæ militat, certamque resultat
Sententiam, post se nulla tutamine permanendam
Fert jussis ab apostolicis, atque termine mortis.
Præterea patriis possit se jure doceri
Dogmatibus, papæ digne ut sacra culmina servet.

A Præsul apostolicus hujus quoque regmina firmans
Roborat Ecclesiæ quæ sunt data munera nostræ,
Jura antiquorum procerum concessa nitore.
Nemo horum quidquam minuens usurpet inique,
Nec præsul demat, canonum nisi lege petatur.
Hæc si quis violet, ausus temerare statuta,
Sede Petri digne multa dictante prematur.
Edita conservans benedici promereatur.
(198) Pontifici tunc nostro synodum delegat habendam
Cum nonnullarum regionum Patribus, atque
Inter Agrippinæ trans Rhenensesque patronos
Audire expandas justo moderamine causas.
Postmodo si valeat, præsens accedat, et ista
Cum multis aliis pariter pertractet agendis.
B Hunc reliquos quoque Gallorum vestigia Patrum
Urbe Biturigensi super admonet improba ferri
Jura querente sibi, cui condoleant miserantes:
Increpitans, cur non resecent præsumpta silentes,
Qui se pro muro infestis opponere debent.
Justitiæ zelo quocirca armentur, agonem
Aggressi Domini ad propriamque redire cathedram
Compellant præsumptorem, miseratio papæ
Quam cedit dumtaxat ei: si temserit, omni
Sacrorum exsortem penitus se noverit honore.

CAPUT V.

De Stephano et Formoso, translatione quoque sancti Calisti ad nostram urbem.

(197) Formosus Stephanum sequitur; cui grammata noster
Dirigit expositis supra quam se pie sedulos,
Congaudens subiisse vices hunc regminis Petri.
Has sermone simul suppleri deposcit et actis
Qui vigeat, solans vehat ad potiora cathedram.
Propitiumque Deum Ecclesiæ testatur in hujus
Culmine monstrari, quod tam tractatur honeste.
Huic se subjiciens, famulatus omnis honorem
Spondet, et excusat quod eum non visere currat:
Atque refert grates, quod in solemnibus ore
Miserit, insinuans illum se optare videndum.
Et se ipsius in ascensum quod signat aureum,
Prolixisque offert denariis munus daturum.
Ejus et ad nutum Stephani sese edere [299] jussum.
Respersæ Ecclesiæ quamlibet referre possit
Manibus, ejusdem vasa ne quando rapinis
Demantur sacris, avulsis protinus actis.
Magni pontificis Christi testisque Calisti
Membra sub signis collata illic Rodulpho
Cum rebus sancto appositis [300], avellere quidam
Quas nitebatur. Super his consulta requirit,
Auxiliumque petit, pravi quo jure premantur.
Et quia comperit, quædam Romanam summam
Turbari sedem; capiti cui condoleat artus,

C Subjectis quoque præsulibus qui indebita poscant,
Ne indigna faveat, suadet, sub tramite pacis.
Hic rependit ad hæc, studeant moderamina summi
Rectoris pariter verbis attollere et actis,
Juxta quod collata sibi fert gratia cuique:
Ne vacui sub ea servi culpentur haberi.
Quin aptos per eam fructus afferre laborent.
Illicita inhibeant, infandaque germina vellant,
Et cunctis Christi famulis suffragia præstent.
Cujus opus causa cupit hujus noscere curam,
Deplorans miseras clades hominumque labores,
Hostis et antiqui captantia retia fraudis,
Quis genus humanum crudeli pollicit astu.
Hinc hæresis, hinc bella movens, et cæde gaudens,
D Sanguine fervescens, odiisque multiplicibus ardens,
Atque Orientales hæresum scismate rumpens.
Unde sacerdotes scandalo commoneant, arma
Corripiant, aramque levent discrimine sævo.
Conveniunt igitur medium sibi ponere Christum,
Qui consulta ferat, det opem, faciatque salutem.
Ad quod pontificem rogitat contendere nostrum
Accingi, properare, moras disrumpere cunctas,
Auxiliumque malis mundo conferre ruenti.
Christus sit via, dux Christus, victoria Christus.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[299] exsequi [300] concessis

NOTÆ.

(197) Flod. lib. IV, c. 1.

(198) Ibid.

Nec satis est monuisse semel, monitusque paternos
Haud iterare piget, Matris succurrere cladi,
Disponi synodum generali jure gerendam,
Ad quam festinet nullo impediente retentus
Pondere desidiæ, uberius simul omnia tractent,
Quæ tractanda sient : oracula clarius edant
Barbaricæ gentis quis Francica regna procellis
Turbantur, nimium dolet : atque ut dextera summa
Has reprimat, procerum Christi suffragia poscit.
Privatæ legis munimine jura petita
Remensi fert Ecclesiæ retinenda docendo,
Ac prohibendo nefas, ne quis præsumat inique
Attrectare sacris possessa aut demere cassa [301].
Nullaque pontificum, regum, comitumve potestas
Illicite usurpans, proprios inflectat in usus
Quæ sunt Ecclesiæ, quam præsule forte vacantem
Nullus ut invadat, violentum aspiret in ausum :
Nec nisi condigno præsul statuatur honore;
Pontifices, reges, clerus, subjectaque plebes
Provideant, operante Deo ut bene tradita servent,
Amplificent, decorent, supera mercede propagent.
Dispositum digne præmisso præsule quisquam
Non mutilare decus, non immutare subintret :
Usibus at maneant servorum dedita Christi
Integra pontifici, dignis tractanda ministris.
Hæc contra quisquis præsumpserit acta venire,
His se mulctatum scitis anathemate norit :
Servator vitam mereatur habere perennem.
Rebus Avennaci, super almi et jure Calisti,
Tum decreta pari provexit robore fulta.
Præterea quod compererat per devia quosdam
Pontificum ferri, populisque exempla ruinæ
Dedere, et increpitos non digna rependere suasis;
Quin et deteriora sequi, nec dira cavere :
Non sine se mœrore gravi tolerare fatetur.
Ad pacem invitans exstinguere scandala quærit,
Pontificum fastu Christus quia temnitur atro.
Noster et antistes dolet, arguit, increpat, angit.
Unde monens mandat junctos hunc cogere Patres,
Atque alios accire probos, decretaque legis
Pandere divinæ, synodum celebrare vigore
Cesso [302] juris apostolici munimine fultam,
Noxia vellendo gregibus, profutura serendo.
At si quid fuerit perversæ litis obortum ;
Præsulis eximii serventur cognitioni,
Dante Deo dignum valeant ut sumere finem.
Cui se concilio tentet subducere nemo,
Quisquis apostolici consors cupit esse favoris.
Bellorum motus per Francica regna coercens,
Primates monet Ecclesiæ certare labore,
Totius curæ madeant ne regna cruore,
Christicolæ reges bellisve armentur iniquis.
Attrectare nefas aliena, invadere cessent.
Bella soporentur. commotio sæva prematur.
Dum Roma Folco redeat, pax sceptra gubernet.
Hæc eadem exhortans ad pacem scribit Odoni,
Ne Carolum contra bellum moveatur iniquum,
Nec vetitos meat fines, invadere nitens
Externi quæ sunt juris, cupidoque rapinis
Abstineat, vitans rectos transcendere calles,
Quæ Domino placeant solerti mente retractet,
Ante oculos statuens ejus sub amore timorem.
Pace laborantis congaudens præsulis actis
Admonet his canto Folconem insistere nisu,
Pax odiis ne inconsulte quæsita facessat,
Regia neu celsi generis scintilla teratur
Crimina sceptrigeri prudenti arcenda medella,
Regmine pro regni ne pessima scandala surgant
Hortatu Carolum sedans gratanter honorat.
Gaudens hunc patriæ provectum culmine sedis
Atque petens Christo placitum per tempora longa
Crescere justitia, pietate, et luce sophiæ.
Ac monet ut Dominum cordis præ lumine ponat,
Jussibus ipsius totis conatibus hærens
Diligat et servet quæ justa ac recta probarit
Admoveat justis aurem, divertat iniquis.
Sit virtute animi, carnis præstantior usu.
Corporis ac mentis hostes ut sternere possit,
Se quoque quæ valeat spondens augmenta daturum
Panem pro grato benedictum munere legat,
Quæsierat geminæ quem rex sub dote salutis.
Solertes cum quis tractentur commoda mandat,
Immo sacerdotem Folconem ad talia mittat,
Cujus consiliis utillima quæque decori
Edantur, regis cumulandi et culminis apta.
Quorumdam querulo nimium clamore petitus.
Urbem indigna pati queritur, metuique clientes :
Sedandis quibus exhibeat se Folco reposcit.
Comperto tandem is veri moderamine præsul,
Quam sit apostolicis fidus quam jussibus ardens ;
Parere æthereis gaudet, gratesque rependit,
Spondens se in quibus expediat præbere benignum :
Hujus et ad votum regum pressisse duellum.
Præsulibus regique ideo mandata dedisse,
Tutius ipse Petri valeat quo visere sedem.
Hunc quoque fratris honore colens, specialia legat
Munia charorum, tutandum poscit honorem,
Scandala proterere, et pacis connectere vincla :
Frenare implacidos, et ad almam cogere pacem,
Idque Petri latum fidat sibi munere donum,
Lambertum Augustum, Folconis carne propinquum,
Ut proprium se tutari solamine natum
Significans, nostris gratissima præsulis effert
Vota, quibus Petri veneratur honore cathedram.
Sacrilegos quosdam sacrati culminis atros
Carptores, summi capitis clarissima membra
Attemerare ausos, anathematis ense recisos
Notificans, monet hunc nodos dignæ addere multæ
Sceptrigeri quoque cognati pro culmine certet
Sicque Parisiaco legans mandata patrono [303]
Hos Anscherico notat esse omnino cavendos,
Ac vitanda nigri consortia dira furoris.
Ecclesiam solans Senonum pastore gementem
Addicto latebris, damnando [304] criminis ausu :

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[301] concessa. [302] concesso. [303] episcopo. [304] damnabili.

In Domino sperare monet: patienter acerba
Spe decoris ferre ætherei virtute Tonantis.
Videre se proprio solandum præsule viso:
Se decrevisse foros Patribusque notasse tenendos
Formam divino, ne quis dein talia tentet.
Missurum se legatos, ubi tempora digna
Se tulerint, quis sedentur hujusce procellæ.
Lingonici servo raptori præsulis ora
Dirigit, ut tandem gestis resipiscat amaris,
Pontificem reddat, damnet quæ dira patrarit,
Sin secus, æternæ plectetur nomine mulctæ.
Sacrilegis super his patrios delegat Odoni
Scripturæ monitus, ut secet hos anathemate pravos,
Quos non suscipiat, nec eis affamina jungat,
Ipsorum sese maculari crimine vitet:
Quin immo Ecclesiæ præstans solamina tritæ,
B Protegat, auxilium impendens, ubi viderit aptum.
Hæc eadem Carolo mandata tenenda redegit.
Walterium Senonum, temerantem oracula legum,
Corripit increpitans; Trecasinæ intulit urbi
Regimina non lecti cur præsulis, atque recepti
Ex alia Ecclesia contra decreta paterna.
Quem removens, lectum *** statuit, moderamina tradit.
Sacrilegoque sacrum Ravero impertit honorem:
Nullus ut obsistat scitis, confidit eumdem
Hæc Patri Carolus Formoso grammata legans,
Seque suique agens committit jura tuenda:
Exsolvens referens grates sub honore favoris,
C. Se genus atque suum dignum quia laude putarit,
Provectumque ejus gratum sibi duxit habendum,
Noverit ergo sibi regem pro sede fidelem,
Devotum et famulum jussis servire paratum
Ejus præsidio tectum sat fidere: tantum
Hostis apostolicam nequeat divertere mentem.
Augustum sibi conciliet. Christumque precetur
Pro se, proque sibi commissi regimine regni,
Cujus ut in partes accedere censeat, orat:

A Ipsius aspectu solari ac famine possit.
Interea panem benedictum munere mittat,
Fotese nullique favens assentiat hosti
Quin adversa premat sacro molimine, jure
Crescat ut ipsius sumptum sancimine regnum.
Fulco etiam præsul grates a sede vocatum
Se referens Petri, possit suffragia regi
Gratificans regis quod eos suscepta benigne
Tractetur, patrio foveantur sceptra nitore,
Sollicitus *** pro regali quod germine papa
Suggerit ergo petens, faveat ne partibus hostis,
Roboret id magis, exaltans, e viribus augens:
Accumulet precibus, votisque ad sidera missis
Pulsari subjiciens hos ab hostibus undique fusis
Quos rogat arceri, pervasoresque repelli,
Prædones reprimi moderamine regminis almi:
Ne inter Christicolas bellum civile geratur,
Naufragio Ecclesiæ ne gaudeat æmulus atrox,
Illicitos ibi subjectis nitentibus ausus.
Quid medicamenti impendat, consulta reposcit,
Lamberto induperatori sibi carne propinquo
Multimodam agnoscens curam dependere papam;
Gaudet, ac exposcit maneat dilectio talis
Quem licet alienum nullo sibi jure colendum
Prodit, amicitia Patris nisi noverit auctum.
At Carolo regi petit hunc sub fœdere necti,
Huicque ambos regum solatia pendere proli.
Damnatis quem si quid medicaminis addi,
Quoque modo vel qua hos valeat curare medela;
C. Expromi sibi deposcit servire parato.
Præsul hic egregius Formosus laudibus altis
Evehitur, castus, parcus sibi, largus egenis;
Bulgaricæ genti fidei qui semina sparsit.
Delubra destruxit, populum cœlestibus armis
Instruxit, tolerans discrimina plurima, promptus,
Exemplum tribuens, ut sint adversa ferenda
Et bene viventi metuenda incommoda nulla.

CAPUT VI.

De Bonifacio papa, et sexto Stephano, Theodoro quoque papa.

Hinc subit ad modicum vates Bonifacius almus.
Per quinos hic in arce dies explevit honoris:
Culmina mox mutans, superat fastigia celsa,
Isque brevi spatio quæsita cacumina scandens,
Inter apostolicos proceres ascribitur albi.
Tum sextus Stephanus sacra regmina culmine
Durus qui nostros, populis et durior instat cœpit,
Sæva quidem legat vivis, truculenta sepultis.
Falconemque minax, Formosum convenit actis.
Concilium cogit infaustum, cui præsidet atrox:
Prædecessorem abjiciens pessumque patronum.
Visus abhinc meritis dignam incurrisse ruinam,
Captus et ipse sacraque abjectus sede, tenebris
Carceris injicitur, vinclisque innectitur atris,
D Et suffocatum crudo premit ultio letho
Post hunc luce brevi Romani regmina surgunt
Quattuor haud plenos tractans is culmina menses,
Æthere suscipitur; meritos sortitus honores
Quo rapto breviore subit fastigia sorte
Dilectus clero Theodorus, pacis amicus.
Bissenos *** Romana dies qui jura gubernans
Sobrius et castus, patria bonitate refertus,
Vixit pauperibus diffusus amator et altor.
Hic populum docuit connectere vincula pacis
Atque sacerdotes concordi ubi junxit honore.
Dum propriis revocat dissectos sedibus, ipse
Complacitus rapitur decreta sede locandus.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII

*** electum. *** sit. *** in bis denos.

CAPUT VII.

De sanctis Joanne, Sergio, Benedicto, Leone atque Christophoro.

Joannes subit hinc, qui fulsit in ordine nonus,
Pellitur electus patria quo Sergius urbe,
Romulidumque gregum quidam traduntur abacti
Conciliis tamen is ternis docuisse refertur
Dogma salutiferum, novitasque aboleta malorum,
Et firmata fides doctrinis tradita Patrum.
Tum sacra consurgunt Benedicti regmina quarti,
Pontificis magni, merito qui nomine tali
Enituit, cunctis ut dapsilis atque benignus.
Huic generis nec non pietatis splendor opimus
Ornat opus cunctum, meditatur jussa Tonantis.
Prætulit hic generale bonum lucro speciali.
Despectas viduas, inopes, vacuosque patronis,
Assidua ut natos proprios bonitate fovebat :
Mercatusque polum, indignis sua cuncta refudit.
Post quem celsa subit Leo jura, notamine quintus.
Emigrat ante suum quam luna bis impleat orbem.
Christophorus mox sortitus moderamina sedis,
Dimidio ulteriusque parum dispensat in anno.

De Sergio et cæteris ad Leonem septimum (199).

Sergius inde redit, dudum qui lectus ad arcem
Culminis, exsilio tulerat rapiente repulsam :
Quo profugus latuit septem volventibus annis,
Hinc populi remeans precibus sacrator honore
Pridem assignato, quo nomine tertius exit
Antistes : Petri eximia quo sede recepto
Præsule gaudet ovans annis septem amplius orbis.
Ipse favens cleri censura in culmine rapto
Falce ferit pervasores. Quo rebus adempto
Humanis in Anastasium sacra concinit aula,
Tertius hoc præsul renitet qui, nomine Romæ,
Sedis apostolicæ blando moderamine rector,
Sentiat ut Christum veniæ sibi munere blandum,
Quando dein summam Petri subit ordine sedem,
Mensibus hanc coluit sex ut denisque diebus
Emeritus Patrum sequitur quoque fata priorum.
Surgit abhinc decimus scandens sacra jura [Joannes.
Rexerat ille Ravennatem moderamine plebem.
Inde petitus ad hanc, Romanam percolit arcem
His septem qua prænituit paulo amplius annis.
Pontifici hic nostro legat segmenta Seulfo.
Mumficisque sacram decorans ornatibus aulam,
A Pace nitet dum patricia decoptus opum vi,
Carcere conjicitur, claustrisque arctatur opacis
Spiritus at sævis retineri non valet antris :
Emicat immo æthra decreta sedilia scandens.
Pro quo celsa Petri sextus Leo regmina sumens,
Mensibus hæc septem servat, quinisque diebus :
Prædecessorumque petit consortia valtum.
Septimus hinc Stephanus binos præfulget in an- [nos.
Aucto mense super, binoque ac solo jugato.
Disposita post quod spatium sibi sede locatur,
Nato patriciæ hinc cedunt pia jura Joanni ;
Undecimus Petri hoc qui nomine sede levatur.
Vi vacuus, splendore carens, modo sacra ministrans.
B Fratre a Patricio [308] juris moderamine rapto,
Qui matrem incestam rerum [309] fastigia mœcho [310]
Tradere conantem decimum sub claustra Joannem
Quæ dederat, claustri vigili et custode subegit.
Artoldus noster sub quo sacra pallia sumit,
Papaque obit, nomen geminum fere nactus in an- [num.
Septimus exsurgit Leo, nec tamen ista volutans.
Nec curans, apicis mundi, nec celsa requirens :
Sola Dei quæ sunt alacri sub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata subire renutans.
Raptus at erigitur, dignusque nitore probatur.
Regminis eximii, Petrique in sede locatur
Sed minime assuetam linquit decoramine curam.
Deditus assiduis precibus, speculamine celsus.
Affatu lætus, sapiens, atque ore serenus.
C Qui me visentem ætherei pia limina Petri
Jocunde excipiens, animo quæsita benigno
Admisit, favitque pie, studuitque modeste :
Famina grata serens, epulis recreavit utrisque,
Corporis atque animæ ; benedixit, et oscula libans
Ac geminans dono cumulatum muneris almi,
Pergere lætantem amplexu dimisit honore.
Quem Pater omnipotens alacrem cultuque venustum
Attollat, servetque diu, digno excolat actu.
Et cum præsulibus sanctis, consortia quorum
Promeruit, sedis præstet super æthera sedem :
Cum quibus æternum maneat præclarus in ævum (200).
D *Huc usque Mabillonius.)*

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[308] Albrico. [309] imperii. [310] Hugoni regi Langob.

NOTÆ.

(199) Deest titulus in codice.

(200) 1. Baronius et alii Sergio tertio tribuunt tres annos duntaxat cum mensibus qnatuor : Frodoardus annos septem. —2. Anastasio Baronius annos duos, menses viginti : Frodoardus menses sex cum denis diebus, — 3. Frodoardus prætermittit Landonem, quem alii Bandonem vocant. — 4. Joanni decimo ascribit non integros annos quindecim. — 5. Leoni vero nominis sexto menses septem et quinos dies cum recentiores et tribuant solum menses sex, dies quindecim.

INCIPIT LIBER DECIMUS TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De sanctis Theodoro, Acontio, Servulo et Januario.

Quis numerare queat quibus illustrata triumphis
Roma micet Christi, dum nec magnalia Petri
Gesta queat se complecti valuisse resignet
Gregorius, vel proposito discedere cœpto.
Quis supplere potest se posse quod ille negavit?
Numquid Theodorus famulorum cernere solus
Visentis vultum Domini vocemque loquentis
Aure sequi dignus, cujus se Petrus adesse
Servitiis gaudens præsentem lumine probaret?
Solus an obsequiis devotus Acontius ejus
Vixerat, Formosæ quem dignum pondere signis
Duceret ac per eum paralytica membra levaret?
Visa vel hæc tantum quæ digna salute pusilla
Mœnibus aut in apostolicis tolerare laborem
A Languoris novit patienter? Servulus unus
Rerum opibus pauper meritorum munere dives,
Largus et indigens, sola pietate vestitus,
Et similis Job, Dominum laudare dolore
Obsitus invigilans, cujus patentis cœlos
Exsultare facit, quos dedita dum petit astra
Mens pia cœlestis spargit fragrantia tecta
Hanc paradysiaco depromens nectare functam?
Solusve martyr templa Januarius
Vetat inquinari criminoso funere,
Mutare vellera suetos ut coloribus
Ardere se clamante dire spiritu
Propelleretur e sacris miserrime?

CAPUT II.

De sanctis Deusdedit, Victorino, Anastasio, Redempta, Galla, Romula et Mosa.

Religionis opus sutorem probabile Romæ
Patuerat vates pergens quem visere iturum
[illegible] Danielque legunt nobisque patescunt.
Hic Deusdedit, erat sutor cui sabbata solum
Ædificare domum, fabricamque extendere visu,
Ordinis operis dignis æquantia tectis?
Aut Victorinus lavit bono crimina solus
Fletibus, et commissa pio solamine functus
Gauderet laxata sibi, fulgore vibratus
Quo monstraretur meritis caruisse tenebris?
Militis ac tantum aulis Romana probatur
Intra castra labor, placidas ut visere sedes
Sit meritus, solus visuque referre nitorem
Gallave patricio renitens genitore venusta,
Præduro sed Petro, sponsoque venustior alto?
Vel puer armentis studiosus simplicitatis,
Quem vis prona dedit cœlis, terrisque remissum,
B Cœli discipulum linguarum dona probarunt,
Prædictique obitus mox funera verba secuta.
Numquid Anastasius, blandi res ponere mundi
Strenuus inventus Romanis arcibus unus,
Scrinia dimittens, qui castra monastica legit,
Emeritusque polis accitur rupe vocatus,
Moxque sequitur recitantem in ordine fratres,
Obsecratus precibus nec voce notatus amicus?
Aut cum discipulis vitam præcone beato
Dignam Gregorio Romæ egit sola Redempta,
Mentis honore nitens, et hirundine digna magistra?
Romula cœlicorum solamine sola levari
Lumine lustrari, cœlesti nectare pasci,
Æthereis fungi exequiis, et luce superna
C Mosa Probi soror aut superis sola apta choreis
Ascisci, genitrice Dei visente vocari
Institui monitis, ipsaque petente resolvi?

CAPUT III.

De sanctis diversorum locorum Italiæ, Honorato scilicet, Libertino et cæteris.

At dum Gregorii venerando syrmate prompta
Claudere carminibus modulis diffusa ligare
Conor adortus iter tam celsum, tam juga tentans
Ardua conatus vertice contingere clivi,
Prata beata dulcesque per inclyta gramina flores
Squalidus impuris trepidans irrumpere rivos.
Sed si sancte Dei currant spiramine lapsi,
Æthere dulcifluo purgent spurca valebant,
Ipseque aureolis stillis contentus arenis
Quo tamen hæc aditum tam læta vireta petenti
Ausonicene means per rura, per oppida quæram
Ignotos nutante sinus attingere [illegible].
An sincera patrum lustrans vestigia tanti
Summatim recolam tangendo relata profuse,
Nota magis mente revocans quam tecta resignans?
Fluminis immensi quis derivare meatus
Tam valeat vastos? Ac ne per plura negasse
Proposito culpet, strictim libentur opima.
Divino vel Honoratum spiramine doctum
Linquemus, cœlestis amor cui cœlica suasit,
Æquoreæ samnite dapes cui rupe parantur:
Montorum pater [illegible] qui vertice ruptam
Saxoso latere lubrici per prona ruentem
Fixit, et in Christi suspendit nomine molem,
Eripiens cellam, fratres necis impete servans.
Num Libertinum taceam qui assecla Honorati
Doctoris meritis effulsit et ipse beatus,
Prodigiisque micans dejectus equo flagra quondam
Dum pius impertit, faciem ut procedit amnem
Solerra, tunsis lymphanti [illegible] caballis
Prædonem ponensque suum, dat ponere cunctos
Dum recipit recipi, mulctata solidia præstat,
D Pauperis et votum agit, dissolvitque phalanges:
Sic etiam Francos prædæ fervore furentes

Involvens tenebris præsentem visibus abdit?
Quid puerum luci subtractum, matre querente,
Vimque ferente, reformatum vitæque reductum,
Attactu caligæ doctoris stemmate latæ?
Cujus Honorati Libertinive feremus
Hoc, meritis fidei annisus sed matris uterque.
Hujus celsa viri signis patientia magnis
Effertur, correptorisque magistra magistri,
A Discipulos celebres miranda in facta relinquens.
Quorum multa latent operum veneranda piorum,
Quæ ducis eximii premere silentia nobis;
At non tota vacant oleum memorique renidens
Laude retecta, Dei sub honore celebriter acta.
Gramine Servato, presso angue, tuente latrone,
Supplicis digno cruciatibus hoste soluto,
Spebus solato blandis, et munere toto.

CAPUT IV.

De sanctis Equitio, Constantio, Marcellino, Nonnoso et Bonifacio.

Quid referam Equitium cœlesti operante spadonem
Chirurgo, castisque viris ipsisque puellis
Ductorem, sanctæque viæ sine more magistrum,
Vergentem se imis, mentes ad celsa levantem,
Qui certans dum vectat oves ad ovile supernum,
Suscipiens plures, etiam quem dæmone plenum
Corde videt Satanam vocitans assumere paret;
Utque probetur opus, capit intra septa latronem,
Dum vexatur ovis tentante lupi impete mentem:
Quo simul ejecto laqueis evellitur agna.
Nec longum fidei zelo fur carpitur igne,
Qui magicis cellam se suspendisse frequenter
Rettulit Equitii, valuisse ac lædere nullum.
Nec minus absorptam lactucæ dapsilis hamo
Fruit [*f.* Eximit] æthneis absorpti faucibus anguis.
Increpanti [*f.* Poscenti] causasque aditus, horrore fe-
Qui superi ferro medici plectro oris adacto [rentis
Verbo Dei capiens jussus properare rigatum
Imbre salutari sitientis pectora plebis
Dum satagit galeis animas pietatis onustus
Lucrari Domino, vicos et castra peragrans,
Corporis abjectus specie sed mente venustus,
Subripitur papæ præconem lege premendum
Censuræ subigat, tantisque coerceat ausis,
Mittitur ascitum; mutantur corda petentum
Pectora tantorum inculti præsentia terret;
Arguitur præsul visusque horrore vibratur
Quid Domini vexet famulum, rapidoque volatu
Sceda meat prohibens iter, implens famina vatis
Invitum atque latiscentem properare monentis.
Vixerit hic qualis testantur mira sepulcri.
Ruricolæ arca supersidens vi turbinis acta
Atque repulsa procul; querula sic dum terit hostes
Voce lacessitus, tegit hostili agmine vernas,
Præsidiumque ferens servat tutamine multos.
Narcissi pariter constanti luce renidet,
Illustrans olei vice templa flagrantibus undis.
Temptor et ipse tui temptorum et gratus amicus
Magnus mirificis et mansuetudine major.
Quæ tibi Marcelline, feram præconia, præsul,
Virtutem languore sedens operate virilem,
B Dum, fractus podagra, flammarum robora frangis?
Queis etiam expediam tranquille dura ferentem
Nonnosum titulis æquantem facta priorum
Magnorum ille patrum gestis, dum præparat hortum
Acta mole procul rupis, sectatur Achivum
Gregorium sanctum; solidata lampade vitri,
Donatum; repplens olei parvo unguine vasa
Cuncta monasterii signo helisea rependit.
Sed neque dissimili renitet Bonifacius actu
Ille Ferentinas qui paupertate feracem
Attollens animum pressuras inter et acta.
Dum Domino grates dispendia reddere novit
Exiguis stillis apothecam et dolla replet
Ipsaque vix infusa mero sola munere spargunt.
Quæ custos animi prohibens, se in corpore, pandi.
C Barbaricis quoque vina viris in vase pusillo
Crescere dum præstat, nasci dat in usibus haustum:
Cymbala concutiens laudesque ex ore beati
Præveniens, Christi plectendus judice summo,
Præcinitur, quæsita planus solatia nactus.
Aurea perpesso arguitur dum damna nepote,
Aurea lucra refert, canit ardua damna nepoti:
Culminis auro affectatu removetur honore.
Quin parere sibi ratione carentia cogens,
Erucis tectum juratis liberat hortum.
Nec miranda adeo quæ dignus honore sacerdos
Gesserit, acta quidem puero si mente librentur,
Ornante indignos, sese nudante frequenter,
Horrea fruge data sanctis, exhausta rapinis:
D Matris compassus lacrymis prece replet opima,
Quo raptu quoque gallinas atque eripit hoste,
Plectitur et rapta raptrix vulpecula præda.
Non spernente Deo in minimis audire clientem

CAPUT V.

De sancto Fortunato episcopo.

Nec Fortunati Tudertinæ acta silenda
Præsulis insigni virtutum luce cluentis,
Qui prece subnixus hostilia sæpe fugabat
Agmina spirituum, cuneos horrore subactis
Sedibus exturbans; sensit suffragia nupta
Carnea quam superans una dum nocte voluptas,
Degere secretam prohibet thalamisque remotam:
Audentem Domino sacrandum irrumpere templum
Martyris adventu vindicta severa coercet;
Quam nisus tegere abripitur tutator ab angue,
Thessalicis addicta malis legiones Chelydri
Impetitur, nimioque fremens inceditur æstu:

Confessi tandem genitores crimina culpæ,
Pontifici sistunt, rabidoque labore levatam
Nec linguam post ... mundamque reducunt
Hospitio ejectus privat dum prole parentem
Non bene ... tantem bona perfidus hospes aperte
Haud admittendum notat hoc censore fugitum.
Lumina damnatis reddiderat hic papa fenestris,
Eripuit quoque depulso jumenta furore
Et quodquid petiit comitata est actio compos;
Approbat orsa Gothi, contempto patre, ruina
A Post coxæ attritum rigidi contritio cordis;
Corporis et plexa duræ mollitio mentis:
Jussa patrocinii, velox solidatio membri,
Moxque secuta salus, actoque dolore medela.
Expertus quoque Marcellus de morte reductus
Ejus in adventu decreta sedilia linquens,
Voce levi rediens, hujus quid vota valerent!
At Fortunatus fuerat ceu corpore degens
Ægrotos solitus curare, absolvere nexos,
Pellere perniciem, nec adhuc post funera cessat.

CAPUT VI.

De sanctis Martyrio et Severo.

Extulit et sanctum veneranda Valeria patrem
Martyrium, prunis panem tectam, atque favilla
Qui signo fidei non tactu insignit adacto
Hæcque sacerdotem accepimus regione Severum
Enituisse probis miræ pietatis et actis.
Ægrum hic operis vetitas qui visere tardans
Reppetit ut functum, plangit necis utque reatum
Sicque datum lacrymis recipit tetrisque redemptum
Supplicis, quem dum modica tristatur hora
B Haud patitur Christus; redivivo ad vota patroni
Flere dat excessum, sic terrea linquere letum,
Fletibus et propriis lotum et plangore Severi.

CAPUT VII.

De sacerdote qui defunctus furem vinxit sepulcro.

Quem signat dignus, quam claris actibus altus
Laudibus hac Domini pollens regione sacerdos
Qui functus furem vinxit tumulatus euntem
Mirari gaudent socii splendore magistri,
Vivens qui alma docet, defunctus furta coercet!
Fur vivis metuens cœum tabente ligatur
Possere nec potis est prædam, nec ferre retentam
Vivis dum stupidis adhibetur funere nexus,
Afferat, an rapiat dubitatur, pondere onustus;
Dum crimen lassus precibus datur ire solutus,
Et qui rapta vehens vincitur jure latenti,
Fasce palam posito, præstatur pergere liber.
Sic etiam Prænestinis in montibus ille
Ut vixit pater egregius dat cernere functus
Mirantur gnati cujus data pacta sepulti,
Qui quod flabra trahens spondet, tumulatus adimplet,
Depositus deponendo loca cedit amico,
Admittens charum parta olim cede sodalem,
Ad vocem queruli, dum se aptant membra soluti.
C

CAPUT VIII.

De sancto Benedicto et multis ejus miraculis.

Laude poli dignum meritis super æthera notum,
Syrmate Gregorii lepidoque volumine cultum,
Qua celebrem stolidi Benedictum laude feremus?
Climata per mundi cuncto venerabilis orbi
Qui radians Christi cuneos [301] ad sidera mittit.
Qui puer alta legens, vicit probra corde senili;
Dum mundi flores ut pulveris arida calcans,
Splendorem generis tumidi, cum luce leporis
Spernit, et inclitus sapienter culta relinquens
Rebus cum studiis cœli petit ardua missis
(201) Quoque animo, quam mente pia [302] probat actio gesta.
Ipsaque mox actus etiam præeuntia signa,
Et solidata capisterii fractura soluti,
Ventosi fuga rumoris, nutrixque relicta,
Secessus eremi, soloque habitata per annos
Tres specus, impensus Romani panis habena [303]:
Presbyter admonitus paschalia prandia ferre,
Pastoresque in oves mutati corda ferina,
Nec tamen hac tentator abest, refugamque lacessit
Flagitii, facibusque libidinis urere membra
Mortificata parat, viscum laqueosque columbæ
Culmina transgressæ mundanaque arce relapsæ
Ales avem nigra candente [304] petit improba mitem,
Tetra venena animæ migrantibus inculit alis:
Sed crucis ad signum vacuas discedit in auras
Pectus inexpertum flammarum jacta fatigant
Spicula, et obsessam vallat vis ignea mentem,
D Irrepensque adytis, patitur vix pectore claudi
Increscensque altum, consumpserat intima gazæ [305],
Ni servator opum [306] cœli secreta petendum
Indens consilium, dextram sub agone tulisset.
Dum veprium stimulis cohibentur tela furoris,
Igne urticarum Veneris depellitur ignis,
Et cedit fugiens mutata dolore voluptas.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[301] agmina monachorum. [302] al. petit ardua [303] lunc. [304] f. cauda [305] divitias gratiæ [306] virtutum.

NOTÆ.

(201) Vide S. Gregorium, Dialog. lib. II, cap. 1 seqq.

Hoste triumphato, fraterni ductor agonis,
Expulsis rector vitiis tutorque dicatis
Egreditur vasis [317], altor doctorque salutis,
Fama volans nomen celebrando per ora ferebat
Extollens opus et claram virtute palæstram.
Agmina densa pium lætantur adire magistrum,
Linquere naufragium mundi, statione potiri
Portus salvifici, tutis se tradere castris.
Quæ dux egregius castis moderatur habenis
Illicitos resecans actus, et tramite ductans
Directo cuneos dextra lævaque libratos
Militiæ fortes coeunt perstantque cohortes,
Recto calle sequi præcepta salutis amantes.
Lubrica sectari luxus flexosque meandros
Exhorrent, æqui regimen trutinæque libramen
Certatim subeunt. Quidam atra venena coquentes
Insontis patris occasum meditantur operta
Fraude, sibi potius lætum opprobriumque parantes:
Quod [318] proprio subeunt vitio, amittuntque patronum
Rupto vase crucis signo fusoque veneno.
Dimissis pater infidis subit ardua nota,
Qua fructus gliscens virtutibus edit opimos,
Dans duodena polo duodenis castra [319] mereri
Singula militibus, præter [320] quos lacte rigabat,
Omnibus arcta viæ cœlestis limina pandens,
Illustres pariterque inopes ad culmina ductans,
Disponens, ornansque, regensque pii agmina belli,
Irradians promptos, cogens ad strenua tardos.
Certantes supero vallans munimine fulcit,
Insidias abigit, deterret lumine fures.
Æthiopis pueri ductamina cæca secutus
Assentit monachus ; patris pia verbera passus,
Verbereque ereptus, cæso latrone receptus.
Athletis dux addit opes, dat commoda castris
Alto monte sitis, celsa de rupe profundit
Largifluas prece militibus sitientibus undas,
Principis atque probi manant ad nota fluenta,
Perpetuoque rigant apicis declivia lapsu.
Nec meritis impar Eliseo, dum docet actis
Tironem [321] exercens, multetque levamine tristem,
Dat refluas ferri superari pondere lymphas.
Conscius et puerilis aqua rapiente pericli,
Dum jubet ereptum cursim properare ministro [322]
Tramite non solito, cambisque liquantibus illum
Sectari magni tribuit vestigia Petri,
Crudeli revocans absorptum fauce clientem [323]
Contuitum [324] patris auxilium famulante sodali.
Sic etiam hostiles Christo vincente furores
Assiduis superans renitebat sæpe triumphis,
Livorem tolerare sciens, vitare dolorem,
Solum inimicorum noscens mœrere ruina.
Serpentis cellans a stupiditate [325] columbæ,
Obsequiis corvi nutantis felle veneni
Dimoto, bellatorum victricia victa

A Tela puellarum, mitis discussio patris,
Interitus hostis, monitus gaudentis alumni
Invictæ mentis tutissima pectora pandunt.
Robora belligeri celebres ex hoste triumphi
Insinuant, quis fana ruunt, quis victus Apollo
Conqueritur patulo, raptis ad cornea servis
Sese abigi, se expugnari, sibi jura revelli.
Inde lapis premens Benedicti ad vota levatus,
Tellure egestum simulacrum in tecta culinæ,
Militibus fallens jussis incendia fingit.
Quæ duce ad nutum vacuata fraude fatiscunt.
Quoque magis pugnat pellax illudere sanctum
Vincendi devictus eo mage thema ministrat
Nam quondam properans operantes visere fratres,
B Dum subvertit opus lapidum, pueri ossa ruina
Comminuens tristesque adigit de morte dolore
Præmonitos ; datur ipse pia mœrere medela
Atque reformatum vitæ gaudentibus almis [326]
Moxque operi restauratum gemit improbus hostis.
Lumine cœlesti replentur pectora patris.
Sollicitusque datis divino munere gnatis,
Absentum præsens actus et munia cernit.
Arguit errores, præsumpta cibaria pandit,
Pocula dinumerans, et diversoria monstrans.
Corrigit attonitos, parcensque emendat alumnos.
Sic solito sese jejuno viscere amico
Exprobrans votum comitis hortamine fractum,
Dum stupidat rubidum liquat in lamenta solutum.
Tentantis Totilæ cœlestia dona minister
C Sic confusus abit, regalem ponere cultum.
Jussus. At ipse patrem pronus rex barbarus orans,
Audit ut acta et agenda sibi vel fata : recedit
Mitior, et presso fit post minus improbus æstu.
Tum pavidum solans Romam testantur amicum [327]
Gentibus haud verti marcescere, quin sibi tandem
Turbinibus motuque soli crebrisque coruscis.
Clericus anguinis ereptus faucibus, almosque
Inhibitus tentare gradus [328] ; dum jussa reservat,
Incolumis restat : monitus ubi deserit, hosti
Redditus insanit, prædictaque tormina sumit,
Quæ vir clausa Dei rimans penetralia dixit.
Diripienda monasterii prædone feroci
Indice comperiens Domino, cuncta usibus apta :
Tutatur lacrymis animas multa prece sumptas,
Ut mœrore madens fido est confessus amico.
D Infidum vini gerulum furta abdita pandens
Dum regit [329] angue necis, dat prava tremescere fraudis.
Sic quoque dona sinu prave contrusa clientem
Increpitans captasse, probat se absentibus esse
Præsentem famulis, actusque libare suorum.
Atque etiam Domino jam spiritus unus inhærens,
Verba capit cordis, meditata arcana tuetur,
Elatique premi mandans cruce corda ministri
Dum monet, officio puerum mensaque remotum

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[317] hominibus. [318] opprobrium [319] monasteria. [320] præter eos quos secum educabat. [321] Zallam. [322] Mauro [323] Placidum. [324] qui viderat Benedicti melotem. [325] simplicitate. [326] alumnis. [327] Sabinum Canusinum episc. [328] ordines. [329] protegit ab.

Instituens unum, reliquorum pectora servat.
Ore pusillanimes firmans, relevansque paventes,
Panis et indiguos, dum pollicitatur opima,
Promissam parat occulto solamine frugem,
Praedictumque refert numerosa fasce levamen
Contendens etiam quidam quasi carpere liber
Spiritus advolitans castris [330], promissa reposcit
Fratribus admonitis visa loca commoda metans,
Depactoque vice sine corpore munia complens
Quinetiam facili sontes sermone ligare,
Solvere vel meritis animas acceperat aptis.
Virginibus notat id quernis illata minarum
Pacta, sacrisque libandis ostensa repulsa,
Reddita defunctis pia participatio Patris,
Dote sacramentis Larem pro pace litata.
Haud secus et puerum casu profugientis alumnum
Visere carnales sancti absque favore parentes
Ausum, moxque necis addictum terraeque locatum;
Post noctem super inventum, rursusque repostum
Rursus et ejectum, dum sacramenta petitus
Allegat tumulo, positum consistere praestat
Invito quoque dimisso migrare patrono,
Compellente dracone redit dum callis iniqui
Et quem ductorem tenebris sectatur opertum
Externa Patris obtentu, dum cernit apertum
Insidiatorem, pelli hoste urgente salutem
Labe elephantina puerum sanieque fluentem
Advectum, celeri pulsa dat tabe saluti.
Fenore devincti reddendoque aere carentis
Pauperis angusti solidis ferre petitas,
Dum miseretur opem, patria dare mente paratus
Pondera, nec praesto: suffragia sola frequentans
Obtinet assueto quaesita precamine dona
Insuper atque moram compensat larga datoris
Dextera, pauperiem relevans, et debita pendens [331]
Attactu fugiunt morbi, depulsa recedit
Pestis, et ipse color maculis vacuatur ademptis.
Mirantes referunt stupuit sumpsisse medelam,
Inque suam redisse cutem. Cui pota venena,
Pellere dum nequeunt invidum, candore pudenti
Atque lepra tacite foedarant livida membra,
Quae decus amissum sancto tractante resumunt
Prompta manus largita penu consumpserat omne:
Vix olei parvum vitreo sub vase relictum
Usibus attribui mandans instantis amici,
Nil retinere parat, dum coelis crescere credit.
Compertoque pusillanimum mandata ministrum
Prodiga transgressum, excelsa extra fenestra
Praecipit ampullam in praeceps fundere retentam
Tuta sed illa ruens in saxa jacentia, sidit [332],
Nec lapidum sentit fragilis natura rigorem,
Nec patitur vergens commissi damna liquoris
Quae simul effertur illaesa [333] levata potenti.
A Argutoque tonax, reliquos solamina placant.
Penora saginantur sapora virtute profusa,
Oratu vacuum Patris et pietate repletur
Dolium, et exundans caelestia munera fundit,
Nec tantum praestans solitus haec mira patrare,
Quin solo visus nonnunquam promere nutu.
Id capitur monacho simulati fraude subacto
Mulomedici (203) plausuque manus aliquoque recepto
Rusticus ille etiam loris tortoris adactus
Indicat, intuitus sola virtute solutus
Et Geta [334] mansuescens, animosque adstratus [omittens.
Exstant et supplici praeclara precamine gesta,
Rusticola ut nati quondam miserabile funus
Advectans nimis, effundere vota coegit
B Improbus, ingeminans et raptum morte reposcens
Dum genibus flexis animam obtinet ille precatu,
Ignea restaurans gelidis alimenta medullis.
Vincitur at quondam nutu pietatis amicae,
Excelluitque prae renuenti vota sororis [335]
Tendere nocte moras fratri sitientis ab ore
Mellifluo superae satiari nectare vitae.
Quae precibus caelum obnubens, liquat aera nimbis,
Murmure virgo tonat tacito, lacrymisque coacta
Nubila condensans, diffudit fletibus imbres
Tempestate fugam sistit famulante, moratur
Et tenet invitum caelo Scholastica fratrem,
Atque triumphat ovans magnam sibi cedere praedam.
Solatuque animae vigilatae nocte potita
C Laeta redit, gaudensque polo terrestria mutat,
Caelos celsa petens: quam fixis in aethere frater
Siderei cernit dum culminis alta petentem,
Atque columbino superantem sidera nisu;
Congaudens apici [336], grates dependere dignus
Decertat modulis, Christo praeconia pangens
Dirigit, et revocans recipit socialia membra,
Quaeque sepulcrali parto sibi condit honore:
Jungeret ut tumulus, caeli quos junxerat aestus [337].
Nec mirandum adeo subeuntem regna superna
Germanam vidisse animam, cui fabrica mundi
Cuncta oculis subjecta patet, radiante corusco
Aethereae lucis, totus qua cernitur orbis,
Ignea Germanum com tatu caelite tollum
Sphaera renitenti, qua visa inferre decori [338]
D Currit ad intuitum aevitus, partemque diacon
Servandus radii rapit ad miracula testis.
Caetera gesta Patris sectanda silentia nobis
Suppressere ducis [339], reliquorum bella [340] peten-[tis.
Dogmate quo viguit; monachorum regula pangit
Cui praescita dies obitus, hoc munere dignus
Prodita discipulis ipso retegente patescit
Strata decore via, splendoris honore corusca.

GLOSSAE MARGINALES MABILLONII.

[330] monasterio Terracinensi. [331] solvens. [332] resedit. [333] nullatenus laesa. [334] Gothus. [335] Scholasticae. [336] honori sororis. [337] amor. [338] gloriae. [339] Gregorii. [340] agones.

NOTAE.

(203) Hinc liquido confirmatur lectio, quam in Vita sancti Benedicti, capite 30, asseruimus, nempe *mulomedici* vocem compositam esse, non in duas dictiones distinguendam.

Scandere monstratur qua cœlica culmina justus
Emicuit elatis manibus, sacrisque cibatus,
Tradens extremum per verba precantia flatum,
Inclytus æde precum tendens ad templa polorum.
Pignera delubro data quo depulsus Apollo,
Egregium celebri promunt victore triumphum.
Quæ monitus transfert Aigulfi Mummolus actu
Hac de re missi, superæ qui lucis honorem
Dum servare calet, per opaca silentia noctis
Munera consequitur longo quæsita labore.
Eripit, attollit, germanaque [341] pignera junctis
Complicibus confert, simul hæc ad munia divo
Legati jussu properant, et ad extima tendunt
Ausoniæ sola, dum papæ revocare suasi
Sectantur cunci Christo duce rapta talenta.

A Quinque tegit famulos, [illegible] frementes,
Ne coram [illegible] petitos [342]
Raptim [illegible] jubet gazas [illegible] sumptas,
Datque videre [illegible], nec posse videri [illegible] hoste.
Numine sic tuti, tollunt data [illegible]
Prædictis quæ rapta Deo [illegible]
Prodita resplendent Francis, [illegible],
Gallorum crebris urbes [illegible].
At loca culta Pater haud deseruisse videtur,
Immo rogatus adest, ultro quoque præmia confert.
Quæ lymphata [343] [illegible]que et devia lustrans
Experta est mulier, speluncæ ingressa cubile
Prima viro tirocinii quo exercita lucta :
Dum sapit egrediens, animi et data robora servans.
Pristina nec læsæ retegit discrimina mentis.

CAPUT IX

De sancto Paulino (204).

Immensæ pietatis opus qua laude feremus
Paulini per prona Dei vestigia Christi,
Tramite vix trito, at mira virtute secuti,
Dogmate fulgentis, contra hostica tela vigentis ?
Princeps Ecclesiæ viduæ se addicit egenæ :
Servus sponte datus, ponat quo vincula servus ;
Colla jugo pressat, servi quo calla resolvat ;
Captivum legat se, ut captum prædo remittat ;
Servitiis instat regum, sed regmina librat ;
Subjicitur Domino, sed præstat honore tyranno ;
Culmina disponit, famulatur, et imperat idem ;
Hortorum cultor, regum datur ordine rector,
Nutritorque olerum censet moderamina regum,
Imperitans populis flecti se altore tuetur

B Graminis injuncti, sævumque amittere verber
Judicio servi dominorum sceptra regentis
Erigitur rastris, cultis abducitur hortis,
Regibus excolitur, famulus dare vota rogatur.
Ille animas auro præponens, pro grege capto
Poscit ; adunantur dispersi, munereque aucti
Mittuntur patri, navesque dapesque feruntur ;
Stipatusque ovium lætus redit agmine pastor
Et qui pro famulo sese subjecerat uno,
Pluribus ereptis, liber cum plebe remigrat :
Servitio multos redimens quod legerat unus.
Cujus mirificam divino lumine vitam
Mors pretiosa probat, trepidæque vibratio cellæ,
Mella recessuri labiis admota Joannis.

CAPUT X.

De sancto Datio episcopo.

Mediolanensis Datius quo robore fultus
Enituit fidei sensit gavisa Corinthus,
Flaminis expulsu queruli laribusque receptis
Dæmonis immani dudum feritate retentis
Hospitis ad nutum dira improbitate repulsa.
Lumine quo mentis viguit, qua luce refulsit
Canitiæ Canusinæ jam lacteus urbi,
Fronte quidem cæcus, rutilus sed corde Sabinus,
Barbarico claret Totila tentante ministro.
Dum necis gerulum letho cogensque inhibensque
Prodita lethiferi damnans aconita decore
Pressa crucis potat, stratoque datore triumphat.
Quam rutilet Narnis venerando Cassius ore,
Præmissus videt experiens rex crudus, omisso
Armigero, meritoque viri præstante recepto :
Sacrorum arcanis solitus quot adesse diebus,
Seque inter lacrymis secreta litare profusis,

C Hostia viva Deo sacram mactantur ad aram ;
Nec cassus labor almicolæ seniore probatur
Attrito moniti requiem differre gerendis,
Dum sibi apostolico reddi sua præmia festo
Accipiens septem palma dilatus in annos,
Sacrificus tandem celsis datus emicat astris
Andræas vitæ Fundanus episcopus almæ
Lubrica correctis correctorem atra secutum,
Tetrisque instructum monitoribus eripit atris
Amotum dominis, laqueosque cavere monentem
Evellit laqueis ; paradisique inclyta cedrus
Tartareis conculsa dolis, dum mutat, et hæret ;
Æterni nemoris frondosa cacumina firmat.
Quæ vates moriens Constantius orsus Aquina
D Inclamat toleranda, notant post mulio fullo,
Regminis atque sacri viduæque vacatio sedis.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[341] sororis. [342] appetitos, [433] *f.* diu.

NOTÆ.

(204) De hoc et aliis in capp. 10 25 a Flodoardo celebratis cf, S. Greg. Magn. Dialog. lib III, cap 5 et seqq.

CAPUT XI.

De sancto Frigdiano.

Cujus vigoris Frigdiani sanctitas
Lucana vernans fulserit sub regmina
Flumen, meatus derelicto tramite,
Rastrum jubentis prosecutum prædicat,
Sueta pavens dissipare prædia.
A Sed nec minore comitur Placentia
Nitore, comprimente turgidas Pado
Lymphas, Sabini mitigato litteris
Parento jusso præsulari flumine.

CAPUT XII.

De sancto Populonio (205).

Quam vixit celebris quondam Populonius hospes,
Quem præstans meritis præsul Cerbonius altis
Rex Gothus attentans, urso monstrante, tuetur,
Concelebratque virum tali doctore beatum,
Quem trux censuerat belluina fauce vorandum
Famine quem sancto famus viguisse resignat
Ante Lagum parte jussum revocarier urnæ:
Imbribus accinctum sicco sed tegmine latum,
Hostibus advectis, gerulis ad jussa revectis.
Nec minus effulsit Fulgentius Utriculensis,
Prodigio simili, sed adhuc mortalia gestans
Insignis trepido instantis discrimine lethi,
Inque cœli spatio clausus, fervente calore
Sidereo, tectus sed nube repente corusca
Terribilique feris mitemque tuente clientem
Fulminibus, quæ vincla fugat pellitque coronam;
B Depulsisque lupis aries stat vellere sicco,
Turbinibus dum cuncta madent, dum sæva latiscit
Æthere victa acies, pastor quo regmine tutus
Hostes prosubigit, victorum robora vincit,
Culmina prosternit, frangit subicitque tyrannum
Mitificans acrem cœlo minitante leonem.

CAPUT XIII.

De sancto Herculano.

Cujus rugitus Herculanum murmure
Perusina cæsum contremiscit præsulem,
Mirata functi colla secta martyris
Solidata rursus ac coacta corpori,
Loris resecta refloruisse viscera.
Cutisque abacta reclivite grata tergora;
Simul soluto conditi cadavere
Pueri scatente vermium putredine;
Sedis micare membra post quater dies
Decem reductos ceu die prima exitus.

CAPUT XIV.

De sancto Isaac monacho.

Spoletum e Syria qualis perducitur hospes
Almipotens Isaac reperit Gregoria virgo
Tutore hoc thalamus fugiens defensa petulcis,
Terrigenæ templo regi quæ jungitur æthræ.
Sentit et ardenti votis infensus opimis,
Impendens mox palmæ cui flagra coercuit ultor
Hostis agonistæ virtutis proditor altæ,
Illico pellendum, experto se milite, promens
Certatim dans testar honos, dum munera rura
Cuncta oblata fugit, vir paupertatis amicus,
Deserit arbiteria, legit abdita lustra ferarum.
Hic quoque discipulis callem sectantibus arctum
Sumere depensos ad victum suasus agellos,
Vitat pauperiem: metuens ne perdere almam
Cœlestem non esse fatens qui terrea quærit!
C Quoque caduca magis renuit, mansura capessit.
Mira patrat divoque vigens spiramine claret.
Hæc olerum fures quondam fervore probantes,
Mutato rastris instant, qui furta patebant:
Parto se subigunt operi in contraria versi,
Vota sui obliti secretaque jussa secuti,
Crimina temnentes, pietatis munia dantes,
Quodque probro petiere proba mercede reportant,
Gaudentes operis inopino munere functi.
Sic etiam simulatis inopes aliena petentes
Propria contecti segmenta pudore capessunt.
Portitor infidus sic ora rubore salubri
Eripitur plexus, horrore a funere tutus.
Quas virtutis opes nonnunquam invicta tegebant
D Gaudia, pugnacem stimulis servantia mentem

CAPUT XV.

De sanctis Florentio et Eutychio.

Quem viguit meritis frater Florentius ursi
Obsequium probat indomitæ et solitæ belvæ,
Pastor inexpertus gregibus servire bidentum,
Parere addiscens monitis, pyxnia ferre,
Præsentem servare cibum, commissa addere leges,
Livida luce manus signi servique peremptrix
Innocui, Domini vindicta secuta dolorem,
Vindictæ et gemitus, multæ data flumina fletu
Cernit et invisor levita servatus amator
Agmine viroso inveniens habitacula cingi
Hospitis impavidi cujus sub voce polorum
Culmina conclamant, roborans cui militat æther

(205) Sic cod., sed legendum de *Cerbonio Populonii episcopo et Fulgentio Utriculensi.*

Atque veneniferam, sternit perimitque coronam.
Cætera quærenti suffragia certa parantur
Plumigeræ subito series perlata cohortis
Funera dira levans et tristibus atria purgans
Eutychius, consors in calle superna petente
Hujus, turmarum dux instructorque piarum,
Qua probitate regens animas ad celsa vocarit
Panditur expleto claris certamine signis
Ipsa etiam vestis divino munere testis
Accedit, [illegible]
Sueta, calore hyperiono flagrantibus arvis
Dum, prolata replens sitientia rura madore,
[illegible] fecundis locupletat prædia nimbis

CAPUT XVI.

De sancto Martino.

Marsica Martini juga promeruere triumphos
Sæpe videre geri, subici atri colla draconis
Pellere prœstanti nitentis sede columnam
Cœlestis rutilo vitæ splendore nitentem.
Securi siquidem penetrans per crebro latebram,
Innuit se strato precibus, tendensque tremorem
Incutere oranti vinceda thema ministret (205*);
Nec valet intectam temnentis stringere carnem;
Titanisque ubi ter metas consumit inane,
Accensus Phlegetontæi fervore furoris
Evomit horrificas devexa per invia flammas,
Dans sese in præceps sparsis nemora ignibus urens :
Sic victi furiis victoris gloria claret
Cui de rupe ferens prisco undam munere Christus
Quam charo famulum docet amplectatur amore
Idque repentina muliebria fata ruina
Notificant læsisse Deum quæ læsit alumnum;
Nec minus et pueri probi mira relatio lapsi
Per scabros tute scopulos, per prona ruentis
Rupis et avulsæ saltus super obvia tecta.
Speluncam patris impulsu ne læderet actæ;
Ipsa catena pedem, Benedicti ad jussa resolvens.
Sæpe fatiscenti tribuit quæ robora recti
Funicoloque dedit ferri traxisse vigorem

CAPUT XVII.

De monacho nomine Quadragesimo.

Quis quanti meriti cui Quadragesimus hospes
Extiterit monachus, fugiens venerandus honores,
Pulvere vivifico surgens probat ora tricatus
Vix letho precibus raptus lucique reductus.

CAPUT XVIII.

De Benedicto monacho et Mena.

Campanus quoque quam nituit Benedictus ab igne
Criminis immunis, hostili panditur igne
Cætera vastantes flamma superante vapores ;
Indicium accedit potius fervante furore
Invictæ probitatis opus fornace probante,
Quoque magis petitur furiarum ardente calore,
Hoc magis effulgens auri resplendet honore,
Non audente rogo vel summa fervere veste.
Quam coluit sancte Samnitia culmina Menas,
Defensæ profitentur apes, pressæque rapinæ.
Spretis supplicio verbis invasor adactus,
Mansueto fera prona manus, trux subditus hostis
Subjecti ferulæ fremebundi cædibus ursi
Cæsoris lenibus fugientes mella flagellis.
Incestis trepidus latitanti munere cædis
Deprensus sceleris censuræ luce stuprator
Hocque redarguto servati crimine plures

CAPUT XIX.

De quadraginta rusticis et eis qui caput capræ noluerunt adorare.

Ausonidum quo constiterint pia corda virorum
Robore ruricolæ testantur viscere tempto
Fortes, sacrilego quos quadraginta prehensos
Barbara nec manus ense minax nec funeris horror
Aut necis asperitas valuit divellere Christo.
Hic quoque qui cæsæ ridentes sacra capellæ
Dum capitis horrent orare insana caprini
Splendorem regni capitum mercede pararunt.

CAPUT XX.

De sanctis Amantio et Florido.

Quam validæ senior virtutis Amantius actu
Simplicitate nitens effulserit ægra levando
Tactu membra manus et apostolico altus honore,
Quam, crucis ad signum, virosa extinguere fortis
Floridus, enarrat dapium decoramine pastus
Multiplici præsul crebro et saturamine plenus,
Gregoriusque pater, verique nitoris amator
Apposito probat insano salvoque recepto.

CAPUT XXI.

De Sanctulo.

Qua probitate vigens pietatis lumine clarus
Sanctulus enituit narrat vicinis testis
Ipse vel exactus votis extrema fatetur.
Namqui petens olei prælo renuente liquorem

(205*) Verba corrupta.

Atque importunus Bardis eugentibus instans
Quod rogat impertit, confert quod quærere visus,
Mitigat intensos placidus, lætusque furentes
Exhilarat, tympanumque serens legit unguina læta;
Parvaque qui panem per se olim millia pavit
Multos pane cibans per servum recreat uno
Divina bonitate dato lassisque refecto
Fabrolis usti testis reparantibus aulam,
Quoque die panis posset satis esse vel una
In bis quinque esus numerosis sufficit unus,
Accrescens mensis cumulato fragmine panis.
Iste Dei præstans celso sublimis amore,
Non dubitat propriam fratri dependere vitam
Subjectumque jugo suffragia sumere cogens,

A Ipse occidendi properat vice tendere colla,
Subjectusque ensi ferientis continet ulnam,
Extensque gelans emollit corda furentum,
Atque genu flexo dirorum pectora flectit.
Mitificat crudos, atroces subjugat hostes
Absolvensque reum, temerare hinc sancta vacantem,
Dimitti jubet innocuos, dat abire solutos;
Denique necis uncis se pro cervicibus offert
Jactara multos liber necis ipse resolvit
Hoc lethale malum rapidi in sacra vasa furoris
Sanguinis hanc pasti foveam sævamque charybdim
Martyr Pontifici fert Eutychus ante Redempto
Addiscitque Ferentinas ita fine propinquo
Humanam ferri sacrator ad ultima carnem,

CAPUT XXII.

De sanctis Speciosa et Gregorio fratribus sanctoque Spe.

Quem sancte atque per Benedicti dogmate patris
Lustrati fratres Speciosus menteque nexus
Gregorius gressus casti in sorrenta tulere
Illius ingressum, hujus speculator monstrat
Ut patiens Christi sub verbere longanimis Spes
Constiterit, cæcus facie sed corde renidens,
Exteriore carens haud interiore micans,
Redditus exprompt post longa volumina visus.
Annorum denis tandem quater orbibus actis

B Notificatur huic, Domino retegente, laboris
Terminus, et claustris mandatur, lumine sumpto
Corporis, attiguis lumen respergere cordis,
Obsequio expleto remeans statione revisa,
Sacra petit mediusque accitis fratribus astans,
Cantica diva sonat cantusque exordia pangens,
Intentus precibus cum votis sidera scandit,
Atque columbino visus petere astra volatu
Proditur hac meta quam simplex acta palæstra

CAPUT XXIII.

De quodam presbytero Nursiæ et Probo episcopo atque Stephano abbate.

Nursinus ille senex socium qui limine pellit
Morte quoque adstrictus paleam veluti igne pavescens
Accendi membris prohibet propiare solutis,
Quam bene, quam caste injunctum servavit ovile
Adventus Petri Paulique et gratia clamat
Lætitia repetita senis superna trahentis
Flamina, decessusque nigra formidine liber.
Sed neque pontificis florentis culmine vitæ
Urbe Reatina Probi, est pondere pressum,
Languoris supero frustratur lumine funus
Dum Juvenalis Eleutheriique nitore renitescens
Non valet assessor visentum ferre decorem;
Queis comitatus adit gaudens cœlestia præsul.

Hanc secus internis rutilans virtutibus urbem
Contemptor Stephanus mundi quam robore firmo
Excellens animi patientis cœlica texit
C Castra, eluens finis clari depromit agonis.
Cernitur et gestis dictisque et amore nocentum
Messis ut incensæ tranquilla mente levamen
Amittens dolet authori, sua damna refutans
Flagitiumque gemens cujus decoratur honore,
Exitus angelico quæ non præsentia visus
Mortalis perferre valet, nec cœlica suffert,
Dum pater emeritus comprendere scandit 206)
Præmia perpetuæ cœlorum in regna coronæ.

CAPUT XXIV.

De fidelibus monachis Valentionis abbatis et sancto Suranno atque diacono quodam.

Barbariem feritate manus de robore pensi
Quos alma imbuerat probitate Valentio fratres,
Dum tenent alterno relegentes carmina psallunt.
Attonitus clara laudis quoque voce fatentur
Quam vere Domini vivant post funera servi,
Mors etiam abscisso Surani vertice tonsos

D Pectoraque excipiens tremulo vibramine motus
Hoc loquitur sceleris horrens discrimina sævi
Ac sufferre tremens pietatis pondera tantæ.
Ipse quoque id cæsor Marsi sub sacra ministri
Eventu pandit: merito caroque cliente
Abscisso, Domini crudeli addicitur hosti.

CAPUT XXV.

De sanctis Mellito, Theophanio et Petro.

Quam simplex purusque pius Mellitus in actis
Splenduerit, visus atque aurea prænuntia signant;
Quos insignitum quo se se sceptro fretum

Humanis memorat jamjam se cedere lætum
Mox que secuturos venerabile lemma pangit,
Seque Theophanius Centumcellensis habenas

206) Claudicat versus.

Strenus ut rexit, clemens et idoneus urbis,
Fine patet, dum discussa pia fata secutum
Tempestate liquet præmissa luce serenum;
Membrorum columen morbo savieque fluentem
Tabentisque probat redolens flagrantia carnis.
Petrus morte capit monachus, ne morte secunda
A Perditus intereat, cui flammea visa gehenna
Igneque mergendus, cœli revocante colono,
Regreditur monitusque probis se ita supprimit actis
Tartara conspexisse nitens ut vita loquatur;
Quo tendat, quam certa petat, quam nota tremiscat
Lingua simul testans et candida facta probantur.

CAPUT XXVI.

De sanctis Severo et Egistio cæterisque Ravennæ martyribus.

Christi Ravennam dedicatam legibus
Cephæ cliente jussa dante diximus
Quo digna cœli ferre certat pignora
Severus horum martyr atque pontifex
Cruore lustrat hanc comesque Egistius
Victor solutor ac Valentinus simul.
Hic Ursicinum, dum palestræ pondere
Jamjam labante bella post acerrima
Palmæ sub umbra horrore lethi pendulum
Vitalis, almæ prolis almus editor,
Gervasium cum fratre qui genuit polo
Suasis beatæ roborat constantiæ
Medicum medela recreando perpete
Quem colla regni ferre firmat munere
Honore funus ac decorat extimo,
Ipse et salutis nactus haurit poculum,
Jesu patenter invocato nomine,
Tentusque equino lancinatur tormine,
Ducis recusans ferre contubernia
Fovea supinus hinc profunda mergitur
Saxisque pressus terra opertus abditur
Aulaque lucis Ursicino jungitur.
Conjux relicta martyris Valeria
Regressa Mediolana dum solatia
Repetit, litantes rustico incurrit Deo
Silvano agentes stulta stultius sacra;
B Demissa fixo queis veredo poscitur
Coinquinatis accubare ferculis;
Refutat illa, infanda vitans prandia,
Et Christianam voce fatur publica;
Correpta quare cæde multa tunditur,
Spiransque destinata vecta ad mœnia
Vix semiviva sedibus reducitur
Biduoque restans pàrta scandit culmina.

CAPUT XXVII.

De sancto Germano Antissiodorensi episcopo.

Germanus ipse præsul urbis gallicæ,
Doctor sophiæ fulgurans vibramine,
Post multa clari roboris magnalia,
Animæque raptos bis Britannos funere
Huc pacis actus obtinendæ gratia,
Exceptus aula gloriose fungitur,
Hicque, inter alta sanctitatis lumina
Deprompta letho, suscitat juvenculum
Volusiani nobilis clientulum.
Dominoque se visente, linquens terrea,
Superna scandit luce mactus culmina;
C Queis clara splendet celsus inter sidera
Plebi fideli comitate regia,

CAPUT XXVIII.

De sanctis Theodosio, Donato, Secundiano et Romulo.

Sic illa quondam marmoris rubri via
Rectoris alta præparatur gloria
Ductu viantis per pavenda cœlici
Pastoris ore fluctuantibus dati,
Arente dum tellure Theodosii
Pedibus paludem milites siccis terunt,
Nunquam datura quæ putata est semitam
Presso tyranno calle inæstimabili,
Ductor fidelis læta fert celeumata
Palmæ datori digna dans præconia
D Mittensque festa sæcularis gloriæ,
Grates jugi ferendo persistit die.
Donatus et Secundianus Romulus
Sociique agone luminant concordiam.

CAPUT XXIX.

De sanctis Hermagoro et Fortunato.

Marci discipulo radiata Aquileia nitescit,
Hermagoro tradente, bibens de flumine Petri,
Clara salutiferæ qui post miracula lucis,
Dogmatis instantem studio fervente laborem,
Eductam fidei populorum fomite messem,
Plurima pœnarum constanter tormina victa,
Cum Fortunato primo ad pia sacra ministro
Jacturam capitis cœli compensat honore

CAPUT XXX.

De sanctis Cantio, Cantiano, Cantianilla et Probo.

Hanc carne fratres nobilesque sanguine
Aniciorum luce clari cœlite
Urbem venustant Cantianus, Cantius,
Sorore juncta Cantianilla ordine,

Istuc ab Urbe amore ducti gloriæ
Cum pædagogo quo nitebant præduce,
Doctore Probo [Proto] quo vigebant in fide,
A Gladio recisi colla scandunt sidera
Roseo decore luculenti et lacteo.

INCIPIT LIBER DECIMUS QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De sancto Michaele archangelo.

Limite Garganum attollit Campania collem
Culmine quem supero crebroque nitore venustans
Et templi fabrica Michael archangelus ornat;
Incedere hic se depromens splendore frequenti
Virtutum humani generis pro luce datarum;
Quod probat ille sequens taurum nemora alta co-
[lentem
Armentis refugum, telo in contraria verso
Quod dederat Exus vi sauciis agminis alti.
Itque probant cives facerent jejunia mandans
Antistesque docens divinum his quærere nutum,
Cui summus se notificans fert nuncius orsa
Visu suo pandens rem gestam qui loca servet,
Qui colat electum reliquis præ montibus unum.
Assurgunt igitur votis acciri ministrum
Luminis ætherei, templum penetrare nec ausi
Præ foribus devota gerunt ac laudibus instant;
Hostibus inde lacessiti suffragia poscunt
Præsidii angelici, Domino jejunia libant;
Nox interveniens dirimebat sola duellum.
Pontifici assistens dubiis archangelus ægro
Dum rebus retegit suscepta precamina cœlo,
Tempora profligit bello æque albore spondens,
Lætificat papam promissæ munere palmæ.
His freti jamjamque sinu quasi vota gerentes
Signis obvia signa ferunt, certamine fervent.
Cernere erat clivum magno vibrare tremore
Fulgura crebra volare, apicem caligine cingi
Et superos ignis flamma rutilare ministros.
Terrentur gentes, conversique arma paventes
Diffugiunt passim telisque petuntur ab alto,
Neapolim lapsi subeunt trepidantesque intrant
Mœnia, rem reparant, expertaque fulmina tractant.
Prostratos recitant, Christi præconia pangunt,
Numen magnificant, cervices subdere gaudent.
Hinc Sipontini grates et vota daturi,
Culmina celsa petunt inventaque mœnia templi
Lustrantes impressa vident vestigia saxis
Clarificant cœli proceres, præsentia cujus
Hoc patet indicio, decorant basilicæque mœnia
Nobilitant ara atque dato cognomine comunt,
Sacras adjiciunt ædes, penetralia diva
Attentare timent pede, limen inire verentur.
Scitari unde sacer summumque requirere papam
Deligit an sacris egeat locus ipse dicari.
Scita pater reddit mandataque digna rependit,
Sic sananda homini tam sacri mœnia templi
Tam celsi provisoris cogitanda voluntas,
Quaque die data præcipue victoria fulsit,
Hac instante preces humili pietate ferantur,
Jejuniis utrinque Deo perducere certum
Ad finem accepto ferat ut sua munera Christus.
Nox umbram terris revocarat sidera cœlis,
B Cum veniens, summis dubios moniturus ab astris,
Militiæ princeps superæ quæsita revelat
Orsa sacerdoti jamdudum jussa petenti:
« Non opus est vestrum nostra, inquit, templa di-
[care;
Editor ipse quidem dignoscar et ipse dicator.
Vos, tantum ingressi, populis astantibus, apta
Sacris vota frequentate et depromite laudes,
Muneribusque datis populus communicet aris,
Pandeturque locum memet sacrasse paratum.
Responsis alacres properant nova gaudia cives
Edere, basilicam subeunt, divina frequentant
Munia miranturque domum virtute micantem
Angelica, rubroque altar velamine comptum
Non opus humanum textumve manumve notante,
C Corda replent plebis pia gaudia, deditur almus
Ordo ministrorum laudes et carmina diva
Continuare die, noctu nam nemo nec ausus
Invigilare nec intro adytis vestigia ferre.
Stilla fluit saxo quo tegmine protegit ædem,
Lucida quæ vitreæ guttatim illabitur urnæ:
Dulcis et ad morbos potu medicabilis hausta,
Quam, post sacra Dei, soliti gustare fideles,
Depellitque febres ægrisque medetur anhelis;
Præstanturque piis hic plurima dona salutis
D Angelicis data subsidiis bonitate Tonantis.

CAPUT II.

De sancto Aristone, Justo et sociis eorum.

Multis venuste martyres Campaniam
Comunt triumphis fulgurantes inclytis
Ex quis Ariston, Justus atque complices
Crescentianus cumque Felicissimo
Urbanus ac Vitalis et Felix simul
Cum Martiana ac Symphorosa prænitent
Cruore tincta, vernat hac Antonius
In frusta fractus illique flumen consecrans
Quo diluuntur, quod sepulcri dat vicem

CAPUT III.

De sanctis Prisco, Antonino, Aristeo atque Paulino.

Attollit Capuam tradens nova dogmata Priscus
Antiquæ rutilans Christi pietatis alumnus,
Cum quo Antonino, puerilia membra sacrante.
Martyrii palma colit hanc antistes Aristeus.
Felicis calamo decorat Paulinus agones,
Quos raptim tetigisse juvat Nolensis hic almus.
Presbyter astrictus Dravique obtutibus actus
Fictorum nihil esse docet portenta deorum;
Impulsus quoque sacrilegis libare figuris:
« Hostes estis, ait, vestrorum hoc munere divum
Queis me producto eveniet quod contigit illis
Felicem fratrem quibus exhibuisse doletis;
At Domini indagare mei si numina cordi est,
Juppiter o [ut] princeps ruat, ad Capitolia ducar. »
Auribus oppressis judex hunc robore mandat
Obtundi, celsumque dari aptarique catastæ;
Truditur hinc cæcis barathri siccisque tenebris
Nexibus astrictus, sternuntur acumina tergo
Aspera testarum recubantis vellere somnum,
Ac fractæ lectum cocleæ mucronibus armant.
Visitur his superis divoque nitore levatur,
Nocteque sub media scissa trahe dissilit orbis
Crura duplex tensi qui presserat axe soluto,
Adque sacerdotem ruptis mandatur ahenis,
Pontificemque suum egrediens perquirere liber,
Inventumque urbi laribusque educere caute
Et tectum refovere, domi dum turbo residat.
Qui senior nec ferre valens tormenta, ferarum
Lustra fovebat, agens vitam suprema trahentem,
Frigore confectum, famis et discrimina passum.
Inveniens Felix post crebra volumina saltus
Jam rigidum immotum gelidumque jacere cadaver,
Æstuat unde patrem relevet, flantem ultima curet,
Et, proh mira fides ! pendere in sentibus uvam
Ecce videt stupidus quæ grana jacentis in ore
Pressa senis recreant animum attolluntque refotum
Insolito dulcem fert aspera sylva saporem
Lætitiamque meri tribuerunt cuspide dumi.
Aggreditur Felix ulnis humerisque reportat
Rure patrem tugurii et vidualis culmine condit,
Occultumque fovet, cautusque alimenta ministrat.
Captus item martyr Circeio deditur exul
Saxa secare apici; damnatis vivere consors,
A Mulctatur mulctatu pius, pulsusque reducit
Ad portum nautis ingens dispendia passos
Naufragioque rapit Proborum prolem atque maritam
Dæmoniacam sobolem lymphanti peste jugalem,
Et simul ereptos Christo cum pluribus offert.
Regressus latebris dum tractat digna decenter,
Anguis item petitur rabido livore furentis.
Obscuratur atrox, prædo cæcatur iniquus
Scrutator rogitat, caligine pressus, apertum,
Quærit et alloquitur, videt ac sibi prodere orat,
Præsentemque tuens absenti mente requirit.
Palpat ut in tenebris puro fervore diei.
Demente eluso, latebræ petit intima Felix
Nec mora regreditur, vultus sub corde volutans
Captator stolidus; sed jussa obturat arachne
B Introitum telis perniciter aere ductis.
Tutaturque pium, ludit velamine sævum,
Prædonemque levi ac dirimit discrimine prædam.
Frustrato cedente lupo, petit agnus ovile,
Fomentis altricis ovis sine more potitus:
Cujus subsidiis alitur minime ora tuetur;
Lac puerile capit servatque virile libramen.
Sic ternos agitans cursus lunæque labores,
Pontificem post larvicolam dat credere Christum,
Eruit et templum divino numine versum,
Qui responsa dabat, fugiens ubi cedit Apollo.
Actibus his clarus, virtutis honore decorus,
Dum petitur cuncta præsul fervente caterva,
C Pontificali alium renuens legit arce levandum.
Pacifice inde meat duodena volumina Phœbi
Hinc hominem magnis locuples virtutibus, exit,
Se velut oratu sternens altaribus almis,
Post celebrata die Christi mysteria sacro
Pace data cunctis subiens cœlestia Felix,
Post crucis exactus multo sub agone triumphos
Felicis palmæ titulis feliciter usus.
Presbytero datur Helpidio curante sepulcro
Pincensique solo renitet virtutis opimo.
Hoc quoque pontificem felicem luce potitum
Mirorum a puero culmenque decenter adeptum,
Martyrii sociis ter deno stemmate nexis,
Presbyter Helpidius Nolensi collocat aula.
D

CAPUT IV.

De sancta Juliana.

Irradiat Cumas fortis Juliana virago,
Quæ, post obtritum bellis caput hostis iniqui,
Membra beata tulit variis exercita pugnis,
Quam pater auspicio luctæ cruciatibus egit,
Verberibus tritam zelo laceravit amaro.
Præfecti sponsique dein tormenta fatigans,
Sulcatur virgis, quatitur suspensa capillis,
Vertice de summo plumbo perfusa liquato;
Carceris huic antro cæcoque recepta barathro
Invenit hic cunctis truciorem horroribus hostem
Interna oppositis externaque bella moventem.
Internisque sciens invictam prodit aperte
Terrificos vultus miserique notamina cultus,
Stat tamen intrepide, manet imperterrita virgo,
Nec concussa tremit, nec desolata pavescit,
Confligensque palam palmæ splendore nitescit
Certantem quam bella stupens Nicomedia vidit,
Regna triumphantem gaudens Campania sumpsit.

CAPUT V.

De Spoletana sancti Pauli ecclesia.

Spoletum [illegible] Patrum splendore decorum
Præsulibus [illegible] pius celsumque palæstris.
Hanc etiam Pauli pollens Ecclesia lustrat
De palma fidei, [illegible] luminat hostis.
Clausa lupi [illegible], agni sed aperta triumphis.
A Obcæcata manus est [illegible] replens
Frangere [illegible] adiens prohibetur [illegible] patentem.
Quam dum lumen adit, tumidum caligo subegit,
[illegible] fidei fulgore flagrante
Ecclesia [illegible] reprimuntur luminis hostes.

CAPUT VI.

De sancto Eleutherio martyre.

Patris Eleutherii probitas hic clara coruscat,
Ad vitam lacrymas cujus revocasse cadaver
[illegible] Gregorius asserit [illegible].
Nec silet [illegible] per [illegible] dona vigoris,
Firmati [illegible] jejunia rite
Ferre [illegible], positi vel viscere ponderis æquum.
At dum magna patrat [illegible]
Divinæ moderamine [illegible] qui, sede [illegible]
Appellidumque [illegible] puerum [illegible] purgat.
B Quem [illegible] solvunt pia [illegible] vinclis,
[illegible] ferunt [illegible] quæstas,
[illegible] donis pater atque improvida [illegible]
Gaudia [illegible], puero ad juga [illegible] relapso;
Quem lacrymæ demum et redimunt jejunia fratrum
[illegible] manet degens in cætera liber.
[illegible] hic fratrem clarum probitate Joannem
Extulerat [illegible] gloria metæ.
Qui [illegible] diem gaudensque ad præmia fertur
Mystica [illegible] ovans [illegible] et hymnos,
Ferre munus fratres, [illegible] ad regna alta sodalem:
« Urse, veni [illegible] » [illegible] capessunt
Dicta, nec advertunt quod fassus quem vocitarit,
Dum post [illegible] longo
[illegible] patrem [illegible].
Momento [illegible] ipso
B Suprema stat Eleutherii qui [illegible].
Virgineam pater hic mentem dum dotibus ornat,
Christo defunctam, mundumque, patremque negantem
Aurea dona lutum sponsi splendore putantem,
Quam sic digna capit, regi quam grata super
Ruricola accepto increpituque latrone fugato,
Haud aliquid juris res in candoris habente
Vel temerare valente datum nisi virgine portum

CAPUT VII.

De sancto Joanne confessore.

Joannes Syriam [illegible] culmine linquens
Ausoniamque petens, Pennensem illuminat urbem
[illegible] et [illegible] agellum.
[illegible] sed mox ad vota relato,
[illegible] collata habitacula signo:
[illegible] quia [illegible]
Hanc sibi [illegible] Domino præstante parandam,
[illegible] levamen.
[illegible] hyems, nemus omne rigebat
[illegible] pruina,
Illeque sub vidui residebat tegmine ligni:
[illegible] post longa [illegible],
[illegible] dum [illegible] longi.
Roboreos sine more vident frondere lacertos,
Vestirique dato non in sua tempora cultu.
Scitatus quis et unde domum quo jure moretur
C Se Christi modo servitio venisse fatetur,
Hoc se jure [illegible]
Visa ferunt populis, [illegible] feruntur
Agmina, [illegible] visere turmæ;
Castra locantur humo solo gaudentia cœlo,
Prædicitur certaturis certaminis auspex:
Aggregat atque regit Domino moderante catervas;
Sic quater [illegible] pollens virtutibus annos
Hinc sumptus requie renitet splendoris honore.

CAPUT VIII.

De sancto Cassiano martyre.

Syllæ forum qua Cassianus gloria
Illustrat, edit, concrepante carmine
[illegible] palæstram [illegible] Aurelius.
[illegible] arte se docente et hospite.
Aliter scolari hic præstitutus agmini,
[illegible] sacris supplicare formulis,
[illegible] vulgus erudire ut pandimus.
[illegible] morte [illegible]
Quos supprimendo [illegible],
D Datusque sævis dissipandus parvulis,
Sumit severa mille vinctus vulnera.
Crescente pœna dum [illegible].
Pueris [illegible] per [illegible],
Quis ipse [illegible] doctor [illegible].
Tandem moras [illegible] spiritus
[illegible] latebris mandat absolvi Deus
A tam cruento [illegible] grege
Ad angelorum [illegible] tollens culmina.

CAPUT IX.

De sanctis Siro et Iliventio martyribus.

Martyris aula Siri Genuensi splendet in urbe
Sordida rejiciens, veneranda et casta receptans,
Spurcari fœdis renuens, quod funere tetro
Mediolanensis claret duraque repulsa
Defensoris ab Ecclesia diro agmine tracti
Spirituum hunc pedibus nexis pellente nigrorum
Horrifico violenta probri clamore querentem;
Ædicolæ quo permoti trucibusque refracti
Vultibus utrem scrutantur post facta pavenda,
A Eventum inveniunt tumulo temploque cadaver,
Pontifices Ticinum Sirus atque Iliventius ornant,
Ermagoro legante, dati dare dogmata Christi
Partibus his evangelico Marcique ministro;
Hanc quoque primi urbem diva pietate sacrantes
Signis irradiant virtutum, munere ditant.
Lumina sparguntur late Veronaque, Brixa
Laudaque lustrantur sacroque nitore columtur

CAPUT X

De sanctis Martino et Augustino episcopis.

Nutriit hæc (206*) Gallis Martinum lucis alumnum,
Æthereæ, decus Ecclesiæ Christique coronæ,
Inclyta qui fulget cœlesti gemma nitore.
Huc Augustini eximii doctoris et almi
Catholicæ fidei quadrato luminis orbi,
Eloquio Christi purgantis fluminis urbem,
Sumpta Leutbrandi studio pia membra feruntur,
Queis clausus tumidos vanosque triumphat honores
Erutus Ambrosio tenebris dare munera lucis
Nec silet ore manuque piis res spemque relinquens:
Mundanas cœli sequitur per culmina regem;
Nudus nuda crucis sectans et terrea temnens,
B Actibus egregiis instans, sacra jura volutans,
Nocte dieque Dei præcepta et famina pangens.
Præsentes sermone monens, calamoque remotos
Presbyter eductus legit sibi celsa petentes,
Pauperibus Christi conjunctus amicis;
Præcessore sacris prælectus episcopus aris,
Mente pia semen docto serit ore supernum
Fortis et incolumis fere quadraginta per annos,
Inprætermisse cœlestia jura perorans
Suprema dum regna petit, quæsita senecta
Astra alacris scandens, sectantibus astra relinquens.

CAPUT XI.

De ecclesia sancti Zenonis Veronensi.

Martyris Ecclesiam Verona Zenonis urbe
Gregorio, diva irradiant miracula, teste,
Undarum turgore furens quam lustrat Athesis,
Vallatam, cumulati inita nec lege fluoris
Insolito se more tenens, et aperta renutans,
C Obice lymphanti claudens, nec fluctibus intrans,
Ostia declinans fluxuque patentia vitans,
Hauriri sese præbens penetrare nec audens,
Stat prodesse, fugit, fluctu parcente, nocere,

CAPUT XII.

De sancta Christina.

Italicam Christina Tyrum Vulsinaque comens
Littora multiplici decoravit agone triumphum
Quæ tenera gliscens ætate virilia tractat,
Aggrediensque deos robusta puella paternos
Vertit, comminuit, spargit, largitur egenis,
Confortata Deo divoque virilis amore
Quam pater affligens alapis dat verbere carpi,
Disceptamque flagris dat ferro in carcere necti
Affectus patrios rabiemque experta parentis,
Dum sævo longoque fluunt laceramine carnes,
Has illa in patris ora serens sata viscera reddit
Carnifici, mentem supero librat alta satori,
Annexa inde rotæ tormenta flagrantia volvunt
Ignibus applicitam pinguique liquore madentem;
At Christo fugiens attingere membra dicata
Erumpensque globis oleo furit excita turbis
Flamma, truces spectatores sævasque catervas
Involvens, fervore necans, plexuque perurens,
Carceris hinc thalamo duroque recepta cubili
Cœlestis fruitur pastus splendore, medela
Sanatur, medicante Deo, divo utitur actu.
Incolumis Christique reperta extollere laudes,
Pressa gravi vastis onerosi pondere saxi,
Gurgitibus sinibusque lacus immergitur imis.
Angelico sed præsidio superoque vigore
Eruta crudelis vincit molimina patris.
Post alius fortem subit expugnare puellam,
Tartarei ductor belli diræque palæstræ.
Suppliciisque petens decus insuperabile multis,
Phœbum orare jubet, cujus simulacra favillam
Illa repente facit precibus dum sidera transit.
Quæ mirata trophæa Deum mox millia Christum
Subdita collaudant figmentaque vana relinquunt.
D Successore patris prostrato, bella tyrannus
Tertius aggreditur flammasque extinguere flammis
Nititur accedens Vulcani horrore caminos:
Clauditur invicta ardenti fornace virago,
Sicque cinis penitus fieri data quinque diebus,

206*) Papia.

Ignibus immensis scelerum necat atra vaporem
Edomitisque feris perstat Christi bestia victrix.
Quod nequeunt ebeni doctor supplere chelydri;
Marcescunt tamen aspersi virtute triumphi.

A Verberum gladius pharetraque absconditur oris.
Interior sed plena sonat praesentia linguae;
Impetitur saevis toties decorata sagittis.
Bellatrix pulsa et jaculis mens exulat et astris.

CAPUT XIII.

De sancto Ambrosio.

Cernitur Ambrosii meritis urbs Mediolana,
Quam gestis atque ore colit virtutibus ornat,
Quae monitis Augustini, Pauline, resignas.
Hunc pater infantem cœlesti examine cernens
Invenit, miratur apum pios ora petentem
Præsagitque virum cœlestia mella daturum.
At puer, ostentans sacro se more futurum,
Porrigebat ludo venerans, virginum dextram
Vaticinansque datam memorabat se ordine vatem.
Edoctus Graiis Latiisque pie sophia
Aulicus ascitur proceres consulto sessurus
Ipse quoque Æmiliæ princeps Ligurumque magister,
Tutatur patriam, populos regit, ornat urbes.
Huc ope Mediolana petens fastigia partis
Nutu exsecutus Christi sacro sub vestis
Qui templum studio ingreditur scissasque phalanges
Pacificare parat, dum vota in plura feruntur:
Infantis vox Ambrosium dat honore sacrandum.
Conversi qua dividui in diversumque rapti
Conveniunt in pacta viri, mens omnibus una
Induitur, Ambrosium sacro sibi jure dicandum
Conclamant utrinque simul concorditer omnes.
Ille togam meditans severum instaurare tribunal
Præcipit, applicitisque reis tormenta volutat;
Nec removere valet emphatico clamore plebem
Clamantem: « Super addantur tua crimina nobis! »
Pondus inire tegens sophiæ revocatur, inepta
Sacrando sibi scorta adhibet nec vota reflectit
Cernentum fertque sibi hæc peccata rogantum.
Noctibus his cassis fugiendi tempora captat
Egressusque urbem sub vasta silentia noctis
Et Ticinum se ferre putans recto agmine gressum,
Mane repertus adest porta urbis Mediolanæ;
Atque stupescentes Domini adolescentis ovis
Inventus capitur, custos servatur, adactus
Alligitur, gaudet raptari an sacra capessat
Cæsar et is nomen prædicta implerier orsa.
Quis præsul valeat passus dare jura memorat,
Effugit hinc iterum secreta habitacula quærens,
Alta subire pavens, agros commigrare minatur
Proditur exactus, plenoque ablutus in undis.

Sinceræ fidei candentia scelera subdit,
Singula militiæ tractans quoque munia divæ
Omnibus ad summum lætantibus exit honorem,
Antistesque datus sancte sacrosancta ministrat,
Ædibus effulgens Domini splendore coruscis.
Approbat id tacta gaudens paralytica veste
Et proprio tollens alieno vincla ducatu;
Atque indigna petit clarum commixta lucernam
Vellere candelabro, lethum sibi stulta virago
Tracta veste rapit, tenerasque animo retundit;
Repperit hic etiam Eliæ spiramine fervens
Hæc duo rabidos nigro livore furores
Quæ fraudes toto coluber molitur aperto
Exquirens odia, exilium parat, mulcat auro
Calumniisque animos pactis in tela furoris.
B Nec Jesus tamen athletam sua castra regentem
Deserit, adjutor validus sibi corda ferentum
Pellit ab insidiis hostem servatque clientem.
Latro quod expertus laqueique parator operti
Victimam qui se Ecclesiæ fert tollere raptum
Ut queat ejusdem facilis crimine culmen (207).
Cujus in adversum tentamina ducta tenorem
Quo putat abripere abripitur gestamine vectus,
Quoque die patrem ratus extorrem esse ferendum,
Exulabit, versa in proprio sibi vertice fraude.
Scit Domini monitis tamen hostem præsul amare
Proscriptumque levans opibus solatia confert,
Et licet ipse æquo plexum se judice clamet.
Non tamen atra manus pavet addere fraudibus arma
Pugnaces dum sæva viros dat femina valvas
C Obstruere Ecclesiæ sacramque repellere plebem
At Dominus præstare solens ex hoste tropæa
Effera belligerum demutat corda virorum
Servare inventos, admittere limine fidos.
Idque parum, nisi cum populo vota arma profundant
Atque Deum simul adorat cum plebe satelles;
Pascantur pariter leo, bos, lupus agnus et hædus.
Nec sinet antistes tantos ingratus honores,
Carmine gratificis insignia laudibus edens,
Et Christum modulis resonare celeumata tradens
Hymnidicis robore choris ex quo alma Sionis
D Occiduus pangit sine limite carmina lucis.

CAPUT XIV.

De sanctis Gervasio atque Protasio.

Addit clarificare Deus se clarificantem
Cui celata diu pretiosa talenta revelat,
Dum se illi testes Domini Gervasius atque
Huic individuus frater Protasius hærens,
Adversorum ad probra, necnon ad vatis honorem,

Luce coruscantes superna signisque micantes.
Christi laude datis famulorum lumine promptis
Pontificis precibus, posito somnoque gravato
Visi adstare palam juvenes candore nitentes
Atque polo manibus pansis ut vota ferentes.

(207) Verba *facilis crimine culmen* alia manu scripsit, sed sine sensu.

Sollicitus sacer ac nutans ubi visa recedunt
Vera petit repeti, si vana, facessere ventis.
Augetur parco devotio, visa recurrunt,
Jam quoque marcentis vocem dum tertia galli
Nox redhibet, redeunt visi ac produntur ephebi
Insomni ac stupido vacuoque ut corpore fesso
Tertius hos ductat Paulum quem schema figurat
Quique notans socios pandit suo jussa secutos
Sæcli adversatos pompis, vestigiaque alti
Sectatos Domini, culmen sprevisse caducum,
Binaque conclusos quondam sic lustra dicasse
Servitioque Dei divæque vacasse sophiæ
Martyrio digno donec vernare probati;
Corpora quo fundit vota invenienda locello
Arcam exultandam templumque celebre parandum;
Nomina scitatus capit inventum ire libellum
Nomina quo meritumque legat sumptasque coronas,
Ille ciens fratres telluris, in ordine primus,
Terga aperit fodiendo; diu secreta patescunt
Munera nec corrupta situ nec tabe soluta
Utque diu posita hac fragranti nectare sparsa;
Expectata patet pandens promissa libellus:
Abdidit ut nato comitante hæc rapta Philippus,
Edidit ut geminos Vitale Valeria patre,
Nomina mox actusque notat, patrimonia cuncta
Pensi toto, indignis famulisque ferenda solutis,
Seque decem precibus lectuque vacare sub annis,
Et datur palmam quoniam certamine scandant.
Sacrificiis ut delati, responsa negarint,
Digna deis fenti ut fanis sacra ferre monentur:
Vana prior figmenta docens, per flabra jubetur
Plumbi exire hominem; suadetur ac alter ad atra.
Is quoque suadentem miserum trepidumque resi-
[gnans,
Fustibus atteritur, majorque ad bella levatur,
Compatiens hosti doctus paradigmate Christi.
Sicque datus gladiis cum fratre asciscitur astris.
Quorum ubi de trita tolluntur pignora tumba
Condita lecticis insignia plura salutis
Præstita defessis, titulo panduntur honoris
Martyribus lati, pietate et præsulis almi
Martyrum (*sic*) attrectat fidei velamina nisu.
Luce reformatur cæcus radiante Severus;
Curantur nigro obsessi spiramine plures,
Gratanterque revertentes vi luminis augent,
Ecclesiæ minuunt pravi fomenta furoris,
Incipiuntque feræ sensim rarescere turbæ,
Inque sacerdotem Christi excita tela relidi

CAPUT XV.

De virtutibus sancti Ambrosii.

Sævam intra quamvis aulam nigra murmura mus-
[sent,
Confusi renidunt tamen insultare parantes.
Recticolis Zabulo dum quidam arreptus eorum
Invitus dat vera licet, laude erigit hostem,
Conturbat socios, pietatem nescius effert,
Di a truces addunt comites, perimuntque sodalem,
Invisum veris cumulant sibi probra decorem,
Digno pontifici Christo decus omne ferenti,
Hæc sibi qui præstat cœlestia munera servo,
Qui supero adstantem munit dum famine plebem,
Cominus æthereus visus consistere civis,
Auri qui inferret populo quæ jura serenda.
Æmulus hæc cernit fervens infestus et acer
Invictusque suis pellaci creditus ore,
Omnia qui tetræ spernens molimina fraudis,
Quod ferus umbrabat cœpit depromere lumen
Contigit hoc vigili servanti oracula mente:
Ast alias tumide pactas prohibentibus aures
Regalis thalami tutoribus oria vere (207*)
Quæsita assensis fugientibus ore parato
Pontificis mox sed lapsis capuloque relatis,
Præsule tractante, haud audire valentibus illis,
Organa qui fidei fastu tempsere superbo.
Ipse sacerdotis Christus protector et ultor,
Ipse tuens famulum cuncto servabat ab astu.
Necsilet hæc hostis vilent cui verbera carnis
Incenso igne stygis vindictæ tormine vatis,
Angelico sese tutore terente beati,
Quid Zoroastreo succensus corda furoris
Sit suasus jusso insidias fervore ferocis
Tendere sceptrigeræ doctori, avertere castra
Ecclesiæ, quo sacrificus fastigia nisus
Scanderat obscura tacitæ caligine noctis
Culminibusque litans lites excire pararat,
Versis ac votis, odio pro cæde petito,
Sanctus amor Patri natorum in corde flagravit.
Prodidit atque truces se delegasse ministros
Almifici invisam pravis extinguere vitam,
Nec saltem valuisse domus accedere septis
Undique munitæ invicti fervoribus ignis,
Defenso justo, sævum inflammantibus hostem;
His stratas cessisse nigras congressibus artes.
Insurgunt manifesta caduntque relisa duella.
Nam quodam datus insontem jugulare satelles
Castificum stricto penetrans mucrone cubile,
Dum sacrum librat in jugulum defigere ferrum,
Attonitis arens nervis junctura rigescit
Nec valet elatam moderari motibus ulnam,
Dum tandem fassus crimen dominæque furorem,
Quem dare adit morti redhibetur patre saluti.
Nec pavidus reges trepidusve orator adire
Hic pater extimuit, cæso quod rege tyrannus
Intremit admonitus sacrisque remotus ab aris
Innocuum dum pœniteat fudisse cruorem.
At quia contemnit consulta salubria vatis,
Non modo sidereos, imos quin ponit honores,
Et qui pontificem præcepto benigna ferentem

(207*) Cf. Vitam Sancti Ambrosii a Paulino ejus notario, § 18. Intelligitur sermo, exceptis hisce verbis corruptis: *oria vere*, quæ, si omnino necessaria, sic forte restituenda sunt: *obvia veri*.

Sprevit. [illegible] fractus terrore [illegible]
Ast alter Theodosius [illegible] et [illegible]
[illegible] dictis
At Domino [illegible] jussisque [illegible]
Decretum revocare [illegible] revellere leges.
Dum daret in [illegible] sævis [illegible] triumphos.
[illegible] jussa
Non nisi sub fidei [illegible]
Obtinet [illegible] sacris accedere valens.
Sic quondam [illegible]
Injuste [illegible] sanguine fuso,
[illegible] templis divisque repulsus ab [illegible]
Præsule cœlestem solum [illegible] decorat.
Haud horret [illegible] pietate repulsum
Nec gaudet venia [illegible] nisi jure solutum.
Lege etiam scripta [illegible] probata
Quæ valeat [illegible] furorem
Subdendi [illegible] sceptra [illegible] sævis
Altera [illegible] hoste;
Post religionis [illegible] colit omnibus unum,
[illegible] in jura [illegible] severum,
[illegible]
[illegible] Domino, [illegible] hostis habetur
Nec metuit [illegible] pravo ferre ora tyranno.
Arguit [illegible] schedæ
[illegible] proponens crimina damnat,
Immunemque [illegible] se proditionis.
Munera rejiciens, etiam in prece [illegible] negata
[illegible] hostique [illegible]
Excit [illegible] sæva frementes
[illegible] minantur
Post sibi promissam [illegible] contamine palmam,
At Dominus justus [illegible] discriminat [illegible]
[illegible] sceleris [illegible] nec sceptra valere
[illegible] super justa ne dextra levatur iniquus.
Justitiæ dignoque piis dat honore triumphos.
[illegible] pedibus provolvitur almi
[illegible] fidelis ad omnia Christi.
[illegible] qui straverat hostem.
Hujus se meritis [illegible] et prece totum;
[illegible] veniam [illegible]
[illegible] gratia patrem
Qui quanta bonitate [illegible] corde benigno
[illegible] sæpe soluta
[illegible] legatio fervens,
[illegible] et ipse labor longi, proceresque petiti,
[illegible] patris [illegible] flentis
[illegible] sontis,
[illegible] Stiliconis [illegible] supplex,
Redditus exitio [illegible] iræ
Quo per eum plures [illegible] judice gaudent
[illegible] prætoria dari
[illegible] tantur
Lata in eum quoque [illegible] oracula vates,
Spe cassata [illegible] locarat,
Dum nequit Ecclesiam [illegible] patentem
Hic pater eximius pietatis [illegible]
Quam fuerit virtute potens [illegible]
Spirituumque frequens depulsor [illegible]

A Pansophius [illegible] post [illegible] cruenta
[illegible] revulsus.
Hujus ab hoste [illegible] ferri
Monstratur [illegible] hospite capto
Pontifici misso, [illegible] in urbe [illegible],
[illegible] templo
Juratus dum se Ambrosium [illegible] revelat
[illegible] expectasse [illegible]
Quid patet iste [illegible] ordine [illegible]
[illegible] medelam.
[illegible] gaudens
[illegible] sequente salutis
Quam [illegible] oris sonat, quam femina plena vigore
[illegible] Stiliconis [illegible]
B Crudeli [illegible] sermone [illegible]
Hujus falsiloquis plures [illegible] schedis
Constiterat [illegible] vinclis [illegible]
Nec non ille [illegible] qui splene [illegible]
Alterius lapsus non vana sua probat orsa ruina
Et lapsus non vana sua probat orsa ruina.
Successor decedentis quoque Simplicianus
[illegible] voce [illegible],
[illegible] procul positos stupor occupat [illegible];
Barbara virtutem quoque præsulis ora loquuntur,
Francorumque ducis [illegible] hoste triumphis
Hujus amicitiis partum quem fama fatetur,
Currentem imperio valeat qui figere solem
Quem [illegible] quem celso flamine plenus
C Semina densa notant terras animantia cœlo,
Regna replens rumor, compertaque fama,
Persarumque duces sophico fulgore [illegible]
Multo [illegible] fervore videndi
Eoo notum splendoribus urbe disertum,
Quorum quæsitis divina luce vibrandis
Cardine cum noctis lux est absumpta diei.
Symmachus ille etiam cujus labor omnis in ore,
Qui reges superasse putans splendore leporis,
Sacrilegos ritus repetebat et impia liba
Accipit ut cultum pietatis honore volumen,
Lumine cœlesti divoque sapore refertum,
Haud dictis posthac qui reddere præsulis audet
Marcomannorum probat hoc regina relictis
Errorum [illegible]
D Percepto quærens [illegible] spargi
Legatis [illegible] conditur [illegible],
Accipiensque [illegible] luce libelli
Stat pacem suadere curans persuasa jugandam
Romulidisque ferum subigit cum gente tyrannum
Quo splendore Dei radians quo flamine pollens
Hæc serat, annixus tabellis, Pauline beate,
Felici stupidus meruisti cernere visu,
Atque coronari justum rutilante [illegible]
Omnibusque voluntatis, pro tegmine scuti.
Introgredique vides proba divum habitacula flamen,
Jura Dei [illegible] vates dum cœlica [illegible]
Quisquanto fervore Deo, quam [illegible]
Pastor [illegible] amor vigeat et cura resignat,
Pastio tuta gregem, [illegible] lupertum,
Paupertasque libens, Christoque impensa facultas.

Amplaque pauperibus patrimonia lata beatis,
Prædia quæ juri Ecclesiæ possessa dicantur,
Strenuitasque interventus, opis arduus actus,
Cunctæ sollicitudo Dei stans sedula plebis,
Frugalis pietas, jejunia ferme per omnes
Continuata dies, precibus vigilantia castis
Et sanctum testatur opus, manuum labor aptus,
Dictati scriptique libri, verbi æquor arati,
Indignis captisque manus data munera largæ
Et sine fine manens fraterni cultus amoris :
Servitium in sacris solerti jure solutum

A Vix quino satagente dein pastore gerendum.
Pensum et exactus prodit pia pectora luctus
Ac flentis bonitas aliena piacla gementum
Editaque aspectu suspiria tristia probro
Urbibus orbatis lacrymæ quam sæpe dilatæ
Atque Deum semper sitientis corde profusæ !
Non se morte quati cujus bonitate fatetur
Servum se ardentem, quanto Deus ambiat igne,
Lumine quo fulget maiorum culmine claret
Id quoque sanctorum multo celata sub ævo
Pignora huic digno digne patefacta resignant.

CAPUT XVI.

De sanctis Nazario et Celso Vitali et Agricola.

Quorum Nazarium Celsumque nitore levatos
Prætulimus divo mentem irradiante beati ;
Quos vice thesauri jussi servare coloni
Commisso minime audebant discedere ab horto,
Dum gazas sacer ignotas custodibus auffert
Utque loco his apto merito splendore locatis
Gratificos cœtus divino lumine repplet,
Civibus Ecclesiæ superæ applaudentibus urbis,
Ingemit hostis atrox torqueri se patre questus
Ambrosio, vocem strepitus qui ponere jussus
Ponit et inflari Ambrosium nescire capessit :
Haud illum ipse, fides quin torqueat alta sacrorum
Ignis et invidiæ doleat quod scandere cœlum

B Terrigenas unde ipse ruens volvatur in ima
Vitali sed Agricolæ dat templa beatus
Florentinæ urbi, quos larga Bononia mittit :
Qui fortes post plura trucis cruciamina flagri,
Eximium fixi cruce nanciscuntur honorem.
Pignora Judaicas inter permixta latebras
Nonnullos ignota jacent mortalibus annos,
Donec pontifici diva se luce notantes.
Hoc patre lætantur digno retinere decore
Secernique nigris auri ceu fulgor arenis
Lætitia populi cruciatibus agminis atri
Hos simul ara capit sanctorum lumina pandens
Divinæ circa famulum bonitatis amorem.

CAPUT XVII.

De transitu sancti Ambrosii.

Qua spem fundarat fungi ne morte paveret
Testatur felix obitus finisque beatus
Militiæ palma dignæ claræque palæstræ,
Numine præscitus supero sociisque relatus.
Ille etiam risus divo radiatus ab ore
Arridere sibi Dominum quo cernit Iesum,
Laudensi cum præsule ei dum vota profundit,
Auditasque preces jam gratia blanda revelat.
Queis animum semper fixus nec morte recedit,
Dum crucis in speciem distantus brachia cœlis
Felicem votis animam comitantibus infert.
Vercellensis adest præsul cœleste vocamen
Excitus capiens somnis, ubi mox abiturum
Atque recessurum monitis prodentibus audit,
Lucis honoratus divæ mysteria tradens ;
Quæ ut capit Ambrosius summam libaminis alti,
Lætus init vitaque cibatus in æthera surgit.
Transitus hic celebri Paschæ splendore nitescit,
Israel tenebras exit qua nocte Canopi,
Cœlicolæ civem paradisi regna colonum
Festive excipiunt, agnis in flumine lotis
Fontis aquæ vivæ, patet almi gloria vatis,
Aspiciuntque subire thronum digitoque loquuntur
Illustri residere patrem fulgore nitentem.
Stella micans aliis funus lustrare patescit.
Ambrosiana quod ut terræ caput aula serendum,
Nigra caterva gemens causam cruciaminis edit.

C Splendorem Ambrosii coeunt servire benigni,
Millia natorum superna ad munia currunt,
Fervida stipantur diversi examina juris
Tangere gestamen, saltem appropiare laborant
Nec charos latet absentes, nec linquit amantes.
Eois transmissa viris quod scheda profatur,
Visus ut assistens quæ fert orantibus almis,
Imponensque manus pariterque precamina fundens ;
Zenobio Florentinisque levamina portans.
Sæpe rogatus adest, urbem discrimine solvit,
Defessos recreans, spe deinde salute reformans.
Mascezeli desperanti feritate pericli
Impetrat precibus, signansque ænigmate palmam,
Ter notat appulso tempusque locumque bacillo.
D Gazarumque loco quærenti lumina cæco
Claro albatorum comitatus honore virorum,
Apparens, sociis occurrere Mediolanam
Præcipit, ut valeat luce exsultare petita ;
Paret ovans palpo quæ non inviserat ante
Mœnia calle petit recto, dictaque salutans,
Obvius ipse die patronos urbem ineuntes
Hanc Sisinnium, Alexandrum quoque, Martyriumque,
Mox promissa capit loculo sibi munera tacto.
Urbe Trientina quos præsul Anaunia rura
Lumine, sancte, jubes verbi lustrare virili ;
Quæ sacro dum rore rigant, indigna resultans,

Hostia tunc fuit Eusebius livore duellum,
Quæstibus atra cutit, nigri numinalis ornat,
Compressosque pios spurcis mactare laborat,
Atque reluctantes flagris fere ad extima cedit.
Nox superest tantum, terras caligine pressas
Qua retegente color rebus datur sole refectus,
Oblatas clare lucrantur agone coronas.
Cappadocum de gente senex Satimulus terram
Primus honore nitente, tabo caput ictus almo et
Confessus hominem quoque membra securibus exit.
Limine ab Ecclesiæ colorum culmina scandens
Martyrius grates, tentus nec mobilis, effert
Salvifico Domino, sublatusque foratus vestis,
Verticis e plagis perstat saturare lupennes.
Denique cruore madens agitur libare profanis,
Calle volans alto subit astra tetro solutus.
Insultant cæsis bacchantes, pendula collo
Martyris ora ligant tunica et voce crepantes
Prostratos ubi Christus quo vindicet, addunt :
Inter Alexander functos accessitur ineeis
Aspera quoque subit tractus dum dira calentes
Sentrea ad busta rogi construunt quo corpora crude,
Spirantem ergo jubent libare vel igne flagrare.
Ille manus calcans rapit alto fine coronam.
Excita nec se abdit vindicta, nec inulta dignam
Mox adhibet mulctam ; cœlum tamen abrigit umbra
Proxima terrenis, terras velamine cæcans,
Cæcatosque umbrans populos, micat ignibus aer :
Fulmina crebra volant, lethum mortalibus æthra
Intentat trepidis ; mendaces vera profari
Coguntur, fere hæc sanctorum luce fatentes,
Hi socii Ambrosii, capiunt his lumina cæci,
Curantur sævi, rutilant splendore benigni,
Ambrosii meritis applaudunt agmina cœli,
Congaudent justi, livore teruntur iniqui ;
Ore venenato famam qui carpere sanctis
Tentarunt, subito carpuntur viscera rapti
Inque oculis quorum, nox ea velere mentes
Patres atque potunt, medias veriuntur abesse.
Ast ille et meritis meritorum et lumine rebus
Effulget genitus, quorum Paulinus honore,
Culminis egregii sapidique nitore leporis,
Ausonium decorat tractus et mare lumina portat
Ecclesiæ decus illustre, Augustinus, ut ortus
Totius instructor fraudisque hostilis abactor,
Lumine qui cunctum replet almo et semine mundum ;
Martinus specimen Gallorum ductor et altor
Candentum puis agnorum columenque sacrorum
Gemmaque pontificum, pollens tutela piorum,
Cujus ad exsequias divina potentia patrem
Transfert Ambrosium sed nec statione remotum
Hesperiis astat Gallis, et funera curat ;
Mediolani aris præsit Turonique sepulcris,
Cratæ manus agit nec diva litamina liquit,
Corpore adest populo, spiramine servat amico.
Et quis cuncta patris narrare insignia tanti
Prævaleat, quorum qui scit, sapit omnia, summam?
Non licet addantur dictis quamplura, residet
Maxima gestorum sed pars intacta sacrorum.
Utpote qui studio, doctrina et culmine vitæ
Italiam eripiens tenebris ad dogmata vertit,
Catholicæ fidei cuncto dans lumina mundo,
Nos quoque perpetui rapiens a turbine lethi
Perferat auxiliis æterna ad gaudia lucis !

Quæ sequuntur capp. 19 et 20 edidit Mabillonius, Act. SS. ord. S. Bened., tom. II, pag. 20 et seqq.

CAPUT XVIII

De sancto Columbano

Diversæ Hesperia patrum radiante nitescunt,
Diversis simul hostibus illustratur et ipsa
Ambrosio insignem vates petit inclytus urbem [***]
Gente Columbanus Scotorum et sanguine cretus.
Qui plus a puero vixit mirabilis ævo,
Christi castra [**] locans, multoque hæc milite replens
Propositi metas hujus virtutis odorem
Nare sequens avida, paulo excessisse videbor.
Finis at hunc Italis quoniam impertivit agonis [***],
Ausoniis tandem placuit junxisse tropæis.
Quem genitrix dum utero gestat procedere solem
Aspiciens gremiis, lumen præcnoscere prolis
Illustrata datur sparsurum lumine terras.
Artibus imbutus claris, documenta palestræ
Aggreditur superæ, virtutibus optime fultus
Gallica rura petit, divina his semina portans,
Ore manuque vocans cœlorum ad culmina cunctos
Celsa petens gradibus, eremi secreta requirit,
Atque columbinis scandens subit ardua pennis
Nec divæ [**] frustratur opis solamine servus,
Christina præceptis innixus commoda temnens
Quo tenus Deus ægroto solatia fratri
Allevat angorem, legans optata vehentem
Defessis alimenta virum, nec missus inanis
Aut mercede carens iteris (208) solator abivit.
Ægri subventor medicamina conjugis orat,
Subsidiumque refert, quæsitaque dona reportat
Et patris ad votum reperit vigmisse jugalem.
Inde Carantocus secretis visibus abbas

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[***] *Id est* Mediolanum. [**] monasteria. [***] vitæ. [**] divinæ.

NOTÆ.

(208) *Iter, iteris*, sicut *itiner, itineris*, non raro habent veteres. Lege adnotata ad Vitam S. Cuthberti metrice a Beda descriptam ad ann. 687.

Admonitus sancto suffragia ferre laboris,
Accito famulo cœlestia jussa retexit,
Expleat imperitans. Properat Marcellus, onusta
Lata [345] ministrat equis, sed quo se tramite ducat
Inscius ignoransque petendus ubi incola degat
Atque ita nutanti quid agat dum corde volutat.
Consilium menti ingeritur, jumenta viandi
Destinet officio, præeant quo quæ acta sequatur
Vis recto divina regens animalia calle,
Ducit in optati Patris ora sequente magistro.
Sicque Dei famulum ductantibus ille veredis
Inveniens præsentat opus : gratesque Tonanti
Laudis utrinque datæ : ditat benedictio vatis,
Ac revocat [346] gerulum præconia digna serentem,
Invisunt refugam mundi jam deinde frequentes.
Atque colunt plebes, pietatis honore petentes
Ditari, verbo refici, precibusque levari.
Ille favet votis, morbisque medetur anhelis,
Mirificat pellitque feras, procul effugat hostes
Septus' et intactus perstat feritate lupina,
Miti pace truces ausus rabiemque serenans.
Ursum quo populit, scopuli legit atra minacis,
Incolit hæc solus, puero visente ministro
Agreste hunc sustentat olus, fert pocula lympha.
Quam procul inde petens, longum puer ipse laborem
Ut queritur, saxi scrutari terga jubetur.
Dum Patri precibus cœli secreta petuntur,
Factum, et cum votis latices funduntur opimi,
Fons rupe exoritur montis hinc perpete lapsu.
Jam devexa rigans, et commoda munera præbens,
Castra replere Dei properantibus undique turmis,
Agmina metator cogens, loca providet apta,
Distribuit cœtus, certans præmonstrat agonem,
Munia disponens, leges dat, juraque tractat,
Quæ descripta docenf qualis radiaverit auctor.
Ipse eremum peragrans gemino comitatus alumno
Indignusque cibi, socios jubet ire petitum,
Signatoque loco victum deferre repertum.
Deproperant, loca dicta ineunt, fluviala cernunt
Munera, non proprio terris adstrata clemento.
Sumunt tres de quinque esoces [346*], ad prandia tollunt.
Increpantur ut ingrati, qui prona refutent
Dona Patris, missi redeunt, contempta reportant.
Mandat item quondam capturæ instare sodalem [347],
Atque locum signat, laxata ubi retia pandat.
Illi visum alias, nec cærula [348] jussa lacessit.
Nec prædæ concessa petens, miratur adactos
Instantesque haud posse capi sinuamine [349] pisces.
Impactos spectat maculis, nullum eximit undis :
Consumptaque die casso sudore laboris
Regreditur fructu vacuus contemptor alumnus.
Arguitur spretis vano conamine jussis,
Et vada jam tandem decreta subire Jubetur.
Paret abinde cliens et lina capacia solvens

A Vix revocare valet capturæ pondere farta [350].
Sicque hilaris Patrem repetit, data dona rependit
Est spelæo quondam ipse remotior hærens.
Languorum serpente lues per lassina fratres
Addixit stimulis, solum superesse ministros
Ægrotis servire datos. Horum ipse misertus
Peste repellenda petit hæc Luxovia castra
Mox illos jubet exsurgant, famulatibus instent.
Immineant [351] messi fervente labore terendæ
Surgunt præcepto solito gaudere paterno,
Accedunt monitis, trituræ insistere certant.
Virtuti suplici fugiens vis morbiba cedit,
Roboreque implentur pulso marcore medullæ,
Adgaudens Pater obsequiis, recreare laborem
B Mirantum jam posse suum decernit, ovanter
Instaurat mensas, dapibusque venustat opimis.
Gaudia concelebrat nullo residente dolore.
Ni solum infidis sectori jussa moratis.
Quorum desidia arguitur, pigredo notatur,
Atque animæ languor carnis languore piatur :
Ac pestis mora prædicitur [352], longumque rotatus
Volvitur anxietas, annus dum limina claudit.
Siccatis quondam stipulis sub tempore messis
Insurgunt, inhibentque legi [353] dona annua nimbi
Insistunt pluviæ, spes ipsa ablata metendi
Mentibus attonitis, iterum ne germina culmis
Insurgunt fetis famis in discrimina granis
Ille sub hæc Domino committere vota benigno.
Spemque librans Christo, sociis jubet arma [354] capessant,
C Messem ineant, curvis invadant falcibus arva.
Mirari comites, nemo audet promere contra
Quin faveant jussis, ruraliaque arma ferentes
Appellunt segeti : custodes ille per oras
Distribuit ruri, quos vita excelsior ornat
Quattuor excipiens Coniminum, Eunocum, Econamum
Sanguine Scottorum, Gurganum gente Britannum.
His ita dispositis operi cum fratribus abbas
Insistit : pro mira fides ! toto æthere rores
Funduntur circa, sicco cadit hæc seges agro,
Tostaque [355] mirando sic cuncta reconditur æstu.
Trimates steriles virtutem pauperis hujus
Sentiscunt, adeunt, quæsitaque gaudia prolis
D Accipiunt, celebri lætantur honore parentum.
Wandalenus ovans Donato nomine et actu
Pignore florescit, sacer at Pater expiat undis,
Enutritque datum cœlesti lacte clientem
Quem post pontificis Vesontio culmine tollit,
Quique Monasterium normaque et honore patroni [356]
Constituens Christo, certantia castra coaptat.
Fenora natorum genitor pro pignore lato [357]
Tutoris recipit meritis, ipsique parentes

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

345 allata. 346 reducit ad sua. 346* Salmones. 347 Gallum. 348 *id est*, amnem. 349 retium sinibus 350 referta. 351 insistant. 352 prædicitur. 353 colligi. 354 falces. 355 sicca. 356 Columbani. 357 collato.

Se obstringunt Domino, mater turmam aggregat almam
Castrorum gaudens comitatu se his esse sodalem
Suffector Patri [illegible]: et quæ beat?
Abbatis splendore datus devotus amori,
Instituit cœtum Patris hujus regimine cultum.
Inclytus iste Pater prodimatis [illegible] pollens
[illegible] locuples operum vixit, quam lucis abundans.
Afflictis impensa docent solamina crebra.
Theodegisalus hoc dignum sibi fatur verum
Comperit, excipiens subitam medicante salutem
Ore Patris fusa plagæ per aperta saliva;
Fortur [illegible] repetens sine labe [illegible],
Membro credideral quod se [illegible].
Nec minus [illegible] pollentes homines medela
[illegible] quod [illegible] levamen
[illegible] senior Wilenus agresti,
Dum [illegible] opus Patrum [illegible] gerentem,
Millaque viros superat [illegible] labore.
Adsumpet agrestis; cunctos [illegible] pectus
[illegible] aperta gravi, [illegible] madescit
At [illegible] Pater [illegible], [illegible] juvamen,
Inque [illegible] votis, properat purgare salivis,
Oreque conspersum reddit post sputa piatum
Dumque fovens facta sævum fuit [illegible] vulnus,
Curat, vixque cicatricis vestigia servat,
Salvificum digno hic sectans [illegible] Patrem
Frumenti [illegible] frugescere [illegible] fratres,
Sollicitam fidis comitem Pater [illegible]:
Non [illegible] justum, [illegible] nec quærere panem
[illegible] sola tibi [illegible]. [illegible] homo [illegible]
Largitore Deo facili virtute replentur.
Nox [illegible] totum, [illegible] nisi nemo repertus
[illegible], [illegible] quibus [illegible]
Sic quondam [illegible] rastro [illegible] adstans,
Sexaginta jubet geminorum munera panum
[illegible] quod parvam [illegible] solamine ferri.
Mirantur crevisse dapes vescentibus illis
[illegible], duplamque [illegible] minister
Convivis [illegible], [illegible] et [illegible]
Nec solum proprios [illegible] servat alumnos:
Quin succurrit et externis et vincula solvit
Æthera, [illegible] famulis [illegible] fatiscunt
Ad jussum [illegible] Patris, [illegible] fauces
Se purgantes [illegible] jam sponte [illegible]
Nexibus [illegible] laval, ac vestigia tergit.
Et [illegible] egit [illegible], sed limine [illegible]
Non patet [illegible], jamjamque propinquo
Agmine custodum repetentum ad tormina raptos,
Vincula qui jussus, preciibus quoque limina pandit,
Claustraque cum votis reserat nutantibus ægris
Ac simul ingressus [illegible] struit [illegible]
Clavier hæc hostesque suo munita vigore
Cernentes, metuunt divino [illegible] manus
Appetere, humanis aut subdere legibus actus.

Adversa etiam ille bonus, sævoque benignus
Excipitur, [illegible] tormenta revincti
Nexibus internis ferro torpente relapso
Dejecit dextra, ante pedes miserantes, ademptum
[illegible] redhibet virtuti [illegible].
Obvia bis sævi quondam atro flamine plena
Ora tenere viri, prece mox quæ ille redemit
Vexati rabida veniunt ita quinque phrenesi,
[illegible] quis præbet pulsa quoque peste salutem
Sic Patri juvenum viginti millibus actum
Currere pernici volucris virtute chelydri
Restituit precibus fixum votisque receptum.
Mater item cum prole fuit hac labe referta,
Nec mora, purgatas pariter Pater iste remittit.
Sæpius [illegible] in limine partæ,
Hocque venire querens, mœstis sibi vocibus hostem.
Atque Dei famulum vulgato nomine prodens;
Fortibus [illegible] dum viribus obstat,
Ore manum capit innocuo, linguaque repressa
Abstulit digitis, jussus fœtore sequente
Sulphuris Ætnæi affectum lacerumque relinquit.
Tempore jam multo Phœbei muneris expers
Hospite [illegible] rutilantia dona resumit.
Frustratusque diu revocato lumine gaudet,
Ipse peregrinus peregrinum ut lumine capiat.
Hic vir præpollens Christoque Columba renidens
Lumine quam clarus superoque nitore coruscus
Fulsit, innumeris radiantia culmina donis
Virtutum retegunt, volucresque feræque loquuntur
Saltibus acciti, nisuque adulante recentes.
An non hoc furto corvus clamasse relato,
Imperiique tremens visus terrere potentis,
Pergere in jussus post reddita damna, nec ausus?
Ursus an insolito reboat non ista pavore
Jam prælibata verbo depulsus ab esca,
Tergora cervinæ servans illæsa rapinæ,
Et famulans sanctis sanctorum ad commoda jussis?
Nec solus notat hæc testis, diversa feruntur
Huc attracta olidis animantia, nare sagaci
Nutibus atque repulsa Patris dum pelle revulsa
Pabula nudatum [illegible] præstare cadaver.
Sed nec dissimili regitur moderamine, pomis
Qui per discipulum cessis insistere parens
Carcere scit vetitis, cessatque inhiare rapinis.
Vivere decretis, escisque absistere partis.
Quam virtute potens verbo quam culmine [illegible]
Hic Pater emicuit, et jussa et facta resignant.
Et quoque castorum retegit famulatus alumnum
Et quondam liquor emissus famulante cliente,
Nec tamen effusus pervadens claustra coronæ
Spargit humum, quin insueto petit agmine cœlum.
Tollitur in vacuum duplicatque cacumine trullum,
Jussa Patris decorans, famulique patrata venustans.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII

expertus est. — asino frango. — [illegible]. — eripiuntur. — f. [illegible]. — crepitus. — f. Claviger. — serpentis seu [illegible]. — Columbanum. — e saltibus seu silvis. — miracula. — Ursus. — id est, olentibus, carnibus. — permissis. — præsentibus. — impetu. — vas vinarium.

Sic farris modius superest quique usibus unus,
Dum simul indigno fertur mandante Patrono,
Divite rebus Acra (209) monitis parente supernis,
Tertia jejunia redit exspectantibus ut lux,
Quadringentenos potusque cibique rependit.
Spem præterque fidem vacuis fulcimine cuncto;
Gratiaque augetur cumulat dum Doda trecentos
Quondam inopi victus cœlis alimenta feruntur:
Destinat æthra cibos orantibus alite multo,
Plumigeram seriem non diffugiente volucre
Absque labore ferunt, epulis dant fervere mensas
Ditibus, atque palatinas dulcedine visis
Exsuperare dapes, triduoque hoc dapsile terris
Manna manet, frugum accedit dum copia quarto
Lata die, supero spiramine, Præsule (210) jusso
Vicinas habitante plagas dare fercula sancto.
Sic et amicorum sociis solamine cassis
Ipse animo fidens perquirit amicum [375],
Ecclesiamque petens aperiri munere dextram
Exposcit Domini: nec amicus vota moratus,
Pontificem mittit repletum ardore ferendi
Quæ libeant vati, gratis data sumere poscit.
Ille bono grates Domino fert pectore prono,
Accitisque suis devote oblata capessit.
Inde fluenta legens Rheni, loca barbara visit.
Sarmatica Sævos [376] adiens regione suetos.
Progrediens quoque sacrificos offendit, inanes.
Luminis æterni lyphantia [377] liba parentes.
Dolium erat magnum sacris gremiique capacis
Turbida cervisiæ retinens libamina tetræ:
Quod Domini miles leni sufflamine solvens
Dissipat, erumpit pariterque fragorque liquorque:
Ut videas Sanctum fugere horrida flamma [378] flatum.
Barbaries pavefacta stupet, falsisque recedens
Pars non parva Dei recipit juga suavia veri,
Inque fide infirmi firmantur robore facti.
Cogitat interea Sclavorum visere fines,
Luce pia lustrare animas ab origine cæcas.
Angelus at visis astans, depingit in orbis
Schemate desertum tenui sub imagine mundum,
Ut dextram lævamve petat, fructusque labore
Quæsitos ineat. Sancto hæc spiramine plenus
Viridimens [379], nec adesse videns quo vincula gentis
Solvantur Domino tempus laqueata, quiescit.
Cœlicolis equidem qualis quantusque probetur,
Æquivoci [380] casso pandit conamine custos.
Militiæ optanti metam palmamque laboris
Quæsitam oranti fulva se luce revelans;
Corpore non, inquit, modo te producere possum,
Patre Columbano poscente, et flente repulsus.

A Ocius ille jubet mœrens properare ministrum,
Flagitat accitum raptim decurrere Patrem
Visere mærentem. Sacra fione æde repertus
Poscitur, accedit, cunctamque et vota requirit.
Ingrato [381] precibus queritur sese ille teneri,
Ductori obstare lacrymis, retinacula solvat
Jamque aditum cœli adienti regna recludat
Plebe metu attonitos, fratres ciet arce petitos.
Atque recedenti quæsita viatica præbet,
Oscula fert, funus cognati [382] complet amici.
Ipsi jam reges hujus sua subdere colla
Non renuunt monitis: hinc lividus hostis adactus
Invidiæ stimulis molimina nota revisit
Pectora sceptriferæ [383] supplens regumque parentis
Et quia vir Domini regis [384] benedicere cretam
B Crimine contemnit sobolem, regalia sceptra
Haud suscepturam memorans; regina furore
Hunc agitat diro, prohibens pia munera ferri,
Hospitiove capi socios, vel dote juvari
Arguere infessos monitor, vel frangere motus
Regis it irati, nec linquit dura magistri,
Nec probat hospitium, recipit nec munera regum.
Improba dona abicit, nutu data vascula rumpit
Intuitus virtute, dapes et pocula fundit
Auditis stupidus tremebundo horrore tyrannus
Supplex adproperat, veniam sibi criminis orat,
Emendare admissa vovet, compescere spondet
Sollicitus labem, placatque hoc fœdere Patrem.
Ast ubi castra [385] Pater repetit, mox pacta soluta
C Flagitium cumulant, consueta piacla retractat.
Almisator contra verborum verbera legat,
Grammata [386] plena minis, acrique notamine mittit.
Quis mulier veteris repleta furore veneni
Ad furibunda palatinos ipsumque nepotem
Instimulat regem, pellat quo castra colentem
Publica compellent ad jura vacare colentem.
Impulsus stimulis leges temerare toparcha
Attentat: contra invictus pius incola perstat,
Vaticinans omni procerem cum stirpe libandum [387]
Territus hoc celer egreditur rex famine sacris
Quæ violatum ierat, non se, sectante [388] coronam
Martyrii testans hujus contingere votis.
Quin eat, offendit quæ ritu examina linquat,
Ad natale solum venit quo calle, recedat.
D Ille negat Christi se sponte relinquere castra.
Rex abiens sævum quem novit ad ista ministrum
Deputat, hocque Patrem pulsum Vesontio captat,
Hæc quoque mira gerens verbo vincimina [389] solvit,
Ecclesiæ reserat valvas prece, munit apertas,
Liberat exemptos, vertitque regitque redemptos.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[375] Christum. [376] *l.* Suevos. [377] *f* lymphatica. [378] dæmones. [379] discutiens. [380] Columbani alterius. [381] invito, [382] popularis [383] Brunechildis. [384] Theoderici. [385] monasterium. [386] litteras. [387] resecandum [388] persequente. [389] reorum.

NOTÆ.

(209) In ms. codice legitur *Aëra*. Numen est proprium, uti et Doda infra, quæ nomina in Jona desiderantur.

(210) Episcopo scilicet Maguntino, nomine Leonisio. Hoc factum ac sequens per anticipationem referuntur.

Vim superam cives ipsi sentire tuentes.
Ejus ab specu [illegible] sese compescere censent.
Ille videns se nullo [illegible] custodio, reverti
Ad data castra petit, mediaque in sole dies
Regreditur, [illegible] populo spectante per urbem.
Nec mora conveniunt [illegible] hoc [illegible] furens,
Instigant per ipsum possint cumulare furorem.
Legatur furiata [illegible] comitante tribuno
[illegible] ductorem, exsiliique reducere multum
Accedens truculenta manus [illegible] in uno.
Cætera conspiciens, præsentem quærit et ambit.
[illegible] in eum [illegible], velamine ventem
Contingunt, se cernentem neque cernere possunt.
Sol [illegible] ovans inter trepidi [illegible] tumultus
Sed datur hoc spectare duci, qui forte venustus
Venerat ut [illegible], salus [illegible]
In medio videt errantem, sed [illegible]
Quos [illegible] jubet [illegible]
Frustra agitare [illegible] jussione [illegible].
Infremit hoc capiens, [illegible] furore tyrannus
[illegible] facinus [illegible] ad pessima legans
Crudelis famulos [illegible] jussos.
Psalmorum [illegible] invenient [illegible] canoro.
[illegible] quo tramite pergat.
[illegible] ille greges [illegible] relinquere natos
Lictores utrimque timor conturbat et horror,
Hinc regis terror, hinc tanti reverentia Patris.
Compatiens pius [illegible] discrimine septis,
Egreditur, [illegible] comitante alumni,
[illegible] quidam [illegible] potare tenentur
Hos solatur Domino tamen ille [illegible]
Allegans, laudare manet [illegible] Tonantem,
Altorem [illegible] valeant ut habere Joven-
tem.
Doctor consilio, ferroque petitus inani
Vincitur superis, captum tortoribus [illegible] hostem
Eripit, [illegible] redhibens pluresque saluti.
Afflatus quoque ductorem, quem [illegible] haberet
[illegible] et dominatorem, [illegible] resignat.
Lothario [illegible] sub principe [illegible].
Tandem actos Ligeris [illegible] jam [illegible]
Oceanique [illegible] pervenire campos,
Dum lenis [illegible] scapham [illegible] molimine fratres
Egregium sancti comitem cognomine [illegible]
[illegible] remo quidam [illegible].
Increpat atrocem doctor [illegible] pro crimine dignam,
Procinit et Christo [illegible] mulier
Femina [illegible] certi probat ultio vatis:
Moxque [illegible] portum [illegible]
Ac pius arradens fluvialia terga carina.
[illegible] metatur, pronis fert lumina [illegible],

A Horrida spirituum depellit monstra nigrorum
Pappæ [illegible] aulas Turonis delabitur oris.
Visere sacra volens Martini avertitur aula,
Cum mœrore gemens votis portum obtinet imis:
Remis acta avidis moderans se scapha recessit,
Arva gubernantum sprato rectore triumphans,
Littora sponte petens fert invito arva magistro.
Doctori sequenti grates pius advena pangens
Templa optata subit, sanctis noctem excubat aris.
Seque suosque Deo Martini munere legans,
Papa (211) Leupario convivia mire rogatus.
Obsequitur sociis curans relevare dolorem,
Prandendumque inter replicans oracula firmat,
Pulsorem fuerat quæ jam jaculatus in hostem:
Ante triennales memorans Hyperionis [398] orbes
B Cum natis pariter ruiturum Theodericum.
Hanc navem repetens fratres angore teneri
Invenit, addiscens furtum caligine [399] passos.
Nec mora, Martini jacturam questus ad urnam
Regreditur, non se hic vigilasse fatetur
Ille suos sineret tolerare ut damna sodales
Concutitur mox latro gravi quatiente flagello,
Exclamatque palam qua tecta nomismata celet.
Cernentes socii currunt, sublata rependunt,
Flagitio parci poscunt, horrore tremiscunt.
Remque Patris vere ut sacram tractare pavescunt
Omnia pauperibus largito ac ferre parato
Indiguoque dapis, cœlestia dona feruntur,
Gratificusque capit, pestesque et livida [400] pellit.
C Æquoreas tandem Ligeri delatus in oras,
Ad patriam revehi, Oceanumque subire jubetur.
Scottica navis adest quæ res comitesque capessit
Licta Patris refugæ nativa revisere rura.
Remigiis igitur zephyrisque faventibus acta
Findit terga maris, fluctusque admittitur altos
Cum subito mare nolle viri sentiscit, et uno
Exsiliens pelago sævis conatibus obstat,
Fluctibus atque ratim propellens reddit arenis.
Cœrula subducens retegit, siccatque carinam,
Collectumque sibi finibus requiescit adactis
Sistere sic triduo cogens sine gurgite cumbam
Nauclero cernente Dei quo numina casu
Res Patris exhausta, sociosque a puppe remittit.
D Æquora mox adsunt, properantque resumere lin-
tem.
Optatisque vehunt per plana liquentia flabris.
Laudantes placitum cuncti præferre Tonantis,
Mirari factum, vatem quo vellet abire
Mittere sponte suum, famulatu opibusque levare.
Missus Lotharii devotam competit aulam,
Quem rex munus ovans ac si cœleste receptat.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[391] injuria. [392] Columbanus. [393] [illegible]. [394] sulto. [395] a dæmonibus. [396] utpote inviti. [397] percussit. [illegible] Columbanus. [398] solis. [399] noctis. [400] dæmones.

NOTÆ.

(211) Ergo adhuc sæculo x episcopi dicebantur papæ: item summi pontifices, saltem ii qui metropolitæ erant, uti ex Odone Glannafoliensi abbate in Hist. Transl. S. Mauri alib. constat.

Flagitat ut maneat degendi habitacula præstat
Regibus ille cavens lites augere, recusat,
Increpat errorem, regit apte regmine regem
  Interea bellum gemino meditante tyranno
Poscitur alterutro, neutro parere jubetur
Rex patris imperio [401]; sceptra utriusque canuntur [402]
Hujus regminibus terna intra tempora subdi.
Obsequitur princeps monitis, fidoque fidelis
Exspectat promissa animo, spes figitur æthræ,
Et patiens servat donec data culmina sumat.
  Applicitis vatis sociis, solatia cœpti
Fert iteris [403] gelidas superare volentibus Alpes
Quaque venit Pater egregius, virtute coruscat,
Horrida deturbat, sacratu mitia firmat
Meldensi comitem se Chagnericus ab urbe
Ultro offert, ejusque dicat benedictio natam
Cum laribus Burgundo-Faram Christo indole junctam.
Quam pater infido tentans abscindere nisu,
Lumine percussam febribusque extrema trahentem
Ingemit, Eustasioque petit Patris hujus alumno
Hospite suscepto sanari peste remota.
Ille rogans iterat [404] votum, fert inde medelam,
Quo pergente, necem legit [405] hæc quam frangere pactum
Dum promissa ferat, sacra dum velamina captet,
Candida castra [406] loca sponso quis militet Agno,
Agmina siderei coeant quo florida regni,
  Matronam ipse means excepit [407] honore Columba,
Antharii colitur devoti munere amici.
Cujus et hic subolem gemino splendore micantem
Matre ferente sacrans, fidei benedicit honore.
Regibus accepti, regali munere clari
Hinc adspirantes superis Christoque flagrantes,
Vitantesque voluptatum discrimina, cœlum
Mente petunt, cœlestiaque agmina cogunt.
Castra beata locant, juranis saltibus arunt [408],
Alter Resbacis Briegensis margine rivi.
  Sic quoscumque Patris locuples benedictio munit,
Obtinus [409] attollit cœlorum in culmina finis.
Consiliis quicumque hujus parere faventes
Non renuere regi, gaudent sibi prospera ferri.
At consulta animi qui posthabuere paterni,
Expertes voti vacuo flevere dolore :
Ut rex ille repulsoris frater [410] Patris almi,
Servitiis subici Christi qui sponte salubri
Dum vitat parendo Patri, substernitur hosti.
  Nec dilata diu res, bella cientur utrimque,
Diversæ alterutrum coeunt in prælia gentes
Vir Domini solus vastam comitante ministro
Inierat tum forte eremum, residensque legensque
Appetitur subito, Domino moderante, sopore,
Atque videt reges inter quæ bella calescant.
Excitus adstanti famulo arma flagrantia pandit,
Effundi nimium cupiens utriusque cruorem,
Pacem cum [411] fratre monet exorare minister:
Consilium Patris insulsum sed improbat tamen,
Dum magis hostilem decernit amare salutem,
Atque rogare Deum, cujus hæc bella librantur,
Numine qui justa disponit lance duellum.
  Jam qui consiliis renuit servire benignis
Terga parat fratri, captoque avoque subacto,
Ponit gemmiferos mulcibri forfice crines :
Et quæ non voluit Christi substractus amori
Sumere, ludibrio præmonstrat signa coronæ.
Nec mora, mortalis rabie laceratur hyena [412] :
Æthereo frater [413] tactus consumitur igne.
Atque ita Lotharius cernens sibi sceptra parari
Sancto dicta Columbano subit, arma prehendit,
Debita cum turmis properans sibi regna capessit
Regis adulterio genitam facili agmine prolem
Cum scelerum incentrice capit, necat, excipit acer
Criminis altricem expostam, vectamque camelo
Indomitis innectit equis, terit impete raptis.
Sic sic veridici complentur famina Vatis.
  Ergo Columbanus pennis animisque columbæ
Regna superna petens, Gallorum transvolat Alpes.
Ansoniam ingrediens, Agilulfo rege decenter
Excipitur, subiens pia mœnia, Mediolanum
Incolit, expurgatque hereses, atque arma ministrans
Ecclesiæ, recti meditatur dogmata callis.
Accipiensque [414] a se rupti juga montis aceto [415]
Mirifici splendore Petri comique coliquæ :
Ocius hæc superans, avido petit alta volatu :
Semirutamque aulam neglectu monticolarum
Offendens, prisco accelerat reparare decore,
Succisasque trabes scopulis per devia collis,
Pondera quadragenorum per plana virorum
Cum tribus aut geminis sine fuste vehebat alumnis.
Nec pondus veluti veherent, quin pondere vecti.
  Sicque pio fratrum mentes hortamine firmans,
Incepto lætis operi persistere votis,
Ut qui velle Dei patulo fulcimine captent.
Culmina restaurat propere, sarcitque ruinas,
Atque monasterii diversa habitacula condit.
  Lotharius vatis completa oracula cernens,
Eustasium monitis Lussovia castra regentem
Dirigit, almifici vestigia sacra magistri
Cum prece sectari lata suplicamine regis.
Quo redeat, votis degat, quæsitaque sumat
Gaudet hic adventu geniti, suadetque morari
Quantisper secum claræ pietatis alumnum
Ad requiem comitum, doctrinæ ad regimina fratrum :
Se repedare negans, retroque redire recusans.
Regi gratifico monitum post pergere legat.
Corrigat ut propriam morum moderamine vitam,
Sustentet socios Lussovia castra colentes,
Præsidiis foveat, regali munere cornat.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

401 *supple* ac. 402 prædicuntur. 403 itineris 404 iterari facit. 405 eligit. 406 monasterium Evoriacas. 407 *f.* exceptus. 408 *f.* alter 409 *f.* Optimus. 410 Theodebertus. 411 Theodericum. 412 Brodeschildis 413 Theodoricus. 414 Audiens. 415 *f* acuta.

Fœdera grata habens rex captans honore venusta
Castra superna fovet, delegata agmina fulcit,
Subsidiis explet, dominandi finibus auget.
 At Pater ipse Columbanus dum clauditur annis,
Mandatis [119] nova septa colit cœlo Ebobiensi.
A Nexibus hinc animam carnis tenebrisque solutam
Angelico cœlis infert splendore decoram.
Pignora [illegible] per cum [illegible] locantur
Quæ cœlum meritum vitæ, data signa loquuntur
Strenuitatem animi præstans doctrina [illegible]

CAPUT XIX.

De Sancto Attala.

Magnifico Patri [121] magnus succedit alumnus
Attala, cui celsam peperit Burgundia stirpem.
Pontifici datur hic genitore ferente educandus [122],
Artius angustum fervescit sumere callem.
Sic etiam progrediens, monachorum castra petivit,
Et pulchra calens [123], dimo fert colla patronum,
Atque Columbano tradit se jure regendum.
Ille sibi seclens, quesito lumine flammat,
Dum [124] pollet virtute vicem supplere magistri,
Regnis ubi egregie pia castra prœlia sancta
Exercens, anguina [125] dat fert bella furentis.
 Corripitur austerus tepidis diramque remissis,
Avellit teneros [126] laturi fera lingua [illegible].
Respuit, atque eremi per devia rupta operis
[illegible] doctoque mali sævo uritur igne [127],
Supplici clamans meritam se pendere pœnam.
Nec [illegible] quit adire Patrem captando [illegible].
Qui rapitur, mutusque animam dimittit in auras
Ex parvuli [illegible] repetunt Patris atria plures,
Atque ut oves trita capiantur [illegible].
Ast qui laborem lata tempsere superbo,
Convulsi [illegible] consumunt [illegible]
Hi ferro plexi, [illegible] fluctibus hausti.
Inventumque [illegible] quolque redire medelam.
 Præcellis Patris [illegible] modo patrantur,
Imperiis cœpit, precibus modo digna profusis
Hinc Bobius quondam violentis imbribus auctus
Molibus effusis, lymphaque tumente rotatus
Appetebat, imbutus [128] sacris removere [illegible],
Vellere territori fabricam vexare molam
Infelicibus, posito [illegible] tutello,
Et [illegible] ad signum [illegible] fluento,
Alveoque [illegible] ligando [illegible].
Vim [illegible] Simmulus pondere Patri.
 Virtutem quoque magnifice probat ille magistri,
[illegible] insistens operi, silvæque [129] medendo,
[illegible] pollex dextra [illegible].
Jamque [illegible] globus, Patri dum promitur actum,
[illegible] tumulo [illegible] per mille jubetur
Deferri, [illegible]
[illegible] medico [illegible] sepultis,
[illegible]
[illegible] salutem
 Sic quondam [illegible] supremum pulsaum
Visere, solatiis votisque juvare rogatus,
Adventu incolumem precibusque dat ire vigentem
 Inter plura dein virtutum gesta piarum
Hunc Deus ærumnis censens absolvere anhelis,
B Limine lustrari pacis, totoque quietis,
Tempora certa diris [130] signat jamjamque petendi.
Et licet ipse dies post quinquaginta meandam
Quo sit, non adeo monitis dicatur apertis;
Præparat apta remansuris tamen, atque migranti
Septa monasterii densans tegmenta reformat,
Ac studet invalidum nihil ut lapsumve residat.
Emunit reparatque libros, nexatque solutos.
Excubiis precibusque vacans jejunia ductat,
Corpus conterit, animam cœlestibus aptat.
 Discipulo [131] post nona novæ reparamina messis
Visere flagrantes sese spectare parentes
Præcipit, atque mora nulla impediente reverti.
In geminisque viam sectans custodibus auctus;
Complecti genitrice datur sub luce diurna,
C Nox equidem repedare monet, febrisque perurgens
Compellit clamare Patris se ardere querelis,
Exitioque rapi, mora si teneat redeundi.
Moxque die callem repetens remeante cupitum,
Salvatur remeans, febrium vis linquit euntem.
Sanatus Patrem reperit suprema trahentem.
Adventu tamen exhilarat, funusque paternum
Tormentum [132] videt esse suum celeremque regressum.
 At Pater extremos motus pangensque notansque
Se cruce communit, crucis edita [133] pronus adorat,
Attollensque crucem lacrymis et laudibus ornat.
Tum secreta petens veterum delicta proborum
Abstergi rogitat, fletuque rigante repurget.
Sic inter gemitus trito et suspiria cordis
D Attollens oculos cœlum sibi cernit apertum;
Glorificansque Deum grates dependit et odas.
Substiterat se etiam cœtis qui visa referret,
Panderet acceptæ qui diva levamina vocis.
 Altera lux terris jam cœlica dona ferebat,
Ille vocans summumque vale dans fratribus edit
Exhortans, corpus maneant pectora capessant
Sic verbo genitus solans absolvitur ennis
Et pia sidereæ mentis fert flamina cœlis.

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[121] regalis. [122] Columbano. [123] [illegible]. [124] desiderans. [125] Donec. [126] diabolica. [127] imperfectus. [128] febris. [129] jussus. [130] silvæ. [131] illorum. [132] Jonæ. [133] *id est* causa tormenti, etc. [134] alta.

CAPUT XX.

De sanctis Bertulfo et Eustasio.

Hunc [430] sequitur fervens sub relligionis amore,
Francica progenies altum quem sanguinis edit,
Arnulfo celebri Bertulfus stirpe cohærens
Pontifici, quem celsa videns fastigia mente
Spernere cœlesti, sectatur, et ardua sæcli
Culmina contemnens, crucis arripit alta tropæa,
Eustasiumque petens Lussovia lege colentem
Castra Columbani, monitis attollitur almis,
Omnibus et gratus virtuti degit et aptus
Attala, sed Gallos [431] Lussovium et ut petit agmen,
Utriusque Patris [432] socia pietate fervente,
Huic quoque se dedens Italos sortitur agones,
Permanet ac fidus. Postquam at Pater [433] emigrat astris
Communi allegitur Fratrum fervore [434] magister,
Perfovet atque regit divo moderamine sumptos.
Atra venena coquens impellit ad improba serpens
Corda propinquorum, vicino subdere suadens
Hunc [435] sibi pontifici, sata nec sibi quærere cessa [436].
Hinc proceres adit, hinc regem, nec vota facessit,
Nec cœptis resilit. Qua vi cogente beatus
Romulidam Pater aggreditur composcere papam.
Quæsitus normam recitat, præcepta resignat
Antistes monitis adgaudet Honorius aptis,
Amplexusque virum, refovet, veneratur, honorat,
Curaque concedit, leges et regmina munit,
Invitusque redire sinit. Thuscana terebat
A Mærenti atque gradu: languor Patrem, angor alumnos
Presserat hærentes, nec spem redeuntis habentes,
Roboris excubias nox fert columis...
Jure apostolici cultum Pater ordinat æger,
Ac sancto deponit agi sollemnia ritu
Qui ubi qui socios statuens in omnia servent
Nox curas subigit, cunctos sopor obruit altus
Custodes etiam lethæa oblivia sternit.
A seculis lictus [437] Christo custode levatur
Solaturque Petro [438] dum principe visitur abba
Surgere præcipitur, sospesque redire jubetur,
Accipit [439] et Petrum sese petiisse patronum,
Attonitus rogat excitum dare visa ministrum:
Ille negans illustratum se luce petita.
B Hanc retegi poscit, precibusque extorquet anhelis.
Atque reperta notat, testisque accedit adacter.
It Pater ipse valens, aliosque dat ire valentes.
Dæmonicas pellit pestes, purgat prece mentes.
Victorinus id expertus, datus obvius almo.
Nec mora curatus, grates studet edere sanus.
Sic puer oppressus sævoque latrone voratus
Abbatis nutu redit atra fauce receptu·
Tabem etiam lepræ supero depellit honore
Et medicis desperatum, sacro unguine salvum
Post pia vota facit, postquam jejunia ducit.
Atque ita labe cutem, sanie sic viscera mundat,
Ut morbi post nulla decus [440] vestigia linquat

CAPUT XXI.

De sanctis Blidulpho et Meroveo monacho.

Signa salutiferi nemoris hæc inclyta lætis
Fructibus effulgent vitæque fragrantia nectar
Aspirant devota Deo dum pignora gignunt
Quorum persistens solido Blidulphus honore
Numinis insecti assertor coramque tyranno
Indivisibilem laudansque docensque decorem,
Culminis ætherei furias accendit iniqui:
In sua fata ducis secretius arma parantur,
Fraus tecta instruitur, bellum ferale movetur,
Veri præco dolis petitur plagisque subactus
Fustibus obteritur crebris, dum sensa doloris
Mactatum liquisse patet; sic hospite fido
Quæsitus sensu atque flagris reperitur inanis,
Excitus ut somno miti dormisse sopore
Mitius atque unquam perhibens stat vulnere liber,
Inscius angoris, tenui vibice notentur
Membra licet, nescit diri meminisse duelli,
Nec temeratorem tamen ultio tempore multo
Visere dissimulat Bardum, qnin dæmone raptum
Compellit clamare pati se digna piacli,
Tanta fatens ausum ferre hæc incendia justum,
C Sacrilegis et qui faveat simili igne liquescat.
At dux ipse mali metuens sibi qualia cernit
Infligi meritis miserum cum munere castris
Destinat almificis; pater inclytus Attala dona
Respuit infidi, torto succurrere currit
Flagitat et fratres redimant diro igne flagrantem,
Incumbant precibus, votis tueantur anhelum;
Nexibus exemptus præstatur pergere sanus.
Nec longo tamen indignus perfungitur usu
Temporis ad veniam cessi quod perdere nugis.
Quam servare legit lacrymis, jactansque cachinnis
Se gessisse probrum votis, mox febribus actus
Igne callet lethi clamansque furensque gehennæ
Abripitur pœnis submotus et aggere bustis
Ostentat tumulo quam dira patraverit ausu.
D Nec minus excessisse notant, mulctaque resignant
Se offendisse Deum, Meroveum fonte prementes,
Qui, patre prælato Dertonam missus, opacum
Sternere dum certat luco densante sacellum,
Cæsus fameolis rivi demergitur undis,
Nec subigi permissus aquis oneratur iniquis:

GLOSSÆ MARGINALES MABILLONII.

[430] Attalam. [431] Galliam. [432] Eustasii et Attalæ. [433] Attala. [434] desiderio. [435] Bertulfum. [436] concessa. [437] a discipulis relictus [438] a Petro., [439] audit. [440] *scil.* sanitatis.

Sylvæ ponderibus missus visusque sepultus,
Incolumis fluvio surgit fratresque revisit.
Sacrilegos cita pœna ferit plagisque subactos
Afficiens variis: oculorum hos lumine privat,
Ignibus hos urit, nervorum hos nexibus angit;
Quorum post patribus quidam Bobiensibus icti,
Tormenta effugiunt lacrymis, alii proba pœnis
Exsolvunt meritis inhibentque pocula flagris.

A Hic sociis quondam Leupardo frater adhærens
Dum patris imperio vineæ munimina densant
Quam multi juncto nequeunt attollere nisu,
Arboris armati pietate tulere columnam.
Hujus Leupardi vetitos vulpecula passus
Attentans sorbere botros atque ore petitos
Morte sequente tenens premit discrimine crimen.

CAPUT XXII.

De Baudacario et cæteris quibusdam sanctis monachis.

Bertulfo Baudacarius moderante statutus
Vineti tutor capiens solamine missos
Dum panis parvum quod adest animæque ministrat.
Ter denos modico magna sed mente paratu
Exhilarans fratres dapibus quoque mitibus explet.
His cultu cælitus patrum, pietate coruscis
Athletæ subeunt alacres dicto agmine cœlum
Quorum mente nitens hilari Teobaldus et imo
Dum recubat strato cœlestia mente peragrans
Advocat atque vale faciens læto ore sodales
Alloquitur lenis, suprema viatica poscit
Seque notans pulchro extremum ornat carmine finem
Intrepidusque melos, scandens virtute beati
Culmina virtutum, divinusque videbitur altor;
Jam Deus in Sion claris animam inserit astris.
Sonegisilus ubi promptis sub patribus altum
Consectatus iter puros mansuetus et actus
Mœsta parentibus votis pertractat amicis
Dum jacet extremo ductans spiramina nisu,
Conspicit æthereo solem fulgore micantem
Ac nostros cunctos Phœbi splendore migrantem,
Cœlicolas astare viros, mirosque doceri

Protinus hunc sese subiturum ineunda nitorem
Cœlitus, æquandum meritisque educere celsis
Et super hanc lucem sociis renitere coruscis;
At redeat cunctumque vale præsentibus edat,
B Nec mora regrediens turmis sociatur amœnis.
Fratribus attonitis rediens monita ultima supplet
Visa rogata refert, accepta levamina promit,
Mystica sacra capit, nexis fert oscula charis
Funere curari petit ac cœlestia scandit,
Felicique obitu vestigia clara reliquit,
Ostendens similem sectatos lumine callem
Perpetuæ simili lucis splendore beari.
Omnes, hi patres cœlesti pace clientes
Quorum magnificos licet ima laude triumphos
Prosequimur vel qui pariter lætantur in æthra
Obtineant nostri laxamina certa reatus.
Divinum vitæ regimen, morumque pruinem,
Crimina vitare ac lacrymis admissa levare,
C Fructiferos luctus gemitu quatiente litare,
Sordibus ut mundi reddamur lumine clari,
Cœtibus aptandi superis sine fine beati
Cernere salvificum digni per sæcula vultu.

Explicit.

Sequitur in codice epitaphium Flodoardi, quod in Prœmiis jam dedimus.

ANNO DOMINI DCCCCLXVIII.

SANCTA MAHTHILDIS REGINA

VITA SANCTÆ MATHILDIS

(Apud PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. IV, pag. 282.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Egregiis feminis, quibus Ludolfina familia sæculo nono claruerat, sæculo decimo Mathildis, Henrici regis conjux, atque Ottonis I, Heinrici ducis, Brunonis archiepiscopi, Gerbergæ reginæ, Hathwidis ducissæ mater, accessit. Cujus virtutum fama ipsa superstite late percrebuit, in obitu ejus a Widukindo celebrata est (1), et post inter filios et nepotes, in cœnobiis ab ipsa fundatis Quedlinbur-

(1) III, 74.

gensi (2), Northusensi, Poledensi et Angermensi, in scriptis et memoria hominum viguit, donec tandem quadragesimo circiter post obitum ejus anno (3) jussu Henrici II regis, pronepotis ejus, Vita quam hic proponimus conscripta est. Auctor clericus aut monachus ex numero eorum qui ingenio et sapientia, regi commendati, ejus familiaritate fruebantur, qui tamen nomen suum latere voluit (4), scriptis antiquioribus (5) et narrationibus familiarium reginæ, fortasse Richburgæ abbatissæ Nordhunensis, inniti videtur; certe rerum quas narrat bene gnarus fuit, licet nonnulla minus recta de duello (6) Widukindi cum Carolo M., de baptismo Widukindi per Bonifacium archiepiscopum (7), de incerto modo successionis Henrici I, narraverit (8), imo, in iis quæ extrema Mathildis tempora attingunt, Berengarium regem Heinrico duci Mahthildæ filio captivum commissum (9), et Ottonem II, una cum patre in Italiam profectum esse (10), scribat. Quæ tamen non obstant quin auctori in universum fidem habeamus, et plurima alias ignota de vita et actibus optimæ reginæ, filiorum et nepotum ejus, nos doceri gratulemur. Liber in usum Heinrici II scriptus, proaviæ ejus virtutes, quibus sanctos æquaverit, celebrat, sed errorem matris filium Heinricum Ottoni præferentis non reticet. — Auctor, quisquis sit, poetas Latinorum, præcipue Virgilium legit, et poeticam venam oratione, cujus membra rhythmo et sono sibi respondent, ostendit (11). Hoc et aliis compluribus hujus ævi scriptoribus usitatum, apud nostrum tamen ita prævalet, ut pene totum ejus opus in sententias versibus similes dissolvi possit, quod a Cl. Færstemann in commentatione de Vita Mahthildis a. 1838, edita exemplo demonstratum, a quovis lectore in quavis libri parte ita esse facile intelligetur. Quod ut a more Romanorum alienum, ita et singularis usus vocis *nihilominus*, quæ apud nostrum *nihil minus quam* significat, a bona Latinitate abhorret.

Liber statim ut prodiit Thietmaro (12) notus et ab eo in rem suam versus, sæculo XII ineunte ab Ekkehardo abbate Uraugiensi in compendium redactus (13), et paulo post ab Annalista Saxone exscriptus (14), sæculo vero XV ineunte Coloniæ in monasterio S. Pantaleonis integer transcriptus est. Quo sæculi XV codice omnes quæ prodierunt editiones Bollandianorum (15), Leibnitii (16), Erathi (17), et nostra, nituntur. Servatur hodie

1) Bruxellis in bibl. regia Burgundica numeris 329—341 signatus, binis columnis pulchre scriptus et hic illic in margine picturis ornatus. Librum a Bethmanno in usum nostrum versum integrum expressimus, correcta tantum sæculi XV orthographia et emendatis locis aliquot. Quæ in subsidio fuerunt

2) Ekkehardi Uraugiensis compendium Vitæ Mahthildis reginæ, iisdem sæpe verbis ex nostra contractum, sed sententiis sæpe loco suo motis, quare loca nonnulla quæ in Bruxellensi excidisse videbantur haud tuto et Ekkehardo restitui posse judicavi. Usus sum tam in codicibus Vaticano-Guelferbytano (18) sæc. XII, cujus lectiones, quantum in particula operis Guelferbytana habentur, jam Leibnitius t. III, 655 sqq., protulerat, Wirceburgensi (19) sæc. XII, claustreneoburgensi a D. Gotdhamn transcripto (20). Alios ejusdem compendii codices Monacenses sæc. XII et XV, sanctæ crucis in austria sæc. XII, et Humburgensem characeum in Annalibus nostris recensui (21).

3) Codex regius Parisiensis inter libros S. Germani 440, mbr., sæc. XII, Annalistam Saxonem exhibens, cujus textus, quantum ex Vita Mahthildis derivatus est, cum nostro ad verbum fere convenit.

4) Ultimo loco codicis regii Bruxellensis N. 3202 signati mentionem facimus, qui, Bethmanno monente, ex codice Carthusiæ Coloniensis descriptus, uno sæculi XVII folio initium tantum Vitæ Mahthildis continet, ex nostra ad verbum excerptum, hoc exordio: *Sancta Mathildis regina ex progenie*, etc.

(2) Cf. Annales Quedlinburgenses, a. 936.

(3) Scripsit enim auctor Heinrico rege, igitur post annum 1002, et ante annum 1012, quo Thietmarus Vita nostra jam usus est.

(4) Ruotgeri Vitam Brunonis novisse videtur; v. c. 30.

(5) Godehardum, abbatem tunc Altahensem, fuisse, cujus interventu Heinricus a. 1017 monasterio Nordhusano villam Gamin confirmavit. V. Cl. E. G. Foerstemann gymnasii Nordhusani conrector in commentatione de Vita Mahthildis a. D. IX kal. Aug. 1838 edita indigitavit; sed quominus viro illi, litteris habitu et consuetudine cum rege et rei aptissimo, librum adjudicem, obstat quod et Vita Godehardi ea de re tacet, et complures alios ejusdem conditionis viros tunc exstitisse constat.

(6) C. 1.

(7) Ibid.

(8) C. 4.

(9) C. 15.

(10) C. 22.

(11) E. g. capite 23:

Cum autem peragrasset civitates Saxoniæ regionis
et quæque necessaria singulis impendisset monasteriis,
iterum Northusunensem civitatem adiit,
quam nimium dilexit,
ut videret Richburgam,
quam nuper constituerat abbatissam.
Statim autem ut venit,
hanc ad se vocari præcipit.

(12) l. II ex capp. 6, 10, 17; III, 12 ex cap. 25.

(13) Fecit hoc eadem ratione qua et historias Alexandri, Gothorum, Francorum, Langobardorum, Saxonum ex Vita Alexandri, Jordani, Gestis regum Francorum, Paulo Diacono et Widukindo contraxit, insertis scilicet Vitæ etiam iis quæ apud Widukindum de Mahthilda regina legerat. V. Archiv. t. VII, 486—493.

(14) Ad a. 911, 921, 936, 946, 968.

(15) Acta SS. Mart. II. p. 358

(16) SS. Brunswic. I, 192

(17) Cod. dipl. Quedlinburg p. 925 sqq.

(18) De quo retuli in Annalibus nostris t. V. 158—161.

(19) Ibid. VII, 489

(20) Ibid.

(21) T. VIII, 487, 488 et VI 184, 239.

INCIPIT PRÆFATIO IN VITAM GLORIOSÆ REGINÆ MAHTHILDIS [1].

Heinrico regi summæ venerationis dignissimo, explanator hujus operis votis exoptat incrementa spiritualium carismatum, augmenta virtutum, et prosperitatem temporalium rerum. Cum multis sit notum vos scientia disciplinaque artium diversarum eruditum, plurima perlegisse volumina sanctorum Vitas Patrum in se continentia, quorum exemplis vestra venerabilis conversatio bene potest informari et ad altiora transvehi, non minimæ est virtutis vos pia vestrorum inquirere facta præcedentium propinquorum, et maxime vestræ proavæ Mahthildis illustris reginæ, cujus vita lucida merito est imitanda, et cujus virtus tanto est laudabilior, quanto sexus fragilior. Gratias agimus vestræ almitati, cui placuisse, hoc opus a nobis scribi, nostræ imperitiæ magnum et multum formidandum, cum vestro dominatui subjecti sint perplures ingenio et sapientia multo excellentiores, qui subtilius magnæ profunda possunt penetrare. Vobis imperante hoc opus inchoavi, difficillimum videbatur nostræ parvitati, sed præsumptionis esset maximæ vestro imperio nos resistere. Imposuistis quidem vestrum præceptum ultra modum nostrarum virium; non autem dubitamus invidorum studia adfore, qui quod nesciunt cupiunt reprehendere. Igitur obsecramus, rex gloriose, et, si fas est dicere, dulcissime, non temeritatis audacia, sed obœdientiæ causa, ut libellum hunc nostræ rusticitatis, quem vestri jussu in publicum sapientibus deprodendum, priusquam vestræ perlustretis, quod vestræ pietati in eo displicuerit, et hæc clementer corrigantur quæ vestræ sapientiæ non recta videantur. Dignum est enim, ut qui hujus dictatus est præceptor, sit etiam emendator et defensor; ne a nobis [2] insipienter edita, invidorum confodiantur linguis. Habetis quidem in hoc volumine perpauca vestrorum facta patrum, ex quibus potestis discere quid agere quidve vobis expediat vitare. Rector totius mundi, qui illorum corda visitando, justa concessit agnoscere et operibus explere, ipse vobis ostendat quæ recta sunt agere et alios ad hæc admonere, et virili fortitudine vos injusta refugere et aliis prohibere; tribuat vobis invictissima arma, quibus vestrorum inimicorum superetur sævitia. Ipsius etiam gratia vobis sit fautrix firma et comes assidua, et faciat vos exemplum et formam justitiæ, ad gubernandam fideliterque regendam Ecclesiam; ut speculator idoneus effectus, sitis magni consilii, industriæ et disciplinæ. Dominus vias vestras omnes ita disponat, ut in omnibus ejus mandatis sine reprehensione vivatis, et ad bravium supernæ vocationis perveniatis, ibique coronam justitiæ atque cœlestium thesaurorum donativa percipiatis. Si cuiquam in hoc opusculo quid placuerit, laus præceptoris erit.

EXPLICIT PRÆFATIO IN VITAM [3] MAHTHILDIS REGINÆ.

INCIPIT

LAUDABILIS VITA GLORIOSÆ REGINÆ MAHTHILDIS.

1. (An. 912.) Temporibus Conradi, regis Francorum gloriosi, exstitit in partibus Germaniæ dux quidam Otto nomine, honestate morum perspicuus et in discernendis rebus providus, clarus nobilitate generis et famosus bellorum triumphis. Cui Hathuwic, mulier venerabilis, conjugali copulabatur vinculo. Quibus duo gignebantur filii, quos forma decorabat; et ipsos summa nutriebant diligentia, uti exigebat nobilitatis honestatis. Major natu vocabatur Thancmarus, et alter Heinricus. Is quamvis esset junior, gratiate morum tamen clarebat illior, et ab annis puerilibus intendebat bonis operibus, sequens humilitatis vestigia, quibus certissime pervenitur ad virtutum culmina [4]. Omnes cum quibus erat haud minus quam se ipsum diligebat; nulli se prætulit, nec per vim aliquem oppressit. Puer vero inter claritatis ac tumultu æstatis cum attigisset florentes annos juventutis, cœperunt inter se tractare parentes, ut illi desponsarent virginem, genere sibi non inferiorem, et cujus mos liberalis perfecto juveni esset persimilis. Interim illorum pervenit ad aures, in cœnobio Herivordinense egregiam hospitare puellam, nomine Mahthildam, genere nobilem, specie exoptabilem, et moribus illustrem, quæ cum ava sua abbatissa disceret psalmodiam litterarum et industrias operum. Hæc etiam virgo traxit egregium genus a venerabili viro Widikindo, qui in occidentali regione dux fuerat gloriosus opibus potens et dignitatis honore multos præcellens. Proh [5] dolor! sed errore captus adorabat idola manu artificum facta, Christianisque colentibus varios ingerebat cruciatus, quia despexit prædicatores qui Christum prædicaverant, infideles ad fidem converterent. Rex quoque Karolus, vir Christianissimus et erga Dei cultores benivolus, ante temporis tenebat sceptrum principatus. Cum autem præfati ducis com-

VARIÆ LECTIONES.

[1] mahthildis 1, sed in margine [illegible] VII [illegible] et [illegible] mahthildis [illegible]. [2] ita Ecclh. vobis L. [3] [illegible] [4] [illegible] 1. [5] proch 1.

perisset incredulitatem, nimium doluit, et congregans omnem suum exercitum, iniit bellum contra eundem Witikinum, causa defendendæ fidei et errantem ad salutis viam convertendi. Cumque convenissent et diu inter se certarent amborum milites, et ex utraque parte jam deficerent pugnandi vires, placuit principibus, ut rex cum Witikino conferret manus, et cui Christus victoriam concederet, ipse cum toto exercitu suo regnaret. Qui congressi, diu multumque instabant bello robore colluctanti. Tandem Dominus, lacrimis Christianorum pulsatus, suo bellatori de hoste triumphum concessit, fides ut meruit.

2. *De conversione Witikini ducis.* Tunc, Deo donante, Witikinus projecit arma perfidiæ, ac arripuit scutum fidei Christianæ, novo fervens studio, sacri fontis in mysterio veterem hominem deponere et novum in Christo induere. Quem rex Christianissimus benigne suscipiens, a venerabili episcopo Bonifacio eum baptizari præcepit, ipseque illum de sacro fonte levavit; et per consanguinitatem fidei postea fuerunt concordes amici. Witikinus vero baptizatus, mox mirum in modum totus in Dei opere est conversus. Dehinc omnis exercitus sibi subjectus hanc eandem fidei credulitatem est confessus, et suum principem devote imitando, sacro baptismatis intingebatur fonte. His ita peractis et composito inter se fœdere pacis, rex Karolus cum victoria revertebatur lætus. Dux autem Witikinus in propriam remeavit patriam, sancti Spiritus gratia illustratus; et sicut prius persequebatur Christum invocantes, sic postmodum ad fidem Christi traxit quosque errantes, et ut antea bonorum extitit persecutor, ita vigilantissimus tum apparuit sacræ fidei propugnator. Jam tum desiderabat ecclesias reædificare, quas prius destruxerat in infidelitate, et ubi constituerat idola, hic jam sanctorum collocavit oratoria. A posteris ergo ejusdem Witikini, egregii ducis, processit stirps beatissimæ Mahthildis. Cujus pater, nomine Thietricus, in occidentali regione comes fuerat gloriosus (22), et venerabilem Reinhildam, Danorum Fresonumque germine (23) procreatam, moribus probabilem, sibimet adjunxerat conjugem. Qui meruit dono Dei gignere infantem hominibus amabilem. O felix partus hujus infantis, cui gratia Christi postmodum contigit dignitas regalis! Nam extitit gloria parentum, lætitia propinquorum, spes hereditatis, et decus totius futuræ sobolis, amabilis dum nascitur, et amabilior dum nutritur. Quid plura? Tunc temporis raro videbatur infans talis. Cum ergo illustris parvula esset ablactata, desideravit abbatissa Mahthild, mater Thietrici comitis, quæ in Herivordinense sedem possedit abbatiæ, prælatam puellam nutriendam suscipere. Parentes autem illius consentientes petitioni abbatissæ, sibimet ad procurandum commendabant, ut illam doceret sacras lectiones et manuum operationes.

3. *De desponsatione Mahthildis.* Puella igitur insignis mirum in modum proficiebat in cunctis, ætate tenera, probitate grandæva, capax in studio disciplinæ litteralis et operum industrius. Cum autem ubique divulgaretur virtus illius laudabilis, etiam pervenit ad aures præclari ducis Ottonis, qui statim misit suum comitem Thietmarum hæc ad explorandum (*an.* 909). Ille vero, præcepto ducis obediens, ad supra memoratum cœnobium iter acceleravit ardens, et statim adiens cubiculum matronarum eidem puellæ jussu abbatissæ serventium, ac adminiculo earum clam se inferens monasterio, diligenter perspexit formam virginis herilem et mire laudabilem. Igitur tacite investigatis et caute consideratis omnibus quæ desiderabat, domino suo reportavit hilaris cuncta quæ viderat. Die vero sequenti dux Otto disposuit ire suum filium Heinricum ad præfatum cœnobium una cum comite Thietmaro, suo magistro, ut cauta consideratione perspicerent, si forma moresque puellæ sibimet convenirent. Elegit itaque non paucos juvenes, genere et specie elegantes, qui comitarentur juvenem Heinricum, quo se jactantius ferret ad prædestinatum locum. Appropinquantes autem monasterio, castra metati sunt in campo; pauci vero illorum quasi causa orationis ingressi oratorium, viderunt virginem intus sedentem et psalterium manu tenentem, honestissimam habitu et admodum reverendo cultu. Heinricus autem, eximiæ virginis amore succensus, interdixit sociis ne cuiquam indicarent qua causa huc venissent; statimque ad castrum revertebatur, ubi cetera pars juvenum commorabatur. Et induens se herili ornatu, templum denuo intravit multo comitatu, postulans sibi copiam dari abbatissam alloquendi. Quæ etiam procedens, ipsum cunctosque suos satellites suscepa gaudens. Postquam autem invicem dedissent verbi salutationis, secum duxit juvenem Heinricum una cum comite Thietmaro in suum cubiculum, et familiare cum eis in longum produxit colloquium. Egregius vero juvenis interim sumens fiduciam animi, paulatim incepit sermonem de virgine, interrogans quantum provecta esset ætate aut qualis staturæ; postremo etiam desideravit sibi licentiam dari ipsam conspiciendi. Qua [6] evocata præcepto abbatissæ, apparuit in ea virginalis incessus et veræ pudicitiæ habitus, frons serenus [7] et speciosus ad intuendum vultus in candore liliis extitit persimilis, in vivido autem colore assimulabatur rosarum foliis. Hanc tanti decoris ut vidit egregius juvenis, minime va-

VARIÆ LECTIONES

[6] Que 1. [7] *ita* 1. *respondens sequenti* vultus.

NOTÆ

(22) habitabat in villa Enger proxime Herford; vide infra cap. 11.
(23) i. e. patre Dano, matre Fresone.

lens diutius celare amorem cordis, postulavit prece instanti, quam virginem sibi desponderet. Contra hæc abbatissa oculos dejecit, et nutanti animo in responsione diu hæsitavit. Cum autem magis ac magis perseveraret adolescens in incepto petitionis, tandem domina talibus respondebat verbis: « Non est nostrum, eam nuptam dare alicui absque consilio et consensu parentum; dignum est enim ut a nobis integra fide illis restituatur, ex quibus nostræ procurationi commendata est. Quin etiam nobis versatur in dubio, si alterius viri eam deduxerunt thalamo; nam illam desiderabant purpurei genere et forma illustres. Quamquam autem nobis sit incognitum, quem de his * velint eligere generum, adimplebimus tamen vestrum votum, et si Dei aderit voluntas, nostra de parte non tardamus nuptias, quia excellentia vestri generis crebro insonuit auribus nostris, et hoc non est minima pars laboris, quod ipse [9] ad nos iter direxistis. » Haud mora, ornamentis honeste paratis, quæ congrua erant desponsationi virginis, sequenti die Henricus secum duxit venerabilem virginem in partes Saxoniæ. Tunc circumducebatur per civitates [10] egregii ducis Ottonis a comite Thietmaro et militibus ceteris, donec in Walehusun (24) præparabatur convivium nuptiale magno honore, ut decuit illos, qui postea imperabant gentibus plurimis; ibi perficiebantur connubia et dicto fœdere amoris. Heinricus autem tradidit (25) venerabili nuptæ in dotem omne quod attinet ad eamdem civitatem, patre suo consentiente, et ipse venerabilis dux Otto enutrivit eam in vice filiæ usque ad obitum suæ vitæ. Tribus autem annis post hæc transactis, vir venerandus mortem subiit temporalem [an. 912], et Dei ordinatione Heinricus ducatus percepit honorem. Ascendens autem gradum dignitatis, tantam humilitatem exhibebat subditis, ut etiam, si posset evenire, exoptarent ipsum regale solium jam possidere.

4. *De obitu Conradi regis.* Interea dum hæc agerentur, invasit regem Conradum crudelis languor, et mors sequebatur crudelior [an. 918]. Tunc disponente Deo successit Heinricus regali solio [an. 919, Apr.], bello seu pace fieret, est incertum, sed absque dispositione Dei non [11] accidisse non est dubitandum. His ita dispositis, Christo adjuvante, multa exercuit bona opera vigilanti diligentia, gratias agens Deo largitori de dignitate seculi. Inopum et viduarum apparuit promptissimus consolator. Cum autem morum in modum proficeret princeps laudabilis, Christus illi plus auxit honorem dignitatis, perplurimas nationes suo subjugans dominatui, Danos, Sclavos, Boemanos, Bajowarios ceterasque quamplurimas regni, quæ suis antecessoribus non fuerant subdita.

5. *De religione Mathildis.* Hæc paucis prætermittuntur de laudibus regis Henrici, quia properandum est ad vitam moresque illustris reginæ Mathildis, de Dei in dies Christi gratia in omni bono opere proficientis, ut nepotes ejus et posteri totiens fiant gaudium animi, quotiens tam sanctæ matris meritum invenerint legendum, ejus probitati comparatur et meritis, quidquid futuræ soboli evenerit honoris ac dignitatis. Cum igitur regalis solii ascendisset gradum venerabilis regina, illustris maritali potentia et illustrior religione divina, in conjugii fœdere manebat publica, et tamen nihilominus [12] (26) carebat palma virginali proxima [13], humilitate se tendens ad gloriam, ut dono Dei postmodum mereretur fieri allecta in cœlesti patria. Nam quanto sibi [14] accessit potestas sublimior, tanto se humiliavit devotior; et, quod perraro evenit, dignitatem seculi sine superbia possedit. In publico processit ornata gemmis et serico, sed interius gerebat pretiosius ornamentum, cor acceptabile Deo; tantamque sibi subditis exhibebat humilitatem et in vice matris caritatem, ut omnibus esset amori pariter et honori. Noctis quoque tempore sese a latere regis furtive subtraxit, quasi ipso ignorante relinquens regalem thalamum [15], orationi intendebat animum, ut sibi reconciliaret Deum, quem diligebat casto amore et cui serviebat integra fide. Quis etiam dubitet, ut rege nesciente electa Christi famula talia posset agere? Ipse etenim bene intelligebat, sed quasi se nescire simulabat, quia veraciter noverat cuncta ejus opera bona existere et utrisque prodesse. Igitur faciles illi consensus præbuit ad omnia quæ desideravit; nam sua voluntas a Deo incipiebat et in Deo cœpta finiebat. Quicquid mundus delectabile habuit, pene totum pro amore Christi contempsit. Divitias non concupivit, paupertatem non timuit; ejus manus semper larga fuit pauperibus, et ab eleemosyna eroganda raro inveniebatur vacua. Numquam quis ad illam accessit dolens, qui non abiret gaudens, et quis illam egens adiit, impetravit quod voluit. Sic autem quempiam intellexit aliquo vi opprimi, aut pro scelere criminis carcere includi, seu populari examine deputari morti, nihil habuit hilaritatis, antequam reconciliavit exacerbationem regis. Si quando abscessit non exaudita, id provocante vulgari [16] sententia, rex se-

VARIÆ LECTIONES.

* his 1 constanter. [9] ita 1 et 3; in quo tamen est postea erasa et ipsi scriptum est. [10] ita 3; civitates [illegible] absque non 1. [11] autem [illegible]. [12] nichilominus 1. [13] ita desinunt, ad post palma. [15] jam addit 3. [16] et ingressa ecclesiam palatio proximam. Ekkehardus hic lapsus videtur ita scribens: quasi ipso inscio surrexit, et ecclesiam palatio proximam ingressa. [16] al. dictamine populari 2.

NOTÆ.

(24) Walhausen in Thuringia ad Helmam prope Rossla et Sangershausen.

(25) Cf. chartam Heinrici I regis d. 16 Sept. a. 919.

(26) i. e. minime.

cum tacitus ingemuit, quod petentis votum non implendo perturbavit, et sæpe egressus [17] a judicio, quasi ipsam mulcendo, arbitris reliquit discutienda quæque fuerant legaliter punienda; et ecclesiam ingressus seu aliquo bono opere detentus, illud evangelicum solicita mente adimplevit, quod Christi famula suis auribus sedulo infudit: « Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* VII, 1, 2). »

6. *De procreatione liberorum suorum.* Deus autem omnipotens, sibi servientes numquam derelinquens, clementer inspexit bona opera regis Heinrici et beatissimæ Mahthildis, atque illis multiplicavit excellentiam nobilissimæ prolis. Beatus etiam partus, qui in utroque sexu enituit pulcherrimus, nec particulatim comprehenditur, nec penitus reticetur. Otto præclarus, ante regalem dignitatem procreatus, natu fuerat maximus, forma insignis et moribus illustris. Heinricus autem, in regali solio natus, junior fuit annis, sed haud inferior excellentia probitatis. Huic nimirum tanta inerat pulchritudo, ut tunc temporis vix posset alicui comparari viro. Industria [18], armis, vultu [19] patri fuerat consimilis; in omni autem tolerantia adversitatis caute observabat vestigia inclitæ genitricis, et propter hæc specialiter dilectus sanctæ Dei; quasi esset unicus illius, confovens eum omnibus deliciis, ceteris in amore præposuit filiis, atque desideravit ipsum regno potiri post obitum incliti regis Heinrici, si permissu Dei voluntas illius posset adimpleri. Hinc etiam venit puero prima labes mali, et ob hoc Otto egregius contra fratrem parumper est commotus, talique modo inter ipsos crescebat invidia et lis assidua. Bruno vero, ætate minimus, sed honestate morum haud infimus, in annis puerilibus scolasticæ deditus censuræ, divino famulatui insudabat die tenus. Sed enim insignis gloria parentum de filiis jam prohibet prolixitatem sermonum, quia remeandum est ad vitam Heinrici regis et beatissimæ reginæ Mahthildis. Quorum probitas enumerari non potest, sicut dignum est. Ambo fuerant fortunati, et merito laude sunt digni; nam illorum promeruerat virtus quidquid boni nunc resplendet in nepotibus. O beati, qui non solum fuerant in carne coadunati, sed in animo uno et spiritu ad omne opus bonum prompti! Inerat illis unus amor in Christo, æqua coadunatio in bono, Deo placens voluntas, et recta peragendi facultas, par dilectio in proximos, æqualis compassio in subjectos. O beatum virum in cultu divini famulaminis studiosum, et egregiam mulierem, quæ totis visceribus diligebat Christum regem! Non ergo est dubitandum quin Dei gratia nunc perceperint præmium virginitati proximum, quia in ipsis regnavit castitas conjugalis, nec tamen defuit continentia laudabilis. In cunctis eorum actibus respondebat modestiæ virtus; merito fuerunt rectores regni talibus a Deo virtutibus munerati. Beati exstiterunt, et æternæ beatitudinis requiem possidebant; pro quibus ipsæ elemosinæ exorant, quas larga manu indigentibus tribuebant, quamdiu in mortali vita manebant. Quid plura? Quanto sublimiorem ascenderant dignitatis gradum, tanto devotiorem Christo impendebant famulatum.

7. *De intentione monasteria construendi.* Cum autem persisterent magna prosperitate pacis, omnipotentis Dei inspiratione desiderabant monasteria construere, et adminiculum præbere illic commorantibus de regiis facultatibus, quatenus sui suorumque patrum vel nepotum memoria ibidem perpetim haberetur firmissima. Igitur tractantibus tanti operis fundamentum quonam ponerent loco, principibus populi in unum convocatis (*an.* 935), postulabant sibi consilium dari, in qua parte regionis hæc decenter possent adimpleri. Ad hæc principes responderunt, dicentes: intra Winithehusun [20] existere sanctimoniales regulari disciplina carentes, quæ non possent illic diutius demorari, ni sustentarentur adjuvamine regali: et consilium dabant in Quintilingoburc transferri. Ergo ambobus hoc placuit consilium, et se conspirabant implendum. Posthæc rex Heinricus adiit Batteithun, quo sæpissime exercuit venatum. Ibi paucis diebus interpositis languore correptus, vi febrium nimirum laboravit, sed parumper sedato infirmitatis dolore, inde ad Erpesvort [21] iter direxit, ibique cunctos principes regni convenire præcepit, ut se invicem coadunarent; quem suorum filiorum regale solium possidere eligerent (*an.* 936). Venit et Diemoth [22] abbatissa Winethehusinensis [23], evocata præcepto regis. Et prioris haud immemor desiderii postulabat, ut sibi subditas sanctimoniales in Quitilingoburc consentiret transponi; quæ petitionem regis gratanter accipiens, libenter id annuit.

8. *De obitu Heinrici regis.* His ita dispositis, rex Heinricus perrexit ad Imilebun [24], secum comitantibus paucis. Illic iterata est ejus infirmitas, et non multo post sequebatur mortis asperitas (*Jul.* 2). Cum autem sentiret sui corporis dissolutionem imminere, reginam ad se vocans, multa cum ipsa disputavit secreta, et postremo sermonem talibus conclusit verbis: « O nobis semper fidissima et merito dilectissima, Christo gratias agimus quod te superstitem relinquimus. Nam nullus sibi adjunxit [25] mulierem fide firmiorem, in omni bono probabiliorem. Itaque gratiam habeas quod nos sedulo mitigasti iratum, et in omni re utile nobis dedisti consilium, nos sæ-

VARIÆ LECTIONES.

[17] egressus 2. 3, regressus 1. [18] *ita corrigo.* In fiducia 1. *et ed.* [19] *vocem recepi ex Ekkehardo qui hæc habet* : industria, fortitudine, vultu patrem similabat. [20] winethusum 3. [21] erpesford 3. [22] *ita* 2. dietmoet 1. diemut *Cl* demot 3. [23] winethesusinensis 1. [24] unilebun 1. imileba 2. imilebi 3. [25] con junxit 2.

plus revocasti ab iniquitate ad justitiam, et sedulo monuisti et oppressis facere misericordiam. Nunc te et nostros filios omnipotenti Deo commendamus et electorum Dei precibus, simul cum anima, quæ de corpore jam est recessura. » Hæc cum dixisset, et regina haud segnis illi [26] gratias egisset, mœrore plena ecclesiam est ingressa, se suaque omnia commendans Deo, sicut semper solebat. Interim discessit anima regis de ergastulo carnis. Sentiens autem sancta Dei plebis lamentationem, inclitum virum præsens hominis excessisse, prostravit se in orationem, et ipsius animam commendavit in Christi fidem. Postea surgens interrogavit, si adhuc aliquis jejunaret, qui tempore sui domini missam decantaret ? Atque hoc Adaldach [27] presbiter, respondit festinans : « Domina, needum quicquam gustavimus. » Venerabilis regina olim habuerat duas armillas auro arte calatas, quæ tanta firmitate brachiis fuerant circumdatæ, ut sine auxilio fabri nullatenus possent divelli. Has tunc omnibus tamquam signum, cultro digito avulsit, ita ad presbiterum dicens : « Accipe tibi hoc aurum, et canta missam salutarem. » Quamdiu enim venerabilis domina postmodum vixit, eidem presbitero magnam exhibuit gratiam, nunquam tradens oblivioni quod primam missam decantaverat animæ regis Heinrici, et ob memorem causam hujus facti ipsi impetravit episcopalem dignitatem [28] (27) apud filium suum Ottonem. Cum autem finita esset missa animarum, regina flens intravit cubiculum, ubi jacebat corpus mariti, et intus invenit regales filios multum lamentantes, simulque cum eis omnes militum principes. Hæc ut vidit inclita regina, decoras genas lacrimis est perfusa, et exanimi corporis pedibus provoluta amarissime flebat, sicut venerandus rex egregie promeruerat. Sed tantam illi Deus contulerat gratiam et tam laudabilem temperantiam, ut nec per impatientiam illum offenderet, et tamen digne regis obitum plangeret. Tunc filiis ad se vocatis, talibus eos verbis admonuit, dicens : « O filii karissimi, hæc sedulo induite vestræ menti [29]. Deum timete [30], et ipsum in omnibus semper honorate [31], qui solus potens est facere. Hic merito vocatur rex et dominus, qui tantam potestatem exhibet pauperibus et divitibus. Desinite jam contendere pro transitoria dignitate ; talem finem capit omnis mundana gloria. Beatus est ille, qui sibi præparat æterna semper permanentia. Nec inde vester animus contristetur, quis vestrum alteri præponatur. Memoriter retinete, quod in Evangelio dicitur veritatis ore : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* xiv, 11). » Post hæc sibi paratis omnibus quæ necessaria erant ad funus, maximo cum honore corpus in Quitilingaburg transportabant, ubique requiescere decreverat ; ibique honorifice tradiderunt sepulturæ. Tunc regina venerabilis supra memoratam abbatissam monasterii [32] Windilhusensis ad se iterum vocavit, et congregationem sibi subditam illuc transferre admonuit. Quod abbatissa primo renuit, sed postmodum imperante ejus filio Ottone consensit.

9. *De electione Ottonis regis.* Post excessum inclyti regis Heinrici duces regni conveniebant et de statu regni consilium habebant. Perplures dijudicabant Heinricum regno potiri, quia natus esset in aula regali ; alii vero desiderabant Ottonem possidere principatus honorem, quia ætate esset major et consilio providentior. Quid plura ? Disponente providentia Dei, sceptrum regiminis cessit Ottoni (*Aug.* 8). Inde magis ac magis inter fratres convalescebat discordia, quæ inter ipsos versabatur ab infantia. Assidue litigantes, nil pacificum mutuo loquebantur. Tunc regius juvenis Heinricus multa sustinuit adversa, quæ inclita mater econtra salutaribus disciplinis lenivit, et sedulo ammonuit Scripturæ dicentis : « Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi (*Prov.* iii, 12). » Hic multa de angustiis ejus prætermittuntur, quia si per singula volverentur, narrantibus simul et legentibus prolixa viderentur. Tandem mediator Christus Jesus nolens fratres inter se diutius discordare, per sanctæ matris meritum illos concordavit in unum (*an.* 939-941). Post hæc rex Otto præfecit fratrem suum Heinricum ducem super Baiowariorum gentem (*an.* 946). Sanctus vero Bruno, ætate minimus, adhuc degebat sub censura litteralis disciplinæ, et læta indole de die in diem proficiebat in Christi servitute. Cum autem profecisset ætate et sapientia, rex adjunxit eum sibi per amorem fraternitatis in ministerium archicapellani. Interim obiit Wigfridus vir venerandus, qui archiepiscopalem Coloniæ sedem possedit ; et munere superni dispositoris Brunoni cessit episcopalis honor dignitatis (*an.* 953). Ascenso [33] (28) autem tanto culmine potestatis, nequaquam sibi inde crescebat tumor elationis ; sed sancta mens episcopi se potius inclinavit humilitati, illud in memoria recondens,

VARIÆ LECTIONES.

[26] illi pro omnibus bonis sibi ab eo benigne impensis gratias 2. [27] *ita* 2. Adelac 1. [28] in Bremis *addit* 1. [29] menti, quemadmodum sapiens quidam nos hortatur dicens : Omni tempore memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Verum qui rex est et dominus semper timete et honorate, qui nos de terra plasmavit et in terram redire facit, qui dominatur in regno hominum et cuicumque voluerit dabit illud, et humillimum hominem constituet super eo. Nolite contendere, etc. 2. *Igitur hic quædam omissa sunt.* [30] timere 1. [31] honorare 1. [32] *deest* 1. [33] ascenso 1.

NOTÆ.

(26) A. 936 exeunte.

(28) Cf. Ruotgeri Vitam Brunonis, c. 30 ; caput 5 Vitæ alterius ex nostro transcriptum est.

quod Scriptura ammonet dicens « Quanto magnus es, humilia te in omnibus (*Eccl.* III, 20). » Pervigil fuit sapientia, placabili lenitate nimia, serpentis astutiam cum lege custodivit, et columbæ simplicis animum non amisit. Gregem sibi commissum dilexit, et per baculum disciplinæ multos ab errore eripuit, quosdam collationibus assiduæ disputationis ad meliora ducens, quosdam placidæ maturitate doctrinæ desiderio sanctæ conversationis implens. In sermone fuerat mitis, in doctrina humilis, malorum acerrimus destructor, er veritatis studiosus assertor; humilibus blandus, superbis severus, Quosdam intra septa gregis suscipiens, ex ipis oves fecit, alios extra septa enutrivit. Et quidquid alios docuit, ipse primum implevit. Necnon in eadem civitate extruxit quam plurima monasteria. In omnibus etiam extitit fortis athleta Dei et propugnator Christianæ fidei. Quid mirum, filios in bono proficere quorum mater numquam cessabat Deo servire ?

10. *Qualiter post obitum mariti vixit.* Quis scripto valet comprehendere vel cujus lingua poterit explicare, quam gloriosus amor Christi flagrare cœpit in mente illustris reginæ Mahthildis post obitum Heinrici regis ? Stabilis permansit in fide, humilis in Dei timore; cujusque disciplinæ memor extitit, et justitiam cum religione retinuit; ad omnem tolerantiam fortis, et ad sustinendam injuriam mitis, facilis [34] ad faciendam misericordiam, gerens pacem fraternam. In omnibus ejus actibus et confabulationibus laudabilis apparuit gravitas et admiranda dignitas, tamque se honestam exhibuit in pudore, ut perplures [35] arbitrarentur illam esse virginem, ni vidissent [36] egregiam prolis fœcunditatem. O quanta reverentia Dei timoris ! Semper intendebat studio orationis et quam [37] forti animo se præparavit ad resistendum diabolo, fiducialiter gerens scutum fortitudinis ad expugnandum secularis pelagus temptationis. Transitoriis enim rebus non implicata, Christum solummodo secuta est. Noctis (29) quoque tempore, quando omnibus mos est requiescere, collocavit se in lecto quasi causa dormiendi, ut sic celaret intentionem operis boni, et parumper est dedita sompuo, ut potius confortaretur ad serviendum Deo. Postquam autem persensit dormire omnes in cubiculo secum pernoctantes, spreto fulgenti stratu clam surrexit, atque cubicularem puellam tacita excitavit ; exin gressu [38] suspenso exiens cubiculum, ecclesiam intravit sancta celebritate ymnorum, non stipata turbarum obsequiis, sed incedebat sine humano favore, gratia Christi secum comitante ; pernox in oratione non cessabat Deo servire. Quotiescumque ecclesiam intravit, numquam vacua manu ad altare accessit, nec rege vivente nec in viduitate. O quam feliciter consummavit longitudinem noctis in omni studio boni operis, et quam humili voce ad Deum clamavit et veniam peccatorum postulavit, et qualem cum sanctis animabus meruit habere amicitiam, quibus a Christo imploravit requiem sempiternam ! Ante galli cantum totum finiverat psalterium, nisi brevitate noctis impediretur. Sentiens autem tempus appropinquare quo conveniebat [39] nocturnales laudes celebrari, recessit ad cubiculum cum silentio, et nesciente aliquo collocavit se in lecto, quasi totam noctem illic dormiendo egisset et nusquam inde pedem movisset. Dato autem signo ad nocturna, haud segnis surrexit, et properando iterum intravit ecclesiam, divinas laudes auscultans, et intento corde orationum instantia desudans. Post nocturnam vero omnibus egressis, intus mansit janius clausis, oculis ac manibus intendens in cœlum, invictum ab oratione non relaxavit spiritum, usque dum aurora lucis umbram depulit noctis. Postea ingressa cubiculum, reclinavit ipse paulisper ad requiescendum, ut lassa membra reficeret, ne in famulatu Christi deficeret [40]. Interim confluxit multitudo pauperum, de ejus manu acceptura victum et vestitum. Quorum clamorem mox ut persensit, impigre de somno [41] surrexit : esurientes misericorditer pascens, et nudos vestimentis induens, non dubitavit se Christi membra tegere sub inopum veste. Quibus etiam refectis, et quæ necessaria erant habundanter impensis, vestimenta viduitati congrua induit, et ecclesiam cum reverentia intravit. Nullus prævalet dicere quanta religione consueverat missam audire : nullum interim protulit verbum, sed actu pariter et habitu intendebat in Deum. Quid plura ? A matutina hora usque ad vesperam nemo illam conspexerat a bonis operibus otiosam. Non est etiam reticendum beatissimæ reginæ temperamentum, quod in omnibus suis laudabiliter servavit ; nam nec cibo aut somno amplius indulgebat, nisi quantum naturæ necessitas deposcit. O beata, quæ dolo caruit, et in qua pietas apparuit ! Mitis et pacifica et omnibus misereri promptissima, neminem judicans, neminem dampnans, nulli malum pro malo reddens, nihil arbitrio suo agebat, sed per omnia ad nutum et voluntatem Dei tendebat. Omnes male agentes illam oderunt.

VARIÆ LECTIONES.

[34] mitis et affabilis fuit. Raro videbatur irata vel commota, nemo vidit eam ultra modum merentem aut ridentem dampnavit, nulli malum pro malo reddidit 2. [35] videntes 2. [36] nisi viderent 2. [37] *ita* 1. perquam *L*, [38] *ita corr* ex ingressu *cod.* et ingressu *L.* [39] conveniebant 1. [40] Deinde surgens infirmos ubicumque audivit in vicino visitavit, necessaria præbuit 2. [41] sompno *sæpius* 1.

NOTÆ.

(29) Widukind. III, 74

et recte viventes dilexerunt. Magnam [22] adversus omnes injurias patientiam exercuit, et quæ excellens fuit regina, propter Deum multa sustinuit adversa. Raro videbatur irata vel etiam commota; nemo illam vidit ultra modum currentem aut ridentem. Miro caritatis splendore effulsit, modestiæ mirabilis amatrix et humilitatis placida sectatrix, in se plerumque severior, in cæteris autem clementior, omnibus fuit totius bonitatis exemplum, largiendo, miserando, errantes convertendo. Quotiens sibi tributa solvebantur a vectigalibus, decimas inde dedit pauperibus et Christo famulantibus; et quo ire pede non poterat, misso munere visitabat. Neque enim sunt tam parva quæ gessit, ut omnia litteris comprehendi possint; quia si quis universa numerare voluisset, immensum legentibus volumen edidisset.

11 *De tribulatione quam a filiis sustinuit regina Mathildis.* Tunc diabolicæ fraudis astutia, semper invidens operanti bona, studuit Deo dilectam reginam a servitio Christi impedire sua callidissima temptatione; et contra venerandam Christi famulam quosdam excitavit perversos, ejus vitæ et virtutibus invidos, quid ad aures filiorum pervulgabant quod innumerabiles pecunias congregasset, et regalis [23] census [24] opulentiam penitus consumpsisset. Cum autem hæc et alia istiusmodi pervulgarentur regi Ottoni, graviter commotus, totum superciliter [25] reposcebat, quod sancta Dei pauperibus distribuebat; ubique mittens exploratores, qui ejus nuntios, indigentibus munera portantes, expoliarent, et contumelia affectos remitterent. Hæc et his similia cum immerito sustineret Christi famula, quod illi videbatur molestius, haud minus gravem injuriam sibi intulit Heinricus, quem miro affectu amoris cunctis præposuerat filiis. Ad extremum cogebant eam, dotales regiones relinquere et sacro velamine se consignare. O beatam Dominam, quæ in multis tempta*ta*, nec tamen temptationi succubuit victa! Quid creditur illi inesse mœroris, dum undique angebatur tanta vi tribulationis? Minus moleste ferret, si Heinricus, quem egregie amavit, fratri non concordasset. Impia ergo discordia, quæ inter ipsos versabatur ab infantia, illos tunc consociavit ad iniquitatem, quos prius prohibuerat fraternam gerere [26] pacem. Contra hæc omnia venerabilis regina miram in cunctis exhibuit patientiam et fortem in adversis constantiam; custos oris sui, ne quid proferret incongrui, studiosa ad continuæ orationis usum, ut vinceret insidias adversantium, immo illata sibi injuria constantior, et patientia vestigia non immemor: « Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo (*Psal.* CXVII, 6); » bene existimans quid ferret, tantum ne Christo vilesceret. Nulli maledixit, sed propriis deputavit meritis quidquid angustiæ pertulit ab adversantibus filiis; semper retinens in memoria quod in sacra didicerat Scriptura: « Quia per multas tribulationes et angustias oportet nos intrare regnum Dei (*Act.* XIV, 21). » Si quis autem calumniatorem, quem patiebatur, ignominiosa pressuris, quasi cupiens mœrorem ipsius lenire, talibus verbis econtra fertur respondisse: « Rex Otto vindicaturus militem, id nostris exigentibus meritis. Deus autem scit illum, qui contra nos excitaverit [27] nostrum æquivocem filium Heinricum, cujus solamine sperabamus mutare quidquid nobis accidisset triste: nunc iste adversatur nobis, qui deberent esse consolatores. Nequaquam tamen pati possumus, ut quid de eo inclementius dici audiamus, quia nunc a nobis præcordialiter diligitur, quamvis inimicus putetur. Illud autem nos graviter compungit recolentes, illum nobis dulcissimum erga nos esse tam amarum. Sed nil ageret, si regis juvamen sibi deesset; Deus autem illi parcat, ne ab ipso ultionem recipiat. Utinam donante Deo sine amborum fieri posset periculo, ut propter nos tanta inter eos firmaretur pacis unitas, ne ulterius inirent inimicitias! » Cum autem sancta Dei vidisset, molestias filiorum sibi non minui, sed de die in diem plus augeri, relinquens quidquid rex Heinricus sibi dederat in dotem, in occidentali regione adiit Angermensem [28] (30), cupiens adversantibus parcere filiis, ne incurrerent iram divinæ ultionis. Illic, Deo cooperante, haud minus quam consueverat quodque bonum exercebat. Post hæc divina dispositione regi innumerabilia supervenere flagella (31), retroversis victoriæ triumphis (*a.* 944), diisque rerum nihilominus (32) secundis. Heinricum autem invasit morbi gravedo, quæ et illum purgavit a delicto. Et tamen superna miseratio illi pepercit feriendo, quasi Christus satisfaceret voto matris, quæ sedula prece ei exoravit veniam remissionis.

12 *Qualiter revocata sit.* Videns autem rex Otto quia nihil proficeret in prosperis ut prius, timuit usque ad mortem contristatus. Tunc sacerdotes et cæteri principes, quorum corda Deus illustraverat, ingressi ad venerabilem reginam Edith, cohortantur illam, admoneret regem, quatinus cum honore suam in regnum revocare matrem. Quæ statim ingressa ad regem, sic ait: « Ne contristetur noster dominus, divinis flagellis correptus, revocetur

VARIÆ LECTIONES

[22] magnas 1. [23] regales 1. [24] quasi publici questus pessumdaret omnia 2. [25] imperaliter 1. [26] gerens 1. [27] excitaverunt 1, excitanti 3. [28] *ita* 1. 3; in occidentales secessit partes 2.

NOTÆ

(30) Enger igitur paterna ejus domus erat; cf. supra cap. 3.

(31) Auctor Liudgardis filiæ Ottonis mortem innuere videtur, ob quem rex Quedlinburgensi cœnobio Kuilingam villam contulit; d. 30 Sept. a. 944. Thorunburgi.

(32) *Leg.* nihil minus quam.

vestra mater sanctissima, regnumque, ut convenit, prima possideat; et ut speramus, vestra omnia prosperabuntur et in pristinum restituentur [49] gradum. » Rex autem pœnitentia compunctus, et commissi haut immemor reatus, Deo inspirante, in sancta matre se deliquisse cognovit. Haut mora, missi episcopis, ducibus ac comitibus et omnibus sapientissimis militum matrem cum honore revocandam, præcepit Christi famulæ hujusmodi scripta deferri: « O venerabilis domina, Dei iracundiam jam satis nimiumque exacerbavimus in nos persecutione vestra. Fatemur quod peccavimus, et injuste contra vos egimus; propter Deum nobis dimittite, et a Christo veniam remissionis implorate. Quodlibet supplicium libenter patimur, tantum ut vestra gratia fruamur. Ad hæc ut ad nos iter dirigatis, petimus; nos et omnia nostra ditioni vestræ subdimus, insuper et restituemus quidquid vobis injuste abstraximus. Nil nobis jocundum erit, antequam vos videre contigerit. » Beatissima vero regina petitionem filii hilari mente percipiens, quidquid pertulerat adversi penitus tradidit oblivioni, nec diutius distulit, sed iter accelerans in Gruona [50] venit.

13. *De reconciliatione Ottonis et matris* (Oct.). Cum autem adventus venerabilis reginæ Mahthildis pervulgaretur ad aures regis Ottonis, multo comitatu obviam tendit, secum comitante regina Edith. Ut vero primum vidit Deo dilectam appropinquare, ab equo desiliit, et propius accedens, genu flexo in terram, veniam postulavit, dicens: « O omne decus nostri decoris, et solatium cujusque laboris, cujus meritis deputabimus regnum quod possidemus. Sumite de nobis quodcunque supplicium vultis, ut nobis tantum liceat redire in gratiam reconciliationis. Jam satis luimus quidquid contra vos deliquimus; nam ex illo tempore quo abscessistis a vestra dotali regione, retroversa est omnis prosperitas belli, necnon fractæ sunt nostræ vires, et crebro contra nos prævaluerunt hostes. » Contra hæc mater venerabilis, decoros oculos perfusa lacrimis, filio statim præbuit osculum pacis, quasi ab eo nihil pertulisset adversitatis, et animum supplicantis talibus consolabatur verbis: « Fili mi, nolite contristari; speramus enim, vos veniam a Domino consequi; nam si nostrorum non exigissent peccaminum merita, vestra ex parte nulla nobis obviassent adversa. Deus autem vobis tribuat indulgentiam per ineffabilem suam misericordiam, qui paratus est misereri cuique pœnitenti, si commissa perfecte defleverit et postmodum non admiserit. »

14. *De reconciliatione Heinrici.* Comperiens autem Heinricus, juvenis decorus et egregie maternum dilectus, regem Ottonem suum fratrem tanta satisfactione eatenus sibi matrem reconciliasse, haut minus pœnitentia compunctus, festinavit, et ubi sanctam Dei invenit talibus verbis eam est aggressus: « O venerabilis domina et, ut fas est dicere, mater karissima, nos graviter contra maternam vestri dulcedinem deliquisse confitemur; sed nunc veniam postulamus, quam non meremur. Attamen obsecramus vos per animam et nomen nostri patris, ut in pristinum vestræ gratiæ gradum nos redire concedatis. Non dubitamus quin a Christo consequamur veniam remissionis, si vos ex toto corde ignoscitis; quia, ex quo vestram pietatem in iram provocavimus, morbi gravedine nimium periclitati sumus. » Quem venerabilis domina ut vidit lacrimantem et pro indulgentia humiliter supplicantem diutius pati non potuit, sed in hanc vocem celeriter prorupit: « Fili mi Heinrice, noli flere; desiste, fili, desiste! Mater enim tua ex te audire non prævalet hæc precantia verba. Propius accede, et matri tuæ osculum præbe. Deus fidelis sit tibi placabilis; nos te diligimus, sicut prius; nam non ignoramus quod te adversum nos excitavit persuasio inimicorum. » Haut mora, satisfactione tali percepta [51] rex Otto et dux Heinricus sanctam Dei introduxerunt in [52] dotales regiones, et sicut dignum erat primam constituebant. Post hæc mira inter matrem et filios erat pacis tranquillitas, et ad omne bonum unita voluntas: in consolatione pauperum fuerunt unanimes, in constructionibus ecclesiarum et monasteriorum concordes. In matre erga filios mira fuit caritas, in filiis obedivit sancta humilitas; et ut breviter concludatur, perseverabant pacis stabilitate usque ad obitum vitæ, diabolum conculcantes per caritatem, qui nuper inter ipsos seminaverat litis fomitem.

15. *De obitu Edith reginæ.* Interim contigit piam Edith reginam, perpetuo victuram, præsentem amittere vitam (*an.* 946, *Jan.* 26). Rex autem Otto, jam provectæ ætatis (33), simul cum matre, ecclesias et monasteria construxit; portans pacem et recte judicans, paternam in cunctis imitatus est pietatem. Post obitum Edith illustris reginæ tres (34) annos egit in viduitate, cunctis bonis operibus diligenter instabat, et sacras lectiones studiose legebat. Jamdum multis comprobarat castitate viduitatis et assiduitate orationum, sibi animum esse, a conjugali consortio se velle postmodum abstinere. Tunc construxit beatissima regina Mahthild monasterium in Palidi (35), illic congregans turmu-

VARIÆ LECTIONES.

[49] restituuntur 1. [50] grona 1. ad gruonam hilaris accelerauit 3. [51] perceptione 1. [52] *deest* 1. *sed adest* 3.

NOTÆ.

(33) Rex annorum tantum 34 erat, igitur hæc verba ad Mathildem potius referenda aut errori auctoris tribuenda sunt.

(34) Auctor Edithæ obitum anno 947 ascripsisse videtur.

(35) Polde prope Herzberg, ad radicas silvæ Hercyniæ.

lam[33] clericorum, quibus larga manu impendebat quæque necessaria (36). Interim vero obiit Lotharius (an. 950), Latinorum princeps egregius, cui regina Adelheit in matrimonium copulata fuerat, excellens morum probitate et generis nobilitate. Hanc quidam perversus nomine Berengarius[34], multis infestabat injuriis, ut ea posita conjuge, dominium pariter sibi usurparet in regno Latinorum. Quod cum pervenisset ad aures incliti regis Ottonis, fratrem suum Heinricum et omnes principes militum convocavit, et ad bellum arma præparari jussit, dicens sibi esse animum regionem visitare Romanorum, superbienti Berengario ut resisteret et viduæ oppressæ subveniret. Quid plura? Rite paratis rebus, prospero cursu in Italiam pervenerunt (an. 951), et gratia Dei sors victoriæ contigit regi Ottoni in expugnatione Berengarii regis et in receptione Adelheidis. His itaque peractis, rex cum exercitu suo Christo offerebat sacrificium laudis, qui in omnibus suum adimpleverat votum, et contra inimicos confortaverat manum. Postea rex commendavit Berengarium fratri suo duci Heinrico custodiendum (37), præcipiens, illum in regionem Bajowariorum mitti et illic sub arta custodia constringi, ubi etiam præsentem vitam finivit (an. 964). Præfatam vero dominam Adelheidam gaudens secum duxit per civitates Latinorum. Videns autem, quod miræ esset prudentiæ et probabilis vitæ, suum animum illius amori indulsit, et in conjugium sibi copulavit. Postea aliquantum temporis in Italia commorabantur, et non multo post in regionem Saxonum proficiscebantur (an. 951-952). Illi autem per longum tempus regni solium possidentes, gratia Dei fecundabantur sobole regali. Primo procreabant puellam, inclytæ Mathildis reginæ vocabulo dictam, quam rex Otto commisit in Quitilingoburc contubernio sanctimonialium juxta matris votum. Exinde gignebant puerulum, patris nomine vocatum; huic post obitum patris Dei ordinatione provenit dignitas regalis (an. 955). Quotiescumque beatissima domina Mahthild suæ sobolis partum comperit, Christo gratias retulit, cujus misericordiæ deputavit, quidquid sibi boni et hilaritatis contigit.

16. *De infirmitate et obitu Heinrici ducis, filii Mahthildis.* Igitur venerabilis regina multum hilaris effecta, quia filii de finibus Italiæ venerant incolumes, et in utroque sexu clara suæ sobolis multiplicabatur progenies; sed insperate dolor ingens accidit, qui hoc gaudium in mœrore penitus consumpsit, et quem oblivioni non tradidit, quamdiu mortalis vitæ spiritum traxit. Heinricus, dux Bajowariorum præclarus, nimia infirmitate correptus est. Qui cum sentiret, morbi gravedinem non minui, sed magis magisque augeri, iter festinavit in Palidi, piam matrem videndi. Illic et sanctam Dei postremo vidit, atque in propriam regionem proficiscendi licentiam postulavit. Regina vero ægrotantem filium secum paucos dies retinuit, ejusque infirmitati omnem curam et medicinam adhibuit. Appropinquante autem die quo abire decreverat, sancta mater illi plurima prædixit, et postremum his salutaribus verbis admonuit: « Fili mi karissime, matris tuæ[35] verba diligenter attende, et pœnitentiam tuorum age peccatorum, ut a Deo consequaris veniam. Nam versatur in dubio, quorsum hæc spectet ægritudo; ut enim timemus, tuam desiderabilem faciem ultra non videbimus. » Præter hæc per spiritum prophetiæ multa illi prædixit, quæ eventus rei postmodum comprobavit. Postea sese invicem amplectentes, oscula dederunt, multum lacrimantes. Quid plura? Heinricus in regionem Bajowariorum perrexit, et ibi quam plurimos dies ægrotando laboravit, usque dum Deo jubente anima de corpore exivit et, ut speratur, paradisi januam introivit (an. 955, Nov. 1). His ita peractis, in urbe Ratispona sepelierunt corpus incliti ducis. Tunc venerabilis domina Judit, illustri viro legali vinculo conjuncta, misit nuntios, grave nuntium piæ matri indicaturos. Qui cum recto cursu in Quitilingoburc venissent, et tristem ducis obitum principibus indicassent, per totum diem omnes in dubio versabantur, a quo sanctæ Dei hæc placide nuntiarentur. Altera vero die postquam missam audierat, cum dialogum accepisset in manum et studiose intendisset legendum, Richburch sua fidelis pedissequa intravit, et nuntios de regione Bajowariorum venisse indicavit. Quæ statim mœrore concussa, quasi mali quod acciderat præscia: « Jube illos, inquit, accersiri, ut comperiamus quomodo se habeat infirmitas filii nostri. » Qui cum fuissent ingressi et coram data esset copia fandi (Virg. *Æn.* I, 520), reginam salutaverunt, et adhuc nil triste dixerunt. Illa autem multa interrogavit super filio corde sollicito, si se lenius haberet infirmitas, vel quomodo apud ipsum ageretur rerum prosperitas. Legati vero de his pauca respondentes, epistolas præsentabant pertristes, quæ causam continebant, quam ipsi indicaturi venerant. Ut ergo cognovit gloriosa regina ex litteris, dilectum filium suum ex hac vita migrasse, pallor in facie apparuit, et gelidus tremor per omnia membra cucurrit, et liber, quem in manibus tenebat, cadentem vultum suscepit. Cum autem paululum refrigesceret mœroris asperitas, statim prorupit in lacrimas, et totum diem flendo peregit, nec præ doloris amaritudine quicquam cibi eo die gustavit. Convocans autem sanctimoniales ad ecclesiam, illas exhortabatur pro

VARIÆ LECTIONES

[33] *clericorum*; tria millia 1. c. SS. ? *Leibn.* [34] berengarius 1. [35] Ultima m. t. v. filii ? 2

NOTÆ.

(36) Cf. diploma spurium apud Meibomium Antiqq. Brunsv. p. 107.

(37) Berengarius prima expeditione victus quidem, sed in regno relictus est, et cum deinde caperetur, jam obierat Heinricus. Lenz.

defuncto misericordiam Domini implorare, et ipsa primum flectens genua, hanc orationem effudit pro cari filii anima : « O domine Deus omnipotens, miserere animæ famuli tui, quam de hoc seculo migrare jussisti : memento, quæsumus, quod perraro jocunde vixit, et omne tempus mortalis vitæ pene in angustia peregit. » Post hæc ab oratione surrexit, et ad sepulchrum regis Heinrici gressum mediocriter tendit ; super quod caput inclinans, sic illacrimans ait : « O noster domine, quam felicior nobis extitisti, qui hanc amaritudinem doloris non expectasti in stadio vitæ mortalis ! Nunc, ut speramus gaudes in requie, nec quicquam curas de nostra perturbatione. Quotiens acerbum diem tuæ mortis menti induximus, hac sola consolatione respiravimus, quod [56] dilectissimi filii nostri vita superstes erat, qui ore [57], nomine et habitu te maxime referebat [58]. » In hac etiam die herilia deposuit vestimenta, quæ in viduitate pro ornamento habuit. Post obitum enim memorandi regis Heinrici assidue induit coccinum (38) unius coloris, non in publico, sed sub lineo vestimento, et pro decore ornamenti ante se gessit parum auri. Hoc totum tunc deposuit, et postmodum lugubri veste induta processit. Posthac neminem voluit audire carmina secularia cantantem, nec quemquam videre ludum exercentem, sed tantum audivit sancta carmina [59] de evangeliis vel aliis scripturis sacris sumpta, necnon in hoc sedulo delectabatur, ut de vita vel passione sanctorum sibi cantaretur. Cetera mundi delectamenta [60] respuit, et tota [61] intentione divino famulatui tantum intendit ; Deum [62] in omnibus ei super omnia diligens, et nihil [63] ejus amori præponens [64]. Resplenduit in ea aurum justitiæ, gemma misericordiæ, gravitas amabilis, honestas admirabilis, sermo modestus et in suo tempore congrue proferendus. Numquam reticuit quicquid loqui idoneum fuit. Peregrinis, viduis et pupilis præerat, sicut mater filiis. In omnibus quæ fecit, temperantia justitiæ sibi non defuit.

17. *Quanta cura elemosinam impendebat egenis.* Difficile est enumerari quantum intendebat venerabilis regina elemosinarum largitati. Bis in die omnigenis ciborum deliciis inopes recreavit ; insuper cum accederet [65] mensæ regali, præcepit peregrinos et indigentes convocari, illis devote distribuens alimenta, quæ sibi apponebantur lautissima, credens se pascere Christum sub specie pauperum. Si aderat monasterium, tria [66] superposita mensæ misit Christo famulantibus et in ægritudine decumbentibus, sin autem abfuit monasterium, ceteris indigentibus hæc eadem porrexit. Quid autem mirum, quod hominibus larga fuit et benivola, quæ gallo cotidie ministravit, qui lucem diei nuntiat et quosque fideles ad Christi servitium excitat. Nec etiam oblita est volucrum æstivo tempore in arboribus resonantium, præcipiens ministris, sub arbores projicere micas panis, ut si quis de volucribus supra sedisset, in nomine Creatoris illic alimoniam inveniret. Porro ubicumque iter egit, juxta currum candelas portari jussit, quas singulis divideret oratoriis, et simul cibos, quibus in itinere obviantes reficeret egenos. Sin autem intenderet lectioni vel psalmorum decantationi, ut ipsa prætereuntes videre non posset, aut si caput somno inclinaverat, quia in bonis actibus noctem pervigilem ducere solebat, Richburgam sibi ministrantem sanctimonialem præcipit diligenter observare, ut nullus præterire pauperum insalutatus vel de suis largitionibus non [67] recreatus. Si vero illa negligente aliquis pertransiit egentium non percipiens alimentum, statim caput elevans de somno, quasi spiritu prophetiæ plena, præcipit currum stare et egenum qui transierat revocare, præbens illi victum seu aliud necessarium. Post hæc paullisper commota, sanctimonialem salutaribus verbis admonuit, ut deinceps diligentius observaret, quidquid suæ fidei commendasset. Vox egeni numquam apud illam inaniter sonuit, nec ipsa surda præteriit [68]. Non minor erat misericordiæ usus, quam de plebe concursus ; nec deerant qui peterent, nec deficiebat quod donaret. In quacumque civitate [69] commorabatur hieme, per totam noctem ignis ardebat in singulis tectis quæ ibi fuerant, et insuper sub aere nudo [70], ut quisquis indigeret, illic sese calefaceret, aut quisquis in caligine noctis erraret, viso lumine non offenderet. Præter cotidianam largitatem elemosinarum singulari honore celebravit sabbatum, a prima quippe hora, immo ab ipsa aurora lucis, numquam vacavit ab operibus bonis. Mane balneum præparari jussit, et pauperes peregrinosque lavari jussit. Aliquando vero cum se a populi frequentia abripere potuit, ipsa occulte ingrediens, manibus propriis sordes diluebat singulis, et quæ multis imperabat regina, pauperibus serviebat quasi ancilla. Si vero ipsa impedita est ingredi, circumfusa multitudine populi, suas intromisit pedissequas, quas in fide apud se noverat probatissimas, ut necessaria egenis ministrarent, et in vice ejus ipsis humiliter deservirent. Egredientibus autem illis de balneo,

VARIÆ LECTIONES.

[56] quid 1. [57] voce 2. [58] Ipso subracto, jam quæ nobis spes et consolatio nisi in Deo *addit* 2. [59] secularia cantantem *addit* 1. [60] oblectamenta 2. [61] *ita corrigo* ; tuta 1. [62] D. vero ab ipsis cunabulis in 2. [63] nil 1. [64] p. quod ex prudentibus ejus virtutum præconiis conici poterit. Nam ut beatus Gregorius ait : Numquam est amor Dei otiosus ; operatur enim magna si est ; si vero operari rennuit, amor non est 2. [65] accideret *Erath.* [66] rex 1. ter *L.* tres superpositiones 2. [67] *deest* 1 [68] sed ei quæque necessaria tribuit *addit* 2. [69] In quocumque loco 2. [70] sub divo 2.

NOTÆ.

(38) *Vestem coccineam* Ekkehardus scribit ; et ita coccinum intelligendum esse, ex Widukindo III, 74, prodit, ubi dicit, Mahthildam nihil de honore regio minuisse.

omnes esurientium introduxit, esurientibus dans alimenta, et nudis vestimenta, quia non dubitavit, membra Christi tegi sub largita veste inopi. Laborantibus autem in infirmitate, qui ad se non poterant venire, misit poma et quæ inter regales cibos valebantur optima, et sæpe accidit gratia Dei, ut qui intra decem dies nil gustaverant cibi, per ejus merita perciperent refectionem pariter et salutem. Nec hoc silendum esse censeo, quare tali reverentia custodivit sabbatum. Primo quidem propter vigiliam dominicæ resurrectionis quæ in hoc die celebratur per circuitum orbis; deinde quia venerandi regis Heinrici anima in eodem die de corpore soluta est, ut, ut speratur, paradisi januam est ingressa. Quamdiu ergo sancta Dei vixit, studiose observavit inclyti regis octavam, tricesimum et diem anniversarium. Nullus etiam dubitat, quin ejus bona opera placuissent Deo, quæ tanta devotione operabatur in sabbato; nam ipsa quoque eadem die de hoc sæculo migravit, et de labore ad requiem pervenit.

18. *Quæ nunquam otio vacaverit; et de panepetitore de monte projecto.* Post hæc dictum, quibus non licitum est transire sacrorum operibus, ipsa legit[71] vel legentibus aurem accommodavit, et quidquid sacra Scriptura præcepit, memoriter tenuit. Cotidianis vero diebus psalmodiæ et divinæ lectioni inhærebat; nec minus manuum operationi insudat. Si quando autem impediebatur diverso populorum sermone, solito more divinum opus studuit celebrare, hora saltem refectionis ante mensam, nihil sibi gustavit, priusquam aliquid operis faceret. Illud non obliviscens quod dicit Apostolus: *Qui non operatur, nec manducet* (*II Thess.* III, 10). Clementia vero Dei ostendentis meritum venerabilis reginæ nolens diutius latere, per illam operabatur miracula, ut liquido cunctis manifestaret, quantum sibi obsequentis vita placeret. Nam dum quodam tempore in Quidilingeburc anniversarium domni regis Heinrici magno apparatu celebraret, ut semper consueverat, tanta confluxit multitudo pauperum, ut nullo possent comprehendi numero. Regina vero illorum adventu lætaris effecta, præcipit quosdam collocari in cacumine montis, et ceteros in imo vallis, ipsa ministrans in monte consedentibus, imos vero committens dispensatoribus. Cum autem omnes regales cibos expendisset, et larga manu quæque necessaria habundanter ministrasset, adhuc tortum panem[72] non perceperunt, qui in valle sedebant. Stans ergo illa super montis verticem, solito arripuit panem, super quem signum crucis imponens, invocato Christi nomine, projecit ab alto cacumine; qui volutus de loco in locum, inter densitates saxorum et sepium integer pervenit in cujusdam pauperis sinum, cunctisque illum cernentibus tradidit; coram astante plurima multitudine populi, qui ejusdem testes fuerant miraculi. Ad hoc beatissima regina Christo gratias humiliter egit, cujus munere et virtute id novisset evenisse. Sed et aliud nihilominus in eadem civitate[73] est declarata miraculo.

19. *De urso, qui ampullam devoraverat.* Mos quippe fuerat sanctæ dominæ, cotidie sacerdoti ad missam præsentare oblationem panis et vini pro salute et utilitate totius sanctæ ecclesiæ. Quadam ergo die, finita missa, una aurea ampulla incaute est perdita, in qua sancta Dei ad sacrificium vinum obtulerat. Richburc autem pedissequa ejus et aliæ sibi ministrantes, nimio timore coangustatæ, ubique requirebant, et invenire non poterant. Sequenti vero diecum cantaretur missa, Christi famula solitam reposcebat ampullam a sanctimoniali prædicta; quæ perfusa rubore dixit furto esse sublatam. Post missam regina ecclesiam egressa est, paullulum commota; statimque obviam habuit quendam ursum[74] infra claustra monasterii educatum; quem ut vidit, blando nutu ad se vocavit, adjurans per nomen Christi, ut sibi vas redderet, quod devorasset. Bestia autem virtuti imperantis obediens, dicto citius empullam evomuit, haud immerito illius præcepto parens, quæ Deo semper fuit obediens. Omnes qui aderant Deo gratias agebant, quia regina de bruto animali vas illæsum recepit, quod nec ipsa devorationem viderat, nec ab aliquo audierat.

20. *De prophetia sanctæ Dei.* Non etiam prophetiæ dono caruit, quæ signorum efficacia enituit. Heroïs progenies quodam tempore in Fraso (39) convenientes, pariter venerunt regales pueri, filiorum scilicet filii, Otto puer filius Ottonis imperatoris, et Heinricus natus Heinrici ducis Bajowariorum; et sicut venerabilis regina hunc præ ceteris suis natis dilexerat, ita et filium ejus Heinricum, suum parvulum nepotem, aliis nepotibus in amore præposuit. Sedente igitur Mahthilda venerabili ad epulas regalis mensæ et secum Adelheida[75] regina, coram astabant pueri jocantes ludo infantili. Tunc Heinricus mensæ accessit propior, qui sanctæ Dei fuit carior, egregiam aviam diligenter intuens, se familiarius recollocavit in ejus gremium, tanquam ab ea desiderans osculum. Quem venerabilis regina gratanter suscepit, et amplexans illum brachiis, sic ait: « O domine Deus omnipotens, gratias tuæ pietati referimus et laudes, qui hunc parvum nepotem nobis reservasti incolumem, cujus patrem atra dies mortis abstulit. Sed gratias tibi, qui hoc nomen de nostra generatione delere noluisti. Hunc nobis, quæsumus,

VARIÆ LECTIONES

[71] *Ekkehardus ex Widukindo III, 74. tradit, eam omnibus litteris institutam, et perpit.* Namet ipsa litteras novit, quas adhuc adolescentula in monasterio Hervordensi, avia sua matre Thiederit eadem loci abbatissa docente, didicerat; *quod supra* cap. 2 *legitur*. [72] ipsos dare solebat tortos panes 2. [73] eadem castello 2. [74] caproolam 2. [75] adilheida 1

NOTÆ

(39) Frose ad Albim.

salvum reserva, quamdiu velis mortali nos tenere in vita, ut nostrum amabilem filium Heinricum per nomen saltem imitetur et vocem. » Tunc et venerabilis regina Adelheit sic ait : « Quam exoptabilis est hujus pueri aspectus, et quam decorus ad intuendum vultus ! Ubi ergo invenietur virgo, quæ ei conveniat forma et ingenio ? Nos natam habemus parvulam, nomine Hemmam (40) ; hanc illi reservemus, si Deo placet et vobis, ut nobis copuletur hic gener exoptabilis. » Econtra Christi famula reticuit, et diu in responsione hæsitavit. Post hæc longa trahens suspiria, hæc reddidit verba : « Absit, ut de nostra parte vobis eveniat tantum triste ; expedit enim filiæ vestræ feliciori se viro adjungere. Hoc nomen tunc solummodo decus habuit, quamdiu dominus noster Heinricus vixit. Postquam autem in posteros venit, numquam infortunio caruit. Quid dicimus de angustiis et tribulationibus quas sustinuit pater ipsius ? Sed enim adhuc in divina dispositione est quid huic debeat accidere. Speramus autem, hoc nomen non excidere de genere nostro, priusquam aliquis parvulus nepos oriatur de ejusdem parvuli semine, qui sublimetur regali dignitate. » Quis [76] autem dubitet, electæ Christi famulæ prophetiam in christianissimo rege Heinrico nunc esse impletam ; qui sine vi et armis suscepit culmen regiminis, et tranquilitate pacis nunc tenet honorem dignitatis ? O rex Heinrice, merito laudande, induc etiam atque etiam menti tuæ prophetiam insignis reginæ et cognosce te tantæ dignitatis ascendisse solium per ipsius interventum et meritum. Dominus Deus omnipotens, qui te elegit et sine vi culmen honoris concessit, tribuat tibi copiam benedictionis suæ, coronetque te corona justitiæ ; faciat te blandum justis et terribilem impiis, quatinus justitiam sectantes per lenitatis mansuetudinem corrobores, et errantes per justitiæ districtionem terrifices. Angelus Domini te semper præcedat, comitetur et subsequatur, qui omnes actus tuos dirigat, et cunctos inimicos sub tuis pedibus conterat, ut ad profectum sanctæ ecclesiæ diuturno vivas tempore, et postmodum vitam percipias sine fine. Autor hujus dictatus non omitteret, quin tibi, rex gloriose, perpetuæ felicitatis et mundanæ prosperitatis plus exoptaret, si non ab invidis magis deputaretur vituperationi adulationis, quam caritati veritatis. Supersunt plurima de te laudabiliter dicenda; sed hæc prætermittenda sunt, ut ora invidorum obstruantur.

21. *De unctione Ottonis regis.* Revertendum est est ad priora, ut ad finem perducantur incepta. Cum igitur longe lateque divulgarentur innumerabiles virtutes reginæ Mahthildis mira opinione laudibus, vocatus est filius ejus rex Otto in regnum Romæ a præsule sedis apostolicæ, ut gloriam imperialis coronæ perciperet, et Romanis præesset (*an.* 961). Tunc commendans regnum et Ottonem, parvum filium suum, piæ matri et archiepiscopo Wilhelmo, secum tulit fortia virorum pectora, et Christo duce Romam properabat, sicut papa mandaverat, secum comitante regina Adelheida. Cum autem pervenisset ad cathedram sancti Petri, simul cum uxore imperialem coronam accepit munere Christi, et totus populus Romanorum se sponte subjugavit ipsius dominatui, et sibi solvebant tributa, et post illum ceteris suis posteris (*an.* 982, *Febr.* 2). Interim venerabilis regina inter spem et metum angebatur dubia, utrum filio suo evenissent prospera an adversa, et pro incolumitate ejus vitæ Deo semper obtulit sacrificium continuatione precum et largitate elemosinarum. Tunc etiam construxit monasterium in civitate Northusunensi [77] consensu sui parvuli nepotis Ottonis, pro anima regis Heinrici et sui carissimi filii, cui patris nomen imposuerat, et quem in præfata civitate procreaverat. Illic congregaverat turmulam [78] sororum Deo et beatæ Mariæ virgini famulantium. Interea pervulgabatur Ottoni imperatori in Roma, suam optimam matrem nimium contristari de ejus absentia ; qui miro accensus amore Christo dilectam videre, statim reliquit Romam et pervenit in civitatem Coloniam, ubi frater ejus Bruno venerandus archipræsulatus tenebat infulam (*an.* 965, *Maj.-Jun.*). Illic sancta venerabilis regina filio obviam venit cum nepote parvulo, quem Romam petens sibi commendaverat, secum etiam comitante herili puero Heinrico, quem in loco filii dilexit, postquam idem dux Bajowariæ, filius scilicet ejus, ex hac vita discessit. Venit et regina Gerbirc, sanctæ Dei filia. Illic regalis conventus postremos alterutrum dedit amplexus, et illic sortiti sunt extrema collocutionis verba, id ita disponente divina clementia. Postea enim se non viderunt in hoc mortali corpore, sed ut speramus in æterna nunc congaudent requie.

22. *Quomodo vestigia filii Ottonis deosculaverit.* Ergo inclita regina primum a cæsare et filio suo archiepiscopo Brunone ceterisque illic confluentibus honorifice suscepta, suos gavisa est se vidisse filios et nepotes, necnon Christo referebat laudes et gratias pro incolumitate omnium. Postea vero quam se mutuo salutarunt, ingressi sunt cubiculum, inter se producentes familiare coloquium Interim introiit episcopus Baldericus (41), qui fuit magister Brunonis archiepiscopi temporibus regis Heinrici, et omni-

VARIÆ LECTIONES.

[76] Quis dubitet, hanc prophetiam in Heinrico Babenbergense ipsius pueri postea filio adimpletam, qui post ducatum Bajoarie optime administratum, Ottone tercio imperatore reverendæ ipsius Mahthildis pronepote defuncto, ipse nichilominus pronepos imperii suscepit coronam ? Preterea eadem Dei famula, etc. **2**, [77] northusanensi **1**. *constanter.* — in castro Northusun **2** [78] *ita et* **2**.

NOTÆ.

(40) Nupsit a. 966 Lothario regi Gallorum.
(41) Trajectensis ; non ut Ekkehardus vult, Leodicensis.

bus caput inclinans, regalem conventum benedixit. Post hæc ad sanctam dominam Mahthildam specialiter inquit: « Lætare, venerabilis regina, talibus muneribus a Deo honorata; nunc vides filios tuos et illorum filios! Vere adimpletus est in te versiculus psalmistæ, qui ait: *Et videas filios filiorum tuorum* (*Psal.* CXXVII, 6). » E contra regina Deo gratias egit, sicut semper solita fuit [illegible]. Tunc disseruit filiis et nepotibus suis de constructione monasterii Northusunensis, et quali [illegible] angeretur timore, ut inceptum opus non posset perficere; tandem se ad lacrimis perfusa: « Istud monasterium nostræ ædificationis extremum est opus, ut æstimamus. Ætas nostra ad laborandum est fragilis, insuper ceteris distribuimus monasteriis possessiones et rerum facultates; quapropter commendamus vobis omnibus, ut inceptum opus perficiatis, quia inchoavimus pro anima nostri domini et carissimi filii Heinrici, nec non pro regni stabilitate, et vestrum [illegible] omnium incolumitate. » Ad hæc imperator Otto coram omnibus respondit: « Deus secundet vestra incepta; nostra non deerunt auxilia, quin etiam cohortemur filium nostrum Ottonem et ceteros nostros nepotes, ut illis subsidium præbeant, quamdiu vivant. » Postea pariter perrexerunt in civitatem Northusunensem, ad videndam ipsam congregationem. Tunc Deo dilecta regina sanctimoniales convocavit [illegible], et omnes imperatori commendavit. Ille autem omnes placido animo et hilari vultu suscipiens, Deo commendavit, dicens: « Sancta Dei genitrix virgo Maria, cœlestis [illegible] regina, illas [illegible] clementer suscipiat et per amorem filii sui [illegible] semper custodiat, ut Deum solum præ omnibus diligant, et illi tota mente deserviant, non pro appetitu humanæ laudis, sed solo desiderio æternæ remunerationis [illegible]. Ad hæc precamur, ut filii nostri et nepotes tali misericordia commoveantur erga has sanctimoniales, ut quamdiu remaneat una scintillula nostræ sobolis, illis nunquam desit adminiculum consolationis. » Tunc [illegible] pro se suorumque salute parentum vel nepotum hæc omnia iterando firmabat, quæ sancta Dei consensu nepotis sui antea dederat, insuper et illa addidit quæ mater desideravit. Postea septem dies [illegible] in eadem civitate commorabantur, et sancta regina filio commendavit quamplurima, quasi in hoc mortali corpore ulterius eum non esset visura. Ut autem dies illuxit quo rex abire decreverat, mane surgentes in longum produxere sermonem, multum lacrimantes. Post hæc ingressi sunt ecclesiam, pariter audituri missam, et venerabilis regina hilaritatem vultu simulabat, sed magnum dolorem corde premebat. Finita autem missa, filium talibus verbis iterum est aggressa: « Fili mi carissime, sedulo reducite vestræ memoriæ omnia quæ in [illegible] hoc loco commendavimus fidei vestræ. Sæpe hic jucunde viximus, et de periclitatione partus nos eripuit Deus. In hac civitate fratrem vestrum Henricum procreavimus, quem propter paternum nomen nimium dileximus, necnon et hic nata est soror vestra Gerburg. Ergo quia per intercessionem sanctæ Mariæ virginis in hoc loco bis evavigavimus angustias partus, hujus monasterii [in ejus honore [illegible]] fundamentum posuimus, et maxime pro anima vestri genitoris et fratris et pro incolumitate vestra, sicut supra memoravimus. Quapropter convenit ut, quotiens horum [illegible] memineritis, propter nos majorem compassionem in hoc loco commorantibus exhibeatis. Ad hæc, ut opinamur, extremæ collocutionis verba hic inter nos sortimur. Quid plura? Hæc ultima vestræ matris visio hujus monasterii sit [illegible] admonitio. » Tunc imperator compunctus corde, promisit se omnia impleturum quæ postulaverat. Deinde pariter egressi ecclesiam, substiterunt ante januam, et amplectentes se invicem, fletus utrorumque humectavit faciem. Postquam autem oscula mutuo dederunt, omnes qui aderant lacrimas fundebant. Regina vero in ipsis foribus sistens gradum, euntem filium deducebat ad equum claro intuitu oculorum. Exinde ecclesiam ingressa, propere ad locum contendit, in quo imperator, dum missa cantabatur, steterat, et flectens genua, abeuntis filii lacrimando deosculabatur vestigia. Hæc ut vidit Witigo comes et ceteri, qui adhuc substiterant, milites, gemitu perculsi exierunt, et hæc imperatori dixerunt. Qui statim ab equo desiliens, ad ecclesiam revertebatur ingemiscens, et ingressus invenit illam adhuc in eodem loco orantem et multum lacrimantem, statimque pronus in terram cadens, ita locutus est: « O venerabilis domina, quali servitute has lacrimas vobis possumus rependere? » Iterumque aggressi, perpauca dixerunt voce lacrimabili. Postremo venerabilis regina sic ait: « Quid nobis prodest diutius morari? Quamvis nolentes, cogimur tamen ab invicem divelli; et nos [illegible] intuendo dolorem non minuemus, sed potius augmentabimus. Ite jam in pace Christi; nostram faciem ultra non videbitis in carne mortali. Ut æstimamus, nil prætermisimus, sed vestræ fidei commendavimus omnia quæ mente gerebamus. Tantum animæ nostræ hæc munera remittite, ut hunc locum sedulo inducatis vestræ memoriæ. » Imperator vero inde pergens, peragravit alias urbes Thuringiæ regionis (an. 966), postea iterum Romam perrexit, filio suo secum comitante (an. 967).

22. 23. *De ægrotatione Mahthildis.* Jamjamque appropinquavit hora multis luctuosa, in qua Deus animam

VARIÆ LECTIONES.

[illegible] quod sibi Dominus ex Syon in tantum benedixit *addit* 2. [illegible] quasi 1. [illegible] virorum 1. [illegible] *ita corrige*; commendari 1. [illegible] cœli 2. [illegible] has famulas suas 2. [illegible] s. domini nostri Jesu Christi 2. [illegible] retributionis 2. [illegible] Mox manu sua confirmat quæ 2. [illegible] menses 2. [illegible] de 2. [illegible] i. e. h. *desunt* 1. [illegible] ut quorum 1. [illegible] sit frequens a. 2. [illegible] nos 1.

inclitæ reginæ de carnis ergastulo voluit dissolvi, ut perciperet præmium laboris et gloriam æternæ remunerationis. Per [94] circulum totius anni laborabat ægrotatione gravi, sed tamen circuibat loca regalia quamvis deficerent corporis vires. Cum autem peragrasset civitates Saxoniæ regionis, et quæque necessaria singulis impendisset monasteriis, iterum, Northusunensem civitatem adiit, quam nimium dilexit, ut videret Richburgam [95], quam nuper constituerat abbatissam. Statim autem ut venit, hanc ad se vocari præcepit, multa interrogans de congregatione sibi commissa. Post hæc ipsa monasterium est ingressa, diligenter investigavit quali studio disciplinæ unaquæque fuisset exercitata. Nam ex quo primum monasterium construxit, hanc consuetudinem semper habuit, ut ipsa scolam intraret, et singularum [96] studia intente pernosceret; quia sibi fuerat hoc munus gratissimum, videre vel audire cujusque hominis profectum. Tum commorabatur in eadem civitate a tempore autumni [97] usque ad festivitatem nativitatis Christi. Post sollempnitatem vero sancti apostoli Thomæ (*Dec.* 21) iterum abbatissam ad se vocavit, et hunc sermonem cum ipsa habuit: « O nobis semper fida et nostrorum laborum maxime conscia! jam cognoscimus frequentia infirmitatis, nostræ dissolutionis diem nobis appropinquare, et idcirco expedit nobis hinc iter accelerare, ne hic præveniat nos ultimus dies præsentis vitæ. » Econtra abbatissa præ singultu et lacrimis primo reticuit, et paullo post sic ait: « O amabilis domina, quid sibi vult hæc prophetia? Cur nobis miseris tam triste malum prædicitis, aut cui nos desolatas relinquitis? Speramus enim, ut Deo propitiante nondum tale quid eveniat. Verum quia versatur in dubio, quorsum vertatur [98] hæc vestra ægritudo, humiliter vos petimus, ut hic maneatis per aliquot tempus, usque dum videamus, si Deo donante leniatur vester morbus, ut, si grave infortunium eveniat, quod mors nostræ saluti invida nos vestra vita destituat, saltem hac consolatione respiremus, ut in hoc loco nobiscum requiescat vestrum amabile corpus. » Tum Deo dilecta regina hæc responsa dedit: « Hæc jam pridem a nobis fuerant præcogitata; ei quantum nobis placuisset, nostrum corpus in hoc sepeliri loco, si prædestinatum esset a Deo, ut filii nostri Ottonis et aliorum nostrorum nepotnm erga vos major esset procuratio! Sed hoc haut consentiri pertimescimus, quia dominus noster Heinricus in Quitilingoburc requiescit, juxta quem oportet nos commendari sepulturæ, et diem ultimum exspectare. Nunc autem si in hoc loco evenerit obitus noster, gravius coangustabitur vester animus, et infertur vobis calumnia [99] desperationis, si mortuum corpus vobis auferetur in vita. Ha igitur causæ compellunt nos hoc iter accelerare. Quid plura? Deum semper diligite, nec alium præter eum amatorem admittite, sed semper ejus famulatui intendite. Estote in oratione pervigiles, et in sancto proposito permanentes. Memores estote animarum, pro quibus hoc posuimus monasterium, insuper et nepotum nostrorum adhuc mortali in vita degentium, necnon mentionem nostri facite; nam [100] neminem ultra videbitis vobis placabiliorem. Commendamus vos Deo orphanorum patri et sanctæ Mariæ virgini et sanctorum intercessionibus, quorum reliquias hic collocavimus; non turbetur cor vestrum, sed spe tendite in Deum: quamvis enim corpore simus absentes, amore tamen semper vobis præsentes erimus. »

24. *De unctione reginæ.* Igitur discessit Deo dilecta regina de civitate Northusunense XI kalendarum Januarii (*Dec.* 22), et maximum mœrorem illic commorantibus reliquit sanctimonialibus, quas semper materno dilexit amore; quia illam in hoc mortali corpore, pro dolor! ulterius non erant visuræ, quæ illarum fuit honor, lætitia, decus et gloria. Tunc in Quitilingoburc properabat, ubi Deus sanctam animam de carnis ergastulo dissolvi præordinaverat; ibique nimia ægritudine correpta, usque ad obitus diem infirmabatur (*an.* 968). Appropinquante autem dissolutionis die, ad se vocari præcepit supra memoratam abbatissam Richburgam, cui omnia ejus secreta tunc fuerant notissima, ut diem obitus sui illic exspectaret, et in extremis, sicut antea, fideliter ministraret. Sentiens autem sancta domina diem ultimum sibi advenire, episcopis et presbiteris omnem censum erogabat, quem utilitati pauperum nondum accommodaverat, et munifica manu inter monasteria dividebat (42): illud recondens in memoria, quod evangelica præcipit scriptura: « Vende omnia quæ habes et da pauperibus (*Matth.* XIX, 21). » Cum igitur innumera conflueret multitudo, ægrotantem reginam visitare, venit et Willehelmus [101], Moguntinæ sedis archiepiscopus, et quamvis Deo jubente prior mortem esset subiturus, tamen aggreditur sanctam Dei, verba consolationis ministraturus: obiturus visitavit obituram, et suæ mortis nescius, consolabatur modicum post se victuram. Beata vero regina episcopum ut vidit, hilari vultu et quam familiari suscepit affatu: « Non dubitamus, inquit, voluntate Dei vos nunc ad nos dirigi; nam nemo nobis familiarior et ad hoc opus esset [102] acceptior; quandoquidem nobis hæc absumta est spes, ut dilectus filius noster Bruno maneret super-

VARIÆ LECTIONES.

[94] Beata igitur M. jam senio fessa, non minus enim quam septuagenaria erat, etc. 2. *Certe anno* 909, *nupta, anno* 968. *ad minimum* 75 *annos habebat.* [95] rigburgam 1. [96] singulorum 1. [97] autumpni 1. [98] versatur 1. [99] calumpnia 1. [100] *hæc* 2. *ita offert:* nullam enim sollicitudinem meliorem circa salutem animarum nostrarum ultra poteritis iuvenire. [101] Wilhelmus 1. *et infra.* [102] esse 1.

NOTÆ

(42) Ita et Widukindus III. 74.

stes, usque dum nostra extrema videret, et corpus terræ commendaret. Nunc autem primum audite nostram confessionem, et date nobis remissionem, per potestatem quæ vobis tradita est a Deo et sancto Petro principe apostolorum, et tunc intrate ecclesiam, et cantate missam pro peccatis et negligentiis nostris, insuper pro anima domini nostri regis Heinrici, et pro omnibus Christi fidelibus, vivis et defunctis. » Completa autem confessione episcopus intravit ecclesiam, omnia implens quæ regina desideraverat. Finita missa, rursum intravit cubiculum, et iterando dedit illi remissionem peccatorum. Postmodum perunxit eam sacrato oleo, et recreavit sacrosancto corporis et sanguinis Christi mysterio. Tunc ibi commorabatur per triduum, quia credebat jamjam imminere ejus obitum. Quarto autem die cum intelligeret, diem dissolutionis nondum instare, ad ægrotantem reginam accessit, et eundi licentiam postulavit, plangens fletu inconsolabili, quia sentiebat, ejus infirmitatem minime levari; sed si majoris asperitas animo illius consisteret audacias, non dolere, quin potius deberet gaudere; quia sanctæ Dei anima recessura de corpore, de labore ad requiem crederetur pervenire. Sancta autem domina et episcopus colloquebantur inter se plurima, quæ enumerare sunt perlonga. Interea regina ad se vocavit abbatissam Richburgam, interrogans si quid sibi superesset, quod episcopo dare posset. Illa vero respondens ait: « Quid vobis, Deo dilectissima, potest superesse? Omnia vestra in necessitates pauperum sunt distributa. » At illa: « Ubi sunt, inquit, pallia, quæ nostræ sepulturæ jussimus abscondenda? Illa nobis præsententur, ut nostro nepoti in pignus amoris dentur, nam ipse prior nobis his indiget, ut putamus, quia iter difficillimum est incepturus. Semper enim versatur in dubio, quo se vertat instabilis fortunæ conditio, vel ad quos labores miseros pertrahat homines. Cum autem noster obitus evenerit, hoc proverbium in nobis potest adimpleri, quod ore vulgi dici solet: « Propinqui sæpe inveniunt nuptialem vestem et lugubrem. » Interim dum hæc loqueretur regina, venit abbatissa afferens pallia; at illa hæc accipiens, dedit episcopo, et ait: « Hæc munera nostri sunt monimenta. » Et cum hæc accepisset episcopus, gratias egit, et eam benedicens recessit. Conversus autem ad circumstantes, cum suspirio sic locutus est: « Hinc in Radulveroth tendimus, et unum ex clericis nostris hic relinquimus, ut si dominæ nostræ obitus evenerit, cito ad nos redeat, et nobis annuntiet, ut iterum veniamus, et decenti honore corpus terræ commendemus. » Regina vero caput erigens, quasi episcopus hæc ad se dixisset: « Non est opus, inquit, ut hic relinquatur, sed vobiscum potius proficiscatur; vos illo plus indigetis in comitatu vestri itineris. Ite in pace Christi, quocunque voluntas ipsius decreverit. »

25. *De obitu episcopi.* Episcopus autem inde in Radulveroth pergens, ibique meridianalem accipiens potionem, subitanea morte defungitur (*Mart.* 2). Euntes autem nuntii hæc in Quidilingoburc indicabant. Cum autem omnes dubitarent qualiter hæc reginæ indicarentur, ne infirmitatis ejus asperitas adaugeretur, venerabilis Christi famula, quasi spiritu prophetiæ illustrata, lacrimabiliter subridens ait: « Quid intra vos murmuratis? Et cur triste malum nos celare desideratis? Novimus enim, Willihelmum episcopum de hoc mundo migrasse, et hoc est magnus cumulus infirmitatis nostræ. Præcipite signa ecclesiæ pulsari, et pauperes congregari, ut eleemosynas accipiant, qui pro anima ejus ad Deum intercedant. » Post hæc duodecim dies mortalis vitæ spiritum duxit.

26. *Qualiter suos consolata sit.* Sancto autem sabbatho (*Mart.* 14), in quo Christi famula recessura erat a seculo, ut primum persensit lucescere, omnes in cubiculo secum commorantes admonuit de somno surgere, ut presbyteros et sanctimoniales convocarent, et quæ agenda essent agerent. Cum ergo innumera utriusque sexus multitudo conveniret, præcipit sancta Dei nulli introitum prohiberi. Igitur omnibus ingressis, salutaribus monitis illos instruxit, dicens: « Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa (*Psal.* II, 11, 12). Declinate a malo et facite bonum, ut in extrema hora vestræ animæ ab insidiis diaboli eripiantur, et æterna vobis præmia a Deo donentur. » Post hæc præcepit, ut omnes exirent in pace Christi, nisi qui necessaria sibi essent ministraturi. Tunc ad se vocavit suam neptulam abbatissam Mahthildam, filiam Ottonis imperatoris, salutaria illi dans monita, ut esset pia et humilis, prudens et casta, ac sibi commissum gregem custodiret, et ut monasterium raro egrederetur, ne secularibus dedita a Christi servitio impediretur. Dedit etiam ei in manum computarium, in quo nomina defunctorum scripta erant procerum; commendavit illi domini sui regis Heinrici animam, commendavit et suam, et omnium fidelium, quorum memoriam recolebat. Novissimo autem Richburc abbatissa mœsta processit, et genu flexo in terram, pedes reginæ lacrymando amplectitur, ita inquiens: « Domina mi carissima, cui relinquitis congregationem desolatam, super quam me indignam constituistis abbatissam? Difficile mihi est servare gregem commissum, quia vestrum aberit subsidium. » Sancta vero regina super hæc verba totis visceribus commota, dixit: « Sanctissimo vos commendamus defensori; non relinquimus vos alienis, sed filio nostro Ottoni aliisque nepotibus nostris. » At illa ait: « Versatur nobis, domina, in dubio, quo

VARIÆ LECTIONES.

vox deest 1. sunt monimenta 1. Quidlibet caritatis donum mei apud te sit commonitorium 2. hunc 1.

re vertat animus illorum. » Cum ergo abatissa ama re fleret et consolationis verba expeteret, regina mœrorem ejus lenire cupiens ait : « Quo spes nostra tendenda, quo animus noster dirigendus, nisi ad Deum? Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Luc.* xii, 31). Credimus, filium nostrum Ottonem, prioris promissi haud immemorem, vobis impendere solamen. Quicumque autem possessionem ecclesiasticam ex nostra parte vestræ necessitati traditam injusta despoliatione scindit vel comminuit, provideat, quid Deo respondeat, contra vero quisquis muniat vel augeat, a Deo, fideli remuneratore, dignam mercedem recipiat. »

27. *Qualiter obierit.* Post hæc verba præcepit presbiteros et sanctimoniales propius accedere, ut ejus confessionem audirent sibi a Deo remissionem postularent. Quo facto, jussit missam celebrari et corpus Christi sibi afferri, ut per sacri mysterii communionem securius evaderet callidi hostis læsionem. His omnibus rite peractis, sibi astantes admonuit, ut psalmos vigilanter decantarent et evangelium legerent, usque dum anima jussu Dei de corpore discederet. Post hæc nullum verbum protulit, sed oculis expansis et manibus elevatis, animo et spiritu in cœlum intendit. Appropinquante autem hora nona, jussit cilicium humi poni, corpus moribundum supra collocari, propriis manibus cinerem imponens capiti : « Non decet, inquit, christinianum nisi in cilicio et cinere mori. » Dein sanctæ crucis se muniens signaculo, cum pace et requie obdormivit in Domino 2 [Idus Martii. Ut rectissime potuit investigari, anima sanctæ Dei egressa est de corpore in ipsa [106] hora diei, qua semper consuetudinem habuit pauperes recreare in nomine Domini diebus quadragesimæ. Cum autem corpus lavissent et ad ecclesiam detulissent, venerunt nuntii reginæ Gerbirgis, filiæ venerabilis dominæ Mahthildis, afferentes pallium auro intertextum, aptum cooperire loculum. Tunc electæ Christi famulæ prophetia in omnibus fuit adimpleta, et de transmigratione archiepiscopi Willehelmi et veste lugubri.

28. *De sepultura ejus.* Igitur sepelierunt corpus in basilica sancti Servatii, juxta sepulcrum regis Heinrici (43), cum magno honore, ubi ipsa decreverat requiescere et diem judicii expectare. Ergo discessit de corpore, nobilis genere, nobilior moribus et sanctitate, senex et plena dierum, omnibus suis posteris bonum relinquens exemplum. Cum honore enim præsentem vitam duxerat, et cum honore de mundo migrabat ; et quidquid temporaliter vixerat, in bonis operibus consummabat. Non est enim mortua credenda, cui, ut speratur, reddita est justitiæ corona ; quia temporaliter vivens, omnes desideravit salvos esse et neminem de grege Christi perire ; in profectu cujusque hilaris in adversitate autem pertristis : erga omnes pia et compassibilis, exceptis vitiis, quibus non compassio sed rectitudo debetur. Multorum festivitates sanctorum in ecclesia celebrantur quorum meritis non impar est, ut speramus, et a quorum societate non separabitur in æterna beatitudine. Vere fuerat dignum templum, in quo Dominus habitaverat, jejunis castigatum, orationibus refectum [107], puritate mundatum Sed quid de ejus laude digne potest dici? Dominus in illa laudetur, et ipsa in Domino ; ipse enim est laus ipsius, cujus laus ab ejus ore numquam recessit, cui est honor et gloria, decus et imperium in secula seculorum, Amen.

EXPLICIT VITA GLORIOSÆ REGINÆ MAHTHILDIS.

VARIÆ LECTIONES.

[106] id est nona *addit* 3 [107] et mundatum, puritate decoratum 2.

NOTÆ.

(43) Ubi adhuc conspicitur,

INTRA ANNUM DCCCCLXVII-DCCCCLXXXV.

GUMPOLDUS

EPISCOPUS MANTUANUS.

GUMPOLDI

VITA VENCEZLAVI DUCIS BOHEMIÆ.

(Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. IV, pag. 211).

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Ævo post cædem Venceslavi ducis peracto, cum miraculorum virtute ejus perpetratorum fama Bohemiæ fines transgrederetur (1), et jam jamque decondendo Pragensi episcopio et Bohemia Ratisponen-

NOTÆ.

(1) Widukind, I. 35.

suam præsulum potestati eximenda cogitaretur, Otto A Himperator Gumpoldo Mantuano episcopo (2) Vitam Vencezlavi scribendam injunxit. Qui quæcunque tanto temporis spatio e ipso veracium virorum testimonio comperire poterat (3), collegit et stylo diffuso, contorto et sæpe obscuro explicavit. Liber intra annos 968 (4) et 973 conscriptus, et b m Josepho Dobrowsky docente (5) omnium fere (6) quæ postea de Vencezlavi vita prodierunt radix et fundamentum, statim carruisse videtur, nam ipso sæculo decimo in usum breviarii non seuse (7) exceptus, sæculo undecimo ineunte auctori Vitæ Adalberti episcopi (8) innotuit, et sæculis subsequentibus non solum a Sigeberto Gemblacensi (9) et Cosma (10) sed a reliquis legendarum sancti Vencezlavi aucto- B ribus, quos inter Karolus IV imperator eminet (11), exscriptus est (12). Quibus omissis (13), Gumpoldi tantum opus erroribus quidem minime vacuum, utpote fama tantum innixum, sed quod proxime ad Vencezlavi tempora accedit, proponimus.

Gumpoldi librum, quem summus Dobrowsky anno 1819 ex codice bibliothecæ metropolitanæ Pragensis sæculo XIV conscripto, sed nec integro nec textum bonum præbente quippe auctoris nomen tacet, exscripserat (14), ope codicum optimorum, quorum alterum anno 1823 in bibliotheca ducali Guelferbytana, alterum anno 1826 in bibliotheca regia Bruxellensi evolvi, proponimus.

1) C. Guelferbytanus inter Augusteos in 4° numero 11. 2, signatus, compluribus codicibus constat, C quorum secundus foliis 18-47 Gumpoldi librum exhibet. Exaratus est manu pulchra sæculi XI exeuntis aut XII. Capitum initia littera aurea indicantur. Prima pagina 15' (18') picturam exhibet membranæ purpureæ auro et coloribus diversis illatam, Hemmam principissam terræ prostratam et pedes Vencezlavi ducis amplexantem, cujus capiti Christus vitæ, cujus librum sinistra tenet, præmium coronam martyrii triplicem dextra manu imponit, hac inscriptione aurea littera addita : *Hunc libellum Hemma venerabilis principissa pro remedio animæ suæ in honore beati Venceslavi martiris fieri jussit.* Dux veste viridi limbo aureo ornata, tibialibus rubris, fasciolis et calceamentis aureis indutus, lævæ lanceam gestat,

dextram, qua Christo Gumpoldi librum ab Hemma sibi porrectum obtulerat, adorans elevat. Hemma veste violaceo auro consperso et limbo et cappa aureis utitur. Folio secundo (19) æque purpurea auroque ornato præfationis initium legitur, littera initialis S colore rubro viridi auroque ornata. Folio 20 præfatione finita, cœna qua Vencezlavus fratri reliquisque convivis poculum porrigit, fol. 21 ducis cædes prope ecclesiam et initium passionis aurea littera in membrana purpurea habentur. Textus fol. 37 explicit, pagina 37' vacua relicta. Librum igitur, cum propter litteræ formas ad sæculum X aut undecimi initium referri nequeat, non Hemmæ Bolizlavi II uxoris, quæ a. 1006 obiit, sed aut alterius cujusdam (16) Hemmæ jussu confectum aut ex codice antiquiore jubente Hemma illa scripto exceptum esse crediderim. Certe magni habendus est, et textum licet haud raro scriptoris imperitia depravatum, proxime tamen ad Gumpoldi autographum accedentem præbet, quare nonnisi raro, sententia haud dubie jubente, ab eo recessimus.

2) C. regius Bruxellensis hodie numero 9289 insignis, olim Sancti Laurentii in Leodio, membranaceus, sæc. XII ineuntis, præter Gumpoldi librum, Vitas SS. Trudonis, Pigmenii et duorum Ewaldorum continet, et a Bethmanno in usus nostros versus, textum in universum quidem bonum, sed aperte correctum et pro tempore emendatum sistit. Cujus rei testem haud dubium habemus caput 15, ubi verba Bohemiam Ratisponensi cathedræ subjectam prædicantia omittuntur. Qua in re ut multis in aliis assentitur ei.

3) C. bibliothecæ metropolitanæ Pragensis sæc. XIV, qualem a Dobrowskio expressum legimus, sed in fine miraculum quod anno 1091 vel 1092 contigit ex Cosmæ Chronico addit.

4) C. olim S. Adalberti Aquisgranensis, cujus apographum Bollandiani se habuisse in Actis SS. Sept. VII, 771, referunt, hodie latet.

5) Liber olim in codice bibliothecæ Brunnensis in Moravia exstitit, quem intra annos 1100 et 1130 conscriptum Bonaventura Pitter ad Dobnerum retulit. Expiciunt tamen textus in morte sancti, in fine capitis 19, adjecta tantum formula *præstante*

NOTÆ.

(2) De ipso nihil præterea constat; sedisse eum oportet intra annos 967 et 985.

(3) V. cap. 21, 22, 23, 25.

(4) Ottone d. 25 Dec. 967 jam imperatore facto, sed Bohemia nondum a Ratisponensi diœcesi exemta. V. cap. 15.

(5) In libro : « Kritische Versuche die ältere böhmische Geschichte von spätern Erdichtungen zu reinigen, » fascic. I—III. Pragæ a. 1803, 1807, 1819.

(6) Excepta scilicet Laurentii Casinensis vita Vencezlavi.

(7) V. Dobrowskii legendas B. C. D. fascic. I p. 8 sqq. ; II, 20 sqq. Legendæ D codicem sæculo adhuc X exaratum in bibliotheca regia Monacensi inter Benedictoburanos numero 185 signatum vidi. Cf. Annales nostros VII, 187 et infra.

(8) Cf. c. 1 Boemiæ descriptionem.

(9) A. 921.

(10) A. 894, 929, 932.

(11) V. Acta SS. Sept. VII, 837-839.

(12) V. Dobrowsky l. c. III, 25-57.

(13) A Balbino in epitome historiæ Bohemiæ indeque iterum in Actis SS. Sept. VII, 824 sqq. legendum, quam a Christiano Bolizlavi I filio conscriptam fingunt, typis expressa est. Fluxit præcipue ex Gumpoldo et legenda codicis Monacensis.

(14) L. c. III, p. 53-119.

(15) Pagina exterior a scriptore vacua relicta, sæculo XIII exeunte ultimam vitæ S. Egidii recepit; ante eam pagina integra excisa est.

(16) Et m. Ekertus noster Hemmam ab Adamo Bremensi l. II, c. 49, memoratam indigitavit, sed principissæ vocabulum Bohemiæ ducissam fuisse indicare videtur.

Domino, etc , usque *sæculorum amen*, ut lectio antiqua in usum Breviarii (17). Codicis istius fata ignorantur.

Gumboldi textui quædam ex legenda inde sub finem sæculi X derivata, quam ex codice Ms regio Monacensi inter Benedictoburanos Nro 105. signato V. Cl Foringer, bibliothecæ regiæ custos, exscripsit, subjicere juvabit. Quæ licet haud magni momenti, tamen qualiter paucos intra annos eadem res altera vice narrata sit ostendit.

Librum Laurentii Casinensis monachi, ultimis sæculi XI annis ex relationibus Bohemi cujusdam et « domini Benedicti Saxonis, monachi Casinensis, » adhibita Vita S. Adalberti, conflatum et erroribus scatentem, hoc loco omitti placuit, quum quæcunque alicujus momenti esse poterant inde decerpta jam sexdecim ante annos Annalibus nostris inseruerim (18).

INCIPIT PROLOGUS GUMPOLDI MANTUANI EPISCOPI [1].

Studiorum igitur genera multiformia varias cuique mortalium ingerere solent ingeniorum curas, quibus id genus racione præstantissimum [2] imaginationis potentia interioris, tum natura, tum etiam industria, res quoquo modo sensibus subjectas intellectu discernere, et ad vota humana in usus jucundos gaudet diffingere. Hic namque mente [3] moderatus, spreto caducorum ludicro, superna intendit, ille extructos in altum honores ardenti rerum fugacium siti exæstuans desiderat; hunc ætas juvencula contra fas plerumque illicit, illum frigidæ senectutis matura longævitas in mores severos ac salubres coaptat ; huic artis bellicæ audax prudencia appetibilem laudis gloriam promeretur, illi operum diversorum labor artificiosus desidiam eximit, mentisque naturalem subtilitatem extorquet. Quidam vero litteralis speculacione [4] profunditatis infixi, necnon liberali ocio per miras eloquiorum venustates perspicatius dediti, frequentissima reputacione [5], quo ordine siderum motus ac fixione non motabili disponantur, quæ aut qualis mensura terrenæ [6] magnitudinis ambitum [7], quadam quasi latenti racione, per formulas geometricales ad certam metiendi comprehensionem asstringat [8], quove dictu [9] tota per numerum decurrat summa quantitatis soliditatisque [10], aut per quas consonantiarum proportiones cantilena temperetur naturalis, vel qua opinionum imagine sub veri falsique proposito eorumque difficili commixtione tam profunda eloquentium ubrepat disputacio, per artium scrupulositates investigare desudant [11]. Alii autem studiis incitati carminum, ludo insistentes [12] poetico, ad næniarum [13] garrulitates alta [14] divertunt ingenia. Famam autem veritatis erga Dei sanctorum memoranda gesta, cœlesti benignitate mortalium obtutibus toties designatam, incuriæ quam exitiali [15] negligentia, fabulis [16] delectati, non pavent subcindere. Nec mirum, si grandia ac philosophicas quæstiones moventia hujusmodi sapientes a simplici composicionum serie transduxerint [17], cum plures eorum, arcentius inhærendo gentilium scriptis, non tantum [18] quid in sacris gestis laudi divinæ proferendum ac litterarum indiciis in posteros divulgandum postposuerint [19], verum quicquid divinum ac menti devotæ mittissimum [20] simpliciter ac sine difficultatis perplexione videtur, penitus id quasi utilitate carens abjecerint [21]. Hac denique fortuna, uti plures existimant, res hominum volvente ac sublimium sagacitate rethorum [22] magis altiora spectante, nobis [23] a tanta sapientum [24] ac docta loquacitate admodum sejunctis, brevis tamen seriola [25] subnotacionis, quamvis corrupte [26] prolata, victoriosissimi imperatoris augusti Ottonis secundi sacro jussu rusticitati nostræ imposita, memorabilis viri nomen gestorumque insignes mentiones paulo post declaratura, sequentis præcedat textus raritatem [27] ; quem vero quantum attenuat culpa viciose scribentis, tantum exornat sancti excelsa dignitas, materiæ causam operum sacra auctoritate designantis [28].

EXPLICIT PROLOGUS [29].

INCIPIT PASSIO SANCTI VENCEZLAVI MARTYRIS [30].

1, Avulsa igitur ob insecabilis sacramentum Trinitatis prisco catholicorum idoneoque [31] refragatu [32] pestiferæ hæreseos sentosa pululatione, vitalis splendor dogmatis irradianti diffusione orbem atra erro-

VARIÆ LECTIONES.

[1] G. M. E. *desunt* 2. 3. [2] prestantissimum 1. [3] mentem 1. [4] speculacioni [5] disputatione 2. [6] tenere 1. [7] hambitum 1 [8] astringat 2. 3. [9] dicto 2. [10] decer quantitatis solidatis, aut 1, [11] desiderant 2. [12] institentes 1 [13] adueniarum 1. [14] alia 1. [15] exitali 1. [16] fabulosis 1, [17] transduxerunt *corr.* transduxerint 1. traduxerint 2. [18] s. notandum 1, [19] postposuerunt 2, [20] m. menti d. 2, [21] abjecerunt 2, [22] rhetorum 2. [23] nobisque 3. *corr.* nobis itaque 2. [24] sapientium 2. 3. [25] *deest* 2. (*ubi* subnotatio... *ex corr.*) 3 [26] corrüpte 1. [27] raritem 1. [28] designantes 1. [29] E. p. *desunt* 1, *Sequuntur in* 1. *picturæ convivii et cædis Venceezlavi* ; *tum* Incipit passio, etc. [30] inc, vita ejusdem 2. [31] idoneque 1. 1. c. 2. [32] refugatu 1.

NOTÆ.

(17) Dobrowsky I. c. I. 7. 8.

(18) T. V, 136-143.

rum [33] caligine obfuscatum divinitas serenavit. Sed quia fidei salubris incrementa, quo primum roboris sumpsissent exordium ecclesiastici [34], priore [35] theologorum sollertia salutarium studiis textuum libris commendante, libris inscriptum ac credulæ posteritati certius præsignatum satis constare pernovimus: gentibus tamen quibusdam longo post erroris anfractuum [36] diverticulo ad normalis rectitudinem tramitis sacra illustratione reductis, nondum cunctæ mundi nationes, quamvis prædestinatæ, hujus gratiæ donum simul sunt sortitæ, sed ordinante cœlesti majestate, quasi paulatim surgentibus diaboli detrimentis, felicius in partes processit. Quarum quidem partium unam stili simplicitate præsentis commendare, incolis inhabitatam Sclavanicis [37], aggredimur [38]. Plaga aquilonalis [39], ceteris tenuitate in fide tardior, nostro præstatur [40] intuitui; quam ipsa sacri pneumatis [41] charitate ad christianæ cultum professionis, quamvis sera, tamen beata conversione dignata est instituere.

2. Quantum quidem ab ipsis terræ incolis Boemia regioni vocabulum [42] sonat impositum; eo jam [43] regnante felicis memoriæ præclarissimo rege Henrico, quidam gentis illius progenie clarior ac potentia in cives eminentior, Zpytigneu [44] (19) nomine, principatus regimen sub regis dominatu impendens, divini cultus dulci voto attactus, sacri lavacri mysterio regenerari non parum anhelans, baptismo mundatur, et novo studio fervens, domos Dei ad [45] beatissimæ ejus genitricis Mariæ (20) sanctique apostolorum principis (21) memorandam venerationem construxit, in quibus postmodum innumera miraculorum miracula [46] ope divina cooperante fiebant.

3. Hujus interea laudabilis vitæ diebus, honestorum actuum exemplo, per naturæ legem obclusis, frater ejus ætate [47] minor Wratizlav [48] in principatum, se publico assensu eligente, successit, fraternamque ipse [49] assecutus [50] religionem, victorioso Dei athletæ beato martiri Georgio basilicam (22) fundamentis, christianæ credulus veritati, erexit. Qui etiam post tardos temporum tractus naturaliter hominem exeunte [51], sobolem alia amministratione [52] cœlestibus per laudes frequentandam, filiorum seniorem tam natu quam etiam actu majorem, Deo dilectum Venceslaum [53], superstitem sibi ac multo cœlestium ardentiorem reliquit.

4. Qui vero miræ claritatis ac amandæ indolis [54], dum floridam juventutis ætatem primam attigisset, patre adhuc vivo, ad litterarum disponi exercitia [55] desiderans, paternumque crebro flagitando deflectens animum, ejus transmissu [56] in civitate Budsca [57] litteris addiscendis est positus. Cujus itaque ingenio celeri capacitate divinitus instructo, brevi studio librum psalmodialem [58] ceteraque divinorum compluria perdidicit [59] et solidius interiori memoriæ connexuit. Patre interim, ut jam dictum est, universæ carnis viam ingresso [60], juvenis ipse senum exempla actibus declarans, sub regis serenissimi Ottonis (23) fulgente potentia, favorabili populorum assensu in paterni ducatus successionem, se nimium refutante, delectus, et in principalis sedem dignitatis est elevatus.

5. Quam gravibus [61] tunc perturbantis molestiæ diversitatibus principis novelli benignitas, terreno jure suscepto, intrinsecus augeretur, non est admirandum, quoniam cœlestia præ ceteris intuendo mente devota [62] proposuit, ut quamvis publicæ utilitati providendo debitor [63] extitisset, Dei tamen prædulci obsequio [64] uti primis se annis implicavit, potius despecto [65] seculari fastigio, non repudiavit. Plebis autem commissæ crimen incidendum veritus, si dignam civilis districtionis legem non impendisset; sed hoc ambiguum non diu mediastinum tractatus, quam sagaciter arripiens callem, ut neque hoc seculariter agendum omisisset, vel istud ob cœlestia tendendum a se negligi in futurum non expavisset; moderari in civium ac militiæ communes [66] utilitates legum decreta, benignissimo et admodum discreto dominio [67] denique residens, nutu certavit principali. In decernendo [68] providus, et misereri cuiquam promptus, in miseras reorum noxas facilius cessanda punitate exorabilis, omnigenarum qualitate pœnarum in judiciis alienus; domestica habitudine simplex, morum castitate perspicuus, bonorum promissione erga petentiores haud tardus, hisque adimplendis æque devotus; incolarum quoque inopum jam rusticitatem majoribus sæpe in diligendo præferens [69]; viduatis parentum vel rerum adminiculo, necnon patria exulantibus [70], consolator

VARIÆ LECTIONES.

[33] eorum 1. [34] ecclesiasticum 2. [35] priorum 2. [36] anfr. 2. [37] germanicis 3. [38] *deest* 1. [39] aquilonaris 2. [40] prestatur 2 prestat 3. [41] pneumati 1. [42] vocabulum 1. [43] etiam *corr.* jam 1. [44] Zpitigneus 2 Spitigneu 3 Zpitigneus M. [45] ac 2 3. [46] miracula 1. [47] *post supplet...* 1. [48] Wratyslaus 2 Wratislaw 3 Wratzlawn M ... *Laurentius Cas.* [49] *deest* 2 3. [50] assectutus 1. [51] aunte 1. [52] ammiratione 1. [53] Wenceslaum 2. M. [54] puer 3. [55] exertia *corr.* exerticia 1. [56] transmissum 1. [57] Budec 2 Budess 3 Budéca M. [58] psalmodialem 2. [59] a quodam venerabili presbitero nomine Ueno M. [60] v. u. c. 2. [61] gradibus 1. [62] deuoto 1. [63] debita 1. [64] D. t. predulce obsequium 2. [65] d. des 1. [66] comunes 1. [67] domolio 1 domicilio 2. 3. [68] decerno 1. [69] proferens 1. [70] exultantibus.

NOTÆ.

(19) Cf. Ann. Fuldenses a. 895. Tunc jam Christianus fuisse videtur.

(20) Pragæ in urbe Praga. — D.

(21) in loco Buden, ubi Venceslavus scholam frequentavit.

(22) in arce Pragensi.

(23) Henrico, qui Venceslavum postea bello aggressus est.

ac paternus fautor miro semper caritatis splendore effulsit. Modestus in omnes actus, memorabilisque amator pacientiæ, et inter [71] cunctas casuum adversitates prudens moderator, snbstantiarum largissimus in pauperum flebiles indigentias dispensator, humilitatis mansuetissimæ placidus [72] exsecutor, in se plerumque [73] severior; in ceteros ubique clementior, omnibus in æternitatis exemplum largiendo, miserando, inscios [74] reformando, edoctos [75] roborando perluxit [76].

6. His ergo virtutum fulgentibus gemmis beatissimi juvenis decorata conversatio, in tantum ad hæc pietatis studium adamavit, ut quandocumque dispositis erga publicas necessitates colloquiorum vel placitorum inter ordinata judicum plebiumque subsellia edictis, eoque eminentius res quaslibet in judiciis prænoscente, si forsan quis noxa detentus, mortali sentencia quamvis debito proscriptus ejus [77] præsentiæ ab incusatorum damnabili judicio fuisset adductus [78], [ejus [79] suffragiis immunis abiret e medio]; si vero princeps ille misericors, nec permutata legis necessitate nec judicibus pro hoc solvendo aliquatenus ab eo exoratis, minime reum lege horribili cognovit eripiendum, se tandem cupiens ac sacros obtutus sanguinea cæpe non sordidandos subducere, edita quoquo modo exscusabili racione, consessu ac judicio excessit, quam sano ingenii acumine [80] salutaris æmulator et evangelici edicti, quo præcipitur: *Nolite judicare, et* [81] *non judicemini; et nolite con tempnare, et non condempnabimini* (*Luc.* VI, 37).

7 Hoc ipse Deo plenus juvenis mandatum perfectius amando, ac periculose a quoquam mortalium præsentiens [82] non sequendum, notatis reis criminosa dampnacione pereundis benignissime pepercit [83]. Verum ne tormentorum nefanda monimenta diutius excrevissent, omnia patibula, hominum suspendiis in ejus regni locis quam pluribus erecta, pœnitus dirui fecit, nec ulterius hoc tempore reparari toleravit [84]. Felicissimo autem actuum provectu, bonitatis jam probandæ cumulum magis magisque in dies convenustando exaggerans, quacumque terrarum parte clericos advenientes alacri munificencia sub tocius necessitatis grata revelatione ad se recepit, divinoque amore erga proximum servando [85], sub oculis ejus adfixo, reverenda caritate secum eos libentius commanentes curiose benigniterque tractavit, oorumque [86] crebris sacrisque informationibus mens casta cœlitus edocta, frequentius in discendo exculta, in miram scripturarum capacitatem prodivit [87]. Quicquid [88] namque docentium studia in eo præsignaverant, honestis actibus ipse complevit; quia omnium angustiæ compassus, inbecilitate quosdam lassantes caritativo visitavit solacio, et mortis lege illaqueatos [89], plerumque neglecta a civibus minus religiosis sepultura, funebris [90] obsequii [tumulavit officio. Sed gentibus, ducatu ipsius per legem ac morum consuetudinem [91] vetustam disponendis, rudis adhuc fidei doctrina nutantibus, dum per nefandas æditorum atque ararum turialium ædes, proceres quoque ipsos diis libandum alienis [92] frequentius in anno concursantes beatæ indolis juvenculus conspexisset [93], ad hanc scelerosam ædendis sacrificiorum victimis communionem quamvis sæpe rogatus [94], mensæ cœlestis convivia præ omnibus esuriens, non tantum epulas refutavit illicitas, verum etiam profana convivarum, sordibus dæmoniacis inquinatorum, quam strenue aufugit consortia. Super his tamen errore pestifere depressis non parum sollicitus, voluta sæpius scriptura, qua per apostoli dicta præcipitur: « Alter alterius honera [95] portate (*Gal.* VI, 2), » quosdam, aliquo modo ad verum summi boni tramitem flexibiliores, suavis alloquio persuasionis, ut spretis quibus decepti fuissent idolorum imaginibus, ad veræ et inmutabilis, crescere vel minui nescientis, semper [96] manentis, essentiam Deitatis, mentes et vota cum fide inclinassent, supernæ mercedis bona promittendo inæstimabilia, constantissime adortari non destitit Quosdam vero minus peritiæ hujus salutiferæ capaces, corde duriores, sensuque vera intelligendi desidiores, juxta monitum apostolicum oportune cathezizans [97] atque inportune objurgatus [98], utriusque modi [99] designans præmium, pro viribus conando, quoscumque potuit, tam ultronea quam coacta etiam invitatione, ad patris familias cœnam, omnibus copiarum sumptibus habundantem, pulsa fame sacietatis æternæ gaudia subministrantem [100], conjungere cupidus properavit [101].

8. Inter [102] mira igitur jejuniorum clemosinis fulgentium acta hoc egregium modestæ consuetudini saluberrimo solitus est adnectere exemplo, videlicet ut divini insinuatione effaminis sacræ mentis intuitu altius perspecto, quia obedientiæ magis quam sacrificii Deum [103] comprobare legitur obsequium, pios ac venerandos mores admodum exornare studuisset

VARIÆ LECTIONES.

[71] in 2. [72] pladicidissimus (*deest* mans.) 2 [73] pl ipse s. 3. [74] in socios 1. [75] et doctos 3. [76] perduxit 1. [77] *deest* 2. 3. [78] addictus 3. [79] e. s. i. a. e. medio *desunt* 1 2. [80] accumine 1 [81] ut 2. 3. [82] persentiens 2. [83] Carceres quoque destruxit et omnia patibula succidit. M. [84] n. n. h. t. r. t. *desunt* 2 [85] servandum 2. 3. [86] erumque *corr.* eorumque 1. [87] p. c. 2. [88] Nam quicquid 2. q nam 3. [89] illaquætos 1. [90] funeribus 1. *voc.* obsequii *suppleto*. [91] v. c 2 3. [92] Denique cum hi omnes predicti malivoli irent ad immolandum deminiis agnos atque porcellos ut ederent ex his nefandissimis hostiis, ipse autem oportunitatem querens subtraxit se ab eis. M. [93] aspexisset 2, [94] conrogatus 2. 3. [95] onera 2. 3. [96] semperque 3, [97] chatezizans *corr.* cathezizans 1. catecizans 2 [98] objurgans 2 3. [99] *supp.* 1. [100] *erasum* 1. [101] in gremio sanctæ matris æcclesiæ constitutos assidue divinis dapibus nutriebat, vel in tabernis bibentes et a doctrina recedentes, statim illos mensæ pronos alligans, districte flagris verberabat multis. M. [102] inter *corr.* interea 1. [103] dominum I. c. 2.

Quoniam [104] redeunte per annuas vices legitimo ædere observationis jejunio, sicut ipse juvenis, secularibus quamvis ob regimen negotiis haut raro fuerit interceptus [105], indefessas tamen orationem, larga inter pauperes dispensatione volantum, operibus singulos quem venerante produxit [106] dies. Noctibus autem serenissimo instar pervigilio, ternis immemor soporis, primo quietis nocturnæ contubernio [107], spreto fulgentis stratu cubilis, clam ceteris de thoro [108] surgit, puerum cubicularem tacitus [109] excitat, coticellum manuali frequentia rugosum eripit, palatium nescius custodibus egressus, comite solum clientulo, aspera montium cacumina, vallium extitilia [110] præcipitia, divertentiorem ac semitarum lapillosa vel glacie horrentia inter civitates itinera, continua psalmorum ceterarumque precum recitatione nudipes singulatim ecclesias queritando perlustrabat. In tantum itaque carnis afflictionem sufferens [111], ut scissis teneris [112] plantis, cruor defluus sparsum notasset vestigia. Domum autem reversus, quæ necis interius gessit ipse dissimulando, principalium etiam vestibus ornamentorum solio residens induitur, sed caro mundissima cilicino subtus acumine dissolvitur [113]. Messis etiam imminente æstu, tuto noctis silentio per agellum tritici manipulos ipse falcicula [114] succidens, gravique fasce propriis impositos humeris, in secretiore [115] domus angulo abscondit, indeque trituratis, et inter saxa tritico fracto ac purgamentis agrestibus ad mundam excussionem a sanctis manibus ipsius [116] diligenter cribrato, cum fontis aspersione quem ipse solus præsente tantum puerulo cum ydria [117] producens veræ Trinitatis invocatione signavit, hanc farinulam massa [118] naturali congestam in libas sacrificales, sacerdotum manibus offerendas, ille proprio manuum labore coqui parabat. Necdum autem secumdeputans messarum se satisfecisse sollempniis, sed obedientiæ, quam divinitus jam didicit victimis laude prælatam, sapore delectatus, inter annos processus adveniente [119] vindemia, clientulum accito nimiæ fidelitatis jam dicto sequace [120], vinearum septa noctu transiens [121], fiscellulas utrisque dorso dependentes gravidis implens racemis, cellulam palatio remotiorem sibique adeo caram furto laudabili revisit. Interim hospitioli foribus repagulorum [122] cauta undique clausura munitis, in vas huic congruum vindemiolæ uvas pistillo conterens, expressoque musti tenero liquore, per linei sacculi mundam subtilitatem studiosissima castarum [123] impressione manuum excolavit; sicque diotæ, conscio solum clientulo, infusum, secretiusque repositum, considerata opportunitate, inter clericos comprovinciales cum oblatis, quas missali celebritati [124] providendo ipse coquebat, sub mira divinorum communione [125] distribuit. O indissolubile circa pectus castissimum fidei inviolabilis vinculum! O laudabilis obedientiæ secundorem devotissimam! O principis miram humilitatem, servilorum [126] officia divini amoris instinctu subire non pudentem! Qui mentis ardua contemplatione cælestia quæ corde tenuit statutus [127] arcana, reverendam ac salutiferam dominici corporis et sanguinis collationem tanto veneratus est ac dilexit obsequio, ut libaminis [128] cultu cælestis, criminum contagia mundantis non fidei solummodo munitassel constantia, verum etiam fontis purgatissimi exteriore instar servuli agrestis labore ac pia largitione sacerdotum religioni sortitus [129] ipse fuisset.

9. Non latere autem benignam veri amatorum intentionem utile ducimus quoniam honesta quorundam relatione, futurorum certa præsagia cælitus jam doctum juvenem [130] in crebris erga res humanas eventibus [131] præscisse ac familiarium sæpe [132] fidei per novos casuum terrores præsignasse experti sumus [133]. Cujus dom memorabilis gloriosam inter tot miraculorum præconia mentionem, scribentis non reticet humillima devotio; quia divinitus aperta visione, noctis conticinio, forte cujusdam atrium presbyteri Pauli [134], quod amœnis et vastis ædium munitur ambitibus, sub sancti Deoque pleni Vencezlavi [135] clarissimo obtutu, omni mœnium cultu desertum et humanæ passionis [136] habitacione omnino comparuit alienum. Quod videlicet ipse, pulsa somni carnalis gravitate, cordis speculatione pervigilis [137] excitatus quisdam [138], quæ visa sunt, prudenti sermone innotescens, subindeque quid [139] verius futurum edita jam pronunciasset ostensio, prophetanti [140] ore edisserens, convocatos hujusmodi dictis alloquitur:

10. « Thoro me accubantem, dulces amici vosque, o familiares clientuli, noctis silentio gravis et alta sustulit visio: quoniam Pauli presbiteri porticum tota ædificiorum sublimitate ac hominum cultu videbam penitus desolatam. Quo viso mœstus dejicior, ac internæ pro Dei fidelibus sollicitudinis molestia consternor. Sed tamen ut immensa omnium cognitoris pietate in spem, quâ credenti cuncta [141] posse promissum est, transferor, hujus somnii [142] veritatem imminente jam casu [143] pernoscendam, claræ

VARIÆ LECTIONES.

[104] no 1. *linea inpta omisso.* [105] inceptus 1. [106] produxit 2. 3. [107] *deest* 2. *ubi* nocturno. [108] lecto 2. [109] excitat 2. 3. [110] exitilia 1. [111] s. a. 2. [112] cissis teneribus 1. [113] dissolvitur 1. [114] fascicula 1. [115] secretiori 2. 3. [116] ejus 2. [117] hydria 3. [118] masse 1. [119] adveniente 2. [120] sequace 2. 3. 2. [121] properabat in vineam suam cum ministro fideli M. [122] repaculorum 2. [123] castrorum 1. [124] celebritate 1. [125] *ita corrigo*: communicone 1. 2. communicatione 3. [126] servorum 2. [127] *deest* 2. [128] c. c. 1. 2. [129] *deest* 2. 2. [130] *deest* 2. [131] evenientibus 2. [132] sæpe - miraculorum *desunt* 2. [133] e. s. *desunt* 1. [134] p. p. s. 2. [135] Wencezlai 2 *semper.* [136] *deest* 2. *ubi* habitationi possessionis 3. [137] pervigili 2. 3. [138] quibusdam 2. 3. [139] quod 2. 3. [140] prophetandi 1. [141] cuncta 1. [142] somni 1. [143] supernoscendam *præposito* casu 1.

solutionis interpretamento [144] ad certam rei excusionem [145] explanare aggredior.

11. « Domorum namque vera destructio necem avæ [146] meæ Ludmilæ [147], sanctæ [148] ac venerabilis matronæ, portendit obitum. Quæ videlicet matris meæ, tam genere quam operum etiam inquinacione gentilis, furiali cum aliquot ministris ad scelus æque paratis facta conspiracione, non multum hinc processuro tempore, clanculum irruentibus perversorum armis, pro christiani nominis ac fidei professione corporis [149] crudelem subibit passionem. Porticus autem, ut visio [150] testatur, populis [151] deserta amplitudo, clero, nostro incluso [152] tutamine, miserabilem præfingit e regno expulsionem tociusque substantiæ non debitam amissionem. Enimvero execrabilis memoriæ genitrix mea sectæ vitali, quam pro toto posse confiteri, colere, corde tenus sequi et amare insto, et posthac aliorsum inrevocabilis instabo, mordaciter invidens, eosdem diversorum clericos ordinum [153] quia mecum sentire non negant, ope terrena privatos, regno severius ejectum iri [154] molitur [155] »

12. Hac denique sagacis conjectura prædivinationis mens veri conscia minime frustatur; sed ut interpretacionis congrua [156] sonuerunt indicia, erga jam scriptæ [157] peremptionem matronæ, clerique longo adjacentium ambitu regionum in ejus subjectionem, immo mitissimam largitatem se prompte [158] concedentis [159] ferocem expulsionem, ordine incorrupto non longo post cuncta jam constat fuisse impleta. Qua [160] videlicet gratiæ spiritualis significativa præscientia juvenis electi præcordiis elucente, parentes (24) invidi admodum concussi, jugiter ipsum Christi constantissimum amatorem per satellitum vicinius suis adjunctorum consiliis furtiva alloquia commoventes, a proposito, quo devotius cœlestibus capessendis insistere decrevit, ob necessitates publicas ab eo providendas aliquatenus avellere conati sunt. Ipse autem cœlestis armaturæ roboratus tutamine, hujusmodi familiarium [161] suggestionum næniis sacras interdum aures palam regni primatibus quasi consentiens applicabat [162], cordis autem interna consideratione assensum in actibus denegat; quia licet se quasi terroris humani [163] specie simulasset cedentem, templaque Dei aliquantum solito rarius sub publicis conventibus frequentasset, tamen quod mentis profunditate dilexit, operum mira constancia manifestavit; quia continuam precum divinarumque orationum seriem, quam parvo inscriptam libellulo diligentius occultiusque [164] secum servando retinuit, depositis [165] interim secularis negotii curis, duodecies vel plus eo, quamvis interdum ob subsecretiores cubiculi vel fasius thalami silentio orandi locus concedi non posset, inter noctis vel diei certas vicissitudines casta intentione Christum laudando ad finem usque perlegerat.

13. Transcursa [166] interim annorum juvenilium tam felici ætate [167], in viriles animi robur dux ipse altius conscenderat [168], paulatimque suorum vana sectantium consilia viriliter abjiciens, eorumque errabundam a vero ignorantiam non modicum abhominatus, die quadam militum et amicorum contione [169] in [170] palatio facta, hujusmodi ipsos effamine increpationis alloquitur: « O amici et fideles utinam Christi! Cum ego litterali studio jam quondam parentum cura injunctus [171] doctrinas avidius hauserim, inter cætera magistrorum dicta quoddam apostoli scriptum addisco, quo ait: « Cum « essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam « ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem « factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli (*I Cor.* « XIII, 11). » Hae quippe sententia, modo me ipsum intuendo, quoniam [172] primo jam adeunte pueritia rerum omnium factorem vilis ego factura cognoscere ejusque servitio me implicari [173] ardentius desidero, sed puer ego in principatum vestra censura patri [174] mortuo natu fratribus major succedens, per legum frena moderata et rem publicam Deo præstruente [175] disposui, et patriam contra infestantium molem pro viribus tutavi: vos autem, quia cordibus erga summam veritatem speculandam desides fideque [176] mihi manetis dispares, quam plurimum in consiliis vestræ perversitati amabilibus, sed rectitudini [177] admodum dissimilibus, satis mihi injuriosos hactenus [178] jam [179] patior; qua districtione, si vita regnumque manebit incolume, posthac exsolutus vacabo, et juxta scriptum retromissa [180] juventute vir effectus [181], quæ sunt parvuli evacuabo; præcepti actibus dominici, vestræ ulterius non obaudiens nequitiæ, superna roboratus clementia insistam. Quocirca vanescat susurratiouis vestræ adversum me conspiratio; cessent sæva publicis conventibus inter vos consilia. Pacis amor domi forisque in regno ferveat. Negocia cujuslibet utilitatis judicum eversione non damnentur [182]. Parricidiorum scelera, quibus pollui soletis, a quoquam ultra non præsumantur Hæc legis inquinamenta si summi regis metu [183] non deseritis, nostra ira in scelerosos Dei zelo accensa, quemcumque hujusmodi reum capite truncabit. »

VARIÆ LECTIONES.

[144] interpretamenta 1, [145] excessionem 1. 3. [146] *deest* 1. 2, [147] ludmillæ 3. [148] *deest* 2. [149] c. sui 2. [150] viso 1. [151] populi 2. [152] cleri n. inclusi 2. 3, [153] o. c. 2. [154] ire 2. [155] molietur 2, 3. [156] *deest* 2. [157] scripturæ 1. [158] propter 2. [159] concredentis *corr.* conced. 1, [160] Quia 1. [161] familiarum 1. [162] applicat 2. 3. [163] huni 1. [164] occultusque 1. [165] Repositis 1. [166] cum autem factus esset vir, conuocauit omnes uiros suos et matrem et exprobravit, etc. M, [167] felicitate 1. felicium 3. [168] conscederat 1. [169] contentione 1. 3. [170] *deest* 1. [171] injunctas 2. [172] quoniam *corr.* deum 2. [173] implicare 2. [174] patre 2. [175] prestante 2. 3. [176] mihique fide d. m. 2. [177] r. valde a, 3. [178] injuriosus hactanus 1. [179] *deest* 2. [180] etro missa 1. [181] efectus 1. [182] damnetur 1. [183] metum non desideretis.

NOTÆ.

(24) Mater et frater DOBR.

Finito [184] excellentis eloquio jussionis, nefastæ patriæ conjuratores domum pavidi redeunt, superba mentium fastigia, accepto sacri ducis potenti vigore, coacti deponunt, solitasque ergo viros sanctitatis virum insidias, quamvis ad modicum tempus, moliri desinunt. Jam tunc Deo serenante comprimuntur aliquantum sub ejus manu barbaræ nationes [185]; surgunt autem catholicæ religionis læta incrementa; quoniam divino cultui templa dicata, paulo ante infidelium neglectu eatenus, stabili reparatione fundantur, clerici patria bonisque privati, benigna largitate revocantur; statimque non tantum restituta, verum sancti viri plurimis adaucta muneribus substantia locupletantur, et tota per has partes tali sub principe exulta congaudet ecclesia [186].

14. Deinde clarens virtutum ejus coruscante per orbem decore, res publicæ commoda curioso ducis cœlitus armati regimine studiosius geruntur [187]. Sed quæ prius supernæ dilectionis vigore peragenda instituuntur, vigilanti principis diligentia tanto minus negliguntur, quoniam, licet palatina frequens cohortis latus utrumque circumstipaverit tumultuatio solita, tamen sagatus recolens assiduus pro se populoque incredulo orabat, inopumque promptissimus fautor, mœstorum pressorum benignus consolator, eventu subitaneo raptorum compatiens adjutor, nulla interrumpente sæcularium mora perseverat.

15. Aut fraudulenta hostis impurissimi machinatione hujusmodi operum affectibus astu, si nunquam poterit antiquo perversitatis, minimum retardante, frater ejus Balezlav [188] ætate minor, mentis perversitate et actuum vanitate exsecrandus, diabolico tactu instinctus [189], furoris nequitia contra virum Dei sævienter armatus, regni fraterna manu rapiendi cupidus, cum nefario ministrorum ausu mortales [190] exitii insidias sibi tendere quam plurimum conatus est. Sed divinitus prædestinatione rem, postmodum tamen futuram, tum fuisse certum constat dilatam. Jam parvo interjacente tempore vir Deo carus voto salutari propositum obligavit, se Deo donante ecclesiam nobili operum artificio constructurum, Christi eam victoriosique athletæ ejus beati Viti martyris honori dicandam. Nec mora, instat impiger facti, fervens autem proposuit, missis Ratesponæ [191] sedi regiæ legatariis [192], Tutonem episcopum 25), totius probitatis virum cujus diœcesi tota subditur Boemia [193], supplici rogatu quo idem opus Deo sacrandum ejus licentia et assensu fieret, impetrat.

16. Dato juxta beati ducis vota ab episcopo permissu, remissisque cautius nuntiis, artifices celeri jussione convocat. Fervet opus, labor impatiens exfulget, ecclesia ad perfecti ornatus extremam manum perducitur, miroque metallorum fulgore decorata exornatur. Invitato jam dicto episcopo, in honorem [194] sancti Viti martyris consecratur [195] 26); ibidemque plurima miraculorum, divina virtute mortalibus [196] gestorum, in præsens usque signa coruscant. Nondum autem sitibundi erga Dei justitiam pectoris adimpleta profunditate, vir meritorum inæstimabilium electus Dei Vencezlaus terreni fasces honoris, quos esse novit fragiles, depositorum fraternoque juri principatus moderamina spontaneo affectu illaturum cogitavit, necnon Romæ liminibus apostolorum [197] orationis gratia quæritandis sub domini apostolici sacra auctoritate sæcularibus se renuntiaturum monachicoque habitu vestiendum, eaque conversatione vitæ temporalis extrema visurum interni ardoris siti anhelavit. Sed largissimi remuneratoris providentia, æquis semper meritorum recompensationibus se dignos glorificante, majora huic cœlestium consorti [198] servare dignata est certamina, ut post horum nobiles triumphos nobiliora captet et præmia.

17 [199]. Quoniam vesano germani Bolezlawi regni desiderio [200] quoquo modo posset acquirendi, per multimodas insidiarum versutias in sanctum Dei exardescente, iter [201] Romæ tendendum intercipitur, profanæ gentis cotidiana [202] conspiracio domiciliorum latibulis furtive densatur, ipsiusque fratris invidia [203] magis magisque, diabolo fomitem præbente, accenditur. Nequaquam tamen omnium sæ-

VARIÆ LECTIONES.

[184] Initio 1. F. itaque 2. 3. [185] nationes corr. motiones 1. [186] In tempore autem illo multi sacerdotes de provincia Bauuariorum et de Suevia, audientes famam de eo, confluebant cum reliquiis sanctorum et libris ad eum, quibus omnibus habunde aurum et argentum, crustas et mancipia atque vestimenta largiebatur prout unicuique opus erat præstabat. Hii quoque omnes magistri mirabantur in doctrina ejus. Poterat namque imitari illud psalmistæ qui in spiritu dixit: Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. In cujus etiam mente sola preciosæ margaritæ claritas fulgebat, cuique dominus tantam gratiam conferre dignatus est, ut et pretiis victor exsisteret. Cultu autem fuit procerus, corpore castus, ita ut ceteris libenti animo optaret uxorem unicæ. Blanditus habebat cum militibus dispensatis, quos autem sciebat inmites et vagantes sine causa, toto animo vitabat addit M. [187] regnatur 3. [188] Bolezlaus 2. [189] tactus instinctu 2. [190] mortalis 2. 3. [191] Rastiponæ sedis 2. 3. radaspone M. [192] legatarius suppl. 1. [193] c. d. t. s. b. desunt 2. 3. [194] honore 2. 3. [195] Episcopus autem Tutas expandit manus suas, cum gratiarum actione ad dominum ovans et dicens: Ite narrate filio meo Venceszlao dicentes: Jam ecclesia tua constat ante Dominum Deum acceptissime constructa. Quique cum venissent secundum jussionem episcopi, valde gavisus fuit et consecratis omnibus Deo optulante ipse suscepit, atque ædificavit ecclesiam in nomine sancti Uiti M. [196] immortalibus 1. [197] a. principes 2. [198] gloriam m. b. celestis consortii 2. 3. [199] hic novam distinctionem instituit. [200] s. vel invidia 3. [201] inter 1. [202] deest 2. [203] nequitia 3.

NOTÆ.

(25) Sedem tenuit a. 894—942.

(26) Ecclesiam a Tutonis successore, Michaele episcopo, consecratam esse, Cosmas tradit.

vita in sanctissimi viri occultam necem conjurato rum beatam futuri diem trophæi ante Dei præsignationem accelerare valuerunt. Frater autem sceleris in eum luendi satis impatiens, ceteras fraudes in ejus cædem non debere visum est diutius prosecuturum [204], verum unam aliis aptiorem nefas potius maturari a se [205] cautius inventam delegit. Nam cunctorum armis vestium contractura dolose latentibus, simulataque pace, amor sub fraterno obtutu quasi verus fingitur, qui magis nocendi facultate quærenda monstratur [206].

18. Sub cujusdam vero festivæ diei exultabili ortu infelix ille fraudis amicus domum propriam (27), omni arnamentorum copia, quæ huic genti umquam moris erant habenda [207], quam studiose fulgidam fecit; convivium plus solito parandum ministris indixit; amicos sub hylaritatis specie invitavit; ipsiusque principis supplex [208] ingressus palatium, conviviis eum interesse fraternis primo omnium quo dignaretur corrogavit. Cujus mansuetudini quamvis falsæ Deo dignus Venceziaus [209] multum congaudens, atque consertis invicem manibus, domum [210] gaudio introeunt. Epulis discumbunt. Vinoque post longum quisdam [211] ferocium convivarum saturatis, fraus conflata diu latere nesciens, eos quasi unanimiter in sancti viri necem accendit. Qui malivoli, mucronibus veste jam tectis, ter surgentes, terque iterum quasi quodammodo lassi sedibus se inclinantes [212], viribus saltim [213] et audatia omnino emolliti, eo quod nondum divinitus jussa venerit passionis hora, inlæsum eum dimiserunt. Hujus rei ipse aut inscius, periculo non pavidus, divini tutaminis securitate animatus, quamvis cujusdam clientuli in [214] aurem susurrantis cautela, quomodo contra eum moliti fuerint, præstrueretur, sede [215] tamen non motus, fratrem, ceterosque considentes [216] exhilarari, quasi hospitis [217] grata vice, amabiliter rogavit. Et paulo post amota mensa surgit, impletaque vino patera, modestæ salutacionis dicto omnes dulciter hujusmodi alloquitur: « Salutet vos salus omnium Christus! Calicem, quem manu teneo, in sancti archangeli Michahelis amorem ebibere, unumquemque nostrum ne pigeat, hoc amore spiritalitatis [218] ejus altitudinem pro posse venerantes, ut quacumque hora lex naturæ ad extrema nos deduxerit, animarum nostrarum paratus susceptor clemensque in paradisi voluptates dignetur fieri subvector, cordium imis precemur! » Statimque post verbum lætus ebibit, singillatim [219] omnibus eodem amore singulos cyphos [220] ebibendos blandissimo propinat osculo. Intrepidus autem, sumptis tam honeste epulis, ubi divino jussu res differtur, domum illæsus revisit.

19. Noctis autem sequentis [221] cursu; orationum ac elemosinarum curiosissima [222] desudans instantia, futuri [223] conscius, mortis pro Christo jura pati devotus pernoctavit. Redeunte autem post gallicinia matutinalis horæ officio, pulso signaculo, non segnis thoro, ut jam est solitus, prosiliens, ecclesiamque properando ingressus, cantum nocturnalem laudesque matutinales modesta intentans auscultacione. post plurimas oraciones domum lassis membris aliquantum somno [224] reficiendis divertitur. Rubente jam [225] primum aurora, execrabili memoria scribendus Bolezlaus [226] viri sancti germanus, perversitatis auctor, quæ prius arma contra innocentem latenter commoverit [227] non inmemor, specu quo latuit, more lupino, cum ex adverso agnum furtive lacerandum irruit, ipse cum aliquot sequacibus huic sceleri comparibus furibunde progressus, et mucrone succinctus, viro simplici media via obvius restitit. Quem sanctus ipse mitissima inter salutando [228] benignitate [229] ita [230] alloquitur: « Ave, frater dilecte! grates immensæ dilectioni tuæ a nobis sint relatæ, quia honorifice disposito [231] heri convivio bene nobis et sotis jucunde [232] ministrasti. » Tam [233] dulci pessimus ille non respondens allocutioni, sed extracto cicius ense, in sancti capitis verticem ut fortius valet, percutiens, ait: « Melius hodie tibi præparavero [234] convivium! » Sed [235] ferro resiliente et nec vulneris tandem signum annotante [236], geminatur ictus. Quo nihilo magis lædente, tercio ferire cum velit, una cum extenso ictus ensis manu territi militis [237] excidit. Quem statim sanctus Vencezlaus per capulum [238] surripiens et supra scelerosum fratris jam inermis verticem manu librans [239]: « Videsne, inquit; o funeste? Verti in te posset tuæ crudelitatis exitium. En! unde prohibeor fraterni sanguinis fieri effusor. Sed nolo, de manu mea ultimo examine sanguis [240], o frater, tuus quæratur in me. Recipe gladium, matura supplicium: quæ sunt agenda

VARIÆ LECTIONES.

[204] persecuturum 3. [205] ac *pro* a se 1. [206] præmonstratur 2. [207] habendam 1. [208] suplex 1. [209] vencizlaus 1. [210] *super lineam addit* 2. [211] quibusdam 2. 3. [212] acclinantes 2. 3. [213] saltem 2. *sæpius*. [214] ut 1. ad 3. [215] sed eo 2. 3. [216] confidentes 1. 2. [217] ospitis 1. [218] spiritatis *corr.* spiritalitis 2. [219] singilatim 1. [220] cyphos 1. [221] frequentis 1. frequenti 2. [222] curiocissima 1. [223] futuræ 2. 3. [224] somnio 1. aliquanto (*deest* somno) 2. [225] autem 2. 3. [226] belezlaus 2. [227] c 1 2. [228] salutandum 3. [229] benignitate 1. [230] *deest* 1. [231] deposito 1. [232] abunde 3. [233] Jam 1. [234] præparo 2. 3. [235] Et vix sanguis emanuit, quia inpotens erat pre pauore horribili, et beatus UUenzezlaus facile superare potuisset eum, quia et gladium abstulit a manu ejus, sed noluit semet ipsum polluere. Ille uero uociferabatur dicens: Eia ubi estis? adjuuate me. Tunc omnes maliuoli accurrentes de latebris cum gladiis et lanceis multis uulneribus laniantes occiderunt. M. [236] anotante 1. [237] m. t. 2. [238] capulam 1. [239] uibrans 2. 3. [240] tuus o f. s. 2.

NOTÆ.

(27) Bolislawiæ, hodie Bunzlau; in Laurentii Casinensis libro Uollesclabus vocatur.

ne differas in longum! » Resumpto iterum fratre impius ferro, altum quasi vim metuens clamat, in auxilium sui socios [241] vocat, se quasi coactum et a fratris impetu prius læsum repugnare simulat. Mox sotii magno clamore vocati accurrunt, causam quasi sceleris [242] tanti de tumultu quærunt, domini sui ferventem sentiunt iram. Eoque jam tanti sceleris auctore quarta vice sacrum caput per ictum saltim confringente, omnes simul armis irruunt, certatim membra lanceis gladiisque perfodiunt. Corpus sanctum humi prosternitur semivivum. Circumstant iterum utrumque sævi gladiorum percussores, sanguis innocens effunditur, corpus late vacuum minutatim [243] quasi a canibus laceratur. Anima sacratissima carnei clausura domicilii soluta, vulnerum exuta tormentis, nobili triumpho angelicis subvecta manibus, summi remuneratoris aspectum gaudio visura, et inter gloriosas martyrum militias per ævum confessura, sub 4 [244] Kalendarum Octobrium perpetuo lætantis regni cœlestis ingreditur consortia.

20. Sacrum autem corpus credentium pauci qui aderant venerabiliter sarcofago [245] includentes, celebrato a clericis funebri obsequio, extra ecclesiam certissimis loco sibi ipsi condiderunt. Succedente post hæc in regnum omnis perversitatis duce Boleslavo, sævitiaque ejus in catervas fidelium [246] furente, non multo post beati viri necem [247], humana dum fruitur vita, clericos et amicos, necnon servicio ejus familiariter junctos, subita mortis sententia damnavit [248].

21. Peracta fortissimi Dei athletæ [249] venerabili passione, miraculi quidam sanguinem, qui per tabulas ecclesiæ ipsa martirii hora aspersus apparet [250], jussi aqua lavantes, penitus absterserunt. Postera quoque die illuc venientes, non minus quam cum primum parieti adhæsit cruorem ipsum eodem loco dilatatum [251] conspiciunt. Non parum ipsi hoc viso [252] territi, aqua iterum allata, multo [253] studiosius abluere decertant. Crastino autem profundi causa, sicut jam illuc translati sunt, redeuntes, non minus tinctum sanguine parietem, quamvis ter ablutus videatur, agnoscunt. Quibus [254] multum super hoc mirantibus, eoque abluendi labore post inde cessantibus, usque hodie sanguinis ejusdem tinctione paries ipse pro signo venerando nitescit.

22. Ut [255] verorum sæpe nobis relatu patefactum est, post constantissimi triumphum [256] athletæ omnes sanguinis effusores innocentis superno jussu furore, aut dæmonum potestate rapti inter homines postea non comparuerunt, aut versa pro vicibus naturæ, canum [257] latratu vice loquendi utentes dentium stridore morsus imitantur [258] caninos, aut misera corporum ariditate arescendi, necnon auditus continua privatione, vitam quisque saltim odiosam tulerunt.

23. Quiescente interim per trium spatia annorum venerando corpore, fidelibus quisdam [259] nocte visum est, ut, Deo rem ostendente, inde ad ecclesiam sancti Viti martyris, quam ipse jam construxerat, reliquiæ condecentiam sepulturæ transferri debeat. Qui, somno emersi, viso credentes, et licet principis tyrannidem metuentes, noctis tamen medio continuo bustum quam pavidi recludunt, pretiosum martyris pignus, non aperto sarcofago, vehiculo [260] peræque ligatum superponunt, viamque qua gressus eo dirigitur carpentes, perveniunt ad rivum [28], incedendo supergredi animalibus plaustrum ducentibus nimia profunditate intransibilem, naviculis et ponte utrimque [261] carentem. Stant quippe circumspicientes. Pons jam fractus undosa transgressione dissipatur; ligna ad ejus reparationem non inveniuntur. Quid facerent [262]? Dum in hac versantur angustia, subito erectis obtutibus, ecce mira Dei præsente virtute, plaustrum altera stat [263] ripa, undique secus [264] aquæ humiditate [265] intactum. Quo miraculo ipsi aliquantum hæsitantes, transnatato supra caballos rivulo, vehiculum sacro fasce gravatum prosecuti, ad locum prædestinatum citius applicant, ecclesiam cum sarcofago Deum laudando ingrediuntur, foribusque diligentius obseratis precibusque sincerius effusis, sarcofagum aperiunt; et ecce corpus carnea adhuc mole integrum et per cuncta vulnera sanum, apparentibus [266] tantum plagarum signis, nisi solum vulnus fraterno ense factum, quod se dehiscens sanguine visum est manare. Incluso iterum sub ipso altaris aditu, comitante fidelium turba, interque sonantibus clericorum hymnis, pretiosum corpus celebri memoria venerandum condiderunt. Ibi vero divina sæpius coruscante omnipotentia, innumerabilibus miraculorum signis felix exultatio fidelibus terrorque incredulis, tanti viri meritis, frequentissime clarescit. Cujus autem translationis tempus sub 4 [267] Non. Martii mortalibus celebrandum annotatur. De virtutibus autem, quæ pietas divina per meritorum ejus orbi clarescentem gloriam post dignata est operari, sermonis nostri transcursu curiosa interseratur mentio, condignum videtur.

VARIÆ LECTIONES

[241] s. in a sui 2. [242] s. q. 2. [243] minutatim 1. [244] III, Kal. Oct. M. [245] sarchofago 2. *constanter*. [246] t. c. 2. 3. [247] *deest* 1. [248] Illi quoque forsitan eunte tempore venientes in civitatem Pragam omnes amicos ejus peremerunt et clericos ejus persecuti sunt. M. [249] atleta 1. [250] apparuit 2. [251] dilatam 1. [252] *deest* 2. [253] multa 1. [254] Q. vero 2. 3. [255] Et 2. 3. [256] ath. trophæum 2. [257] canu 1. [258] imitantur 1. [259] quibusdam 2. 3. [260] sarcofago corr. vehiculo 1. [261] utrique 1. [262] q. f. *deest* 2. [263] stat a 2. 3. [264] secus *deest* 2. [265] humiditatem 1. [266] aparentibus 1. [267] III. M.

NOTÆ

(28) Rivi vocabulum Rokytnicza ex Cosma et Christiano adnotat Dobrowsky.

24. Quidam crimine judiciario capti [268], palatium sub vinculis ingressi, principis jussu carceri includuntur, tenatioribus infra ligaminibus per manus ac pedes sub crudeli [269] custodia implicantur [270]. Qui media nocte, ut erat necesse, pervigiles, strictura compedum ac manicarum miserabiliter contriti, gemitu amaro corda pulsantes, in hujusmodi verba orationis, dormitante parum custode, omnes simul flendo [271] proruperunt : « O summe gementium consolator Deus, cœli terræque mirabilis creator, aspice nos mortis juri destinatos, et per suffragia dilecti tui Vencezlavi militis, qui semper jam in mundo vivus, miseris pro tuo nomine benignus extitit defensor, ab instanti damnatione educere nos miserrimos dignare. Facta oracione, media pars carceris, qua custodes stantes vigilabant, repente tota quasi ære densissimo [272] obnubilatur ; extinctisque intus ardentibus vigilum lucernis, cetera pars, qua vincti jacent, quasi sole clarissimo serenatur. Et ecce vox repentina, cœlitus ut vere credendum est [273] emissa, vinctis in aures tonat [274] ; ut surgant, indicit. Qui ergo tam pavore quam [275] læticia stupefacti, membra silenter movent ; statimque vincula in partes disrupta decidunt, manus solvuntur ac pedes ; apertoque divinitus carceris hostio, læti exiliunt. Ita Dei nutu expediti, laudes Christo sanctoque ejus martiri Venczlavo inter populos referunt, immensaque virtutum ejus mirabilia constantissime et credentes et ammirantes propagare decertant.

25. Inter [276] quos gentilis quidam, baptismi gratia nondum mundatus, cum se jam per beati merita Vencezlavi morte liberatum senserit, ad fidei catholicæ veram agnitionem devotus convertitur, salubri lavacro purgatur, firmataque fide [277], ac Dei in se confixo amore [277*], natum unicum, quem æque propria vita dilexit, in clericatus officium Dei servicio ad beati martiris æcclesiam se daturum promisit. Hoc postmodum impleto, credens ipse Deoque serviens satis longam perduxit ætatem.

26. Huic quid [278-279] aliud non minus succedit miraculum. Juvenculum quemdam cubicularium, nomine Podhiwen [280], ceteris fideliorem servulis [281], ejusque secretis aptiorem, vir sanctus jam sæculo vivens admodum amavit ; cujus etiam superius meminit scriptum. Qui [282] karissimo privatus domino, lamenta tristis per dies frequentavit, et non minus plura factorum ejus exempla, quorum ipse conscius est, inter multos laudando dilatavit. Quo dux vesanus comperto, rapidissima [283] succensus ira, suspendio mox eum [284] interire jubet. Suspensus namque, ut vera bonorum testantur dicta virorum, post biennium, non aliter quam viva et sana solent hominum capita, florenti canicie per pilos [285] crescere atque candescere visus est.

27. Interea [286] captus quidam severa judicis sententia, in similem carceralis custodiæ pœnam, altera die perimendus, intruditur [287], et prioribus solutis, multo strictius vincitur. Qui [288] etiam amarissime flendo sanctum Dei Vencezlaum intimis ad sui auxilium precibus vocavit dicens : « Sancte Dei martyr, si tantum, ut homines dicunt, apud altissimum Deum obtinere vales, interveni pro me morituro, ut tuis liberatus meritis, ad criminum purganda commissa miser ego præsente aliquantum diutius vitæ subsistam. » Statimque ut oratum [289] est, ruptis quam fortiter vinculis, Dei gratia nesciis custodibus carcere est exsolutus ; sed extra astantibus paganorum latronibus iterum captus nimium constringitur, et dum longius sub vinculis, precio quo possit commutandus transfertur, priorem repetit oracionem : ac mansuefactis gentilium cordibus, sponte eum solvunt ac dimittunt. At [290] ita denuo liberatus, laudes Deo et beato duci per terras eundo magnificavit [291].

28. Mansisse fertur eadem civitate, qua sanctum

VARIÆ LECTIONES.

[268] judicario capiti 1. [269] *deest* 1. [270] post hæc in carcere plurimi homines jacebant in ligno inclusi, et unicuique fuit torques ferreus in collo et hii omnes in angustiis suis Dominum omnipotentem deprecabantur dicentes : Domine Deus per merita et orationes beati Ve[n]zezlawi adjuva nos Nocte autem insecuta quasi tintinnabulum sonuit in auribus eorum, et lux refulsit in carcere, et tetendit se lignum velut arcus, et extraxerunt pedes suos de ligno. Tunc omnes vociferabantur unanimiter dicentes : Domine Deus miserere nobis. Mox adfuit Christi virtus, et uniuscujusque torques confractus, cecidit de collo, cecidit in terram, M. [271] *deest* 2. 3. [272] denso 2. [273] u. u v. c. c. *desunt* 2. [274] intona 2. 3, [275] et 1. [276] Quo viso miraculo unus paganus qui in eadem tentus servabatur, votum vovit domino dicens : Si Deus adjuvat me per merita beati Wenceczlawi, credo in Christum, et dabo filium meum ei in servitium. De quo statim omnia vincla ferrea ceciderunt, quem iterum iterumque artiusque incluserunt, et rursum sicut ante ceciderunt ab eo compedes. Qui continuo dimissus, et sancta fide instructus, baptizatus est, et postea vixit plurimos annos. M. [277] firmitaque fidei 1 [277*] a. c 2. gnatum *corr.* natum 1 [278] *Quæ in hoc capitulo leguntur, non habentur in M.* [279] Quicquid 1 II. quoque 2. 3. [280] Podhivuen *alio atramento sed eadem manu in loco vacuo relicto* 1 *ubi* h *superscriptum.* n. P, *desunt* 2. 3. [281] s f. 2. [282] vi 1. [283] rabid 3. [284] enim 1. [285] pillos 1. [286] Alius quoque eodem modo jussus fuerat retrudi in carcerem, a quo similiter cuncta argumenta vinculorum disrupta ceciderunt, quem increduli statim comprehendentes vendiderunt longinquis paganis. Qui cum duceretur ab eis, meritis beati Wencezlawi sicut et frequenter ceciderunt catene de manibus ejus, et torques de cervice ejus. Qui etsi gentiles erant, cernentes mirabilia Dei eum dimiserunt. M. [287] includitur 2. 3. [288] Qu n 1. [289] oratus 1. [290] Et 2. 3. [291] Postea quoque alium jussit princeps recludi in carcere, qui cum suspiriis frequenter invocabat Dominum dicens : Domine Deus per merita beati Wencezlawi adjuva me. Et dum obdormivit, statim expergefactus, vidit se stare extra carcerem in plateis, et neque compedes erant in pedibus ejus neque manices in manibus neque torques in collo illius. Et egressus ad vicarium, narravit quomodo mirabiliter Dei virtute raptus esset de carcere, quem illi statim dimiserunt *add.* M.

requiescit corpus, mulier quædam visu orbata, manuum recurva inflexione ab ipso jam ortu contracta, omni usu [292], manibus per naturam concesso privata. Quæ videlicet, reverso per annum die festivo [293], ecclesiam sancti Viti martyris ingressa, et ante sepulchrum beati Venceslavi, quo desideravit, ducta, orans prostrata, tandem precibus ingemiscendo perseverat, quoad cunctis circumstantibus sancti viri meritis visu illuminatur, et manuum salva restitutione instauratur.

29. Postea quoque captus quidam ab his, quibus aliquantum pecuniæ sub accommodatarumis [294] pacto debuit, diuque sub vinculorum districtione, quo debitum solveret, contritus est. Sed creditoribus imminentibus [295] negotiis, atque per urbem ipsi vagantes, vinctum interim cum [296] ... suam publicam et ecclesiam ... sub custodia ... dimiserunt. Ille media versatus angustia, manus contra portam ecclesiæ levavit, hoc modo precatus: « O dux mitissime martirque sanctissime, cum jam multos ab impiorum manibus sanctitas tua ad magnum Deum intercedendo eripuerit, exoro miser, ne me obliviscaris ligatum, sed solita pietate hinc me facias exsolutum [297]. » Præsente [298] eius Dei clementia, beati martiris precibus quasi ferrea acie concisa [299], subito dissolvuntur vincula, ipseque Dei templum grates rependendo ingressus, prolatisque ad Deum et sanctos martires orationibus, liber domum remeavit.

30. Francorum igitur provincia vir quidam pedum [300] gressu ab ipsa jam infantia carens [301], et visendi natura non gressibilis sed reptilis per terram se contrahendo incedens, nocte quadam per soporem visione intremuit, quoniam miræ pulchritudinis vir, albis [302] indutus, lectulo assistens [303], claudum excitat, et salutem monstrat dicens: « Quoquo modo valeas, o pauper, surge, ac Pragam, Boemiæ [304] civitatem, quamvis omni data pro vehiculo quo feraris substantia, proficiscere, eoque perveniens, ecclesiam sancti Viti martyris, qua sanctum Venceslavi martiris corpus requiescit, ingredere; factaque oratione Deo, gressus præter omne dubium recipies sanitatem. » Qui somno emersus jussa [305] negligens, somni se delusum credens, iter impositum omnino distulit. Nocte autem insecuta eidem pauper quiescens eundem tantæ claritatis seniorem lectulo iterum [306] cernit adstantem, qui eum hoc modo redarguens ait: « Pauper amande, somno excitare, visionis hujus verum [307] agnosce præsagium. Unde misero tibi negligentia, corpus debile curandum? Cur iter [308] ad propriam salutem nuper mea tibi indictum [309] visione distulisti? » Qua increpationis asperitate claudus evigilans, pulso audiatus dubio, veritatis non inscius, respondit: « Proficisci non moror, o pie ac venerabilis senior! » Factoque mane, paratur quantocius vehiculum; ac data mercatoribus per eandem viam tendentibus placita mercede, festino eorum ductu ad jam destinatum [310] pervenit locum, et juxta priorem viri in [311] somno apparentis monitionem [312] sancti Viti martiris ecclesiæ, qua beatum corpus quiescit, gressuum orbitate invalidus, aliorum [313] portatione infertur. Solo ante aram prostratus, intime Deum sanctosque precatur. Non diutius morante virtutis divinæ [314] subsidio, sed per miranda beati Venceslavi martiris [315] merita, pedum nervi prius contracti quasi fragore extenduntur [316], bases et plantæ consolidantur. Surgit Dei gratia sanus, relataque [317] gratiarum actione, sana et forti incessus restauratione potenter sine alicujus sustentaculo egressus, patriam exultando ac Dei mirabilia latius prædicando revisit [318].

VARIÆ LECTIONES.

[292] visu 1. [293] festo 2. [294] acomm... 1. [295] in mentibus 1. [296] cum 1. [297] absolutum 2. [298] Crescente 1. [299] ... 2. [300] *deest* 1. [301] vir clarius M. [302] aliis 2. [303] asistens 1. [304] boemiæ *corr.* boemanie 1. [305] visa somni ... esse ... 2. [306] *deest* 1. [307] certum 2. [308] ita 2. [309] i. tibi 2. [310] designatum 2. [311] in s. a. *desunt* 2. [312] commonitionem 2. [313] ab horum 2. [314] d. v. 2. [315] *deest* 3. [316] dist. 2. [317] elataque 1. [318] r. Explicit passio S. Wenceslai 2.

ANNO DOMINI DCCCCLXXI.

ERACLIUS

LEODIENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(*Gall. Christ.*)

Eraclius, qui *Euracius* et *Everaclus*, eta Fulcuino *Euracrus* nuncupatur, Saxonicæ gentis nobilitate, singulari sapientia et rara scientia fuit percelebris. Coloniæ Agrippinæ eruditus, tantum progressum in sacris litteris fecit, tantumque pro eis dilatandis ardorem concepit, ut ex Bonnæ decano seu præposito factus Leodic. episcopus circa an. 960, totam Leodicensem Ecclesiam, imo totam provinciam, nullis hactenus litteris illustratam, ad studium accenderit, peritos undequaque clericos collegerit, eosque magistros instituens sua ope liberaliter paverit, scholasque per omnia tum sæcularis, tum regularis cleri claustra instituerit, inquit Egidius. Eas vero frequentare sua dignitate nullatenus indignum judicabat, animos tironum accendebat, sapientioribus difficillimas questiones proponebat enodandas, si minus possent, ipse enodabat. In via posito aderant perpetuo quibuscum de Scripturis tentaret, absens, quos scholaribus reliquerat magistros frequentibus litteris ad studium provocabat. Eaque insigni sollicitudine complures provexit ad eximiam rerum humanarum et divinarum cognitionem, adeo ut mox celeberrimæ per vicina late regna scholæ Leodienses evaserint.

Tanta erat ejus sapientia, ut a principibus sæculi plurimi fieret, et etiam ad regni negotia vocaretur. Hinc jubente Othone Augusto Brunonem Coloniensem comitatus est in Franciam, quo mittebatur, ut nepoti Lothario regis suppetias ferret Trecis transiens Bruno sancti Patrocli corpus ab episcopo obtinuit, sed negotiis urgentibus redire coactus rem totam Eraclio commisit, qui sedulo eam exsecutus sacrum depositum Coloniam detulit. Imperatorem aut ejus filium cognominem (*sic*) secutus est in Italiam et victoriæ in Apulia Calabriaque adversus Græcum imperatorem perfidum reportatæ testis fuit ; imo exercitum tot jam victoriis illustrem, sed solis eclipsi territum et ad deliquium fere adductum excitavit, vanum et puerilem esse terrorem edocuit, ac in pristinum animi vigorem restituit.

Ecclesiarum decorem adeo amavit, ut duas basilicas Leodii condiderit, alteram sub beati Pauli, alteram sub Sancti Martini nomine dedicaverit, et 30 canonicos singulis deputaverit. Ternas curias descripsit, et parœcis condidit templa S. Magdalenæ urbe media, et S. Severini ac S. Margaritæ in suburbiis. Suum et in rem monasticam studium ostendit, cum et Laubiensi monasterio idoneum pastorem instituit domnum Aletramnum, et postea Fulcuinum, quos plurimum juvit, restituens tres villas antea abalienatas, inquit Fulcuinus c. 27. Monasterium Sancti Laurentii sub vitæ finem ædificare aggressus est : ubi a fundamento surrexere parietes, veritus ne, quod accidit, ante perfectum opus vita eum deficeret, nascentem ecclesiam dotare voluit, et minus altare majori nondum absoluto, in honorem sancti Sixti martyris et pontificis Romani consecravit, ibique Leonem episcopum, ex Græcis nobilissimum, quem sibi suspectum in has partes abduxerat Otho imperator profugum excepit, mansionem assignavit, et de bonis a se ibidem delegatis, cum suis habere stipendia constituit, qui ibi et post mortem sepultura donatus est.

Tantæ fuit fidei, ut insigne miraculum in se expertus fuerit. Sub sui episcopatus initia, horrendus morbus, qui lupus a medicis appellatur, corripuit ipsum et adeo ejus artus depascebat, ut quotidie binos gallinarum pullos mane, binos vespere objectos consumeret, nec sic tamen carnibus ægri parceret. Post omnem medicinæ artem vimque superatam, tandem ad divinam opem confugit, quam meritis beati Martini assecuturum se speravit, utpote qui post Nortmannicos impetus, Antissodoro Turones revectus miris prodigiis emicabat. Turones ergo profectus, natalem ejus diem celebravit, dies octo statuit ad ipsius tumulum continuos agere, tandem septima nocte raptus in exstasim vidit sanctum Martinum corpori suo crucis signum imprimere, et statim a morbo sanatus est. Mane facto, a clericis ejus Ecclesiæ fit canonicus et celebriori ritu sacrum peregit Nec immemor beneficii statim ut ad sua reversus est, pretiosa omnis generis ornamenta pio medico obtulit et singulis canonicis singularia donaria transmisit, apud Leodium in descensu publici montis ecclesiam sub sancti nomine construxit, tantisque redditibus cumulavit, ut 30 canonicis

aliisque ministeriis abunde sufficerent, et donum de tanto eventu chartam manu propria conscripsit, et quoad potuit quotannis Rusones accessit benefactori gratias acturus.

"S. Evermari corpus jam diu in obscuro loco delitescens, sed divina revelatione cognitum levavit e terra, et in ædem sancto Martino sacram intulit. Patientiæ documenta suis præbuit, cum eorum injuriis lacessitus de vindicta nequidem cogitavit. Tandem virtutibus clarus caducam hanc vitam cum æterna commutavit anno Incarnat. Dominicæ 971, vi Kal. Novembr., anno pontificatus sui 12, Othonis I, tum regni quam imperii 31, ait Ægidius, qui et ejus ad Ratherium epistolam refert, in qua se ejus filium dicit, eique ob sibi directam cum balsamo ex urbe Verona legationem gratias agit, deinde in ejus laudes, de quibus nos supra, excurrit. Ejus quoque obitum an. 971 locat Chronicon Magdeburgense et Leodiense. Sepultus est in basilica Sancti Martini in monte. Adfuit concilio Ravennatensi, ubi et sua subscriptione institutionem archiepiscopatus Magdeburgensis confirmavit circa annum 967.

ERACLII

EPISTOLA AD RATHERIUM EPISCOPUM.

(Chapeaville, *Gesta Pontif. Leodiens.*, p. 191-2.)

Domino et Patri ter beato præsuli Ratherio, spectatæ opinionis viro, et prudentissimo, Eraclius servorum Christi servus, suus indignus dici vocari filius quidquid in Christo Jesu felicius.

Hyperbaton cum ambagibus omittens, rem ipsam, quanta scilicet pars vestra sit animæ, nudo et aperto sermone me juvat describere, scholastice si non valeo, ultimum vel rustice, non bene tamen, quia pura trado voce quod latet arcana non enarrabile fibra, quantum vos sinuoso in pectore fixi, notare gestio illud comicum nostis: *Davus sum, non Œdipus*, ut facilis verbis fallam audientes. Sed hæc hactenus.

Audita vero et attentius percepta legatione vestra mellita, nondum viso vel accepto, quod pro amore misistis balsamo, litteris vestris adhuc non lectis: non minimum erga me, quem cognovi, tam magni et clarissimi viri affectus integer, mihi tantillo, accumulavit gaudium: liquor pretiosus, cujus fere eram inops, vultum non mediocriter exhilaravit datus. Audito tandem epithemo non meo nomini congruo, quod vestra charitas mihi, nulla commendatione actuum meorum apposuit, ultra quam credi potest, animum lætificavit.

Inde centies flexis genibus versus Veronam, vestra quasi lambens vestigia, millies mille votis rependo gratias.

Cujus vero virtutis, si quod in me apparuerit, qui nulla omnino prælucco, simulacrum, nusquam, si experimento discere cordi est, a vobis aberit elongatum.

Pristinam sæpe soleo ante oculos dulcedinem ponere, atque crebris libenter sermonibus repetere, et si mane non, vel post prandia inter loquendum quomodo me fovistis, ut commanducandum cibum, sicut nutrices infantulis edentulis, in os meum trajecistis.

Quid ante, quid post pro tanto beneficio commemorem? rudis sum et ignarus. Quis enim est vobis aut sapientia, probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo laudis genere præstantior? Tulliana vox sonat: Nullus tantum est flumen ingenii, nulla dicendi, nulla scribendi tanta vis, nulla copia, quæ, non dicam exornare, sed tuarum virtutum laudes possit enarrare. Patientia si memoratur, si fas est dicere, fide salva, ne Deum offendam, tu es ipsa. Non salivam glutto sorbuisti mercurialem, inque luto fixum potuisti transcendere numerum. Satyricos omittamus comicos, ad simplices redeamus et sanctos.

Non modo non rapuisti, sed nec quidem appetisti aliena, largitus es propria, aliorum condolens miseriis, non felicitatibus invidens alienis, *omnibus* omnia factus, ut omnes lucrifaceres. Nativa vobis supplex tendit manus patria, et ut redeatis invitat. Omnes, quotquot sunt utriusque ordinis, clericalis, seu militaris, mente, voluntate, studio, gestu, voce, ut vernalis, clamant; vos videre desiderant; servitio vobis impendendo, nec numerum, neque modum præfigimus ullum. Omnia nostra erunt in manu vestra, secundum quod animo vestro insederit, o dilecte Ratheri. Cuncta prævidete, disponite, constituite, et ut libuerit, in omnibus agite. Sub vestro pollice docto et artifice, manum ferulæ non erubescam subducere. Vos valete; vos plaudite, et gratia Domini nostri vos ab incursu malo tueatur continue.

RELATIO MIRACULI S. MARTINI.

Eraclius manu propria describit suam miraculosam sanationem sicut et secundam visionem.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Anno secundo post reditum beati Martini ab exsilio, videlicet, a civitate Antissiodoro, providentia Dei, et auxilio Ingelgerii Castinensis comitis Hugonis inclyti Burgundiæ ducis consanguinei, cura pervigilii, mira sollicitudine, et armatorum copiosa multitudine, in quo prius venerabatur loco, honorifice et decenter relocati; ego Eraclius Dei patientia Leodiensis Ecclesiæ humilis episcopus, auditis miraculorum virtutibus, quæ per Dei gratiam et beati Martini meritum, incessanter ibi fiebant, morbo qui lupus dicitur, graviter attritus, et fere ad mortem deductus, sub spe recuperandæ sanitatis astrictus voto, cum clericis et militibus, Turonum quantocius veni devotus.

Cumque in ecclesia gloriosissimi confessoris prædicti, die noctuque cum effusione lacrymarum et gemitibus, vigiliis, jejuniis, orationibus instarem, Deique misericordiam et ipsius suffragium exorarem, nocte septima, beatus Martinus cum sancto Brictio, mihi præ lassitudine quasi in exstasi posito, apparuit, seque sequenti sic ait: « Frater Bricti, quid tibi videtur de fratre nostro Leodiensi episcopo, qui de remotis huc venit partibus, Deique auxilium, et nostrum tam devote requirit? » Sanctus Brictius sibi loqenti sic respondit: « Piissime domine, si placet Deo et tuæ benignitati bonum est ut curetur, cum sit multæ sanctitatis, et nostri ordinis, cujus vita ordinem non deturpat. » Illico, propius accedens, et locum morbi cuspide baculi sui tangens, sic ait: « Frater Eracli, Dominus noster Jesus Christus sanat te, et incolumitati restituit, sua pietate.

« Igitur hilaris, sanus et incolumis, fratribus nostris canonicis manifestam Dei virtutem, revela, et ex parte ipsius et nostra præcipe, ut cum devoto populo laudes immensas suo Salvatori referant, et te in canonicum jure perpetuo recipiant. Tu vero hodie ad laudem Dei magnam missam celebrabis ut qui te prius viderant quasi addictum morti, fiducialius sperent de subventione sui patroni. »

Hoc facto, et his dictis, a conspectu meo disparuit. Erant ambo episcopalibus indumentis redimiti. Surrexi lætus Clerici mei et milites cum famulis accersiti, advenerunt, totusque canonicorum venerabilis conventus. Morbi locus quem patiebar in natibus, non est inventus: tamen in signum cicatricis, quædam lineola rubea apparens remansit. De tam glorioso et evidenti miraculo, *Te Deum laudamus* decantatur a clero, et voces devoti populi, cum laudibus extolluntur in excelso

A Mane facto, canonici convenientes in capitulo, me in fratrem et canonicum receperunt unanimi voluntate et desiderio. Magnæ missæ hora adveniente, secundum præceptum beati Martini, divina celebravi; collatis ecclesiæ donariis quamplurimis et fratribus, ad propria gaudens et sanus remeavi.

Postmodum, procedente parvo tempore, non immemor tanti beneficii a Deo et beato Martino mihi collati, ad laudem Dei et honorem curatoris mei, in civitate Leodiensi, in monte publico, ecclesiam fundavi, construxi de proprio, dicavi, et opulentissime dotavi. In qua triginta canonicis ordinatis, cum servientibus et personis, et secundum consuetudinem Turonensis Ecclesiæ in legendo et cantando, et B aliis ecclesiasticis moribus instructis, sicut quotquot annis consueveram, cum multa devotione, Turonum accessi, et sicut gratia Dei præeunte feceram, fratribus meis manifestum fieri duxi.

Et dum in quadam nocte Dominica pernoctarem, et Dei clementiam invocarem, iterum beatus Martinus, cum beatis Brictio et Eustachio, mihi in visione apparuit, dicens: « Dic fratribus tuis, ut canonicos quos ad serviendum Deo et mihi ordinasti Leodii, sub piæ conditionis forma, jure perenni in suam recipiant fraternitatem, et omnes successores tuos in episcopatu Leodiensi.

« Mutuæ fraternitatis hæc sit eis forma: Cum potuerint, et tempus congruum affuerit, se mutuo visitabunt, in choro stallum habebunt, et quotidia- C num recipient stipendium. » Quod devotissime, sanctissime et celebriter factum est. Et decimo anno reversionis beati Martini, auctoritate Dei omnipotentis, celebratum et confirmatum est, et sub anathemate interdictum, ne quis negligere aut violare præsumat quod auctoritas divina, et beati Martini voluntas instituit et corroborat

Præterea additum est, quatenus nomina defunctorum alterutrum referrentur cum solemnitate, ob redemptionem peccatorum, et cum pulsabulis fratrum divina celebrentur.

Idem episcopus alteram ecclesiam in honore sancti Pauli in insula, miraculose Leodii construxit usque ad fenestras, in qua triginta canonicos depu- D tavit

Fertur enim orasse ad Dominum, ut ejusdem basilicæ construendæ sibi longitudinem et latitudinem ostendere dignaretur. Mane autem facto, cum universa circumquaque loca nix operuisset, futuræ ecclesiæ locum omnino non tetigit.

Ipse etiam inter cætera disciplinarum instituta

constituit, ut in adventu Domini, et a Septuagesima usque in Pascha, clerus pulla veste, nigra scilicet cappis induatur, eo quod niger color, pœnitentiæ et afflictioni, magis quam alius conveniat.

ANNO DOMINI DCCCCLXXIII.

JOANNES XIII PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, *Concil.* tom. XIX.)

Joannes Narniensis episcopus, post obitum Leonis pontificis pseudopapæ (vivente, an defuncto Benedicto quinto, incertum) factus est pontifex anno Domini 965, temporibus Ottonis et Nicephori Phocæ imperatorum. Qui cum initio pontificatus optimates Romanorum severius fortasse quam oportebat insequeretur, eorum insidiis ab Urbis præfecto captus, relegatus est in Campaniam. Sed cum imperatori Ottoni hæc innotuissent, ad vindicandam injuriam pontifici illatam, ipse in Italiam profectus est, restitutoque Joanne, de illius hostibus vindictam sumpsit istam, præfectum Urbis viventem curavit denudari, impositumque asino et utre redimitum, ad ludibrium circumduci, virgisque cædi, ac demum carceribus mancipari; cadaver Rofredi præfecti, a quo Joannes papa Urbe ejectus erat, e sepulcro extractum in diversa loca distrahi ac dispergi præcepit. Baronius. Ad conversionem Polonorum Egidium Tusculanum episcopum legatum a latere misit, data illi potestate regem Miezislaum, qui per connubium Christianæ uxoris Dambrowkæ Bohemorum principis filiæ conversus erat, in fide cum populo stabiliendi, episcopatus erigendi, eaque faciendi quæ ad totius regni conversionem populique instructionem pertinere videntur.

Idem ad convertendos Wandalos, Wilibaldum, Pachorium aliosque viros doctissimos emisit: « Qui et Mesconem monarcham (verba Stanislai Orichovii apud Sanderum, De visibili monarchia, num. 675, refero) et gentem nostram illi subjectam sacri baptismatis undis ab originali culpa abluerent, et ex civitate diaboli ablutos et initiatos in civitatem Dei transferrent, in Christique Ecclesiam ducerent; quod etiam factum est. Nam illi viri sanctissimi Wandaliam (sive, ut malis, Poloniam) dum ingressi: prædicabant nobis Christum, et gratiam ejus, qua nos in communionem sanctorum Deus convocaverat, celebrabant: homines turmatim ad flumina confluentes baptizabant, idola ex Wandalia exterminabant. » Ottonem juniorem, magni illius Ottonis filium, imperatorem coronavit. Roma cum imperatore Capuam profectus, Capuanam Ecclesiam, eo quod se Roma fugatum honorifice excepisset, dignumque habuisset, et ab insidiis Pandulphi principis Capuani fideliter custodivisset, archiepiscopatus dignitate gratitudinis ergo insignivit. His peractis contigit, cum ad urbem revertisset, primariam Lateranensis ecclesiæ campanam, miræ magnitudinis, recens fusam, super campanile elevari, quam primum idem pontifex sacris ritibus Deo consecravit, atque nomine Joannis Baptistæ haud dubie, cui ipsa ecclesia dicata erat, nuncupavit. Agnoscunt illud et redarguunt novatores hæretici, quasi ille hoc suo exemplo posteros omnes pontifices et episcopos in illum errorem induxisset, ut campanis sacramentum baptismatis impendendum esse crederent et docerent: sed falluntur imperiti cum non tam baptizentur quam prævia benedictione sacrisque ritibus, sicut etiam alia vasa sacra, cultui divino dicentur et consecrentur; in qua consecratione imponuntur iis nomina, velut a ceteris campanis discernantur; vel saltem, quod magis ad pietatem conduceret, si voce alicujus sancti populus ad ecclesiam convocari diceretur.

Ad Theophanem Nicephori imperatoris Orientalis filiam Ottoni imperatori juniori desponsandam legationem misit, qua functus est Luitprandus Cremonensis episcopus. Sed cum Nicephorus coronatione duorum Ottonum graviter exacerbatus huic legationi nihil detulisset, Græca tamen fide, sub falso prætextu nuptiarum, legationem ipse ad Ottonem remisit, nuntians illi ut nuptias pararet, se cum filia brevi adfuturum. Cumque hac occasione exercitus Ottonis in nuptiis parandis occuparetur, Orientales ex improviso militem imperatoris aggressi, eumdem magna strage fugarunt. Verum quando ea victoria elati secundo eumdem exercitum aggrederentur, innumera multitudo hostium cæsa fuit. Contigit hac de causa Nicephorum interfici, eique Joannem quemdam cognomento Zemisces, ad imperium elevari. Qui paulo post quam imperator factus esset, occisi imperatoris Nicephori filiam ad Ottonem misit: quam ipse, ut ait Witichindus, statim filio tradidit, celebratisque magnifice nuptiis omnem Italiam super hoc Germaniam lætiores reddidit. Eamdem a Joanne papa coronatam imperatricem fuisse testatur Sigebertus.

Per catenam sancti Petri, arreptitii collo circumdatam, dæmonem expulit. In Magdeburgensi civitate recens ab Ottone condita primum episcopum Adelbertum constituit. Cumque sedem apostolicam annos sex, menses undecim, et dies viginti quinque tenuisset, VIII Idus Septembris obiit. Sepultus est in basilica Sancti Petri, ut videre est in ejus epitaphio.

Pontificis summi hic clauduntur membra Joannis,
Qui prudens pastor, persolvens debita mortis,
Isthic præmonuit moriens sua membra locari;
Quo pietate Dei resolutus [illegible]
Egregii Pauli meritis commendat in æthra
Inter apostolicos cœlorum gaudia metat,
Gaudeat, exultet sociatus cœlibus almis.
Dicite corde pio relegentes carmina cuncti,
Christe tui famuli misertus, scelera purga,
Sanguine qui sancto redemisti crimine mundum.

JOANNIS XIII PAPÆ

EPISTOLÆ ET DECRETA.

I.

JOANNES XIII CANONICORUM BONONIENSIUM IMMUNITATEM CONFIRMAT.

(Anno 967.)

[MANSI, *Concil.* XVIII, 509.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei.

Cum ego Joannes, sanctæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ tertius decimus papa, residerem in Ravennate civitate una cum meis et Italicis episcopis, adfuerunt præsentiæ nostræ religiosi presbyteri et diaconi sanctæ Bononiensis Ecclesiæ, ac pro universo clero canonicæ congregationis humo prostrati, nostros osculantes pedes, obtulerunt epistolam tuitionis sanctæ recordationis domini Leonis V papæ, ut nullam donationem vel redditum publicum facerent. Unde compuncti divina misericordia ad eorum petitionem commodavimus sensum; et ideo a præsenti decima indictione omnibus ducibus, marchionibus, comitibus judicibusque, et universo populo a magno usque ad parvum in Bononiensi oppido commorantibus, dilectis fidelibus nostris notum esse volumus, ut omnes Bononiensis Ecclesiæ filii, id est sacerdotes, et levitæ, seu cunctus clerus ingesserunt nostro apostolatui, vim ac violentiam perpeti in suis facultatibus, et rebus, et possessionibus, et publica ab illis exigi servitia, tam in ecclesiasticis quam in suis mobilibus et immobilibus substantiis; quod contra omnium statuta sanctorum Patrum et canonicam auctoritatem esse cerneretur. Quare illorum calamitatibus condolentes, per has nostras litteras omnino interdicimus et prohibemus, eorum nihil ab eis vel successoribus illorum exigi ab aliqua magna parvaque persona, quæ illis jure et legaliter compertum [competunt ?]. Insuper interdicimus ut nec portaticum, neque ripaticum, aut teloneum, sive ostaticum, neque paratam, vel sacramentum, quod dici nefas est, faciant. Sed sine aliquorum hominum, publicas sibi gerentium actiones, perturbatione atque molestia persistere securi, quietique nullam sustinentes violentiam in suis facultatibus, vel omnibus rebus tam mobilibus quam immobilibus, tam de suis propriis quam etiam de ecclesiasticis, sed in Dei servitio et laudibus quieti et pacifici perseverent, quatenus pro nobis et cuncto populo Christiano securi Dominum quotidie exorent.

Datum XVIII Kal. Maii, pontificatus nostri anno 2, Ottonis imperatoris an. 6 indictione suprascripta.

II.

JOANNES PAPÆ XIII BULLA PRO INSTITUTIONE ARCHIEPISCOPATUS MAGDEBURGENSIS (1).

(Anno 967.)

[Apud MANSI, *Concil.* tom. VIII, col. 509.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, episcopus urbis Romæ, archiepiscopis, episcopis et cunctis timentibus Deum, omnique cœtui Christianorum.

Notum esse volumus qualiter, inspirante sancto Spiritu, meritisque apostolorum principis Petri, et vasis electionis sanctissimi Pauli, ac millia millium martyrum Christi, Roma caput totius mundi, et Ecclesia universalis ab iniquis pone pessumdata, a Domino Ottone Augusto imperatore, a Deo coronato Cæsare, et magno et ter benedicto, anno apostolatus nostri secundo, ipsiusque prænominati nostri spiritualis filii sanctissimi imperii sexto, erecta est, et in pristinum honorem omni reverentia redacta. Ipso namque anno una nobiscum, favente et consentiente invictissimo prædicto imperatore, acta est magna synodus Ravennæ XII

(1) Archiepiscopatus Magdeburgensis instituendi opus sub Joanne XII cœptum sed nondum absolutum, tandem in duplici Ravennatensi concilio peractum fuit. Horum conciliorum aliud Aprili mense anni 967 habitum est, eidemque adfuit cum Ottone I imperatore Joannes pontifex, a quo data est pro ea erectione bulla subsequens. Conciliare vero decretum, quod potius dicendum esset stipulatio conventionis inter episcopum Halberstadensem et eos quorum intererat ut archiepiscopatus ille erigeretur, ad concilium Ravennatense alterum anni 968 pertinet.

Kal. Maii, convenientibus archiepiscopis et episcopis circumquaque ex omni Italia, residentibus nobis in ecclesia beati Severi confessoris Christi, et ibi statutis omnibus rebus ecclesiasticis, secundum statuta canonum, et decreta antecessorum nostrorum, idem sanctissimus imperator ardentissimo cœpit amore perquirere, quomodo nostra apostolica auctoritate a primordio nomen Christianitatis in aquilonaribus partibus dilataretur. Nos vero ejus animum in Dei servitio ita mirifice detentum intuentes, connivere et dignum duximus, statuentes, præsente et consentiente sancta synodo, et ipso imperatore, ut Magdeburg sita juxta Albiam fluvium, ubi ipse a Deo benedictus imperator corpus sancti Mauritii cum multis martyribus collocaverat, et miræ magnitudinis ecclesiam construxerat, deinceps metropolis sit et nominetur auctoritate beati Petri apostolorum principis, et ea qua prædecessores nostri Constantinopolitæ, statuerunt. Ideo quia filius noster, sæpe jam nominatus Otto, omnium Augustorum augustissimus, tertius post Constantinum, maxime Romanam Ecclesiam exaltavit, concessimus ut non posterior sit cæteris urbibus metropolitanis, sed cum primis prima, et cum antiquis antiqua inconvulsa permaneat. Suffraganeos vero eidem metropoli omnes unanimiter præordinavimus, Brandenburgensem episcopum, et Havelbergensem, iis cunctis quibuscunque imperator voluit in urbe Magdeburg archiepiscopus consecretur. Postea vero idem archiepiscopus et successores ejus habeant potestatem per congrua loca, ubi per illorum prædicationem Christianitas creverit, episcopos ordinare nominatim, nunc et præsentialiter Merseburg, Citi, et Misni, a præsenti decima indictione perpetualiter confirmamus permanendum. Statuimus apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictionibus, nulli licere nostrorum successorum atque pontificum, vel alii cuilibet personæ, hæc quæ a nobis pia intentione statuta sunt in quocunque convellere, sed potius firma stabilitate inconvulsa manere decernimus. Si quis autem, quod non credimus, temerario ausu contra hoc nostrum apostolicum agere præsumpserit decretum, sciat se anathematis vinculis innodatum, et a regno Dei alienum, et cum impiis æterno supplicio deputatum. At vero qui pio amore observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionem a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur, et vitæ æternæ particeps atque cum sanctis omnibus sine fine lætetur.

Scriptum per manum Stephani notarii, regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, et indict. x. Joannes sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ præsul huic decreto a nobis facto pro confirmatione subscripsi.

Signum domini Ottonis piissimi imperatoris.

Ego Rodoaldus patriarcha sanctæ Aquileiensis Ecclesiæ interfui, consensi et subscripsi.

III

DIPLOMA JOANNIS PAPÆ XIII, IN RAVENNATENSI CONCILIO (2) DATUM, QUO HEROLDUM SALISBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM DEPONIT ET EXCOMMUNICAT; FRIDERICUM VERO EJUS LOCO ARCHIEPISCOPUM CREAT.

(Anno 967.)

[Apud MANSI, *Concil.* tom. XVIII, col. 499.]

JOANNES, sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ præsul omnibus archiepiscopis et episcopis, nostris dilectis in Christo fratribus, apud sanctam synodum Ravennæ nobiscum aggregatis, æternæ beatitudinis gaudia.

Sanctitati ac dilectioni notum vestræ esse volumus, quod Heroldus dudum Salisburgensis Ecclesiæ archiepiscopus, contra canonicam et apostolicam auctoritatem nefaria præsumptione post suorum oculorum amissionem videatur sacrum celebrare mysterium: et, quod ridiculum est, pallium gestare solemniter. Hoc namque non ad modicam hæreseos vesaniam attinet, et nobis omniumque fratrum orthodoxorum prudentiæ debet videri exsecrabile; præsertim cum ipse pro sua culpa et perfidiæ temeritate exoculatus sit, eo quod ecclesias Dei exspoliaverit, thesaurum paganis erogaverit, seseque eis junxerit, in Christianorum necem et deprædationem, contra dominum et piissimum imperatorem suum seniorem rebellis et infidelis exstiterit: et proinde a decessoribus nostris sanctæ memoriæ pontificibus omne sacerdotale officium sæpe et sit interdictum; atque electione et postulatione omnium pene nobilium, Bawariorum scilicet clericorum et laicorum, sancta Romana mater Ecclesia, suæ auctoritatis privilegio Fridericum virum venerabilem et cunctis laudabilem loco ejusdem Heroldi fieri esseque archiepiscopum omnino decreverit. Quapropter itaque nostrorum decessorum auctoritatem sequentes, vestræque omnium fraternitatis assensione roborati, ipsius Heroldi hæreticam et temerariam pravitatem a modo ac deinceps damnamus ac penitus confutamus ex vice beati Petri principis apostolorum, necnon omnes sequentes cæcitatem corporis et mentis ejus in tali præsumptione: ejusque communicantes excommunicamus primo et anathematizamus usque ad plenissimam emendationem. Insuper jam

(2) De hac synodo fit mentio apud continuatorem Reginonis his verbis: « Anno Dominicæ incarn. 967, Otto imperator natalem Domini celebravit; et accepto præfecto Urbis, qui aufugerat, tredecim ex majoribus Romanorum, qui auctores expulsionis domini Joannis papæ fuerant, suspendio interire jussit. Inde progrediens per Spoletum, Ravennam adiit; ibique Pascha celebrans cum domino Joanne papa, plurimos ex Italia et Romania episcopos congregavit; et habita synodo, multa ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ adinvenit. Et apostolico Joanni urbem et terram Ravennatium, aliaque complura, multis retro temporibus Romanis pontificibus ablata, reddidit (*vel potius restitutionem jam ante factam confirmavit*), eumque inde Romam cum magna lætitia remisit. »

dicto Friderico per auctoritatem sedis apostolicæ dignissimo archiepiscopo honorem et dignitatem Salzburgensis archiepiscopatus confirmamus et corroboramus, et universos humilitati ejus allubescentes, benedicimus, et catholicos approbamus. Unde rogantes hortamur sanctitatem vestræ fraternitatis, et in hoc nobiscum pariter assentiatis, et huic nostræ apostolicæ sanctioni vestram confirmationem præbeatis.

(3) Joannes sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ huic sanctioni editæ a me in Synodo apud Ravennam subscripsi.

Signum domini Ottonis serenissimi imperatoris.

Rodoaldus patriarcha Aquileiensis Ecclesiæ interfui et subscripsi

Petrus sanctæ Ravennatis Ecclesiæ archiepiscopus.

Walpertus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ archiepiscopus.

Lanwardus sanctæ Mindensis Ecclesiæ episcopus.

Otkeris sanctæ Spirensis Ecclesiæ episcopus.

Windo sanctæ Silvæ Candidæ Ecclesiæ episcopus, et bibliothecarius apostolicæ sedis.

Martinus sanctæ Sutriensis Ecclesiæ episcopus

Benedictus sanctæ Portuensis Ecclesiæ episcopus.

Everardus episcopus Aretinensis.

Sichelmus episcopus Florentinæ.

Petrus episcopus sanctæ Volternensis Ecclesiæ.

Joannes sanctæ Ariminensis Ecclesiæ episcopus

Hubertus [Adalbertus] sanctæ Lunensis Ecclesiæ episcopus.

Honestus episcopus sanctæ Perusinæ Ecclesiæ.

Petrus sanctæ Camerinæ Ecclesiæ.

Ingizo episcopus sanctæ Asisinatæ Ecclesiæ.

Leo episcopus sanctæ Asinatæ Ecclesiæ.

Joannes episcopus sanctæ Calliensis Ecclesiæ,

Erfemarius Anconitanæ Ecclesiæ episcopus.

Attingus episcopus Auximanensis Ecclesiæ.

Benedictus Humanatæ Ecclesiæ episcopus.

Eberardus Esinatæ [Æsinatæ] Ecclesiæ episcopus.

Benedictus Fuliginæ Ecclesiæ episcopus.

Julianus Lucerniæ Ecclesiæ episcopus.

Gregorius Comaclensis Ecclesiæ episcopus.

Ruodo sanctæ Cesinatæ Ecclesiæ episcopus

Arnaldus Popiliensis episcopus

Radaldus Rosiliensis episcopus.

Martinus Matuanensis episcopus.

Stephanus Ficodensis episcopus.

Joannes Bellunensis episcopus.

Albericus Perufunensis episcopus.

Rodulphus Vicentinus episcopus.

Gerhardus Faventinæ Ecclesiæ episcopus.

Patrus Metaumaucensis episcopus.

Hubertus Parmensis episcopus.

Luizo Cremonensis.

Ermenaldus Regionensis episcopus.

Gorboldus Polonensis episcopus.

Gauslinus Patavensis episcopus.

Arnaldus Tridentinus episcopus

Teutpertus vel Rupertus Feltrensis episcopus.

Zenobius Fesulanus episcopus

Gothofredus Aquensis episcopus

Rodo Astensis episcopus.

Lando Glosinensis episcopus.

Adalbertus Bonensis [Bononiensis] episcopus.

Wido Mutinensis episcopus

Joannes Imolensis episcopus.

Ratherius Veronensis episcopus.

Antonius Brisnensis episcopus.

Udalricus Bergomensis episcopus.

Joannes Jordanensis episcopus,

Aupaldus Novariensis episcopus.

Lupus Spoletinæ Ecclesiæ

Sigihardus Cetensis episcopus.

Rihelardus Fanensis Ecclesiæ episc. subscripsi.

Auctum Ravennæ VII Kal Maii, per manum Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, et indictione decima in præsentia omnium sanctorum episcoporum.

IV

JOANNIS PAPÆ XIII PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA FERRARIENSI.

(Anno 967.)

[Apud MANSI, *Concil.* tom. XIX, pag. 1.]

In nomine Domini, JOANNES episcopus, servus servorum Dei, omnibus Dei et sanctæ Ecclesiæ fidelibus

Denuntiantes mandamus qualiter post justam ac legalem electionem et consecrationem Martini episcopi Ferrariensis, in sancta Romana ecclesia a nobis factam, in civitate Ravennæ venimus cum ipso venerando Martino episcopo, aliisque quampluribus de nostra urbe Romanis, et in generali placito cum domno Ottone imperatore diversas causas, lites inspiciendas et deliberandas, et nobiscum tum residentium quoque astantium populorum multitudo clericorum, et laicorum, episcoporum, et abbatum de quampluribus regionibus infra basilicam beati Apollinaris convocatur; novus occurrit sermo prædicti Martini episcopi Ferrariensis, supplicans et petens a nobis ut omnia quæ a sancta Romana universali Ecclesia per papam Vitellianum, et Adrianum, et Leonem sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifices antecessores nostros in tempore Constantini, et Caroli imperatoris, per antiqua privilegia fuerant largita, tradita et confirmata; ita et nos per hoc nostrum confirmaremus præceptum; cujus scilicet precibus, et petitionibus, et omnium principum, episcoporum et abbatum, aliorumque clericorum, et laicorum inclinati, pro Dei timore et illius venerabilis fratris nostri præsulis Martini, omnia quæ a sanctis nostris antecessoribus, Romanæ sedis pontificibus, per antiqua privilegia per Ursonem judicem Ferrariensem perlecta sanctæ Ferrariensis ecclesiæ beati Georgii, tempore Martini, et Andreæ, et Joannes prædecessorum prædicti Martini tradita

(3) Mendosissimæ subscriptiones.

esse cognovimus, per hoc nostrum a parte sanctæ Romanæ Ecclesiæ beati Petri apostoli in prædicta sancta Ferrariensi ecclesia beati Georgii, similiter coram cunctis astantibus et videntibus confirmamus præceptam, massam videlicet Babilonicam illam, quæ vocatur Ferraria, in qua ipsa sancta ecclesia beati Georgii sita et consecrata est cum duodecim fundis suis, et alias omnes massas minores positas infra nostrum ducatum et comitatum Ferrariensem cum omni obedientia et servitute subjugamus, massam scilicet et ripam Pallariolus, cum duodecim fundis suis, et massam Constantiacus cum duodecim fundis suis, et massam quartisianam cum duodecim fundis suis, et massam Duliero cum duodecim fundis suis; sicque massam Petrinali cum duodecim fundis suis, et massam Populares cum duodecim fundis suis, similiter massam Cavalli, et massam Saleclam, cum viginti quatuor fundis suis; et massam Sanctam, et Castellum cum omnibus fundis suis, similiter et massam Firmianam cum omnibus fundis, et pertinentiis suis. Has quidem omnes massas cum omnibus juribus sibi pertinentibus, sicut a sanctis nostris supradictis antecessoribus in præfata sancta Ferrariensi ecclesiæ beati Georgii largitum fore cognovimus: ita et nos per hoc nostrum, sicut supra dictum est, in sancta nostra ecclesia, et tibi prædicto Martino confratri, et episcopo nostro, et successoribus tuis infra totum ducatum atque comitatum, et episcopatum nostrum Ferrariensem in singulis massis, ecclesias, clericos, presbyteros, diaconos ordinare et consecrare. Super hoc quidem omnia, omnibus tam præsentibus quam absentibus, notum fieri volumus, per prædictum episcopatum Ferrariensem, et ecclesiam S. Georgii, et te Martinum episcopum, tuosque futuros successores, episcopos, utramque parochiam perpetuo, sicut similiter nostri antecessores habuerunt et tenuerunt in suo dominio; ita et nos in jure, et dominio, seu privilegio sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ beati Petri apostoli, et nostro nostrorumque successorum semper teneamus. Ut sit semper sub nostra electione, ordinatione, investitione, et consecratione, et districtu. Et non liceat unquam nemini de tuis successoribus futuris, degentis in ipso episcopio episcopus ad nullius electionem neque investitionem vel consecrationem ire, nisi ad nostram sanctissimam sedem Romanam et apostolicam beati Petri apostoli nostrorumque successorum; et non liceat nemini nostrorum successorum, vel alicui regni magnæ personæ, regis scilicet vel ducis, episcopi neque archiepiscopi, hunc præfatum episcopatum et ecclesiam sancti Georgii, neque episcopos a dominio, et jure, et electione, ordinatione, investitione, consecratione, districtu sanctæ Romanæ Ecclesiæ beati Petri apostoli separare. Si quis vero persona hujus nostri regni, regis vel ducis, parva vel magna, hanc supradictam nostram Ferrariensem sanctam ecclesiam beati Georgii a jure et dominio et potestate episcoporum suorum, electione, consecratione, et investitione sanctæ Ecclesiæ et sedis Romanæ beati Petri apostoli separaverit, vel alienaverit, aut si de omnibus quæ a sancta Romana Ecclesia sibi sunt data et tradita diminuere vel molestare tentabit ullo modo, vel ingenio unquam in aliquo tempore anathematis vinculo a parte omnipotentis Dei, et beatæ virginis Mariæ, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et omnium sanctorum, et nostro perpetuo alligamus. Et omnes qui aderant ibi responderant dicentes: Fiat, fiat. Quorum nomina sunt hic in parte descripta, id est in primis:

Martinus episcopus sanctæ Sarsinensis Ecclesiæ,

Wido episcopus sanctæ Sarsenatis Ecclesiæ,

Joannes episcopus sanctæ Corneliensis Ecclesiæ

Azo protoscriniarius et apocrisiarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ

Joannes dux urbis Romæ, qui vocatur Gamberuto,

Stephanus miculator urbis Romæ

Nec non Paulus gloriosus judex.

Vigo judex Ferrariensis

Petrus dativus istius civitatis Ravennæ.

Joannes dativus Ferrariensis

Leo dativus de civitate Faventia.

Petrus et Stephanus dativi Ferrar.

Petrus comes

Gerardus, et Rivardus de comitibus.

Alderatus, et Rambertus germani comitibus

Joannes dux de Romano

Joannes et Almericus germani filii sui

Paulus et Petrus ducibus Travesaria.

Petrus filius ipsi Pauli.

Romualdus dux.

Paulus filius Vitaliani

Joannes consul et patricius

Heraldus filius Jaraldi ex genere ducum.

Atelbertus et Sergius germani ducibus

Andreas filius quondam amabil. dativus

Deusdedit de Ponte Augusto.

Gasirus filius Joannis consulis

Vitalis de Liuto.

Joannes et Luicio germani, filii quondam Anastasii consulis.

Leotarius

Petrus de Malo.

Maurinus Spaza inferno.

Vitalis filius Vitalis de Marino

De tabellionibus autem cives Ravenn.

Joannes consul de tabellio, qui vocatur Uter

Stephanus tabellio

Dominicus tabellio, Appollinaris tabellio,

Sergius tabellio,

De cancellariis autem

Vitalis cancellarius

Martinus cancellarius et notarius.

Leo cancellarius

Sarius de Cisterno,

Dominicus et Bernardus cancellarii de arbore Gaudenti. Isti omnes de civitate Ravennæ.]

De Ferrariensibus autem, Joannes archipresbyter sanctæ Ferrariensis Ecclesiæ.

Lopicinus archidiaconus.

Petrus presbyter, Georgius presbyter, Bonizo presbyter, et primicerius, Joannes archisubdiaconi.

De laicis

Leo de Andrea consul.

Refredo filio ejus, Leo consul.

Gregorius de Danielis, et alius Gregorius consul, Petrus consul filius Leonis consulis, Anselmus consul filius Raimbaldo, Paulus consul, qui vocatur de Nastasia, Joannes qui vocatur de Cristinia ; et aliorum hominum multitudo, quorum nomina esset longum ad scribendum.

V.

JOANNIS PAPÆ XIII BULLA AD GERBERGAM ABBATISSAM GANDERSHEIMENSEM

(Anno 968.)

Ab Ottone majore et minore rogatus, parthenonem Gandersheimensem tuendum suscipit et ejus possessiones juraque confirmat.

[Apud Mansi, *Concil.*, tom. XVIII, col. 529.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, meritis et sanguinis claritate rutilanti, dilectissimæ nobis in Christo filiæ Gerbergæ, venerabili abbatissæ monasterii sanctorum confessorum Innocentii et Anastasii, quod Gandersheim nuncupatur, atque posteris suis in perpetuam salutem benedictionemque apostolicam.

Si piis votis ac petitioni assensum præbemus, omnipotenti Deo nos placere credimus. Quapropter universis sanctæ catholicæ Ecclesiæ filiis, presentibus et futuris, notum esse volumus quod in synodo quæ apud corpus beatissimi Petri apostolorum principis acta est in mense Decembris, et indictione undecima, amabiles Deo ac spirituales filii nostri, Otto major et minor, serenisssimi imperatores Augusti, apostolicam paternitatem nostram humiliter obsecrare dignati sunt, coram archiepiscopis et episcopis, videlicet Italicis et ultramontanis, numero triginta et sex, quatenus præfatum monasterium Ganderseim, quod constat esse sub tuæ filiationis regimine situm in regno citerioris Saxoniæ ad honorem prædictorum confessorum Christi Innocentii et Anastasii, auctoritatis nostræ præsidio muniremus, et sub tuitione jureque sanctæ sedis apostolicæ perpetim susciperemus. Quorum piis congaudentes petitionibus alacri mente id fieri decrevimus, præcipientes ex ea, qua vice clavigeri cœlestis regni fulcimur, auctoritate, ut prænominatum venerabile cœnobium nemo unquam sæcularium possideat, neque ex decimis et possessionibus ejusdem quidquam sibi aliquis usurpet, non rex, non marchio, non comes, non episcopus, nec quilibet princeps quacunque potestate præditus, nisi forte tuendi ac defendendi causa, et hoc nonnisi tua et ejus, quæ pro tempore regularis fuerit, abbatissa, sobria fiat permissione. Esto igitur ad laudem omnipotentis regis abbatissa ejusdem monasterii, et subditas tibi sorores ad cœlestis patriæ gaudia expetenda instigare prudenti magisterio non cesset. Sit semper eisdem sororibus facultas sive licentia ex ipsa sua congregatione post obitum abbatissæ aliam sibi matrem, secundum regulam suam, substituere, et quam digniorem viderint pari animo et consensu : habeant potestatem eligere. Confirmamus vero et corroboramus ipsi sancto monasterio omnes res et possessiones mobiles et immobiles, quas nunc habet, et in antea, Deo opitulante, habere debet quolibet jure acquisitionis, ita ut amodo et usque in finem sæcula [sæculorum] licenter eas teneat et possideat, omnium hominum contradictione remota. Si quis autem contra hujus nostri apostolici privilegii tutelam agere tentaverit, et ex his quæ a nobis decreta sunt, aliqua pervertere molitus fuerit, hunc cum auxilio sanctæ et individuæ Trinitatis, et interventu beatæ Mariæ semper virginis, omniumque sanctorum, ex auctoritate beatissimi Petri apostolorum principis cum assensu comprovincialium pontificum, et omnium hujus nostræ sanctæ sedis suffraganeorum episcoporum excommunicamus, et a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ, omniumque Christianorum societate separantes perpetualiter anathematizamus.

Scriptum per manus Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense et indictione supra dicta undecima Bene valete. Dat. Kal. Januarii per manus Widonis episcopi sanctæ Sylvæ Candidæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domini Joannis summi pontificis et universalis tertii decimi papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli tertio, imperatoribu serenissimis dominis Ottone majore et minore. Anno imperii majoris sexto, minoris vero primo. In mense et indictione undecima

VI.

JOANNIS PAPÆ XIII BULLA PRO MONASTERIO S. MAXIMINI TREVIRENSI.

(Anno 968.)

[Apud Mansi, *ubi supra*, col. 531.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, venerabili abbati, amabili nobis in Christo filio Theitfrido apostolicam benedictionem et salutem.

Congruit apostolico moderamini, pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impartire assensum ; ex hoc enim lucri potissimum a conditore omnium Deo procul dubio promerentur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint statum reducta. Igitur quia religiositas tua petit ut monasterio tuo, quod in suburbio Trevirensi in honorem beatissimi confessoris Christi Maximini constructum esse dignoscitur, ob conservandam filii atque fratribus vel successoribus suis monasticæ tranquillitatis normam sanctæ apostolicæ nostræ, cui auctore Deo præsidemus, Ecclesiæ privilegium concedamus, tuæ petitioni benevola intentione as-

sensum accommodare curavimus, decernentes apostolicæ auctoritatis præcepto, ut congregatio Deo sanctoque Maximino religiose deserviens, sicuti a charissimo filio nostro Ottone, cæterisque regibus imperatoribus Francorum concessum est, liberam deinceps habeant potestatem creandi inter se quem secundum Deum sibi abbatem elegerint, nec aliqua cujuslibet dignitatis persona intra monasterium, nisi a te aliove abbate successore tuo vocatus, quidquid pro suo libitu ordinare vel temere exercere præsumat. Præterea apostolica nostra auctoritate omnimodis interdicimus ne cui unquam Ecclesiæ vel sedi concambio, vel alio aliquo negotio subdatur, sed tali libertate et immunitate, sicut Prumiense monasterium cæteraque loca regalia, inoffense et perpetualiter semper fruatur. Ipse autem locus monasterii perenniter sub mundiburdio regum vel imperatorum filiorum, scilicet sanctæ Romanæ Ecclesiæ præcepto apostolico jubemus ut permaneat nulli unquam personæ beneficiarius, aut invadendus pateat, sed ad usus et tranquillitatem monachorum ibi sub regula S. Benedicti Deo militantium absque ullius contradictione libenter permaneat. Ad cumulum quoque vel augmentum monasticæ tranquillitatis adjicimus, ne qua cujuslibet dignitatis persona quidquam vel minimum alienare vel minuere de rebus ecclesiæ præsumat, tam ex his quæ modo monasterio tuo collata sunt, quam ex his quæ cæteri fideles in dies collaturi sunt. Si quis autem, quod absit, nefario ausu præsumere hæc quæ a nobis ad laudem Dei omnipotentis pro stabilitate jam dicti venerabilis cœnobii statuta sunt, infringere aut in quocumque violare studuerit, ex auctoritate Dei omnipotentis per interventum B. Petri apostolorum principis, cujus vice fungimur, et nostræ humanitatis apostolicæ constitutionem, et assensum omnium comprovincialium, sive suffraganeorum episcoporum anathematis vinculo inextricabiliter innodamus.

Scriptum per manus Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Lectum in synodo Romæ habita, assidentibus divis imperatoribus Ottone Magno, filioque ejus æquivoco, anno imperii majoris sexto, junioris primo. Datum iv Nonas Januarii.

VII.

BULLA JOANNIS PAPÆ XIII PRO MONASTERIO B. JOANNIS EVANGELISTÆ MISNENSI.

(Anno 968.)

(Apud Mansi, *ubi supra*, col. 532.)

Si semper sunt concedenda quæ piis desideriis congruunt, quanto potissimum quæ divini cultus prærogativa noscuntur, non sunt omnino abrogan da; quæ sunt a largitoribus non solum poscenda, sed vi charitatis procul dubio exigenda? Habita igitur synodo et multorum venerabilium Patrum coepiscoporumque nostrorum conventu, Romæ in ecclesia B. Petri principis apostolorum, assidentibus augustissimis imperat. Ottonibus utrisque, anno scilicet imperii, majoris sexto, minoris primo, iidem gloriosissimi impp. postularunt a nobis quatenus monasterium quod pro remedio animarum suarum primitus construi, et in honore B. Joannis evangelistæ consecrari fecerunt, super ripam fluminis, cui nomen est Albia, in civitate Misna, sita videlicet in provincia quæ dicitur Talemense, cui etiam monasterio virum venerabilem, nomine Burchardum, honorifice præfecerunt, privilegiis apostolicæ sedis decoraretur, ut sub jurisdictione sanctæ Ecclesiæ nostræ, cui Deo auctore præsidemus, constitutum, nullius alterius Ecclesiæ ditionibus submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus interponentes tamen ea quæ et ipsi principes nostri innumeris privilegiis capiunt exponi, et cunctis in Christo fidelibus manifesta fieri. More antiquorum impp. hi duo imperatores, pater et filius, nobis assidentes, Misnensi episcopatui terminum imposuerunt, nominando fines et determinationes locorum, sicut infra tenetur. Ubi caput et fons est aquæ, quæ dicitur Odera; inde quasi recta via usque ad caput Albiæ; inde deorsum in occidentalem partem, ubi divisio duarum regionum est Behem et Nisinen. Ibidem ultra Albiam, et per silvam in occidentalem partem, usque ad caput Mildæ, et sic deorsum per ambas plagas ejusdem fluminis, usque dum Milda intrat in Albiam (nec non ob hoc diximus in occidentali plaga, quia multæ villæ pertinent ad orientales urbes infra eumdem terminum), et sic sursum et ultra provinciam Nizizi, ad ipsum terminum sine dubio. Nec non in altera parte Luzici; et Selpoli, et sic usque ad civitatem Sulpize, illam videlicet infra eumdem terminum, et inde in aquam quæ dicitur Odera, et sic Odera sursum, usque ad caput ejus. Omnes vero quemadmodum hi præsentes imperatores statuisse fatentur, qui intra istum terminum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum et pecudum in argento et vestimento, nec non, quod Teutonici dicunt, Ubercota (4), et Reiniunga familiarum insuper tota utilitate, et in omnibus rebus, quibus mortales utuntur, in diversis modis decimationes, quas Deo cuncta gubernandi debent, ad Misnensem Ecclesiam, primo Deo, deinde S. Joanni evangelistæ, universa dubietate procul remota, persolvant, referant et reddant. Testantur etiam iidem præsentes nobilissimi imperatores quasdam res sui juris ac proprietatis eidem sanctæ Misnensi Ecclesiæ, cui venerabilis episcopus Burchardus præesse dignoscitur, pro remedio animarum suarum in proprium dedisse, hoc est tributorum suorum in quinque regionibus partes decimas, in Talemence, in Nisa, in Milezane, in Luzice, in Diedesa; ut antequam comes earumdem regionum partem sibi ab ipsis concessam auferat atque distribuat, decimas per totum ac per in-

(4) Vide Ducang. Gloss. in *Overcotpunga*

tegrum jam dictæ sanctæ Dei Ecclesiæ persolvat, id est in melle, crusina (5), solutione argenti, mancipiis, vestimentis, porcis, frumento, et in omnibus rebus, quæ ad fiscum prædictorum impp. pertinere videntur, sanctæ Misinensi Ecclesiæ, nec non S. Joanni evangelistæ sui juris Teloneum, a civitate quæ dicitur Belegora, usque ad ejusdem Misinensis ecclesiæ partum, sursum, indeque denuo per ambas plagas præfati fluminis Albiæ deorsum, sicque infra præfinitum terminum ubicumque manus negotiatorum ultra Albiam huc illucque sese diverterit, ex integro, et absque ulla contradictione eidem prænominatæ sedi Misinensi, persolvi et tradi perenniter constituisse.) Et ideo in Christo sanximus firmiterque concessimus ut nullus metropolitanus, nullus episcopus, nulla etiam magna vel parva alterius ordinis et gradus persona, præter sedis apostolicæ antistitem, infra terminos Misinensis Ecclesiæ, cui venerabilis episcopus Burchardus præesse dignoscitur, quemquam ordinare, dijudicare, excommunicare, vel aliquid temere exercere, ullo modo præsumat. Statuentes etiam apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, et validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus imperator posthac, aut rex nullus, sive quispiam alius, cujuscunque sit dignitatis potestate præditus, ejusdem Ecclesiæ causis præsumat incumbere, vel minimum quiddam ex his quæ ad illud monasterium S. Joannis pertinere videntur, cui Burchardus episcopus præsidet, aut sibi temere vindicare, aut alicui magnæ parvæque personæ pro beneficio dare, aut quoquolibet modo inde auferre vel alienare audeat. Promulgamus etiam, et hoc auctoritate B. Petri apostolorum principis, coram Deo et terribili ejus futuro examini per hujus nostri privilegii atque constituti vim interminamus, ne quis mortalium sibi licere existimet aliquid ex possessionibus Misinensis Ecclesiæ, tam ex his quæ antehac a gloriosissimis imperatoribus Ottone et ejus æquivoco filio, vel a cæteris Christianis eidem sancto loco oblata atque collata sunt, quæque postmodum sunt conferenda, ut profecto juxta id quod subjectum est, idem venerabilis locus apostolico hoc privilegio inconcusse donatus permaneat. Si quis autem, quod minime optamus, nefaria auctoritate hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate sæpedicti monasterii statuta sunt, refragare præsumpserit, nostrique præcepti transgressor exstiterit, sciat se anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio deputatum. At vero qui pio intuitu hujus apostolici constituti observator exstiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manus Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Decembri, indictione undecima.

Signum domini Ottonis minoris imp. Augusti.

Petrus Ravennensis Ecclesiæ archiepiscopus subscripsit. Rodaldus patriarcha Aquileiensis subscripsit. Sigolfus episcopus S. Placentinæ Ecclesiæ consensi et subscripsi. Udalricus episcopus S. Pergamensis Ecclesiæ consensi et subscripsi. Siggo Pledensis [Blerensis] Ecclesiæ episcopus consensi et subscripsi. Benedictus episcopus S. Fulinensis [Fulginensis] Ecclesiæ consensi et SS. Joannes episcopus S. Normiensis (6) Ecclesiæ subscripsit. Joannes episcopus S. Galliensis [Galliensis] Ecclesiæ subscripsit. Joannes episcopus S. Arinensis [Ariminensis] Ecclesiæ interfuit et subscripsit. Humbertus episcopus S. Laviensis [Lunensis] Ecclesiæ consensi et subscripsi. Gerhardus episcopus Faventinæ Ecclesiæ consensi et subscripsi. Aufredus [Wigfredus] episcopus Verdecensis [Virdunensis] Ecclesiæ consensi et subscripsi. Zenobius episcopus Fesolanæ Ecclesiæ consensi et subscripsi. Gaidolfus episcopus Firminæ [Firmanæ] Ecclesiæ consensi et subscripsi. Ego Petrus episcopus Kamerinæ Ecclesiæ ibi fui et subscripsi. Eberhardus episcopus Aretinæ Ecclesiæ consensi et subscripsi. Stephanus episcopus Narniniensis Ecclesiæ consensi et subscripsi. Alberinus episcopus Ausculanus subscripsi. Antonius Brixiensis (7) Ecclesiæ episcopus subscripsi. Diotericus Metensis Ecclesiæ episcopus subscripsi. Lanwardus Mindensis episcopus subscripsi. Huibertus episcopus subscripsi. Luzo episcopus Cremonensis subscripsi. Joannes episcopus Turdonensis [Terdonensis] subrcripsi. Adelbertus episcopus subscripsi. Otger episcopus subscripsi. Sichelinus Florentinus episcopus subscripsi. Albericus episcopus subscripsi. Artingo Ausinianæ Ecclesiæ episcopus subscripsi. Insinno Laucanensis [Lavicanensis] Ecclesiæ episcopus subscripsi. Ertemarius Ancias episcopus subscripsi. Julianus episcopus Nucerinus subscripsi. Stephanus Cerviæ Ecclesiæ episcopus subscripsi. Atto Senegaliæ Ecclesiæ episcopus subscripsi. Lupus Spoltrinus episcopus scripsi. Lyndo Clusianæ Ecclesiæ episcopus subscripsi

Data III Non. Januarii per manus Widonis, episcopi S. Silvæ Candidæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ. Anno Deo propitio, pontificatus domini Joannis summi pontificis et universalis tertii decimi papæ, in sacratissima sede B. Petri apostoli tertio, imperantibus dominis piissimis Augustis Ottone et ejus æquivoco filio, a Deo coronatis magnis imperatoribus, anno majoris imperii sexto, et minoris primo in mense Januario, indictione supra dicta undecima.

(*Loc. Sign.*)

(5) Vestis pelliceæ genus. Ducang., V. *Crusna*.

(6) *Narniensis*. Sed inferius est *Stephanus Narniensis*.

(7) Ita legendum cum apud Labbeum sit *Brisunensis*.

VIII

JOANNIS XIII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO DOLENSI DIŒCESIS BITURICENSIS

(Anno 968.)

Dolensi monasterio privilegium concedit.

[Apud D. BOUQUET *Recueil*, tom. IX, pag. 236.]

JOANNES episcopus servus servorum Dei, religioso abbati RAMNULFO Dolensis cœnobii in honore sanctæ genitricis Mariæ et beatorum apostolorum Petri et Pauli constructi, ejusque successoribus in perpetuum.

Apostolicæ moderamini totius Ecclesiæ cura commissa est, et ideirco quisquis divina dispensatione in sancta Romana sede succedit, necesse est ut ubicunque possibile fuerit, utilitatem ejusdem Ecclesiæ procuret. Quapropter monasterium prædictum, quod Ebbo piæ memoriæ ædificavit, ita ut a prædecessore nostro per auctoritatem privilegii sancitum est, liberum ab omni dominatione cujuscunque personæ, aut regis videlicet aut episcopi, seu clericorum, vel laicorum, vel propinquorum ipsius Ebbonis esse decernimus, et res omnes quas vel nunc habere videntur monachi, vel deinceps ibidem collatæ fuerint sine ulla contradictione possideant. Vodilionem quoque villam cum suis appendiciis, a Gerardo nobili viro collatam, eidem loco similiter attribuo vel confirmo. Capellam etiam sancti Germani, ecclesiam quoque sanctæ Mariæ, nec non sancti Dionysii, mansillum etiam in honore sancti Salvatoris, prata quoque in honore sancti Laurentii, oleas denique in honore sancti Sulpitii, capellam nihilominus juxta castrum Dolis a Britannibus constructam, post illorum discessum attribuimus. Capellam quoque Sancti Martini infra Castrumlotoriem, etiam ecclesiam in pago Pictaviensi, saltus quoque in pago Alnensi; alodum etiam Lavariacum cum Monte Futario, cum omnibus rebus quas vel nunc habent, vel deinceps iidem monachi habituri sunt, ut jam diximus, sibi pertinentibus, ita sibi vindicent, ut nullius omnino subjaceant, nisi Romanæ sedi, sicut in prædicto testamento præfati Ebbonis continetur. Hoc ergo nos intuentes, easdem res, quæ legaliter conceduntur, eidem cœnobio per nostram apostolicam auctoritatem confirmamus. Abbatem vero communiter et regulariter viventem sine ullius contradictione, quemcunque de ipsis sanciori consilio elegerint, sibi præficiant. Quod si aliquis per munus aut per humanam gloriam, consentientibus, quod absit, monachis, irrepere tentaverit, hunc tanquam velut furem et latronem per apostolicum interdictum prohibemus; sed de ipsis personis, quibus beatus Benedictus in hac re potestatem tribuit, talem eligi præcipimus, qui domui Dei bene præesse studeat, et, sicut dictum est, communiter vivat, et fratribus prout potuerit prodesse magis quam præesse studeat. Constituimus etiam eidem cœnobio ecclesiam Sancti Lunitis quam iidem monachi dato pretio a nobili viro Scoto per chirographum testamentum comparaverunt, ut nihil illis amplius requiratur nisi decem solidorum census. Quicunque vero prædicto monasterio in augendis rebus vel religione adjutores exstiterint, Christum Dominum et sanctam ejus Genitricem atque beatos apostolorum principes habere mereantur adjutores. E contra autem quicunque temerarii vel audaces monasterium aut fratres, sive qualibet res ad eos pertinentes lædere aut usurpare præsumpserint, illos per apostolicam potestatem nobis per ipsos a Deo concessam sub anathematis vinculo, nisi resipuerint, usque in diem judicii obligamus. Observantibus hæc gratia et pax Christi multiplicetur, etc.

Scriptum per manum Theodori notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Januarii, indictione undecima.

IX

JOANNIS PAPÆ XIII BULLA AD ADALBERTUM MAGDEBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM

(Anno 968.)

Primatum illi inter universos Germaniæ præsules, et æqualem cum primatibus Galliæ honorem constituit.

[MANSI, *Concil.* XIX, 5.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto nobis in Christo confratri, ADALBERTO, S. Magdeburgensis Ecclesiæ archiepiscopo, in Domino æternam salutem.

Si ea loca quæ ad salutem maxime populi et gentis ad Deum conversionis fundata sunt, privilegio nostræ auctoritatis munimus et decoramus, hoc ad provectum et divinæ religionis cultum pertinere nullo modo dubitamus. Igitur quia sedem Magdeb., cui Deo auctore præsides, nostra tuorumque comprovincialium auctoritate archiepiscopalem esse decrevimus, quem inter cæteras Ecclesias ordinem, vigorem, primatum et æquitatem habere in posterum debeat, apostolicæ sedis privilegio muniri sancimus. Dei igitur omnipotentis auctoritate, et B. Petri, apostolorum principis, et nostra, te tuosque successores in perpetuum, et Ecclesiam tuam omnium ecclesiarum archiepiscoporum et episcoporum, qui in Germania sunt, ordinati in sedendo, in judicando, in confirmando, in subscribendo, in sententiis dandis omnique ecclesiastico ordine primatum habere volumus. Eorum vero qui sunt in Gallia, item Moguntiens., Trevirens. et Coloniens. Ecclesiæ in omnibus parem honorem et similem vigorem præsenti privilegio confirmamus. Cæterum, more Romanæ Ecclesiæ, Ecclesiam tuam duodecim presbyteros, et septem diaconos, et viginti quatuor subdiaconos cardinales, qui sandaliis et lisinis utantur habere volumus. Super hoc vero iisdem presbyteris et abbatibus ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ in suburbio ejusdem civitatis constructæ tunicis uti concedimus. Quibus exceptis et episcopis super altare in honorem B. Mauritii dedicatum missam celebrare aliquis nullo modo præsumat, quod non ad superbiam, sed ad loci sanctitudinem speciali reverentia præsenti privilegio munimus, et decoramus. Quapropter, frater fraterrime, Dominicorum salubriter

reminiscens mandatorum, ita in commissæ plebis regimine lucrandisque animabus invigila, ut Redemptori nostro fructum bonæ operationis, in quo lætari possis, exhibeas.

Scriptum per manum Stephani scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Octobri, indict. XII.

X.

ALTERA EJUSDEM AD EUMDEM BULLA.

(Anno eodem.)

Consecrationem episcoporum omnium inter Albiam et Salam, jusque pallii illi et successoribus tribuit.

[MANSI, *Concil.* XIX 5.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, charissimo confratri nostro ADALBERTO, sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ archipræsuli, in Domino æternam salutem.

Ita te, frater charissime et coepiscope noster, vita moresque tui hactenus idoneum reddidere, ut multa tibi credere, plura etiam committere, sicut bono dispensatori, non hæsitemus. Igitur quia ad pastorale culmen plebis tuæ, et comprovincialium tuorum, et nostra post Deum te auctoritas promovit, et quia tanta Sclavorum plebs ultra fluvios Albiam et Salam, scilicet Deo noviter acquisita, paucis pastoribus minime tueri potest, qualiter episcopis tuæ sedi subjectis parochias rationabiliter et caute dividas et distribuas, tuæ dispensationis et discretionis examini committo; et hoc serenissimi spiritualis filii nostri imperatoris Augusti, qui ejusdem tuæ Ecclesiæ fundator et auctor est, cura, diligentia et judicio fieri, per præsentis privilegii munimen statuo et confirmo. Si ergo ab apostolica sede, cui Deo auctore præsideo Ecclesiæ tuæ concessum, ut ab ejus rectoribus episcopi, qui ultra Albiam et Salam constituti, et constituendi sunt, post futuris temporibus consecrentur, et ipsi ejusdem tuæ scilicet Ecclesiæ archiepiscopus, sicut pro tempore fuerint, consecrent, qui pallium secundum morem Romanæ Ecclesiæ a nostra sede recipiant. Unde, frater charissime, dilectionem [*f.*, dilectionem] tuam admoneo et obtestor, ut animo sis sollicitus, ne aliquid sibi commodi dato aut gratia, quælibet supplicato personarum in sacris ordinibus vindices, sed ad hoc officium ille perducatur, quem morum gravitas commendet et vitæ præteritæ actio. Oramus autem omnipotentem Deum ut sua te munitione circumagat, et sacerdotii susceptum officium operibus implere concedat.

Actum per manus Stephani scriniarii et bibliothecarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Octobri, indictione statutum duodecima.

XI.

JOANNIS PAPÆ XIII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO ARULENSI.

(Anno 968.)

[Apud D. BOUQUET, *Recueil*, tom. IX, pag. 478.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus præsentibus et futuris, salutem in Domino perpetuam.

Si semper concedenda sunt quæ piis desideriis congruunt, quanto magis ea quæ pro divini cultus constantia pertinere noscuntur, omnimodo non sunt neganda. Et ideo sciat omnium vestrorum bonitas atque industria quia vir Deum timens et inclytus comes, nomine Oliba, veniens oratum Romam ad beatissimorum apostolorum Petri et Pauli sacratissima corpora, postulavit a nobis ut monasterium quod vocatur Arulas, constructum a fratre avi sui ad honorem Domini et semper virginis genitricis Mariæ, positum territorio comitatus Rossilionensis, in loco qui Vallis Asperi vocatur, juxta ripam fluminis Theti, quod vulgari nomini etiam nuncupatur, sub perpetua immunitate sanctorum Patrum cum defensione sanctæ nostræ sedis apostolicæ manendum decerneremus, cum omnibus rebus et possessionibus sibi pertinentibus. Unde inclinati precibus ejus humilitatis, per hanc nostram apostolicam et inviolabilem præceptionem statuimus id ipsum Dei Genitricis monasterium ex integro pro sua stabilitate perpetualiter ad ditionem atque tuitionem sanctæ matris Ecclesiæ persisti debere, confirmantes illi omnes res quas jure et rationabiliter sibi a principio pertinent, et usque in finem sæculi pertinere debent, in cellis, ecclesiis, ornamentis, sacris vasis et ustensilibus, in villis, casis, servis, ancillis, libertis et affranticiis, aquis, cum ipsis aquarum ex utraque parte riparum verdigariis et circumjacentiis, terris et aquimolis cum suis caputaquis et ipsis aquæductibus ac piscariis omnibusque locis cultis et incultis, et cum universis usibus, redditibus, seu decimationibus et tributis: promulgantes etiam hæc omnia, et quæcunque legaliter dici et nominari possunt, per fines et terminos suos inconcussa et indemnia manere ad dominium ipsius sacri cœnobii, et utilitatem regularis abbatis seu monachorum ibidem Deo servientium. Quoquo tempore nequaquam licentia sit alicui episcopo, duci, comiti, aut ulli hominum magnæ parvæque personæ aliquid de omnibus quæ ei pertinent et in antea pertinere debent, tollere, aut violenter possidere, sive in quoquam molestiam et contrarietatem facere; sed cuncta mobilia et immobilia generaliter et integre salva seu integra persistant ad usum et incrementum ipsius sacri monasterii sub protectione nostræ sedis apostolicæ perpetuis temporibus a præsenti indictione 12. Dicimus etiam ut abbas qui ibidem pro tempore fuerit, si, quod absit, a regulari proposito et institutione beati Benedicti deviaverit, sive res monasterii ejusdem alienaverit, licentiam habeat prædictus comes Oliba sive sui eumdem abbatem expellendi foras, et quod ab eo alienatum fuerit ad proprium jus revocandi, et pro ipso alium Deo dignum abbatem constituendi, approbata rei veritate. Constituentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione hæc quæ a nobis decreta sunt perpetuis temporibus inviolabiliter ab omnibus observanda. Si quis autem, quod non credimus, temerario ausu adversus hujusce no-

stræ præceptionis seriem contraire præsumpserit, sciat se, nisi resipuerit, judicio Dei omnipotentis et prædictæ semper virginis Dei genitricis Mariæ, beatissimorumque apostolorum Petri, Pauli et omnium episcoporum nostræque humilitatis auctoritate, cum omnibus impiis perpetuo incendio et indissolubili anathemate damnatum. At vero qui observator et custos ejus in toto exstiterit, gratiam et misericordiam a cœlesti rege obtineat, omniumque peccatorum suorum in præsenti absolutionem et in futuro æternam gloriam cum sanctis angelis consequatur.

Scriptum per manum Leonis notarii, regionarii atque scriniarii sedis apostolicæ in mense Decembri, indictione 12. Bene valete.

XII

JOANNIS PAPÆ XIII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. MICHAELIS DE CUXANO.

(Anno 968.)

[MARCA, *Marca Hispanica*, I, 52.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto nobis in Christo filio Warino, religioso abbati sacri monasterii Sancti Michaelis Archangeli et Beati Germani, quod situm est in valle Confluenti et in loco qui Cuxanus, ac per te successoribus tuis regularibus abbatibus ejusdem monachis cœnobii in perpetuum apostolicam benedictionem et gratiam.

Cum magnæ nobis sollicitudinis cura insistat ad vigilandum pro universis Ecclesiis Dei, ne aliqua earum necessitatis jacturam in posterum patiatur, dignum ducimus pietatis intuitu loca ad omnipotentis Dei honorem bene ordinata apostolico privilegii auctoritate muniri, et cum omnibus quæ ad se pertinent rebus confirmari. Igitur quia interventu Olive laudabilis et magnifici comitis postulasti a nobis, quatenus reconfirmaremus tibi tuisque successoribus regularibus abbatibus prædictum monasterium, quod suus frater bonæ memoriæ comes Xenofredus pro amore cœlestis patriæ renovavit, dotavit et auxit, aggregatis monachis ad laudem et servitium cœlestis regis et honorem prædictorum sanctorum, videlicet archangeli Michaelis et Germani confessoris, inclinati tuis ejusque precibus, id ipsum venerabile monasterium super ripam Literanis fluminis constitutum, cum omnibus finibus et terminis suis, omnibusque rebus mobilibus et immobilibus generaliter et in integrum sibi pertinentibus, ad usum et stipendium regularium fratrum ibidem nunc et in posterum Deo servientium reconfirmamus, corroboramus, et præsenti protectione sub continua immunitate stabilimus, sicut a decessoribus nostris sanctissimis pontificibus atque Christianissimis Francorum regibus videtur confirmatum seu corroboratum. In primis villam Cotoleti et villam Tauriani, cum ecclesia Sancti Fructuosi et omnibus rebus sibi pertinentibus. Item villam quæ dicitur Cortis, et omnia posita inter hos affines in circuitu monasterii, id est ab orientali parte finis per summitatem Serræ, quæ

A pergitur ad jugum de Cletrano, et itur ad montem qui dicitur Lazarias, et sic ducitur per ipsum usque in montem qui dicitur Calegonis, et deinde ad meridiem descenditur per Serram super locum qui dicitur Molarias, et pervenitur ad Crucem super villam quæ dicitur Canta; deinde tenditur usque ad rupem sive Clotum Clarinil, et venitur per summitatem de Serra usque in rivum Monliarsum, et ducitur usque in fluvium qui dicitur Tede, et a parte Circii, hoc est ab occidentali fronte venitur in stratam viam publicam quam dicunt Duas Sorores, et venitur usque in Literanum per ipsam viam publicam: deinde a parte aquilonali sub Sancta Felice tenditur, et pervenitur usque in alodem Sanctæ Mariæ. Item aliam ecclesiam Sancti Martini cum villa de Cletrano, cum

B finibus et adjacentiis suis. Item villam Castellani cum duabus ecclesiis ibi fundatis, hoc est sancti Andreæ et beatæ Mariæ semper virginis, cum alode suo, et cum decimis et primitiis suis, et cum omni ornatu earum. Ipsa villa posita est inter affines, sive affrontationes, id est ex una parte interminum de Moligio, vel in ipsa Petrabeta, et ex alia parte in ipsa area de Casalone, et vadit per Comam, qua pergitur ad flumen Tede; de tertia parte habet ipsos casales de Mengone. Item a quarta terminum de Coma vel Petraficta, et venitur usque in flumen Tede, et ultra ipsum flumen quantum teneiat Xenofredus comes in die obitus sui, et villam Torrentis, cum finibus, terminis sive adjacentiis suis, sicut per

C scripturam idem monasterium habere videtur. Villam Tarefagi ex integro, et alodem de Moligio, quantum ipsi monasterio pertinet. Item quantum pertinet ei de alode de Moseddo, et quantum ei pertinet de alode de Arbuzolos, et Planizolos, et inter rivos, et in villa Mosetto, et in villa Felgaria per fines et terminos suos. Item in valle Sauriniano ecclesiam Sancti Michaelis cum omnibus rebus ad se pertinentibus. In comitatu namque Feniliorensi confirmamus omnes res ipsi monasterio pertinentes, in valle Confluenti omnes res sibi pertinentes cum finibus et terminis suis. Item in comitatu Sardaniensi villa Orutz, cum villis et villarunculis suis, et cum omnibus adjacentiis earum, et alodem de Angulos, cum ipso Mercato, et cum finibus et terminis suis; villam Laginam cum ecclesia Sancti Vincentii,

D et cum finibus et terminis suis; villam Ballogarii cum ecclesia Sancti Thomæ, et cum villis et villarunculis suis, et cum omnibus terminis suis, et villam Laren, Mazuneulas, et Talax, et Ozenias, cum ecclesia Sancti Stephani, et Saltonem cum ecclesia Sancti Mauritii, et parochiam Sancti Petri de Infurcato, et ecclesiam Salvatoris de Sponna cum decimis et primitiis suis, et villam Vulcarca cum finibus suis. Aragolisam cum alode et ecclesia Sancti Jacobi. Bulur cum ecclesia Sanctæ Cæciliæ, et cum ipso Poto, parochia Sancti Thomæ quæ est in Ventegiola, cum decimis et primitiis suis. Item omnes res ipsi monasterio pertinentes in comitatu Sardiniensi, cum finibus suis, et in comitatu Vergelano alodem de

Spongiola, et monte Nigro, et omnes alodes ipsi monasterio pertinentes, et in valle Confluente villam Folionum, Setmdianum, Cornelianum, Vernetum, Crisacum, Arrianum, Auger, Henne, et in villa Evulo, Juliulo, Campilias, Flazonum, Saorra, Foliolum, Torrendum, et Pinum, Portinianum, et Mascaronem, et omnes alias res ejusdem venerabilis monasterii positas in valle Confluenti. Item in comitatu Fenilionensi, ecclesiam Sanctæ Crucis cum castello, et omnibus rebus ad se pertinentibus. In comitatu Rossilionensi et alodem de Petra calcis, Sancti Felicis, Miliarum, Insula, Tunorium, vallem Ventuosam, Corvariam, Nitiagum, Poium Vuscani, et interminio de Valle Asperi, et valle Confluenti, ipsum alodem de Valle magna cum fines et terminos suos (*sic.*) In comitatu Bisulgunensi alodem de Centenno cum finibus et terminis suis, vel in aliis locis posita. Item in comitatu Ausonensi alodem de Saliforas, et alium alodem qui fuit Oddonis. Hæc igitur omnia, quæ istis, sive aliis vocabulis nuncupantur, et omnes res in quocunque loco positas, quæ dici et nominari possunt, et quæ nunc usque eidem monasterio pertinent, et in antea per aliquod conquisitum usque in finem sæculi, sive per litteras, sive sine litteris, pertinere debent, tibi prædicto filio nostro Warino abbati, successoribusque tuis omnimodo concedimus, et per hanc nostram protectionem perenniter confirmamus, cum terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, ecclesiis, villis, casis, ædificiis, cultis et incultis, aquis et aquimolis, decimis, primitiis, et universis usibus et redditibus, cum servis et ancillis, aldionibus et aldeabus, et cum omnibus quæ dici et nominari possunt. Statuentes Dei, et nostra auctoritate, imo et protestantes, ut nullus rex, nullus episcopus, nullus dux, nullus comes, vel vicecomes, nullaque hominum magna vel parva persona audeat tibi et successoribus tuis violentiam, aut contrarietatem aliquam facere de universis rebus, quæ supra leguntur pertinentibus ipsi monasterio Beati Michaelis et Sancti Germani. Neque alicui eorum liceat homines vestros liberos, aut servos, sine voluntate vestra molestare, sive in servitium trahere. Sed amodo usque in finem sæculi isdem vester locus cum omnibus quæ sibi nunc pertinent, et in antea pertinere debent, quiete et pacifice maneat sub ditione sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ, cujus juris est ad regularem et monasticam tranquillitatem, omnium hominum penitus et ubique contradictione remota. Si quis autem,

A quod non credimus, huic nostro apostolico privilegio, in aliquo contrarius esse præsumpserit, nisi ex toto resipuerit, sciat se maledictum, reprobatum, atque anathematizatum, et a societate fidelium Christi et sanctæ Dei Ecclesiæ separatum, et cum omnibus impiis sine fine damnandum, et perpetuo incendio cum Juda traditore concremandum, ex auctoritate Dei omnipotentis, et beati Petri apostolorum principis, nostroque apostolico judicio. Qui vero hæc quæ a nobis decreta sunt custodire et diligenter observare studuerit, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino per nostram et omnium sanctorum interventionem consequi mereatur, et gaudia perpetuæ beatitudinis angelicis
B junctus agminibus valeat feliciter obtinere.

Scriptum per manum Stephani notarii regionarii et scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Decembrio, et indictione duodecima. Bene valete. Per hoc tamen nullum vobis et eidem monasterio jus de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. — Datum Viterbii XIII Kal. Maii, anno tertio.

XII *bis*.

BULLA JOANNIS PAPÆ XIII PRO ASCETERIO QUINTELEIMBURGENSI (8).

(Anno 969.)

[Apud Mansi, *Concil.* XVIII, 505.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei. Corporis et mentis generositate præfulgidæ, utpote Augustæ
C liberalitatis MAHETILDÆ incomparabiliter laudabili abbatissæ venerabilis monasterii dicti Quitiliggaburg, et per se omnibus posteris tuis, et sanctæ congregationi ancillarum Christi ibi degentium, supernæ gratiæ plenitudinem apostolicamque benedictionem.

Quia per beatum Petrum apostolorum principem, cujus videlicet minus idonei fungimur, ecclesiasticæ potestatis jura ubique terrarum auctoritate evangelica atque authentica sanctorum Patrum habere videmur, idcirco specialiter dispensare cuncta ad omnipotentis Dei laudem et orthodoxam religionem, nullo catholicorum resistente, posse confidimus. Ideoque universitas Christifidelium cupimus ut cognoscat qualiter nos per interventum charissimi et
D spiritualis filii nostri domni Ottonis semper Augusti genitoris tui, et sanctissimæ matris ejus Mahetildæ Augustæ serenissimæ aviæ tuæ, præfatum Quitilingaburg locum positum in territorio Saxonico, cui præesse videris suscepimus sub jure et continua

(8) Quas modo subjicio Joannis papæ litteræ transmissæ ad me sunt a viro clarissimo Bartholomæo Prospero Camellini Regiensi, sed Mutinæ modo agente. Illas vero ipse recepit a clarissimo Antonio Uldarico Eraht, qui illas extraxerat e tabulario principali Brusvigensi, ejus curæ commisso. Utriusque nomen mihi reserandum fuit, ut publicum sciret quibus potissimum ejus accepti gratiæ referendæ sint. Quanquam, ut vera fatear, nonnulla in iis occurrunt quæ dubietatem ingenerant de hujus scripti sinceritate; cum insuetæ Joanni XIII formulæ in eis concurrant, ut illa, *nostræ*, etc., *archifratribus*, sicut et cætera statim in principio *corporis et mentis*, etc. Nonnulla etiam in nominibus episcoporum offendunt menda, quæ forte sunt vel esse possunt amanuensis. Demum indictio plane hic fallit. Utcunque res habeat sese, imprimendam hanc bullam censui, relicto lectoribus eruditis judicio. Neque tantum mihi sumo ut fictam hanc bullam, tanquam ex tripode, certo pronuntiem, cum præsertim cætera quæ hic leguntur Joannis XIII ætati satis quadrent. MANSI

tuitione sanctæ Romanæ matris, cui præsidemus, Ecclesiæ, adhærescentibus consentientibusque in hoc nostræ apostolicæ paternitati archifratribus in synodum Ravennæ aggregatis, videlicet Petro Ravennatense, Rodaldo patriarcha Aquilegiense, cæteris et episcopis Widone Sylvæ Candidense, Benedicto Portuense, Marino Sutriense, Simone Blesano, Joanne Spirense, Landuardo Mindonense, Liutfredo etiam Papigense, Liutprando Cremonense, Huberto Parmense, aliisque simul confratribus nostris episcopis Italicis et Ultramontanis numero quinquaginta, ita ut a præsenti decima Kalendarum Maii sub patrocinio et tuitione beati Petri principis apostolorum ejusque vicarii perpetuis temporibus cum omnibus sibi attinentibus constitutum locatumque specialiter esse noscatur. Quapropter statuimus apostolica censura, ut idem monasterium omnimodo liberum maneat, et usque in finem sæculi perseveret per auctoritatem Dei et Domini nostri Jesu Christi, qui super Petrum ædificavit Ecclesiam, per quem jubemus, et omnimodis protestamur, ut nullus imperator, rex, dux, comes, nec episcopus, nullaque cujuslibet dignitatis, sive potestatis, vel sacræ, vel mundanæ persona, audeat ejusdem loci abbatissas molestare et inquietare, sive de omnibus rebus ejusdem sacri monasterii in aliquo distrahere, vel de his quæ ad illud pertinent diminuere. Verum igitur quietum et inconcussum persistat cum cunctis subsistentiis suis, cum servis et ancillis, liberis et ascriptitiis, terris cultis et incultis, et universis rebus quæ dici et nominari possunt, quas nunc habet et in antea quolibet contractu habere debet. Sane ob mundiburdium ac tuitionemque pro luminaribus concinnandis ante corpus prædicti apostolorum principis libram unam argenti annualiter nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ a te posterisque tuis, quæ eidem loco sancto præfuerint, persolvendam fore sancimus. Verum si forte . . . iter actionis difficultate singulis annis eadem pensio minime persolvi potuerit, licentia sit vel postea temporibus aliis coadunatim ut Romanæ Ecclesiæ transmittatur. Si quis vero, quod minime credimus, contra Deum hujus privilegii seriem in quoquam agere tentaverit, et idipsum monasterium juri apostolicæ et Romanæ Ecclesiæ auferre conatus fuerit, nisi resipuerit, perpetuæ anathematis vinculo innodatus ex auctoritate Dei ejusque summi clavigeri, ac per nostram, et omnium nostrorum pontificum successorum humilitatem cum Juda traditore Domini perpetim diabolo societur. Qui autem observator ejus et custos esse studuerit, omnium delictorum suorum veniam, et cum beatissimo Petro cœlibus sanctorum sortitus, gaudia sine fine consequi mereatur. De cætero præcipimus ut abbatissa ibi nunquam alia nisi ex electione, et gratia, ac voluntate omnium sanctarum sororum, quæ ibidem pro tempore Deo servire visæ fuerint, a quoquam ordinetur aut constituatur. Bene valete.

Scriptum per manum Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, indictione sexta decima. Dat. decima Kal. Maii per manum Widonis episcopi sanctæ Silvæ Candidæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domini Joannis summi pontificis et universalis tertii decimi provisoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ, videlicet undecimo ejusdem piissimi PP. anno, August. Ottone a Deo coronato Magno imperatore anno sexto monarchiam Romani imperii feliciter gubernante, indictione sexta decima.

XIII.

JOANNIS PAPÆ XIII PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA TREVIRENSI.

(Anno 969.)

[Apud Hontheim, *Hist. Trevir. diplom.*, tom. I, pag. 305.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, charissimis nobis in Christo fratribus universis episcopis, ac totius dignitatis et ordinis catholicis viris, præsentibus scilicet et futuris, perpetuam salutem.

Quia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia disponente, B. Petri apostolorum principis sacratissimam sedem universaleque in toto orbe terrarum ministerium suscepimus, necesse est omnium Ecclesiarum ut diligentissimam sollicitudinem ita continenter habeamus, ne earum jura, auctoritate ejusdem apostolorum principis cæterorumque successorum ejus venerabilium Patrum inviolabiliter statuta et confirmata nostro minuantur ac pereant tempore, sed potius corroborata decenter augeantur atque proficiant. Ideoque omnium vestrum nosse volumus sanctitatem et industriam, quod Theodorico dilectissimo fratre nostro Trevirensis Ecclesiæ archiepiscopo veniente Romam oratum ad sanctorum apostolorum limina, audivimus, sicut etiam pridem audiendo uno et legendo compertum habuimus, eamdem ipsam præ cæteris Galliarum ecclesiis Christianæ religionis exordium catholicæque fidei prima rudimenta percepisse per sanctissimorum virorum Eucharii, Valerii, et Materni et cæterorum evangelicam doctrinam, quos tempore suo prædictus beatissimus Petrus apostolus ordinavit et instruxit, nec non illuc ad prædicandum direxit. Unde totius ordinis nostræ sedis apostolicæ consultu, gratuitoque assensu, jura privilegiorum, quæ a sancta Romana matre Ecclesia præfatis sanctis eorumque reliquis successoribus, id est Agritio, Maximio, Paulino, Severo, aliisque et apostolicis viris, a primordio hucusque authentice concessa sunt, quæque etiam ipsius civitatis excidio, incendio aliove casu consumpta probantur, eidem Trevirensi Ecclesiæ prædictoque fratri nostro Theoderico; et per eum cunctis ipsius successoribus, reconfirmare, recorroborare et omni modo restituere dignum duximus, decernentes per hujus nostri apostolici privilegii validissimam constitutionem, ut quandocunque a nostra principali et apostolica sede episcopus, presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus, sive quilibet ordinarius legatus rei ecclesiasticæ seu cogendæ

synodi causa in Galliam, Germaniamve destinatus fuerit, Trevirensis præsul post quemlibet ordinarium legatum A. S. primum inter alios pontifices locum obtineat. Et si missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, similiter post imperatorem sive regem sedendi, sententiam edicendi, et synodale judicium canonice promulgandi, primatum habeat; utpote in illis partibus vicarius nostræ sedis apostolicæ merito constitutus. Neque enim dignum est ut illius ecclesiæ præsul aliquo tempore cæteris non habeatur prælatus, cujus honor in illis partibus sub ipso apostolorum principe exstitit primitivus. Pari quoque modo sancimus omnes parochiis ejus degentes sive ordinationem et promotionem cujuslibet ecclesiastici gradus a pontifice ipsius percipientes, eidem ipsi matrici Ecclesiæ, episcopoque illius debere canonice placere, obsequi et jure obedire. Siquidem decreto B. Clementis papæ super hoc ita cautum videtur: « Si vobis episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, subdiaconi ac reliqui clerici cuncti, omnesque principes tam majoris ordinis quam inferioris, atque reliqui populi, tribus et linguæ, non obtemperaverint, a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* » Inter hæc quoque omnia, quæ ad sæpe dictam Trevirensem Ecclesiam intra et extra civitatem pertinere videntur, id est ecclesias cum universis rebus sibi attinentibus seu monasteria, tam monachorum quam virginum, quæ ex præceptis sive scriptis regum seu imperatorum sive eorumdem fundatorum auctoritate, ad se pertinent et pertinere debent, et quidquid omnino illa ipsa ecclesia ubique et quoquo merito possidet et possidere debet, generaliter et specialiter concedimus; reformamusque præfato Theodorico fratri et coepiscopo nostro suisque successoribus ad perpetuam sanctæ Trevirensis Ecclesiæ dominationem atque ditionem per hujus nostræ apostolicæ præceptionis seriem a præsenti XII indictione et usque ad finem sæculi valituram. Contra quam si quis quid quolibet modo agere præsumpserit, et quod juste et canonice a nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Dei omnipotentis et prædicti beatissimi apostolorum principis omniumque sanctorum ac deinde nostra auctoritate damnandum et anathematizandum, et cum omnibus impiis æternis suppliciis deputandum. Qui vero hoc privilegium nostrum observare, custodire, adimplere fideliter studuerint, benedictionis gratiam et misericordiæ plenitudinem in cœlestibus castris inter electorum numerum efficaciter a Domino Deo consequi mereantur.

Scriptum per manum Stephani notarii et regionarii et scrinarii sanctæ sedis apostolicæ in mense Januario et indict. XII. Data XI Kalend. Februarii, per manum Sicconis episcopi sanctæ N. [Bleranæ] Ecclesiæ ad vicem Guidonis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ. Anno, Deo propitio, pontificatus domini Joannis pontificis et universalis XIII papæ in sacratissima sede B. Petri apostoli IV [*al.*, III] (9), imperii autem domini Ottonis majoris VII, minoris vero II, et indict. XII.

XIV.

JOANNES XIII THEODORICO ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI PALLII USUM TRIBUIT.

(Anno 969.)

[In Tabulario regio Berolino. Ex schedis Pertzii]

XV.

BENEVENTANA SEDES ARCHIEPISCOPATUS TITULO INSIGNITUR.

(Anno 969.)

[MANSI, *Concil.* XIX, 19.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo nobis LANDULPHO, venerabili atque merito honorabili Beneventanensis et Sipontinæ S. Ecclesiæ, et modo per nostræ apostolicæ auctoritatis concessionem archiepiscopo.

Cum certum sit Deo servientibus ineffabilia æterni regni præmia reservari, nobis tamen necesse est horum beneficia eis tribuere, ut in Dei laudibus ex remuneratione valeant multipliciter insudare. Et quia Beneventanensis Ecclesia, in exercendis Dei laudibus magno conatu piaque religione insistit, atque erga reverentiam sanctæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ præcipue exuberasse cognovimus, quod nobis olim apud eam manentibus omnino constat inventum; debemus itaque ex ardore charitatis, atque studio divini cultus eam causa honoris ac reverentiæ sublimiorem inter cæteras ordinare. Et quoniam sancta sedes est ubi beati Bartholomæi apostoli corpus requiescit, merito decet augmento cultus amplioris decorare, quoniam et ad hoc divinæ miserationis respectu curam regiminis suscepimus, et ad exhibenda Deo sedula servitia, et canoras laudes potentiæ suæ devotos debemus sollicite invi-

(9) *Imperii autem domini Ottonis majoris* VII. Annum Ottonis VII Browerus emendat in VIII. Recte id quidem: posset tamen inde severioribus criticis nasci ansa hoc diploma ex chronologico vitio impugnandi; sicut idem ille error materiam disputandi dederat cl. Eckhart *in Animad. ad Fr. Schannat Diæc. Fuld.*, n. 29, pag. 42 *seqq.*, adversus ejusdem Joannis XIII bullam, anno superiori ecclesiæ Fuldensi concessam pro primatu abbatiali. At quis nescit annos Ottonum tam in Italia quam Germania a notariis subinde perperam fuisse numeratos: adeo certe ut respublica litteraria ingentem esset passura stragem, si chartæ quælibet ut spuriæ abjiciendæ forent, quoties chronicas Ottonum notas spurie referunt. Hoc observavit inter alios Kettnerus *Antiq. Quidlinburg.* pag. 697, qui, postquam in concinnanda sua Historia integrum loci archivum perlustrasset, ingenue fassus est sese in conciliandis Ottonum annis, præsertim cum indictionibus, frustra desudasse. Eo autem remotior debet esse ab hac nostra omnis subornationis suspicio, quod eam sibi exhibitam testetur Leo IX indubitato diplomate, quod ad annum 1049 referemus.

tare. Itaque præsidentibus nobis in sancta synodo acta ante confessionem beati Petri apostolorum principis septimo Kalendas Junias, propositis in medio sacrosanctis quatuor Evangeliis, præsente domino Ottone gloriosissimo imperatore augusto, Romanorum, nostro filio, nec non Romanis atque Italicis, et occidentalibus religiosis quamplurimis, atque etiam catholicis et sapientissimis totius ordinis viris; hortatu siquidem benigno ipsius prefati domini clementissimi imperatoris augusti, nos cum consensu infradictorum præsulum, atque sacerdotum, omniumque clericorum S. R. E. qui inferius subscripserunt, quibus . . . Beneventanam cathedram velle exaltare, intervenientibus scilicet Landulpho Beneventanæ et Capuanæ urbium principe, seu Spoleti et Camerini ducatus marchione et duce, simulque et Landulpho excellentissimo principe filio ejus, usum pallii tibi, prefato præsul, ad sola missarum solemnia peragenda concessimus, scilicet in his festivitatibus, id est, in nativitate Domini, Epiphaniæ, Purificationis sanctæ Dei genitricis et Virginis Mariæ, similiter et in Annuntiatione ejusdem beatæ Mariæ, et in paschali festivitate, et in Ascensione Domini, et Pentecoste, et festivitate S. Joannis Baptistæ, et in natalitiis beatorum apostolorum, et in Assumptione beatæ Mariæ, pariterque in Nativitate ejusdem, simulque et in Dedicatione sanctæ Ecclesiæ tui archiepiscopatus, nec non et in die consecrationis, et consecratione episcoporum; tribuentes tibi insuper eam potestatem et honorem archiepiscoporum, ita ut fraternitas tua, et successores tui infra suam diœcesim, in locis quibus olim fuerant, semper in perpetuum episcopos consecret, qui vestræ subjaceant ditioni: scilicet sanctæ Agathæ, Abellini, Quintodecimo, Ariani, Asculi, Bibini, Vulturariæ, Larini, Thelesiæ, Alifæ. Adjecimus etiam ut usus pallio in festivitatibus B. Michaelis archangeli, et translatione B. Bartholomæi apostoli. Posteri vero tuæ Ecclesiæ rectores post obitum tuum consecrationem ipsius archiepiscopatus, ac honorem pallii ab hac sancta et apostolica, cui Deo auctore deservio, sede percipiant. Confirmamusque tibi successoribusque tuis similiter Sipontum et ecclesiam B. Michaelis archangeli in Monte Gargano, et Varanum oppidum cum massis, et villis, et omnibus pertinentiis ecclesiarum suarum, qualiter ab antecessoribus nostris per concessionem privilegiorum possideri videntur. Statuens insuper apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et validis atque atrocibus anathematis interpositionibus, ut nullus unquam alicujus dignitatis potestate præditus homo præsumat, vel etiam quæcunque magna parvaque persona quoquo modo audeat destruere, illum profecto perenniter irrefragabili jure decernimus ut ordinata in suo esse maneant: et tamen, ut supra dictum est, successores tui a sancta Romana et apostolica sede consecrationem et usum pallii decretaliter recipere non distulerint. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc contra-gare aut destruere, vel aliquam jacturam aut molestiam inferre, sit anathematis vinculis innodatus, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, et cum Juda proditore Domini nostri Jesu Christi, æterni supplicii incendio concremandus. At vero qui pio intuitu observator et in omnibus exstiterit custodiens hujusmodi apostolici instituti, ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Amen.

Scriptum per manum Stephani scriniarii S. R. E. in mense Maii, indict. 12.

Ego Joannes sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ XIII papa in hoc privilegio a nobis promulgato manu propria subscr.

✠ Signum domni Ottonis piissimi imperatoris.

Sicco . . . Ecclesiæ in hoc privilegio consensi et subscr.

Joannes episcopus Gabsanæ Eccl.

Joannes episcopus Anagninæ Eccl.

Marinus episcopus sanctæ Surensis Eccl.

Benedictus episcopus sanctæ Terracinensis Eccl.

Leo episcopus sanctæ Ostiensis Eccl.

Benedictus episcopus sanctæ Portuensis Ecc.

Gregorius episcopus sanctæ Albanensis Eccl.

Joannes episcopus sanctæ Silvæ candidæ Eccl.

Joannes humilis episcopus sanctæ Castianensis Ecclesiæ.

Joannes episcopus sanctæ Sarsinaten. Ecclesiæ consensi et subscr.

Stephanus episcopus sanctæ Ficoliensis Ecclesiæ consensi.

Constantinus episc. . . .

Ignizzo episcopus Floren. Eccl.

Hubertus episcopus . . . subscripsi.

Gotfridus episcopus sanctæ Virodunensis Eccl.

Siguiphus sanctæ Placentinæ Ecclesiæ consensi et subscripsi.

Luitgrandus episcopus interfui.

Bozzo episcopus sanctæ Astensis Eccl. consensi.

Abraham sanctæ Frisingensis Ecclesiæ episcopus consensi.

Raternus episcopus sanctæ Marsicanæ Ecc. consensi et subscripsi.

Reginaldus sanctæ Rubiliuensis Ecclesiæ episcopus consensi et subscripsi.

Albaricus S. Reatinæ Ecclesiæ episcopus subscr.

Dominicus archipresbyter S. R. E. consensi et subscripsi.

Crescentius presbyter card. S. R. E. consensi et subscripsi.

Theophylactus S. R. presbyter consensi et subscripsi.

Benedictus archidiaconus S. R. E. consensi.

Ego Bonifacius humilis diaconus S. R. E. consensi.

Leo diaconus S. R. E. consensi.

Joannes subdiaconus S. R. E. consensi.

Datum vii Kal. Junii per manum Gaidonis episcopi

sanctæ Silvæcandidæ Ecclesiæ, et biblioth. sanctæ sedis apostolicæ, anno pontific. domini nostri Joannis XIII papæ IV, imperatoris Ottonis Majoris 7, et Minoris II, indict. supradicta duodecima, anno Dominicæ Incarnationis 969.

XVI.

JOANNIS PAPÆ XIII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO FULDENSI.

(Anno 969.)

[Apud Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, pag. 330.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, charissimo nobis in Christo filio WERINHARIO sacri cœnobii Fuldensis abbati religiosissimo et per eum suis successoribus abbatibus in perpetuum.

Desiderium quod ad religionis propositum sanctorumque locorum stabilitatem pertinere monstratur sine aliqua est Deo auctore mora perficiendum, ut ex hoc vigor religionis sanctæ roboretur et eisdem sanctis locis salus et indemnitas solidetur; nobis quoque lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo in regnis cœlestibus ascribatur. Igitur quia per interventum domni Ottonis excellentissimi piissimique imperatoris Augusti, nostrique spiritalis filii et sanctæ Ecclesiæ defensoris, prænominatus Werinharius abbas postulavit a nobis quatenus venerabile monasterium cui præesse videtur quod olim a sanctæ memoriæ Bonifacio episcopo ad honorem Dei et Domini nostri Salvatoris in loco qui vocatur Boconia erga ripam fluminis Wultaha constructum privilegii summæ sedis apostolicæ infulis decoretur: et sicut per sanctissimi papæ Zachariæ constitutionem aliorumque venerabilium pontificum prædecessorum decessorumque nostrorum præcepta ditioni sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ suppositum est, ita perpetuis temporibus perseveret et nullius unquam alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Quapropter, piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur digno effectui mancipamus; ideoque omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus: ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus nec missarum ibidem solemnia quispiam præsumat omnimodo celebrare, ut profecto juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse omni tempore dotatum permaneat locis et rebus universaliter tam eis quas a primordio sibi vindicare debet vel quas moderno tempore tenet et possidet quam eis quas futuris temporibus in jus ipsius sacri monasterii divina providentia augere ex donis et oblationibus decimisque quorumlibet Christi fidelium voluerit absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Adjicientes autem pro magno amore præfati piissimi et Christianissimi domni Ottonis imperatoris Augusti specialiter constituimus ut isdem Fuldensis abbas ante alios abbates Galliæ seu Germaniæ primatum sedendi in omni loco quo conveniant obtineat, necnon et archimandrita consultior et honorabilior nostra apostolica auctoritate permaneat. Constituimus quoque per hujus nostri decreti paginam ut quicunque cujuslibet ecclesiæ præsul vel quacunque dignitate prædita persona hunc nostri privilegii tenorem quem auctoritate beatissimi apostolorum principis cujus vice fruimur confirmamus et recorroboramus, violare et transgredi tentaverit, anathema sit et iram Dei omnipotentis incurrens a cœtu omnium sanctorum alienus existat et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat apostolica in omnibus auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Stephani scriniarii et regionarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobrio et indictione tertia decima.

Datum VI Idus Novembris, per manum Widonis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domni nostri Joannis tertii decimi papæ quarto, imperii vero domni nostri Ottonis Augusti majoris octavo et minoris secundo, indictione XIII.

XVII.

JOANNIS XIII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. VINCENTII METENSI.

(Anno 970.)

[Apud Pertz, *Monum. Germ. hist.* Scrip. tom. IV, pag. 471.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo DEODERICO filio nostro sanctæ Metensis Ecclesiæ præsuli.

Cum in exarandis Dei laudibus debita pastoralis compulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum dignoscuntur pertinere locorum ubertim promulgare, et apostolicæ institutionis in privilegiis atque decretis censura confirmare: convenit nempe nos apostolico moderamine sancta venerabilia loca, quæ dudum fuerant in ruinis magnaque inopia ac paupertate degentia, opportune ordinare, seu ad meliorem sine dubio statum perducere, præsertim ubi illa petuntur quæ non ad commodum temporale, sed ad perpetuam providentiam pertinent Deum servientium animarum, scilicet ut venerabilis locus, qui a Deoderico dilectissimo filio nostro in uno conglobatus atque annexus est, cum propriis congregationibus, quæ regulariter in psalmis hymnis et orationibus Deo Salvatori nostro Jesu Christo pervigiles excubias exhibent, ab insolentiis exterioribus circummunitæ, jugiter valeant pii famulatus officia in monasterio Sancti Vincentii exhibere; et quoniam constat tuam religiositatem hujus privilegii apostolicam confirmationem postulare a nobis, propter immutationes temporalium rerum variosque hominum casus, munitionem sancti Vincentii Christi martyris cum omnibus ad idem monasterium pertinentibus, atque corroborationem tui tuæque congregationis et successorum tuorum in perpetuum fieri censuimus; quatenus, nunc sicut a te disponuntur, ita in posterum usque in finem conserventur, et ut illa congregatio inconcussa in unum perseverans,

sedulas laudes Deo persolvere valeat, et sicuti a Deo eorum studia imbuta sunt, jugiter perseverare liceat, atque sub uno abbate jam prædictus locus constitutus, in honore sancti Vincentii indivisus sit et indivisa congregatio. Nec cuiquam licentia præbeatur, ut relinquens rigorem studiose sibi regulæ, hoc denique negetur, vel aliis se conferre conetur monasteriis, quod a nobis contra regulam sub anathematis vinculo prohibetur. Quapropter statuentes atque promulgantes coram Deo et terribili ejus futuro examine, per hujus nostri privilegii apostolici atque constituti paginam sancimus, et beati Petri apostolorum principis auctoritate decernimus, atque obtestamur tam apostolicæ sedis futuros pontifices quamque qui episcopalem administraverint actionem, vel etiam magna parvaque persona aut quispiam cujuscunque sit dignitatis præditus potestate, ea quæ a prædicto Deoderico dilecto filio nostro pie venerabili loco tradita atque concessa fuerint, quoquo modo a quoquam licentiam habeant, seu jus monasterium locum Sancti Vincentii in unum adunatum atque spiritaliter apostolicæ exarationis stylo conjuncta disjungere vel aliquid exinde alienare. Et illud monasterium Sancti Vincentii respiciens sit ad sedem episcopalem protomartyris Christi Stephani jubemus, atque abbas in potestate episcopi ipsius loci eligendus sit. Si vero episcopus defuerit, liceat abbati in festivis diebus ad sedem episcopalem accedere, ibique cum dalmatica et sandaliis, quas illi mittimus, missas celebrare. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ ab hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire tentaverit, vel hoc, quæ a prædicto Theoderico dilecto filio nostro, Metensium præsule, ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii videlicet sancti Vincentii statuta sunt refragare, auferre vel alienare præsumpserit, sciat se auctoritate beati Petri apostolorum principis anathematis vinculo innodatum atque cum Juda, traditore Domini nostri Jesu Christi, æterni incendii supplicio concremandum. Sic deputatus, nec unquam a prædicti anathematis nexibus sit absolutus. At vero qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, gratiam benedictionis a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps efficiatur, et hæc catena beati Petri aperiat ei januam paradisi. Si vero aliquis episcopus inde aliquid minuere voluerit, hæc, ut diximus, catena claudat ei polorum regna. Scriptum per manum Stephani notarii et regionarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Septembri, et indictione quarta decima. Bene valete.

Data III die Kalend. Octobris, per manum Widonis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domni Joannis summi pontificis et universalis tertii decimi, præsidentis in sacratissima sede beati Petri apostoli, quinto, imperii domni Ottonis Majoris nono, Minoris vero tertio, anno denique ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 970.

XVIII

Locatio Prænestinæ civitatis facta a Joanne XIII domnæ Stephaniæ senatrici sub annua pensione decem solidorum auri Romanæ Ecclesiæ pendenda.

[Anno 970.]

[MURATORI, *Antiq. Ital.* III, 235.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectissimæ in Domino filiæ STEPHANIÆ clarissimæ senatrici, tuisque filiis ac nepotibus.

Quotiescunque a nobis tribui sperantur quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. At ideo quia postulastis a nobis, quatenus daremus et concederemus atque traderemus tibi, tuisque filiis ac nepotibus, per nostram apostolicam auctoritatem, civitatem Prænestinam cum omnibus pertinentiis, cum omni publica datione et functione, quæ ad suprascriptam civitatem pertinet, inter affines et terminos novos et antiquos, id est Rivus, qui appellatur Salus, a secundo Lavisciana, et a tertio latere Monticellus de Maximo et a quarto latere Pons de Cicala, et a quinto latere Aqua Alta, et a sexto latere Vallis de Caporatie, et a septimo latere Mons qui dicitur de Caporatie, et a septimo latere Mons qui dicitur de Foliasu. Unde concedimus, tradimus, et a præsenti 14 indictione corroboramus per hanc nostræ apostolicæ auctoritatis scriptionem, omnium nostrorum successorum pontificum, omniumque hominum contradictione remota, ut persolvat pensionem in nostro palatio per singulos annos decem auri solidos, difficultate postposita; omnemque, qua indiget, meliorationem, seu defensionem, indifferenter vos sine dubio procurantes efficiatis; nullaque præterea ad dandam annuo pensionem a vobis mora proveniat, sed ultro actionariis sanctæ nostræ Ecclesiæ apto tempore persolvatur. Nam si aliter, quod absit, a vobis mora provenerit de suprascripta melioratione seu defensione, nec non et persolvenda annuæ pensione, statuimus fore invalidam hanc nostram præceptionem. Post vero obitum vestrum memorata civitas cum omnibus suis meliorationibus ad jus sanctæ nostræ Ecclesiæ modis omnibus revertatur.

Bene valete.

Scriptum per manum Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Novembri, indictione 14.

Datum XVI Kalendas Januarii per manum Widonis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domini nostri Joannis sanctissimi XIII papæ 6, imperii vero dominorum imperatorum nostrorum Ottonis Majoris Augusti 9, Minoris vero filii ejus 3, indictione suprascripta 14.

XIX

JOANNIS XIII EPISTOLA AD GALLIARUM EPISCOPOS.

Ecclesiam Ausonensem in archiepiscopatum erigit.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, omnibus in Christo dilectissimis confratribus nostris in Galliarum partibus commanentibus, charissimis, reverendissimis archiepiscopis atque episcopis apostolicam benedictionem, et perpetuam in Christo salutem.

Dilectionem et fraternitatem vestram scire volumus qualiter Borellus, honorabilis et laudabilis comes, orationis et redemptionis suæ causa apostolorum Petri et Pauli limina veniens, prostratus pedibus nostris, lacrymabiliter questus est quemadmodum Tarraconensem archiepiscopatum, qui olim caput in illis partibus fuerat, Ausonensi Ecclesiæ subderemus, eo quod, peccatis merentibus, ipsa jam dicta civitas Tarraconensis a Saracenis capta et pastore destituta, nullum recuperandi locum aut inhabitandi usque hactenus reperire valeat. Propter quam causam prædecessorum meorum secutus auctoritatem, amodo et usque in perpetuum volumus, atque statuentes roboramus et confirmamus, ut Ausonensis Ecclesia potestatem et primatum teneat Tarraconensis Ecclesiæ..... ad Ausonensem Ecclesiam confugiant, et quando aliquis ex illis ab hac luce migraverit, successor illius ab Ausonensi archiepiscopo, qui a nostra apostolica sede confirmatus est, succedat et consecretur. Unde quia sine sanctorum Patrum auctoritate hoc nostrum privilegium confirmare nolumus, ante omnia et super omnia beatissimi et egregii papæ Gregorii instrumenta et documenta declarare depromimus, ubi ait ad Benenatum episcopum Musitanæ Ecclesiæ: « Et temporis qualitas et vicinitas nos locorum invitat ut Cumanam atque Musitanam unire debeamus Ecclesias ; quoniam hæ non longo a se itineris spatio sejunctæ sunt, nec, peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum hujus explevit, utramque nos ecclesiam præsentis auctoritatis pagina inesse tibique commisisse cognosce, propriumque utrarumque ecclesiarum scito te esse pontificem. Et ideo te quæcunque tibi de earum patrimonio, vel cleri ordinatione, sive promotione juxta canonum statuta visa fuerint ordinare, atque disponere habebis, ut proprius revera sacerdos liberam et nostræ auctoritatis consensu atque permissione licentiam. » Similiter episcopo Willitrano, atque Fundano, et Squalitano ita in cunctis : « Temporis qualitas admonet episcoporum sedes antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia quæ securiora putamus, ejus diœceseos loca transponere, quo et habitatores nunc degere, et barbaricum possit periculum facilius declinari. » Et quia longum esset enarrare qualia et quanta documenta a sanctis doctoribus exinde dicta sunt, prout melius scimus et possumus, nostrum privilegium abbreviare curavimus, et Othonem virum venerabilem nuper episcopum ex modo et in antea, Deo favente, archipræsulem ejusdem Ausonensis Ecclesiæ præesse (10) decrevimus ; ita sane ut nullus nostrorum successorum pontificum dictum Othonem archipræsulem confratrem nostrum, in omnibus quæ superius exarata sunt vel scripta audeat inquietare, vel in aliquo diminuere, sed magis quiete et secure conservet ipsum successoresque suos. Nam si aliter (quod absit) qualiscunque homo sit dignitatis, qui hoc nostrum privilegium qualibet causa, de omnibus quæ superius scripta sunt, infringere aut diminuere voluerit, sciat se auctoritate Dei, apostolorumque Petri et Pauli principum, quamvis nos indigni eorum vicariatione fungamur, a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi esse alienum, et cum iniquis et transgressoribus a gremio sanctæ Ecclesiæ segregatum. At vero qui pro intuitu custos et observator in omnibus exstiterit, benedictionis gratiam et misericordiam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Gregorii notarii, et secretarii et scriniarii S. R. E. in mense Januario, indictione XIV. Bene valete.

(10) Hoc decretum effectu caruisse asserit Petrus de Marca in Marcæ Hispanicæ lib. IV, pag. 403, eo quod inaudito archiepiscopo Narbonensi conditum fuisset. MARTENE.

XX.

JOANNIS PAPÆ XIII EPISTOLA AD GUISADUM URGELLENSEM, PETRUM BARCINONENSEM, etc.

(Anno 971.)

Significat se ecclesiam Tarraconensem Audonensi subjunxisse Attonemque archiepiscopum consecrasse ac pallio donasse. Cui ut obediant hortatur.

[Apud Florez 3. *Espana Sagrada*, XXVIII, 96.]

Joannes eqiscopus, servus servorum Dei, venerabilibus episcopis Guisado Urgellensi, et Petro Barchinonensi, et Soniario Helenensi, in Domino salutem.

Comperiat fraternitas vestra quod Tarraconensem Ecclesiam, quæ perpetuo ob paganorum incursum deficiente ad nihil redacta est, Ausonensi injunximus, et ex duabus unam fecimus, in qua confratrem nostrum Attonem archiepiscopum, dato pallio, sicut olim Tarraconæ fuit, ordinavimus : præcipientes apostolicæ sedis auctoritate, et admonentes, ut eam erga eum subjectionem impendatis, quam quondam vestri antecessores Tarraconensis Ecclesiæ archiepiscopis intulerunt, et sive ipse, sive qui pro tempore in Ausonensi Ecclesia archiepiscopus fuerit, vestras sedes subjectas habeat, et post vos in eis episcopos ordinet et consecret.

XXI.

JOANNES XIII MONASTERIUM S. MARIÆ GLASTONIENSE TUENDUM SUSCIPIT.

(Anno 970.)

[Mansi, *Concil.* XIX 23.]

Noverit cunctorum notitia fidelium quod ego

Joannes XIII, Conditoris clementia sanctæ Romanæ sedis existens indignus papa, glorioso Anglorum regis Edgari, necnon et sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ archipræsulis Dunstani, submisso postulatu cum rogatu pro monasterio Sanctæ Mariæ, videlicet Glastingeberi, quod ipsi sedi nostræ superni Regis in multis et magnis possessionibus ditaverant, monachorum inibi multiplicantes turmam præceptoque regali firmaverant, quod et ipse facere non differam. Quorum assentiens benignæ petitioni, in sinu Romanæ Ecclesiæ et fraternam apostolorum protectionem eumdem locum suscipio, et privilegiis nostris corroboro, quo fratres in eo qui nunc sunt regulari monastici ordine. Ipsi quoque monachi de suis sibi adhibeant pastorem. Ordinatio vero tam monachorum quam clericorum in arbitrio abbatis et conventus sit. Decernimus etiam ut nulli omnino hominum eumdem locum, causa pascendi, vel aliquid perscrutandi aut corrigendi, intrare liceat. Si quis autem ei multos fuit contraire, aut possessiones ejusdem ecclesiæ auferre, retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ex auctoritate Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sanctæque Dei genitricis Mariæ, ac SS. apostolorum Petri et Pauli, omniumque sanctorum, perpetuæ sit addictus maledictioni, nisi resipuerit. Omnibus vero eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, amen, hocque stipulatio inconvulsa permaneat.

Actum tempore Elfardi ejusdem monasterii abbatis.

XXII

JOANNIS PAPÆ XIII EPISTOLA AD EDGARUM REGEM ANGLORUM.

(Anno 971.)

De monasterio Wintoniensi expellendis clericis et introducendis monachis.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, EDGARO regi excellentissimo, atque omnibus episcopis, ducibus, comitibus, abbatibus et cuncto fideli populo Anglicæ gentis, Christianam salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut vestræ piæ petitionis audientia privilegiis nullatenus offendatur præstandis. Scimus enim, gloriose fili, tempora vestræ dignitatem zelo divinæ legis ita undique munitam, ut indesinenter pro venerabilium locorum percogitet stabilitate; quatenus proveniente pro labore, schola Dominica multipliciter accrescat, et largitori omnium Deo abunde fructus referantur uberes. Quare, rex inclyte ac fili charissime, quod vestra excellentia per fratrem et coepiscopum nostrum Dunstanum ab hac apostolica sede, cui Deo auctore præsidemus, exposcit, omnibus modis concedimus, auctoritate apostolica sancientes, ut de monasterio in Wintonia civitate, in honorem sanctæ Trinitatis et beatissimorum apostolorum Petri et Pauli constructo, quod vetus, differentia novi illius quod juxta est cœnobii, cognominatur, canonici, domino episcopo, et omnibus catholicæ fidei cultoribus ex potentibus culparum suarum turpitudinibus odibiles, et in eadem sententia impœnitentes cum inverecundia perdurantes, cum suo præposito, ejecti inde, ejiciantur; et sicut vestra sublimitas desiderat, dilectissimus frater et coepiscopus noster Ethelwoldus, regularibus disciplinis apprime imbutus, monachorum secundum præcepta regulæ viventium gregem constituat, eisque inibi perpetuam mansionem statuat illo, qui eorum vitam ac sanctitatis moribus exornet, et pastore ad laborem sui regiminis accepto, non aliunde quam ex illa congregatione alter in locum regiminis succedat. Quod si impellentibus, quod absit, peccatis, ad hoc pontificale officium in eadem congregatione idoneum invenire minime posse contigerit, auctoritate apostolorum principis Petri, cui Dominus ac Salvator noster ligandi solvendique potestatem contradidit, præcipimus ut nemo ex clericorum ordine ad hujus regimen Ecclesiæ promoveatur, sed potius ex alia qualibet congregatione qui dignus inventus fuerit monachus assumatur, et huic Ecclesiæ præficiatur. Si quis enim interea, quod non credimus, hæc apostolicæ sedis privilegii decreta irrita facere, et ea quæ nobis pie indulta sunt intaminare præsumpserit; auctoritate ejusdem cœlestis clavigeri Petri, omniumque successorum ejus sciat se anathematis vinculo innodatum, et in illo magni judicii die perpetualiter damnandum. In Christo valeas, domine fili.

XXIII

JOANNIS PAPÆ XIII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. MARIÆ THANGMARSFELDENSI.

(Anno 971.)

[Apud Leuckf., *Histor. geneal. princip. Saxon. super.*, 145.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei.

Creditæ speculationis impellimur cura ac ardore movemur, pro venerabilium locorum percogitare stabilitatione atque Deo servientium quiete et securitate pro animæ labore, ut animo Christo dicatæ, quæ sibi illi divinæ cœli servire decreverunt, perseverent imperturbato, nec non et illa maneant sine tenus firma quæ a Christianis in Dei laude contracta sunt. Dilectus ac spiritualis filius noster Gero, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, limina apostolorum digna devotione visitans, ac nobiscum plurima in statu religionis communicans, retulit se fratremque suum Thietmarum marchionem, Christi admonitos amore, quoddam cœnobium in honore sanctæ Mariæ semper virginis instituisse, et in eo monachorum regularem sancti Benedicti observantiam addidisse. Hujus loci ac religionis nostro suffragio ac privilegio quamdam stabilitatem sibi expostulavit. Cujus petitioni annuentes, apostolica auctoritate statuimus, quod eodem loco ac congregationi fratrum, sine alicujus potentia, divino ministerio instare liceat. Nec episcopi, vel potestati eorum in aliquo intermittere, vel retro-

sum distrahere liceat: sed ea, quæ modo habent, vel habituri sunt, abbas eorum cum monachis ordinanda constituat, nulli quidquam cujuslibet obsequii debeant præter tantum pro Christianis divinam orationem. Imperatorem defensorem appellent, ac pro inter se electo abbati procurationem commendent Solum religionis statum episcopis, si intersit, requirat Huic, si forte labatur, corrigendo adsit. Cæterum de servitio aliquo immunem relinquat ipsum locum. *Advocatum* de ipsa progenie, si forte in bonum faveant, eligant. Sin autem vim aut incommodum inferre moliuntur, ubi sibi placent, timentem Deum, ac stabilitati faventem secare perquirant. Si quis autem hanc nostram auctoritatem violare tentaverit, anathematis vinculo astrictus gehennæ tormenta sine fine se subire dolebit.

Scriptum per manum Stephani, scriptoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Januario, indict. 15. — Data octavo Kal. Januar. per manum Witloni episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domni Joannis sanctissimi 13 papæ, 7 imperii domni Ottonis majoris 10, junioris 4, indictione quinta decima.

XXIV.

RESCRIPTUM JOANNIS PAPÆ XIII PRO EXCOMMUNICATIONE INVASORUM POSSESSIONUM MONASTERII S. SYMPHORIANI DIŒCESIS AUGUSTODUNENSIS.

(Anno 971.)

[Apud Mansi, *Concil*, tom. XVIII, col. 450.]

Ego in Dei nomine JOANNES papa, sedis apostolicæ et Romanæ urbis apostolicus, divina clementia largiente, notum volo fieri omnibus qualiter veniens quidam episcopus a partibus Galliarum, nomine Girardus, Augustodunensis civitatis præsul egregius, pro regis etiam amore, et beati Petri principis apostolorum servitio Romam expetiit, nostram honorifice aggressus præsentiam. Qui dum nobis pro sua industria et honoris magnificentia gratus, acceptabilis et charus existeret, dum de pluribus sermo inter nos haberetur, manifestavit mihi humillime reclamando de quibusdam hominibus qui terram de suo episcopatu præsumptuose et violenter tenere videntur. Insuper deprecatus est ut eos excommunicaremus, et maledictionis jaculo illos damnaremus. Cujus petitionem benevole suscipiens, jussi ego Joannes papa, servus servorum Dei, talem excommunicationem et maledictionem fieri, scriptam manu propria Benedicti archiepiscopi nostri. Conjacet autem eadem terra in patria quæ dicitur Provincia, de abbatia S Symphoriani. Quicunque ergo eam tenent terram S. Symphoriani, aut aliquid ex terra Nazarii, sine assensu Girardi ejus civitatis episcopi ex auctoritate Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti, omniumque sanctorum Dei; potestate insuper beati Petri senioris nostri, cum cæteris apostolis quibus data est potestas ligandi atque solvendi, et ex ministerio nostro, sint excommunicati et anathematizati, atque a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alienati, nisi conversi ad satisfactionem venerint. Omnes enim maledictiones quæ in Veteri Testamento et Novo scriptæ sunt, veniant super eos nisi ad emendationem venerint. Sint maledicti in civitatibus, in villis, in agris, in viis, in castellis, in silvis et in omnibus locis. Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur, nisi resipiscendi ad satisfactionem et emendationem venerint. Fiat.

XXV.

JOANNIS PAPÆ XIII EPISTOLA AD GLORIOSISSIMUM [COMITEM BARCINONENSEM ?

(Anno 971.)

Præsulem Attonem Gerundensis diœcesis gubernatorem constituit.

[Apud Florez, *Espana sagrada*, tom. XXVIII, pag. 252.]

JOANNES servus serv. Dei . . . . . . gloriosissimo . . . . tionem et charissimam salutem filiationi. . . . .

Agnovimus qualiter in vestris partibus qu. . . . . subito sacerdotes efficiunt, quod gravissimum et detestabile omnium debet esse Christi fidelium. Unde quia omnium Ecclesiarum Dei nos sollicitudo coarctat, tam pestiferum et in no. . . . . gno vestro, et a cunctis catholicis Christianis funditus eradicare satagimus fulti et . . . . sanctorum Patrum auctoritas maxime beatissimi papæ Gregorii ubi inter cætera . . . . . . episcopo Augustodunensi scribens ait . . . . . oc quoque ad nos pervenisse non dissimile dignum detestatione comperimus, quod quidam desiderio honoris inflati, defunctis episcopis, tonsurantur, et fiunt repente. . . . . sacerdotes . . . . atque inverecunde religiosi propositi ducatum arripiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt Q . . . . d putamus quid isti subjectis præstaturi sint, qui antequam dicipulatus limen attingant tenere locum magisterii non formidant, qua de re necesse est, ut si quamvis inculpati quoque sit meriti, ante tamen per distincta ordinis ecclesiastici exerceatur officia, videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat, ut po. . . . . . . errare, quiet . . . . . . err. . , . demonstrare. Diu ergo religiosa meditatione poliatur ut. . . . . . at, et sic lucerna super candelabrum posita luceat, ut adversa ventorum vis irruens conceptam eruditionis flammam non exstinguat, sed augeat. Nam cum scriptum sit, ut prius quis probetur, et sic ministret, multo amplius ante probandus est, qui populi intercessor assumitur ne fiant causæ ruinæ populis sacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excusatio, nulla potest esse defensio, quia cunctis liquido notum est quæ sit in hujus rei diligentia sancti egregii sollicitudo doctoris, qua neophytum ad ordines vetat sacros ascendere. Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui in initio sanctæ fidei erat eruditione plantatus, sic modo *neophytus* censendus est, qui repente in religionis habitu plantatus

ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinate ergo ad ordines ascendendum est. Nam . . . . . ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. Et quia Gerundensem Ecclesiam sine plebis et populi electione episcopum neophytum consecratum audivimus, quoniam nulla ratio sinit ut inter episcopos habeatur, quod nec a clericis est electus, nec a plebibus expetitus, modis omnibus volumus et jubemus, et ejusdem S. Gerundensis Ecclesiæ Attonem virum venerabilem archipræsulem, et confratrem nostrum provisorem, et gubernatorem ipsi Ecclesiæ in omnibus præesse constituimus, ita sane ut plebem et populum sibi commissam sic juste et canonice regat, qualiter pro illi . . . redditurus . . . . Juliet . . . . .

XXVI.

JOANNIS PAPÆ XIII EPISTOLA AD UNIVERSOS EPISCOPOS BRITANNIÆ CITERIORIS.

(Anno 972.)

[Marten. *Thes. Anecd.* III, 868.]

Ut Turonensi archiepiscopo pareant, donec ipse de eorum controversia judicium tulerit.

JOANNES servus servorum Dei, episcopus Romanæ urbis, in Christo fratribus universis episcopis citerioris Britanniæ salutem in Christo et visitationem.

Quia vice beati Petri apostolorum principis, Domino Deo dignante, omnium ecclesiarum curam suscepimus, sollicitudinem qua uniuscujusque fides integra in eodem Domino reservetur, sine qua nullus ei placere valebat, ubique severe observare debemus. Idcirco notum sit vobis quoniam charissimus frater noster Arduinus, sanctæ Turonensis Ecclesiæ archiepiscopus, veniens ad apostolorum limina Romanorum, interpellavit nos quod jura sui archiepiscopatus, quæ ab antiquis temporibus per decreta sanctorum pontificum sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ suis prædecessoribus concessa et confirmata fuerunt, a vestro archiepiscopo et suis decessoribus per violentiam et paganorum Normannorum contrarietatem sublata videntur. Unde apostolica auctoritate vobis sciatis (11) interdictum, ne ullus ullo modo jura resistatis deinceps, de omnibus quæ prædictus archiepiscopus confirmat archiepiscopatum suo pertinere debere, quousque ille vester archiepiscopus, aut aliquis ex vobis cum Arduino archiepiscopo, sive cum suo suffraganeo, vel alio idem misso ad nostram sanctam matrem Ecclesiam veniat, ut ibi perquisitis causis inter vos et illum, quod æquum comprobabimus, definiatur ad laudem Dei et Domini nostri Jesu Christi. Quod si aliter quam jubemus contra voluntatem ejus feceritis, cognoscatis vosmetipsos Dei et B. Petri principis apostolorum, per nostræ humilitatis mandatum, auctoritate excommunicatos ab omni ecclesiastico officio. *Hic desinit membrana Turonensis; quæ sequuntur, addantur ex editis.* Quod si vero debitam reverentiam circa prædictum fratrem nostrum observare vobis placuerit, secundum justitiæ decretum a sancta Romana Ecclesia statutum, permaneatis cum Dei benedictione in unitate nostræ catholicæ communionis. Interea sciant regni vestri homines, maxime nobiliores, nominatim Berengarius, et filius suus Conanus et Hoel cum fratre suo Guerech cum cæteris majoribus, et si contra justitiam inobedientes fuerint huic nostræ jussioni, et contrarii seu rebelles exstiterint prædicto fratri nostro Turonensi episcopo, sint et ipsi excommunicati et nostra benedictione apostolica privati.

(11) Editi addunt esse.

XXVII.

PRIVILEGIUM JOANNIS PAPÆ XIII PRO MONASTERIO CLUNIACENSI.

(Anno 968-972.)

Heiterio Arelatensi, Amblardo Lugdunensi, Theutbaldo Viennensi, Stephano Claromontensi, Aimoni Valentinensi, etc., Maiolum abbatem Cluniacensem ejusque monasterium commendat.

[*Bullar. Cluniac.* 5.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, fratribus et coepiscopis per urbes Galliarum consistentibus et præsidentibus, HEITERIO scilicet Arelatensi, AMBLARDO Lugdunensi, THEUTBALDO Viennensi, STEPHANO Claromontensi, AIMONI Valentinensi, WIDONI Vesontiensi, ADONI Matisconensi, FROTGARIO Cabilonensi, WIDONI Vallaviensi, LANDRICO Avenionensi, GERALDO Genevensi, MAGNERIO Lausanensi, LIBOINO Lurensi, ROSTAGNO Vivariensi, apostolicæ gratiam benedictionis et gloriam æternæ beatitudinis.

Lætamur valde in Domino et exsultamus quod dilectio Dei et charitas proximi, quam vos studiosissime multorum relatione audivimus custodire, ad vias Domini et mandata facit vos subtiliter anhelare, ut pontificatus vestri discretum regimen multis sanctæ Ecclesiæ filiis necessarium præstet levamen. Quod manifestis probationibus vos semper facere desideramus pie et commonemus ut virtutum pennis ad cœlestia convolantes plures ad Christum populos trahere post vos possitis. Nostrum itaque est vos hortari ne Domini disciplinam, per quam pervenitur ad gloriam, parvipendatis aut negligere velitis. Quoniam vos estis, ut ait Dominus, lux mundi et sal terræ, quibus commisit Dominus Jesus Christus Ecclesiam suam regendam, quam acquisivit sanguine suo. Notum itaque vobis facimus, dilectissimi, quod latior et amplior specialissime nobis est charitas circa monasterium Cluniense, cui sapienter et beate præest charissimus filius noster domnus Maiolus abbas vobis, ut credimus, bene notus ut pote vir religiosus, quem vobis attentius et diligentius cum monasteriis omnibus, quæ ejus sunt subjecta regimini, commendo: vestramque beatitudinem precor quod Dei amore, ac veneratione beati Petri apostolorum principis, nostræ quoque dilectionis affectu, protectores sitis cœnobiorum sibi commissorum. Nostra insuper auctoritate beati Petri vice

fulta et roborata, Dei omnipotentis disponente gratia, vos commonefacio, ut quicunque potens, vel persona alicujus momenti præeminens res seu possessiones jam dictorum locorum pervadere ausu nefario tentaverit, censuram vestræ excommunicationis districtissimam, mox ut cognoveritis, irrevocabiliter et acrius incurrat, et a conventu fidelium segregetur, per vestram necne testificationem satis formidabilem vinculo nostræ excommunicationis se noverit colligatum, donec satisfactione congrua resipiscat, et prædicti monasterii patri Maiolo humilitatem exhibeat veniam postulando et consequendo. Denique vos adjuro sub invocatione sanctissimæ et individuæ Trinitatis atque auctoritate apostolica enixius præcipio, et, ut fratres charissimos rogo, non licere vobis præterire hoc nostri pondus præcepti, quod et sanctæ Ecclesiæ exaltatio et vestra ad æterna bona est provectio. Te etiam, frater et coepiscope Stephane, in Domino alloquor pro insita bonitate tibi ut compellas Amblardum fidelem tuum Celsinianensi cœnobio propriam terram, quam hactenus eidem subtraxit monasterio, [restituere], ut tuo judicio correctus ligamina terribilis excommunicationis et pœnas æternæ damnationis evadere possit; quoniam si non resipuerit, interminabili anathemate ferietur. Res quoque exigit ut tibi aliqua dicamus, frater charissime, et amande domne Ado episcope, quem, licet non viderimus, ex nomine novimus in omni spirituali bonitate. Efflagitamus itaque benignissimam tuæ paternitatis dulcedinem, ut quo vicinior esse videris præfati monasterii scholæ, et tua protectione pro tuo posse celerior fratrum necessitatibus occurrat, qui te ex abundanti charitate diligunt et ulnis totius amoris perfectissime ambiunt, et amplecti desiderant. Quocirca Cluniensis monasterii semper esto protector, sicut beati Petri es fidelis amator.

XXVIII

JOANNIS PAPÆ XIII PRIVILEGIUM ADALBERONI REMENSI ARCHIEPISCOPO CONCESSUM.

(Anno 972.)

Confirmat decretum Adalberonis qui monachos in Mosomensi cœnobio pro canonicis collocarat

[Apud Mansi, *Concil.* tom. XIX, col. 31,]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Domino fratri Adalberoni sanctæ Remensis Ecclesiæ dignissimo archipræsuli, perpetuam in Domino salutem

Si ecclesias longe lateque diffusas divino nutu in sancta religione crescere cognoscimus, Deo omnipotenti laudibus exsultare gratiasque juges referre debemus. Quapropter cognovimus tua industria stabilitum in Mosomo castro, quod est super fluvium Mosæ, in veneratione Dei genitricis Mariæ, monasterium monachorum religione deculatum [*for.* decoratum, *vel a decus* decusatum], tuisque proprietatibus, ecclesiæque tuæ, terris et ecclesiis dotatum, quod sub pagina B. Petri, apostolorum principis decreti, nostrique, te orante, suscepimus Insuper locellum, qui a Stephano viro illustri atque ejus conjuge Fredurdo, *Tua* nomine constitutus, sanctoque Remigio suppositus fuit, quem eidem monasterio Mosomo, quia per se ob exiguitatem rerum stare non poterat, contulisti collatis rebus compensatione B. Remigio, consentientibus fratribus. Ut autem cognoscat universa Ecclesia nos unanimiter assentire: a te collata vel conferenda, seu a quibuslibet, in terris cultis et incultis, vineis, pratis, ecclesiis, mancipiis utriusque sexus; aquis aquarum decursibus, in omnibus ad supradictum monasterium pertinentibus, B. Petri apostolorum principis, et nostro, firmamus decreto, quatenus sine livore oblatrantium locus quietus et inviolabilis jugiter permaneat Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ ab hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, ire tentaverit, vel hæc quæ a nobis ob laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii, statuta sunt, frangere et in quoquam transgredi, sciat se auctoritate B. Petri, cujus, quanquam immeriti, vices agimus, anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterno incendio concremandum. At vero qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens nostri apostolici constituti ad cultum Dei respicientis præceptionem, benedictionis gratiam et delictorum suorum indulgentiam consequatur, et vitæ æternæ particeps efficiatur.

Scriptum per manum Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili. Data per manus Andreæ episcopi IX Kalend. Maii, anno pontificatus domini nostri sanctissimi [Joannes], et tertii decimi papæ, septimo; imperii autem D. Ottonis majoris Augusti XI, junioris II, quinto, in mense Aprili, indictione XV

XXIX.

JOANNIS PAPÆ XIII EPISTOLA AD ADALBERONEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM

(Anno 972.)

Privilegium monasterii S. Remigii.

[Mansi, *Concil.*, XVIII, 485.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino fratri Adalberoni, sanctæ Remensis Ecclesiæ dignissimo archipræsuli, perpetuam salutem.

Convenit apostolatui nostro, pro universis Dei Ecclesiis, ne damna rerum suarum sustineant, sed magis semper in melius augeantur et crescant, curam habere. Igitur quia fraternitatis tuæ dilectio nos postulavit, quatenus monasterium quod corpore beati Remigii nobilitatur, privilegio sanctæ nostræ sedis apostolicæ muniremus, quod ad Dei omnipotentis laudem, et ejusdem beati Remigii honorificentiam, nullius hominis avaritia et temeritate valeat in quoquam violari, et minui, sed potius augeatur et crescat. Quapropter per interventum tuæ dilectionis, archimonasterio quod in Francia situm est non longe a civitate Remensi, cui præesse videris,

confirmamus et concedimus hoc nostræ auctoritatis privilegio omnes possessiones, omnesque res mobiles et immobiles, quas dicto monasterio possident, de terris, vineis, servis et ancillis, colonis et colonabus, ædificiis et habitationibus, thesauris, et ornamentis, et quibuslibet pecuniis. Statuentes sub divini judicii obtestatione, et anathematis validis interdictionibus, ut nusquam, neque ullus rex, neque archiepiscopus vel episcopus, vel etiam quæcumque hominum magna parvaque persona, præsumat eidem archimonasterio aliquam sive molestiam incumbere, sive de rebus et possessionibus ipsius auferre et alienare. Promulgamus autem et hoc auctoritate B. Petri, apostolorum principis, per hujus nostri apostolici privilegii constitutionem, ut omnia quæ a te vel a quibuslibet Christi fidelibus eidem archimonasterio donata sunt, vel in futurum donata fuerint, firma stabilitate ad jus et dominium ipsius permaneant; nec liceat sit cuiquam homini, vel conferre, vel alienare quid ex omnibus quæ ad illud pertinent, nisi ad communem utilitatem, roborandam justitiæ, et gratiam competentis commutationis. Insuper abbatiam Sancti Timothei, quam eidem Sancto Remigio ad usum hospitalitatis tua largita est industria, quatenus cum tuorum, tum etiam successorum atque monachorum, ad hospitum necessaria, rara benevolentia non deficiat, abbas loci provideat, atque ad communem utilitatem distribuat: ita duntaxat, ne archiepiscopalis affluentia in suis nimium, non prout ferre locus possit, excedat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu, contra hujus nostri apostolici privilegii paginam sciens agere præsumpserit, sciat se Dei et S. Petri apostolorum principis, nostræque humilitatis judicio excommunicatum, imo anathematizatum cum diabolo et omnibus impiis, quibus præparatus est cruciatus æternus. Qui vero pio intuitu hoc observare et custodire studuerit, a misericordissimo Domino Deo nostro benedictionis gratiam, et æternæ vitæ gloriam inter sanctos et electos consequi mereatur.

Scripta per manus Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Apr. indict. 15. Datum per manum Andreæ episcopi VIII Kalend. Maii, anno pontificatus domini nostri Joannis sanctissimi et tertii decimi papæ 8, imperii autem domini Ottonis majoris Augusti 11, Junioris vero 5, in mense 4, indictione quinta decima.

XXX

JOANNIS PAPÆ XIII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. SALVATORIS PAPIENSI

(Anno 972.)

1 *Monasterium sancti Salvatoris Papiense a quacunque jurisdictione ecclesiastica, vel sæculari immune, sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ protectione et patrocinio fore debeat. 2 Baptismum in ecclesiis monasterii conferre permittit. Chrisma cæterisque sacris a quocunque episcopo recipiendi facultatem indulget. 3. Abbatem fratres monasterii communiter eligendum, et a quocunque episcopo consecrandum, statuit. 4. Decimas bonorum monasterii a quocunque exigi interdicit. 5. Erectionem aliquam alterius ecclesiæ in præjudicium et perturbationem ejusdem monasterii prohibet. 6. Benedictionem benefactoribus largitur.*

[MARGARINI, *Bullar. Casin.*, pag. 45.]

PAX DEI. — JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectæ nostræ, et in spiritualibus filiæ dominæ Adelaidæ serenissimæ Augustæ imperatrici.

Quoniam concedenda sunt quæ rationabilibus desideriis pertinere noscuntur, nostri apostolatus auctoritate, ad colendam pia devotione sancta loca construentium, in præstandis privilegiis debet nunquam abnegari. 1. Igitur excellentia vestra laudabilis mansuetudo postulavit a nobis, quatenus monasterium Dei, et Domini nostri Salvatoris, situm non longe a Ticinensi civitate, quod ad laudem et gloriam nominis ejus noviter ædificasse, renovasse, et construxisse, religiososque monachorum aggregatione, sub venerabilis abbatis regulari institutione excoluisse, et ex propriis rebus ditasse videmini, privilegiis sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, modis omnibus decoretur, ut sub patrocinio, et tuitione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius Ecclesiæ juri et ditioni submittatur. Et ideo vestris piis desideriis faventes, hac nostra apostolica auctoritate decernimus, id ipsum præfatum Domini nostri Salvatoris monasterium amodo, et usque in finem sæculi, sub patrocinio et tuitione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et apostolicæ matris Ecclesiæ, cum omnibus quæ ad illud pertinent, permanendum. Statuimus namque sub divini judicii obtestatione et beati Petri apostolorum principis, nostræque humilitatis interdictione, ut nullus unquam, imperatorum, regum, episcoporum et ducum, marchionum, comitum, vicecomitum, gastaldionum, nullusque hominum in quolibet ordine et ministerio constitutus, audeat moleste causis eidem monasterio incumbere, videlicet de rebus et possessionibus, de ustensilibus et ornamentis quæ ei pertinere videntur quoquomodo auferre aut alienare præsumat. Nec quamlibet malitiam, et jacturæ molestiam, ibidem sive pacis tempore, sive belli ipsi inferre conetur. Profecto eum semper, ut prædictum est, firma stabilitate, sub patrocinio et tuitione sanctæ nostræ Romanæ matris Ecclesiæ permanendum decernimus, confirmamus et concedimus. — 2. Baptismum etiam in easdem ecclesiis monasterii pertinentibus, licenter fieri apostolica auctoritate, permittimus; chrisma vero vel quidquid ad sacrum ordinem pertinet, a quacunque ecclesia, voluerint, nostra auctoritate accipiant. 3. Post obitum autem abbatis nemo ibi abbatem constituat, nisi quem consensus et communis voluntas fratrum ex ipsa congregatione elegerit. Electo vero abbate, sit facultas omni tempore præsulem eligere, qui tam sibi quam cæteris fratribus cum timore Dei, totiusque congregationis conniventiam, ubicunque voluerint consecrationis insignia, hujus nostræ auctoritatis privilegio absque ulla pravitatis contradictione [illegible]. 4. Simili quoque definitione, juxta desiderium vestrum, præcellentissima filia, decernimus, ut de-

cunæ redditunm prædicti monasterii Domini Salvatoris a vobis fundati, a nullius ecclesiæ præsule, quovis ingenio exigantur. 5. Promulgantes nempe, et auctoritate beatissimi Petri apostolorum principis, coram Deo et terribili futuro examine, per hujus nostri apostolici privilegii constitutionem, sancimus, ut universa quæ a nobis in rebus mobilibus et immobilibus præfato monasterio oblata et concessa sunt, necnon et possessiones quæ a regibus, et principibus, sui quibuslibet Christi fidelibus collatæ sunt, fuerintve in posterum, inconcussa stabilitate ad ejus et dominium ipsum perpetuis temporibus perseverent. Nec licentia sit, ut dictum est eidem sancto monasterio pertinentibus, cuiquam magnæ parvæque personæ diripere aliquid et auferre, ut profecto ad Dei laudem securum et tranquillum, juxta id, quo munitum patrocinium, tuitione sanctæ sedis apostolicæ fore decrevimus, bene dotatum, et in melius dotandum permaneat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu, præsumpserit hæc, quæ a nobis ad honorificentiam Domini Dei Salvatoris nostri, pro stabilitate ipsius monasterii statuta sunt, transgredi, sciat se anathematis vinculo, et excommunicationis innodatum, et cum diabolo, et omnibus impiis æterni incendii atrocissimo supplicio deputatum. 6. At vero, qui pio intuitu custos et observator eorum exstiterit, omnimodæ benedictionis gratiam, omniumque suorum peccatorum absolutionem et indulgentiam, et cœlestis, vitæ beatitudinem, cum sanctis et electis a misericordissimo Domino nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, indictione suprascripta 15.

Bene valete. Pax.

Data VIII Kal. Maii per manus Vuidonis episcopi bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ anno pontificatus domni nostri Joannis sanctissimi ac religiosissimi XIII papæ, imperii vero domni Ottonis majoris XI, junioris autem V, in mense, et indictione 15 suprascripta.

XXXI.

JOANNIS PAPÆ XIII EPISTOLA AD PETRUM EPISCOPUM PAPIENSEM

(Anno 972.)

Monasterium sancti Salvatoris Papiensis ab Adelaida imperatrice erectum et dotatum protectioni, non autem jurisdictioni Papiensis, committit.

[MARGARINI, *Bullar. Casin.* II, 47]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, PETRO venerabili episcopo sanctæ Ticinensis Ecclesiæ salutem.

Cum piæ desiderium voluntatis, et laudandæ devotionis intentio, sacerdotalibus sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudini adhibenda, ut ea quæ pro quiete religiosæ congregationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare, scilicet, sicut hoc quod rationis exigit utilitas oportet definiri, ita quod definitum fuerit, non debet violari. Et quia præcellentissima filia nostra Adelaidis Augusta divini amoris fervore succensa, non longe a mœnibus Ticinensis civitatis, monasterium in propriis construxit, sanctosque, ac venerabiles cœnobitas dudum undecunque potuit, colligere curavit, qui in sanctæ conversationis proposito, secundum beatissimi Benedicti normam regularem sub abbate viventes, incessanter Dominum majestatis exorare, tam pro requie prioris viri sui gloriosæ memoriæ Lotharii regis, quamque pro statu imperatoris clementissimi filii nostri Ottonis invictissimi Augusti, simul etiam communis filii, et eorum, ac nostri item Ottonis augusti, suæque animæ mercede, prædictumque monasterium liberaliter possessionibus dotaverit, necessariisque omnibus vota, id quod sibi pie visum est pro habitantium sustentatione cumulaverit, bene fratrum reverendissime, tua sanctitas; cui ne voluntas unquam duceretur in irritum, et ea, quæ pro quiete monachorum disposita fuerant turbarentur, quæque contulit in jure eidem monasterio apostolica petiit auctoritate firmari. Hæc quoque suæ petitioni subjungente, ut eidem monasterio tam in dispositione rerum, quam in ordinatione abbatis, quædam pariter privilegia largiremus; sciens quippe eam apostolicæ sedi reverentiam a fidelibus exhiberi, ut quæ ejus fuerint decreto disposita, nullius deinceps usurpationis molestia quatiantur. Unde quia effectum, et imperialis voluntas, et tam pia pro servorum Dei quiete, sollicitudo expostulabat, juxta petitionem ejusdem præcellentissimæ filiæ nostræ Augustæ, prælato eidem monasterio in honorem Domini Salvatoris constituto, sanctæ sedis apostolicæ privilegia gratanter indulgemus, ubi omnia, quæ amplectendæ voluntatis ejus studium deposcebat, apostolicæ auctoritati annisu firmata sunt. Statuentes inter alia ut nullus episcoporum vicinarumque ecclesiarum, quilibet sacerdos in idem monasterium sibi jus ecclesiarum aliquomodo vindicet, ac defendat, nisi forte a parte monasterii, licet a fratribus pro negotio aliquo ecclesiastico, fuerit invitatus. Et quoniam, fratrum dilectissime, locus ipse, ubi prædictum monasterium exstructum est, ad diœcesim sanctæ Ticinensis ecclesiæ, cui tua fraternitas, Deo auctore, præest hactenus pertinuisse dignoscitur, ne sub hac occasione, in eodem monasterio alicujus potestatis prærogativam tibi aliquando usurpare præsumas, ex beati Petri apostolorum principis, nostræque humilitatis auctoritate, modis omnibus interdicimus. Postulatus vero a parte monasterii scilicet a fratribus, visitationem tuam illis, respectu divini amoris, devote exhibe; non autem petitus monasterii secreta ullatenus adire præsumas, ne per adventus tui præsentiam, in servorum Dei recessibus, popularis occasio præbeatur. Hæc namque omnia, quæ, tibi in præsenti de sæpedicto monasterio interdicimus, cunctis etiam, qui in eo, quo es ordine, locoque successerint, sub interminatione divini judicii, beati

quoque Petri apostoli, nostraque humilitatis auctoritate, sibi perpetualiter interdicta cognoscant. Tu vero, frater, ea quæ a nobis statuta sunt, sacerdotali sicut decet studio inviolata conserva, nec ea patiaris in aliquo temerari, scilicet ut custodiendis eis fraternitas tua se semper exhibeat, quatenus et eumdem impugnatoribus occasionem de loco venerabili excludat, et aliis similia operari persuadeat, dum se in custodiendam voluntatem nostram, sollicitam, ut decet exhibuerit, et devotam. Hujus autem censuræ cautionem, duplicitatemque scribi decrevimus, statuentes, ut una inter tuæ ecclesiæ servata, altera vero ab abbate servetur monasterii.

Scriptum per manus Stephani scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprilis, indictione 15, anno Domini 972.

XXXII

JOANNIS PAPÆ XIII LITTERÆ DE INSTITUENDO EPISCOPATU PRAGENSI (12)

(Apud MABILL. *Acta Sanctorum ord. S. Bened.*, Sæc. V, pag. 832.)

JOANNES servus servorum Dei BOLESLAVO, catholicæ fidei alumno, apostolicam benedictionem.

Justum est benevolas aures justis accommodare petitionibus, quia Deus est justitia, et qui diligunt Deum justificabuntur; et : Omnia diligentibus Deum cooperantur in bonum. Filia nostra soror tua, inter cæteras haud abnegandas petitiones, cordi nostro dulces intulit ex parte tui preces, scilicet ut nostro assensu in tuo principatu, ad Dei laudem et gloriam Ecclesiæ, liceret fieri episcopatum. Quod nos utique læto animo suscipientes, Deo gratias retulimus, qui suam Ecclesiam semper et ubique dilatat, et magnificat in omnibus nationibus. Unde apostolica auctoritate et sancti Petri potestate, cujus, licet indigni, tamen vicarii sumus annuimus et collaudamus : atque intronizamus, ut ad ecclesiam Sancti Viti et Sancti Wenezlai martyrum fiat sedes episcopalis; ad ecclesiam vero Sancti Georgii martyris sub regula sancti Benedicti, et obedientia filiæ nostræ Mariæ sororis tuæ, constituatur congregatio monialium. Veruntamen non secundum ritum aut sectam Bulgariæ gentis, vel Russiæ, aut Slavonicæ linguæ, sed magis sequens constituta et decreta apostolica, unum potiorem, ad placitum Ecclesiæ totius, eligas in hoc opus clericum, Latinis apprime litteris eruditum; A qui ait vomere, novalia cordis gentilium scindere, et triticum bonæ operationis serere, atque manipulos frugum vestræ justitiæ Christo reportare sufficiat. Vale.

XXXIII

Joannis XIII papæ privilegium pro Ecclesia Arelatensi.

(Anno 965-72.)

(BOUCHE, *Hist. de Provence*, II, 36.)

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, divina præeunte gratia sedis apostolicæ humilis papa ITERIO condigno fratri Arelatensis Ecclesiæ metropoli, patriæque archipræsuli, salutem et benedictionem optat in ævum, etc. TUTEALDO Viennensis Ecclesiæ archipræsuli ejusque suffraganeis universis, B AYMERICO primæ Narbonensis venerabili archiepiscopo cum suis subjectis; SYLVESTRO secundæ Narbonensis digno archipræsuli, suisque subjacentibus domino videlicet, LAUDERICO, THEODERICO, AYRANDO, HONORATO, PONTIO et HUMBERTO dignissimis Ecclesiarum suarum pastoribus communem ac perennem æternitatis gloriam.

Scitote vos rectores fore clavesque cœlestis januæ vobis a Deo potestatem ligandi ac solvendi, etc. Doleo itaque et vehementissime contristor super tanti sceleris causa, quæ a multorum hominum ore creberrime nostris conspectibus diffamatur, quia primus Arelatentium quæ principatum et caput C obtinet cæterarum Ecclesiarum secunda a Romana sed e multimodis lacerationibus eviscerata jacet, et conculcatam fore audivimus, impletam in ea prophetæ sententiam dicentis *Sedet in tristitia domina gentium*, quapropter vobis et cunctis Ecclesiarum Dei fidelibus propriis apicibus designare cupimus querelam tanti sacrilegii, cur prædictus ejusdem Ecclesiæ antistes nequiter assidua confligatur injuria. Ea namque juvamina quæ a largitoribus nostræ Ecclesiæ sunt, semper cedenda sciatis a nobis plenissime fore largienda. Hunc igitur a clavigero regni cœlestis, nostræque inclytæ potestatis auctore, nostraque providentia suæ quoque cessionis conceditur, largimus ei integram habere licentiam, et potestatem abominandi, gladio D quoque excommunicationis feriendi eos, qui ei contrario obstiterint. Quod nos vere ut omnibus cognitum est abnegare non valemus. Quamobrem obsecrando vobis præcipimus, atque fraterne flagitamus,

(12) Anno Dominicæ Incarnationis 967, Idus Julii, dux Bohemiæ, cui agnomen Sævus Bolizlaus, male mercatum fraterno sanguine, scilicet beati martyris Wenezlai, Bohemiæ ducatum cum vita amisit. Cui filius ejus æquivocus suus in principatu successit, multum dissimilis patri moribus bonis et conversatione spirituali. Erat enim vir Christianissimus, fide catholicus, pater orphanorum, defensor viduarum et clericorum, et peregrinorum, præcipuusque ecclesiarum fundator. Nam, ut in privilegio ecclesiæ Sancti Georgii in Praga legitur, xx ecclesias erexit, et eas omni ecclesiastica utilitate amplificavit. Hujus fuit soror, nomine Mlada, virgo sacra, litteris erudita. Quæ cum orationis causa Romam venisset, et a papa Joanne hujus nominis tertio decimo benigne suscipitur; ibique aliquandiu degens, monasticis disciplinis imbuitur. Dehinc papa consilio cardinalium, imo volens novæ Ecclesiæ subvenire, consecrat eam abbatissam, mutato nomine, Mariam, dans ei sancti Benedicti regulam et abbatialem virgam. Quæ Pragam rediens, ut a fratre suscepta, obtinuit, et litteras Apostolici, quarum formulam habes supra.

ut omnes qui ausu temerario *terram sanctuarii* fuerint ausi contingere, vel in aliquo lædere, et injurias ei inferre, nullius admirantes personam plenissimum usquequaque faciatis legere, et secus sanctorum canonum præcepta graviter eos corrigite. Postremum vero si necesse fuerit tempore et hora qua ipse vos deprecando admonuerit, cum ipso pariter gladio excommunicationis percutite, tenor autem nostræ excommunicationis iste est quem vos volumus roborare atque confirmare.

Auctoritate sanctæ et ineffabilis Trinitatis, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sint excommunicati, partem habeant cum Dathan et Abiron quos terra vivos absorbuit ; cum Juda quoque, qui Dominum tradidit, æternis incendiis concrementur ; domus quoque eorum vastentur, sintque cum diabolo in igne, cujus ignis non moritur, et vermibus qui non moriuntur. In præsenti sæculo sentiant eamdem pœnam quam sentit Herodes, qui consumptus a vermibus exspiravit. Adjungat eis Dominus pestilentiam, donec pereant de terra et de his quæ sunt in ea. Percutiat eos Dominus egestate, febri, frigore, ardore et æstu, et persequentur eos omnia mala hæc, donec evellantur a sedibus paradisi ; feriat eos quoque Dominus ulcere, et parte corporis per quam stercora digeruntur. Scabie quoque, et prurigine, ita ut curari non possint. Amentia et cæcitate a Domino feriantur ; habeant quoque consortium cum Ario, cujus intestina in secessum egressa sunt. Maledictione perpetua, maledicat eos Pater æternus, nisi se ad emendationem præparaverint, et sint sanctæ Dei Ecclesiæ liminibus sequestrati, et a consortio fidelium Christianorum omnium segregati, et insuper perpetuis anathematis vinculis innodati, ita ut non queant solvi usque pervenerint ad emendationem congruam. Maledicti sint dormientes, et maledicti vigilantes ; maledicti egredientes, et maledicti regredientes ; maledicti edentes et bibentes, et maledicti esurientes et sitientes. Maledicti sint operantes, et maledicti ab opere cessantes ; maledicti in domo, maledicti extra domum, maledicti sint in civitate, maledicti extra civitatem ; maledicti sint in villis, maledicti in montibus ; maledicti in vallibus, maledicti in silvis ; maledicti in pratis ; maledicti in aquis ; maledicti in omnibus locis, nisi se correxerint. Auferantur de partibus meritorum sanctæ Dei genitricis Mariæ omniumque aliorum sanctorum ; recludanturque in baratro inferni. Ad postremum autem gladio perenniter excommunicationis nostræ, et Romanæ Ecclesiæ eos percutimus, et omnibus maledictionibus quæ in Veteri ac Novo Testamento continentur, eos jugulamus, perpetuali quoque gehennæ incendio concremandos etiam tradimus, nisi ad satisfactionem pervenerint. Volumus autem ut audientes hæc prosequantur dicentes : Fiat, fiat, fiat. Qui autem huic sententiæ nostræ obedire noluerit, sit anathema, maranatha, cujusve ordinis sit. Item enim dicitur perditio sit illis in adventum Domini. Amen.

ANNO DOMINI DCCCCLXXIII.

SANCTUS UDALRICUS

AUGUSTANUS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM ULDARICUM.

Udalricus Episcopus *Augustanus*, secundus hujus nominis (nam de primo jam supra egit Fabricius noster lib. VIII p. 305 s.) rexit Ecclesiam suam ab a. 924 ad 973. Vitam ejus exhibet Anonymus a Velsero Opp. p. 515. Surio 4. Jul. Mabillonio Sæc. V Benedictino, p. 415, et in Actis Sanctorum tom. II Julii, p. 97, editus, cum Commentario prævio Jo. Pinii p. 75. 97. Item Benedictus Gullmann, Augustanus, in Dissert. Lips. 1693 præside M. Godofredo Ludovici habita. Ei *Sermo synodalis parochianis presbyteris in synodis enuntiandus* ascribitur, editus primum t. IX Conciliorum Binii edit. secundæ pag. 803.

VITA
SANCTI UDALRICI

Auctore Gerardo presbytero, ejus familiari.

(Apud Mabill. *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. V, p. 415, editione Velseriana et codicibus mss.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Auctores antiqui (nam recentiores interim silemus) omnino tres, qui sancti Udalrici (S. *Ulrici*) episcopi Augustensis gesta posteris tradiderunt, inveniuntur, omnes a Marco Velsero, reipublicæ Augustanæ duumviro clarissimo, typis vulgati. Primus sub anonymi titulo; secundus Gebehardus, Udalrici in eadem sede successor quartus; tertius Berno Augiensis abbas, quem Ekkehardus junior suppresso nomine laudat in lib. de Casibus monasterii sancti Galli cap. 5, ubi quædam ab eis prætermissa refert. Præter hos Ditmarus, Chronicon Augustanum aliique rerum Germanicarum Alamannicarumve historici de Udalrico honorifice agunt, idem recentiores illustrissimus cardinalis Baronius. At de primis vitæ scriptoribus hic præcipue dicendum.

2. Qui primus Udalrici acta litteris consignavit, B anonymus a Velsero cæterisque dictus, pluribus in locis se Udalrici æqualem ac familiarem fuisse indicat, ut num. 18: « Ea qui vidimus non decet totum omittere. » Et num. 54: « Hæc vero nemine docente comperiebam, sed propriis oculis in quamplurimis personis conspiciebam. » Udalscalcum esse quidam opinati sunt; sed quis sit Udalscalcus ille non satis explicant. Unus fuit eo nomine monachus Augustanus ad sanctam Afram, seu ad sanctum Udalricum, is qui de discidio inter Henricum episcopum et Eginonem abbatem exorto librum insignem scripsit, in tomo II Henrici Canisii editum, ubi quædam sancti Udalrici miracula commemorat. Idem postea ejusdem loci abbas fuit ab anno 1126 ad 1148. Udalscalcus alter fuit episcopus Augustensis post medium C sæculum duodecimum; sed uterque longe ab anonymi nostri ætate. Hunc ecclesiæ cathedralis canonicum exstitisse patet ex libro de Miraculis (quem unius ejusdemque auctoris esse existimo) huic Vitæ subjecto. Nam, cap. 28 relato quodam miraculo ad sancti Udalrici tumulum in ecclesia S. Afræ patrato, addit exinde concursum populi factum in principem seu episcopalem ecclesiam Sanctæ Mariæ. « Inde in civitatem, inquit, ad ecclesiam Sanctæ Ma- A riæ venientes, hæc nobis annuntiaverunt. » Primus istius auctoris nomen ignorasse videtur secundus vitæ scriptor Gebehardus, qui priorem de sancti Udalrici gestis lucubrationem, « a quodam illustri viro compositam, » in prologo suo dicit. Sed tandem istius anonymi nomen in itinere nostro Germanico didicimus ex vetusto codice Ratisponensis monasterii Sancti Emmerammi, ante annos quingentos scripto, in quo prima hæc Vita reperitur sub titulo post capitulationes ita expresso: « In nomine Domini incipit Vita sancti Udalrici episcopi et confessoris Christi, edita a Gerardo, qui ab eo fuit presbyter ordinatus. » Gerardum itaque in posterum licebit appellare anonymum, qui nescio an idem sit cum Gerardo Udalrici capellano, de quo in Vita num. 63, seu præposito, de quo num. 70, atque presbytero num. 83.

3. Binos Gerardi libros de Vitæ et Miraculis Udalrici cum simplici stylo scriptos legisset Gebehardus episcopus, eos novo orationis genere expolire aggressus est, uti ipse in Prologo suo testatur, sed morte præventus, opus perficere non potuit. Fuit is ab Udalrico Augustensis episcopus quartus, utpote qui post Henricum Udalrici successorem, anno 982, postque Ethicum anno 988 exstinctos, successit Liutolfo post septem regiminis annos, atque ipse anno post millesimum secundo e vivis excessit. Gebehardi lucubratio imperfecta desinit in laude activæ et theoricæ Udalrici vitæ ab initio ejus pontificatus.

4. Paulo post ipsum Berno a Fridebaldo, monasterii Sanctæ Afræ apud Augustam Vindelicorum abbate quarto rogatus, anonymi scriptionem alia item forma exornandam suscepit, idque re vera executus est ante annum 1030, qui Fridebaldi abbatis supremus fuit. De Bernone Hermannus ad annum 108. « Ipso anno, inquit, Heinricus rex, cognita tandem post duos annos Immonis crudelitate, remoto eo, Bernonem, virum doctum, et primo Prumiensem monachum, Augiæ constituit abbatem.

qui gratanter susceptus, fratres dispersos recollegit, et a Lamberto Constantiensi episcopo abbas ejusdem loci vicesimus nonus consecratus, magna insignis scientia pietateque præfuit annis quadraginta » Obiit anno 1048. Ejus elogium alias Deo dante referemus. Ex his tribus auctoribus unum hic damus, Gerardum, propterea quod ex aliis nihil fere scitu dignum, quod ab ipso non acceperint, discere liceat. Anonymi porro, id est Gerardi, commentatio primum typis excusa est ac notis illustrata ab ornatissimo viro Marco Velsero Augustæ Vindelicorum anno 1595, ex quo sequentem editionem adornavimus.

5. Sed, antequam eam exhibeamus, quædam in antecessum ad ejus illustrationem præmittere juvat et primo quidem inquirendum an monachus fuerit Udalricus, quem alii Vodalricum seu Othalricum, alii Wolricum appellant. Monachum ante episcopatum fuisse negant auctores Vitæ sanctæ Wiboradæ apud S. Gallum reclusæ cui, cum suum de ineunda monastica professione consilium aperuisset, aliud a Deo statutum de ipso fuisse significavit, nempe futurum episcopum Ecclesiæ Augustensis, ut in ejus Actis superius ad annum 925. Sed antea ejusdem ecclesiæ canonicum fuisse testis est Ekkehardus junior in loco mox citato. Etsi vero Udalrico esse monacho non licuit, veste tamen monastica episcopus usus est, addictus, quatenus episcopalis dignitas ferebat, sancti Benedicti regulæ, cujus elementa in sancti Galli monasterio educatus didicerat. Sic enim Gerardus loquitur num. 17 : « Semper cuti suæ laneum apponens vestimentum, et regulam sequens monachorum. » Berno addit eum a carnibus perinde abstinuisse. Quia vero severum suis silentium de nocte præscribit sanctus Benedictus, id maxime in Quadragesima servandum sibi proposuit Udalricus) quo tempore « omne colloquium, nisi cum Deo et sanctis, usque ad alterius diei primam peractam omnino devitavit. « Denique, cum episcopalis oneris sarcinam in Adalberonem nepotem suum sub extremum vitæ suæ tempus rejicere animo destinasset, « episcopus indumento more monachorum formato induebatur, quorum antea regulam multimodis virtutibus sequi consueverat, » apud Gerardum num. 62. Et in synodo Ingelheimensi Gerardo capellano suo jussit consilium suum de relinquendo sæculo exponere. Quod ipse Gerardus præstitit his verbis : « Excellentissimi imperatores et religiossimi antistites, desiderium domini mei est relinquere sæculum, et secundum regulam sancti Benedicti sanctam inire vitam, et in contemplativa vita diem exspectare obitus sui. In indumento pro certo habitus exterioris potestis cognoscere voluntatem animi interioris. » Ita Gerardus num. 63. Non visum est Patribus Udalrico id licere, sed tamen in habitu semel suscepto ipsum decessisse jure affirmare possumus; atque adeo non immerito eum inter nostros computamus Trithemius in Historia Hirsaugiensi asserit eum in cœnobio Sanctæ Afræ ab eodem constructo monachum factum fuisse ante obitum.

6. Udalricus quædam ante pontificatum gessit a tribus auctoribus omissa, quæ hic præmittenda sunt ex Ekkehardi cap. 3 : « De sancto Udalrico autem qualiter nobiscum egerit, dicta Patrum quædam audivimus, quæ quidem in vita ejus vel tertio jam scripta non invenimus. De nobilibus enim ille, ut et ab aliis jam dictum est, natus, apud nostrates educatus est et doctus. Hic viam, qua in cœlos volavit, subvolare didicit ; hic virtutibus quas nunc operatur præludium fecit. Sanctorum enim nostrorum Galli et Otmari, quos puerulus patres elegit, se monachis jungens cum sanctis sanctissimus et cum electis ingreditur electissimus. Hartmanni enim junioris discipulus divina præ omnibus Spiritu sancto præhibatus hausit. In refectorio coram patribus, ubi vel in puncto peccare capitale erat, lector inoffensus creber erat, quamvis canonicus Quod tamen illi progenitorum suorum indultum est gratia Widoradam inclusam, coævulis se licentia data ad ludos parantibus, feriatis diebus furtim visitare assolitus, divinis ab illa interdum verbis et exemplis instructus est paginis Nam quadam die cum illum ante fenestellam clausulæ stantem levissimo videret cingulo præcinctum, de suo ei paratum offerens, castitatis, inquit fili mi, tibi cingulum hoc laneum meum a Deo accipe, continentiæque stropheo (id est cingulo virginali) ab hac deinceps die per Wiboradam tuam te præcinctum memento Cave autem, me tibi a Domino meo edictum ferente, ne ullis abhinc colloquiis vanis mulierculis miscearis; etsi, ut facillime fit, aliquo carnis igne incensus fueris, loco in quo fueris mutato, *Deus, in adjutorium meum intende* ; *Domine, ad adjuvandum me festina*, mox cantaveris. Sin autem sic pacem aliquo alio lapsu tuo vetante non habueris, titionem seu candelam ardentem, quasi aliud aliquid agas, quærens, digitum vel leviter adure, eodemque versu dicto securus eris. Sic magistra prædurata discipulum sanctissimum futurum, ut ipse patribus narrabat, contra ignem igne præduraverat. Multa sunt quæ de doctrina nutricis suæ (sic enim etiam vetulus eam nominare solebat) patribus ille dixerat, quæ, quia austera hujus temporis sanctis videri possunt et impossibilia, ne quid eis suboleat præterimus. De cilicio etiam, quo ipsa utebatur, cujus hodie asperitatem pro reliquiis id habentes horrescimus, pulvillulum filio suo, ut et ipsa eum nominabat, in abstinentiæ diebus utendum connexerat ; quod interdiu in sinu gestans, noctibus ille maxillis lapide supposito aptare solebat. Tali ille lectisternio pro deliciis usque coram januis ecclesiæ nocturnorum sonitum aut in sedili, aut nuda quidem exspectare terra solebat. His et aliis similibus eum a pueritia assuescentem, cum et feminarum alloquia et solita sociorum fugitasset ludicra, sanctulum illum derisorie jam ab inde cœperunt vocitare..... Figuratis et interdum etiam risum moventibus, non tamen falsis et inanibus, crebro usus est verbis.... Idipsum etiam sibi pro reverentia sui, ut nobis canonicus

Evangelium legeret, concessum. Nam frater conscriptus tum vocis pulcherrimæ gratiam habebat. » Et quidem inter fratres conscriptos Sancti Galli apud Goldastum in tomo II pag. 153 legitur Uodalrich episcopus. Addit Ekkehardus : « Dignitas autem quamvis tanti coævi sibitum pro Wiborada (?) scholis intresset, quas tamen tandem relinquens, sub[?]que juris in possessionibus facta Augustæ, ubi canonicus ab infantia erat, ac vitæ tam exemplis clarissimus, Gallum suum crebro visitabat, fratres suos conscriptos ter in anno ipse minister pavorat. » Deinde miraculum refert de vase vinario, quod vehiculo e ponte lapso integrum superfuit. « Erat quidem aliquando in loco Sancti Magni etiam diem sibi semper amabilem reliquiasque ejus, ut mos nobis est, cappa illa aquilifera indutus, vespere diei sancti ipse domum reportabat ; et cum infirmus tunc esset, ut sæpe quidam coxi paralyticus quidam adjutoris sui in viam se, ut ipse super eum gradientur, prostraverat. At ille hominem appropians, quasi de obstaculo indignatus : Surge, ait, quia et ego pedibus infirmus super te progredi nequeo. At ille tanquam ad increpantis verbum velocissime surgens incolumis abiit, secutusque fratres suos ultros adjutores, Sancti Magni ecclesiam cum ceteris sanus introiit. Et episcopus capite cappæ imposito cum ambobus stetisset, ut de via lassus, audiens sanitatem hominis, acrior in dicentes invectus, super cancellos tandem inclinatur ; signumque tam manifestum ab se excutiens, sancti Magni virtutem, quam nullus ... gereret, hanc esse astantibus prædicans asseruit ; neque tamen sic eis, ut hominem ab ipso sanatum esse dicerent, persuadere quidem ullo modo potuit. Hæc de pluribus, quæ apud Sanctum Gallum commanens gessit, tribus vitæ ejus scriptoribus non præjudicantes scripsimus. Neque enim miramur eos, cum quibus in seculo versatus est, ea quæ cum spiritalibus gessit, quia minus sciverant, non scripsisse ; sed plura eos quæ de eo concinnantur vulgo et cantitur tacuisse, cum infima quædam ejus magna fecerint, etiam miramur. » Et post nonnulla de facetiis Udalrici dictis, et de obsidione Augustæ per Ungros (quod postremum in notulis referemus) Ekkehardus hæc subdit : « Hugo etiam quidam, regii generis homo primarius, propter sororem viri Dei virginum sacram, inventa ignitione ab ipso, quia sæpe inclinatus est, insolenter et minaciter quodam die curru vehiculo, ut erat infirmitatis suæ, occurrit invecto. Quem cum milites episcopi præcessores, uti ei non occurreret, præmonerent, currucarium, inquit, illum ab itinere meo nunquam declinabo. Quod ille a dicentibus postaudiens, currum, inquit, vehiculo, sedete, filii mei, ipse plus quam ego indignus erit. Nec post multum nocte quadam sopori se tradens, cum evigilasset, lumbos in quibus peccaverat, acerrime dolens, in inferioribus ab illa nocte ita decreverat, ut præter cutem et ossa gracilia nihil haberet. Sicque longævitatis tempora, nunquam ... valens ut pæne a viro Dei petierit, perduxerat. Ipsa autem sanctimonialis illa sanctarum exemplorum postmodum visa est ... quippe quam frater novis sententiis dum vixit, annexum puniverat. Ungris autem a se recedentibus, cum Burchewars illos, ubi soror ipsa erat, parvaque nostræ, ubi Wiboradam (?) ... sciebat, invaderi villæ comperisset, orasse fertur : Domine mi, servam (*f.* servam) istam adhuc impuritam mihi dona, ut gladio non pereat ; sed et illam gladio semper paratam, ut palmam martyrii mereatur, confortans roboras. Cellam quoque Galli tui integram eam famulantibus pie et misericors conserva. Atque ita precibus ejus sanctis effectum Deus utrumque dedit. » Hactenus ex Ekkehardo.

7. Augustæ Vindelicorum ad Lycum (*le Lech*) Suevum etiam complures rexerunt episcopi ex nostris, quos hic certo designare haud facile est, deficientibus nos idoneis argumentis. Simpertum jam laudavimus in superiori tomo pag. 553. Hunc Carolus Magnus rex « constituit episcopum in ipsa civitate Augusta, teste Ermenrico Elwangensi seculi IX monacho, restituitque omnia, quæ ab antecessore suo Pippino illuc tradita fuerant, insuper et addidit plurima. Suscepto episcopatu, Simpertus profectus est ad Augustam Vindeliciam et per annos fere triginta rexit ipsa monasteria, « nempe Campidonense, Sancti Galli, et cellam Sanctæ Afræ, « construens basilicam Sanctæ Afræ, et restaurans cœnobium Sancti Magni, » nempe Faucense (*Fuessen*) (V. num. 46 hujus Vitæ), de quo egimus in Seculo secundo, ubi de Sancto Magno. « Defuncto autem Simperto Hanto (sic legendum, non Lanto, ut postea patebit) episcopatum suscepit, ipse in Bajoaria natus. Transactis post acceptum episcopatum septem annis, successores ejus, qui in ipsa Ecclesia constituti sunt, primus Nitkarius cœpit a fundamentis ecclesiam Sancti Magni construere ; cæteri vero præsules eum subsequentes, prout potuerunt, similiter construxerunt. Tamen non fuit aula basilicæ ad perfectionem operis perducta, donec, Domino annuente, a gloriosissimo rege Ludovico, filio Ludovici clarissimi imperatoris, Lanto ipsam sanctam sedem adeptus est. » Hinc corrigendus Bruschii catalogus, qui Hantoni Waltherum primo, secundo Adelgerum, ac tertio tantum loco Neodegarium substituit ; cum ex adverso Ermenricus, auctor illius temporis, Hantoni proxime Nitkarium, qui cum Neodegario idem est, subjicit. Ermenrico suffragatur vetus index Augustensium episcoporum, in fine hujus vitæ editus, in quo episcopi hoc ordine recensentur : Simpertus, Hanto, Nidger, Odalman, Wiggar, Lanto, Adalpero, Hiltine, Oudalricus. Lanto basilicam Sancti Magni « quinto anno episcopatus sui perfecit, » ejusdem sancti Magni corpus in decentiorem locum transtulit, « consilio inito cum archiepiscopo Magontiensis Ecclesiæ Otgario et ceteris episcopis sibi suffraganeis. » Hæc fuse describit Hermenricus, qui præsens aderat, apud Goldastum in tomo I. Rerum Alamannicarum pag. 315,

ex quo potiora in Elogio sancti Magni delibavimus. Lantonis obitum Bruschius consignat anno 877; quo anno Udelmannum ei subrogat. Udelmanno « Widgarius seu Widogerus abbas monasterii Uttenburani (*Ottenbour*), eximie doctus et humanissimus, » successisse dicitur anno 888. Vidimus insigne istud diœcesis Augustanæ monasterium, in amœno loco situm ad Gunzium (*Guntz*) amnem, elegantissimis ædificiis instructum, cujus loci basilica sanctis martyribus Alexandro et Theodoro, quorum reliquiæ istic habentur, dedicata est. Primus loci abbas Totto, quem pro sancto habent, tametsi anniversario huic officio quotannis parentant. De eo in Calendario Uttenburano, « XIII Kal. Decemb., Totto noster abbas, qui corpus sancti Alexandri huc attulit, et cujus parentes locum istum fundaverunt. » Et in brevi Chronico ad cyclos paschales: « Anno 1163 Totto, sepelitur, » id est transfertur, « et principale altare dedicatur. » Fundatum est monasterium anno 764. Huic Udalricus libertatem restituit, ex sequentis Vitæ cap. 25. Porro, ut ad propositum redeam, Widgarius anno 898, ut notat Bruschius, Helvetiorum reliquiis, gentilismo etiam tunc infectis, Christianam, veritatem prædicasse memoratur, ob id « Helvetiorum Apostolus » appellatus. Widgarium anno 902 excepit Adalbero, quem monachum Elewangensem, atque abbatem ejusdem loci simul et episcopum fuisse Bruschius testatur. « Fuit vir, inquit idem auctor, eximie doctus, excellens musicus, San-Gallensis monasterii liberalissimus benefactor, sancti Ulrici seu Udalrici alumnus et informator. » Adalberonem sancti Galli fratrem conscriptum beneficentissimum exstitisse tradit Ekkehardus cap. 5, probatque libellus de Fratribus conscriptis tomo II apud Goldastum pag. 181, ubi Adalbero anno 908 ad Sanctum Gallum in vigilia ipsius sancti venisse dicitur, « juncto sibi mitissimo Sebonensis Ecclesiæ (Sabionensem [*Seben*] [*v. metrop Salips.* p. 439] alii appellant nunc Brixinensem) antistite Meginberto; » ac locum variis donis locupletasse. En sedente Udalricus anno 909 Romam profectus, ejus mortem didicit a pontifice, a quo, cum ad suscipiendum episcopatum induci non potuisset, Hiltinus interim substitutus est. Qui anno 925 mortuus, tandem locum fecit Udalrico, quem præ manibus habemus. Is si quid humani in studio erga nepotem suum Adalberonem, quem successorem designavit, passus est, indubie ante mortem diluit, cum ipsius nepotis præmaturam mortem in pœnitentiæ remedium convertit.

8. Cæterum Udalricus statim a suo ipsius obitu merito sanctus dictus creditusque est. Nam præter ejus vitæ scriptores, Hartmannus in Actis sanctæ Wiboradæ superius adductis, æqualis auctor, sanctum Udalricum; Ditmarus, anno 1018 mortuus, sanctum patrem Othalricum vocat in lib. I, et in lib. III Othelricus gemma sacerdotum ab eodem appellatur. Nec mirum sane, cum anno 993, id est ab ipsius obitu vigesimo, in sanctorum album relatus sit a Joanne papa XV, cujus hac de re litteras post vitam et miracula referemus. Ludolfus autem episcopus, qui pontificis jussu corpus sancti Udalrici tumulo extulit, oratorium in ejus honore construxit, teste Chronographo Magdeburgensi. Et hic sane honoris majori consideratione dignus est quod solemnis iste canonizandi, ut loquuntur, ritus a sancto Udalrico initium cepisse videatur, ut in hujusce tomi præfatione exposuimus, præhabita inquisitione non indignum quod Gregorius papa VII Hen- sequentibus libris probantur. Illud etiam observatione non indignum quod Gregorius papa VII Henrico Aquileiensi episcopo, qui antea canonicus Augustanus fuerat, usum pallii concessit, præter alias, « in festivitatibus beati Udalrici confessoris Christi atque pontificis, et beatæ Afræ martyris, » ut legitur in lib. VI epistola 38. Ita vero Udalrici nomen celebre evasit, ut vocabulum et titulum primum indiderit ecclesiæ ac monasterio Sanctæ Afræ apud Augustam perinsigni, quod modo Sancti Udalrici (*S. Ulric*) et Sanctæ Afræ nuncupatur ob ejus in eo loco sepulturam ac venerationem. Hunc locum monachis Benedictinis anno 1012 concessit Bruno episcopus Augustanus, præposito abbate primo Reginbaldo, quem Bernardus Hertfelderus monasterii prior sanctum vocat in sua basilica sanctorum Udalrici et Afræ, et ex Kiburgensibus comitibus, id est Udalrici gente, oriundum. Reginbaldo abbati successit Dego anno 1015, Degoni post triennium Godesgenus, et post biennium Frideboldus anno 1030 mortuus: quo postulante Berno tertiam de sancto Udalrico scriptionem aggressus est. In eadem basilica asservantur sancti Udalrici reliquiæ, magna ex parte sub ejus ara, in qua sacrum facere nobis datum est, reconditæ, præter caput, aliaque nonnulla peculiaribus scriniolis inclusa, quorum ectypum exhibet Hertfelderus, uti et calicis, casulæ, stolæ et manipuli atque dalmaticæ, quibus vir sanctus usus est. In monasterio Murensi item ejus stola et quædam reliquiæ servantur. De ipsius inventione post librum Miraculorum agendum.

9. De quibusdam scriptis, quæ Udalrico tribuuntur, dubiæ admodum et incertæ sunt conjecturæ. In his est « sermo synodalis parochianis presbyteris in synodis enuntiandus. » Quem Marcus Velserus Udalrici esse existimavit, propterea quod pleræque interrogationes, quas Udalricus presbyteris in ejusmodi synodis facere solebat, teste Gerardo in sequentis libri cap. 6, prædicti sermonis (qui in tomo IX Conciliorum Labbeano editus est col. 805) interrogationibus respondeant. Verum dici potest id genus interrogationum capitula ab Udalrico accepta fuisse ex vulgari formula sermonis, qui in hujusmodi synodis haberi solebat. Et certe idem sermo, paucis immutatis, Leoni papæ IV ascribitur in tomo VIII Conciliorum col. 55. Similis est item Ratherii sermo synodicus in Spicilegii tomo II pag. 256. Alius Udalrici sermo ad populum refertur in sequentis Vitæ cap. 9. Ad hæc quædam superiori sæculo Udalrici nomine venditata est epistola ad Nicolaum papam: cui auctoritatem conciliare co-

nati sunt novatores ex Æneæ Sylvii Apologia ad Mayerum, ubi pontificem ab Udalrico de concubinis reprehensum dicit. Ad parum commentum censet Velserus; tum quia nullus toto Udalrici tempore Nicolaus papa Ecclesiæ Romanæ præfuit; tum quia hæc Æneæ verba in aliquibus codicibus non leguntur, absuntque ab editione Romana anni 1584, præterea Gerardus nullam hujus reprehensionis mentionem facit. Tametsi non injuria dici potest, id cadere posse in Joannem XII, quem flagitiis deditum Otto Magnus in frequenti synodo exauctorari curavit, cum frequenter admonitus resipiscere noluisset.

10. Sed jam tandem referenda est anonymi seu Gerardi lucubratio, quam Baronius cæteris merito prætulit ob simplicitatem, qua veritatis magis consentanea est; laudatque Marcum Velserum apud Augustanos duumvirum celeberrimum, qui hanc scriptionem « jam oblivione sepultam typis excudendo et notis illustrando, revocavit ad vitam. » Ita vir illustrissimus ad annum 924.

VITA

SANCTI UDALRICI

AUGUSTANI EPISCOPI

AUCTORE GERARDO PRESBYTERO

Apud Mabill. *Acta sanctorum ordinis S. Bened.* Sæc. V, pag. 415.

Aures plurimorum cum fama miraculorum Christi, quæ per servum suum sanctum Udalricum in honorem suæ sanctissimæ genitricis Mariæ fieri concessit, frequentissime pulsaret, et adhuc mentes eorum dubitatio occuparet, missis ad me legatis rerum veritates ex meis responsionibus cognoscere cupiebant, rogantes me ut ea quæ ego in veritate scire potuissem, lucida descriptione eis manifestarem. Cumque interrogantium tanta pluralitas me undique interrogationibus circuisset, ut omnibus singulariter responsa scripta dare non posse æstimarem, cogitare tacitus cœpi intra memetipsum, ut cum tanta experientia experiri studuissem originem ortus ejus, ut, descripto ejus ortu, vitam subsequentem et obitum veraci relatu interrogantibus et legere volentibus omnibus in commune facere potuissem, non meis antecedentibus meritis confidens, nec sapientiæ mentis meæ, sed in Dei misericordiam omnipotentis sperans, qui dixit: « Aperi os tuum, et ego adimplebo illud; » ut per merita præfati episcopi irrigatione Spiritus sancti et divini ignis fervore meam mentem dirigere dignetur, ut id quod ad cogitandum mihi inspiravit, ac perficiendum vires non sufficiebat, nisi prædestinata summo donante taxatione valere concedat, ut diligentibus Deum exempla ædificationis anteponant, et Dei præcepta spernentibus conversionis emolumentum, vel damnationis interminationem adaugeant. Ista pro certo in amore Christi legentibus, auxilium Dei omnipotentis adesse confidimus, ut per servum suum sint in isto sæculo freti, et, eo juvante, fiant ad æterna gaudia perducti.

Oportet imprimis ne sileamus tanti talisque viri, Spiritu sancto juvante, nominis interpretationem. Theutisca itaque lingua hæreditas a proavis derelicta *Altuodal* dicitur, *Ric* divitias sonat, ideo non incongrue Vodalricus a paterna hæreditate dives interpretari potest, nam æterni Patris hæreditate ditatus floruit, de quo Patre quotidie in oratione nostra dicimus: « Pater noster, qui es in cœlis, » etc. Ad cujus hæreditatis sanctus Paulus possessionem in Dei voluntates perseverantes consolatur dicens: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII; I *Cor.* II); de qua etiam hæreditate scriptum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II); cujus compendio non solum Udalricus fruitur, verum etiam plurimos multimodis beneficiorum consolationibus in hac peregrinatione viventes

traxit, multimodis juvaminibus et continuis miraculis A ad hanc introduceret, sicut in sequentibus reperitur.

I. Beatæ igitur memoriæ sanctus Udalricus excelsa prosapia Alamannorum ex religiosis et nobilibus parentibus ortus, patre scilicet Hupaldo (1) et matre Thetpirga (2) nuncupata; qui solito more lactatus, et summo studio nutritus, quamvis statura corpusculi elegans, tali tamen macilentia confectus erat, ut nutritoribus verecundia esset si aliquis ignotorum faciem ejus inspexisset. Mirantibus vero patre et matre quare tanta tenuitate et informitate corporis occuparetur, et sæpe inde cogitantibus, hebdomada interim duodecima ejus nativitatis quidam ignotus clericus, casu adveniens, supplicabat ut ab eis aliquot dies in hospitium reciperetur; qui benigne susceptus, et cum eis in atrio domus suæ B hora refectionis sedens, audiebat in cubiculo infantulum vagientem, sciscitabatur quis aut cujus esset, præ pudore vero maciei, illis nolentibus indicare, dixit: « Si salvum illum esse cupiatis, celeriter ablactetur. » Qui parvipendentes ejus locutionem, cum lacti non subduxerunt. Altero vero die eum audiens, iterum dixit; « Quare non fecistis secundum consilium meum? » Qui adhuc contemnentes ejus consilium non crediderunt ei. Tertia autem die, audiens vagitum ejus infirmiorem quam antea, dicebat ad eos: « Pro incuria vestra perditioni traditur infantulus iste; pro certo sciatis quia, se uberibus non subtrahitur, in ista nocte morietur; si autem subtractus, salvabitur; in posterum a Domino aliquid magnum in eo C manifestabatur. » Tunc demum ei obtemperantes aliis eum escis sustentare cœperunt. Qui statim recreatus, de die in diem proficiens, talem corporis formositatem accepit, ut ipsi sui parentes gratantes eum intuerentur, et aliis ostenderent. Qui laudantes Dominum die nocteque pro sospitate pueri, et pro eo quod talem ad eos direxit hospitem qui istius rei discretionem cognoscebat, et illis innotescebat. De præteritis ergo futura credentes, tractaverunt ubi vitam religiosissimam et docendi studiossimam invenire potuissent, acceptoque consilio commendaverunt eum ad Sancti Galli monasterium, quia ibi nobilium Dei servorum multitudo, et religiositas discendi docendique studium tunc temporis habebatur. Commendatus vero cuidam religioso viro grammaticæ artis edocto, Waning nuncupato, a quo bene D procuratus quotidianam religionis atque lectionis doctrinam accepit, et in intimis sui cordis inseruit, adeo ut paulatim fratres in eo doctrinæ fructificationem nimis proficere sentirent, et ob hoc eum in suæ fraternitatis consortium flagitando assumere conarentur. Horum itaque petitionibus sæpe commonitus, inducias respondendi postulavit. Tunc itaque ad quamdam ibi commorantem inclusam Wiberat (3) nominatam, consilium quærendo, accessit; quæ respondens, dixit ei: « Post triduum ad me veniens, si Deo placet, meum poteris animadvertere consilium. » Inde, illo recedente, ipsa devotæ orationis studio Dominum flagitabat ut, statuto die, certi veracisque consilii indicium sibi manifestare potuisset. Cumque ille, responsum accepturus, advenisset, dixit illi: « Ulla hæsitatio tuam non occupet mentem, quia istius cœnobii spiritualis pater a Deo decretus ad regendum nullo modo constitueris; sed in orientali parte, ubi quidam fluvius (4) duas dividit regiones, in futurum episcopali ministerio Deo militare debebis, et in eodem loco multa talia perpessurus et laboriosa, qualia nunquam antecessores tui sustinuerunt a paganis et malis Christianis, quæ tamen omnia, Deo juvante, in ultimis decentissime superabis; » hæc audita secretissimis fratribus intimavit, et eorum suasionem suavi colloquio mitigavit, totamque spem pristinæ destinationis in sua mente deposuit; et ob hoc tamen discendi studium non omisit, sed inibi cum omnibus charitative versabatur; donec, congruo tempore, duplicis sagina scientiæ ac religionis repletus, communi omnium oratione consolatus, et fraternitatis amore fretus, parentes suos amative missus revisitavit. Qui tunc, sapienti capto consilio, eum præsulis Augustensis Ecclesiæ Adalberonis (5) dominio subdiderunt, quem, multa tunc temporis sapientia repletum, musicaque arte præ cæteris præditum, gubernaculaque regni pene omnia cum rege (6) disponentem agnoverunt. Ipse vero, propter nobilitatem parentum, et bonam ejus indolem et formositatem, læto animo suscipiens, ministerium camerarii (7) sibi commendavit. Quo suscepto, et aliis secundum suam dignitatem beneficiis, sicuti præcoquus erat in omnibus, prospere agens de die in diem proficiebat. Interim vero libuit eum limina visitare beatorum apostolorum Petri et Pauli. Cumque illuc pervenisset, a venerando papa Marino (8) bene susceptus est, et ab eo interrogatus de qua provincia vel civitate esset nativus. Qui respondens dixit: « De provincia Alamannia, et de civitate Augusta oriundus sum, versorque in servitio Adalberonis ejusdem civitatis episcopi. » — « Ne turberis, inquit, animo, o frater (9), ille de quo mihi dixisti, senior tuus Adalbero migravit a sæculo, et, Deo jubente, te ejusdem matriculæ (10) decet esse pastorem. » Eo quidem renuente infit: « Cur recusas destinationem Dei? si nunc inconcussam et indesolatam accipere refra-

(1) *Al.*, Hucpaldo.
(2) *Diepirch.*
(3) Wiberata inclusa.
(4) Lycus Sue viam et Bavariam discriminat.
(5) Commendatur Adalberoni episcopo Augustano.
(6) Rege Ludovico IV.
(7) Onulph. De vocib. Ecclesiæ obscuris, *camerarium* interpretatur qui pecuniarum curam gerit, Welserus vero hic cubicularium intelligit.
(8) Welserus putat Marinum papam per anticipationem vocari, idem sentit Baronius anno 924.
(9) Marinus si pontifex fuisset, Udalricum filium non fratrem vocasset.
(10 Ecclesiæ cathedralis

garis in tranquillitate, in antea vero destructam et deprædatam in perturbatione accipies, et cum labore gubernabis et reædificabis. » Altera vero die sine licentia papæ, propter tristitiam defuncti domini sui, et ne ab eo plus verbis constringeretur, exivit Roma, Augustamque revisitavit, et invenit ita sicut præfatus papa prædixit. Tunc Hiltine (11) successor Adalberonis effectus est. Qui tamen tantæ non fuit celsitudinis ut suo se vellet applicare servitio. Interim vero patre ejus defuncto, rediens suscepit procurationem matris suæ, recordans præcepti Domini dicentis : *Honora patrem tuum et matrem* (*Exod.* XX), etc. Tanta itaque eam diligentia et omnia sua custodivit ac disposuit, prout et vires a Domino concessæ suppetebant. Post quindecim annos defuncto Hiltine episcopo, machinatione nepotis sui, Burchardi ducis, et aliorum propinquorum suorum, Heinrico (12) regi præsentatus, ejusque sublimitati nota facta est discessio episcopi, supplicatumque est ut præfato domino Udalrico episcopalis potestas ab eo commendaretur. Rex vero intuens habilitatem staturæ illius, et comperiens doctrinæ suæ scientiam, petitioni eorum assensum præbens, regio more in manus eum accepit, muneribusque pontificatus honoravit. His vero ita peractis, hilari animo de rege revertentes, et Augustam pervenientes, secundum regis electum potestativa manu investitaturam episcopatus sibi perfecerunt. Succedente vero tempore Nativitatis Domini in die solemnitatis (13) Innocentium consuetudinario ritu ordinatio ejus peracta est. Inde vero prospero reditu domum veniens, conspiciensque muros ecclesiæ undique depositos, omniaque ædificia muris delapsa, sicut sub priori antistite igne sunt consumpta, multa tunc mentis anxietate fluctuans, cogitabat qualiter convenientissime tam penitus destructa reædificare potuisset : quia maxima pars familiæ a paganis fuerat occisa, et oppida exusta et deprædata, pars autem familiæ quæ remanserat in magnæ egestatis labore erat afflicta. Acquisitis tamen architectis et multitudine congregata familiæ, cœpit sagaciter diruta restaurare, satisque sensibiliter ordinare, magnoque animi fervore studens ut cœpta perficere non desisteret. Cum vero vir magnæ suavitatis inchoatum opus, quamvis pressa [illegible], divino tum fretus adminiculo ardenter [illegible], omniaque ipsius templi interiora [illegible], quantum valuit, decorabiliter ornare contendit ; nec non etiam frequenter sagaci considerans acie intus et forinsecus positiones ecclesiæ cauto perlustrans, parvitatem non [illegible] cryptæ vilitatemque sibi nimis displicere conquestus, [illegible] est competentius decentiusque, si Deus annueret, positurum. Cumque opus cœptum satis crescere videretur, Ramberto cuidam fratri in excessu mentis videbatur se, sicut solebat, cum illo psalmos decantare debuisse, et interim Adalberonem episcopum in aquilonari parte cryptæ, missatico apparatu vestitum, sibi apparentem annuere quasi ut ad se veniret, sed ille cœpit timore septus viventis atque defuncti domini, cœpit oculis pavens in eum conspicari, interrogatusque ab eo, quare sic oculos a se inflecteret, ille respondens, dixit : « Ecce video seniorem nostrum Adalberonem episcopaliter paratum ad missam, atque vocantem ad se. » At ille : « Festina, inquit, jussionem ejus implere. » Qui venienti ad se dixit : « Ramberte, dic domino tuo episcopo, mercedem a Domino acceptarum pro orationibus et eleemosynis quas mihi fideliter transmisit, et hoc signum dono illi, quod Fortunatus (14) et ego in proxima cœna Domini, Domino concedente, cum illo chrisma sanctificabimus, et quod operatio hujus cryptæ est ruitura ; ob hoc tamen non debet omittere quin studeat in posterum stabiliter perpetrare. Fratres quoque recordari moneto, quod sine vi, et sua sponte, sedula et assidua oratione pro me laborare spoponderunt, et quod se non fecerunt, et si hoc emendaturi non fuerint, sciant se esse de hoc in conspectu Domini rationem reddituros ; et tu quotidie unum pro me psalmum cantabis, sine cantela, et hoc te emendare monebo. » Ipse vero episcopus interim regiis occupatus obsequiis cursum direxit ad curtem, ibique apud amicos digno honore diu retentus, tandemque requisita salubri licentia domum repedavit, opusque cujus effectum sese cernere speravit, totum penitus dilapsum reperit ac subversum, secundum prædictam rationem præfati Ramberti. Tum vero cautioribus fundamentis positis, stabiliter perfecit.

Alia autem vice cum in oppido Waringa vocitato primo mane consuetudinario more, psalmodiam cum eodem Ramberto studuisset explere, idem frater cœpit reflexis oculis timide moveri. Interrogatusque ab eo, respondebat, dicens : « Ecce video seniorem meum Adalberonem eodem modo sicut antea eum vidi præcipientem mihi ut illi ministrarem ad missam. » Qui statim surgens, retractis foribus, recessit de ecclesia donec hæc visio finiretur. Aliam vero visionem, quam de multis fratribus in veritate [illegible] audisse didicimus, oblivioni nos tradere non oportet. Qui cum religiosus vir die Paschæ ministerium sacramentorum studiose perficere decertaret, multitudine clericorum adveniente, et cuidam Heilrico (15) presbytero cantore existente, [illegible], apparuit dextera cum dextera episcopi sacramenta sanctificans. Expleta vero missa, ille præfatus Heilricus sequens eum in cubiculum, statim cecidit ad pedes ejus, et [illegible] quod debuisset in præsentia laicorum hanc visionem exposuit. Cui ille respondens, dixit : « Utinam tibi fuisset ista [illegible]

(11) Hiltinus, Hiltenius.
(12) Henrico Aucupi.
(13) Anno nimirum 924 ineunte.
(14) Fortunatum Pictaviensem episcopum intelligit. Welserus.
(15) Henrico.

quam loqui : » de hac vero responsione stupefactus recessit ab eo, et in cœna quæ ante cubiculum ejus est sita consedit, et statim oculi ejus magna humiditate cœperunt lacrymas effundere, et in ea effusione permanserunt usque dum in totum præsenti lumine privati sunt.

II. Alio tempore, in nocte antecedente diem sanctum Cœnæ Domini, quasi in somnis audivit vocem sibi loquentem : « Udalrice episcope, scias te hodie hospites esse suscepturum. » Et expergefactus a voce qui essent illi hospites cœpit tractare. Cum autem dormiret, loquentis sibi verba audivit : « Orationes tuas et eleemosynas tuas oculi Domini conspexere, et ideo binis antecessoribus tuis (16) Fortunato et Adalberoni es commendatus, ut tibi hodie et post hinc in istis sacris solemnitatibus sacra mysteria celebranti assistant, et ea tecum benedicant. » Mane autem facto, aliis, sicut mos est, peractis mysteriis, circumstantibus ministrorum ordinibus, cum sacramenta consecraret, ipse et quidam de circumstantibus devotiores viderunt dexteram Domini cum eo sacramenta consecrare, et signum crucis imponere ; quibus, quia per spiritum eos sciebat, cum viaticum ab eo accepturi accederent, digitum ori superposuit ut de visione tacerent, quibus etiam, postea ad se vocatis, quæ ei in nocte dicta sunt, secreto nuntiavit, et præcepit ut, eo vivente, neque visa, neque ab eo secrete audita alicui manifestarent, si præsentem adhuc vitam habere voluissent.

Majoris etiam visionis sibimetipsi manifestata miracula sub silentio recondendum bonum esse non æstimo. Quia quadam nocte, cum corpus lectulo ad dormiendum collocasset, vidit sanctam Afram in magna formositate, pulchra tunica indutam atque succinctam, stantem ante ipsum, dicentemque sibi : «Surge, et sequere me. » Et hæc dicens, eduxit eum in campum qui vulgo dicitur Lechfeld. Ibi enim sanctum Petrum, principem apostolorum, invenit cum multitudine magna episcoporum et aliorum sanctorum, et eorum quos ille ante non videbat, et tum nutu Dei cognoscebat bene, synodale colloquium cum eis facientem, et magna et innumerabilia disponentem, Arnolphumque ducem Bavariorum adhuc viventem, de destructione multorum monasteriorum, quæ in beneficia laicorum divisit, de multis sanctis accusatum legaliter judicantem, et enses duos valde heriles, unum cum capulo, et alterum sine capulo sibi ostendentem, et sic loquentem : « Dic regi Henrico, ille ensis qui est sine capulo, significat regem qui sine benedictione pontificali regnum tenebit ; capulatus autem, qui benedictione divina regni tenebit gubernacula. » Finita itaque synodo præfata, Dei martyr monstravit illi loca castrorum ubi postea Otto, rex adhuc manens, regalem locutionem cum populis diversarum provinciarum habuit ; ubi rex Berengarius de Longobardia (17) et filius ejus Adalbertus cum multis episcopis se præsentaverunt, et domino (18) subdiderunt. Indicavitque ei venturam supergressionem Ungarorum, et loca belli, et quamvis laboriose, tamen victoriam Christianis concessam esse monstravit. Hac visione peracta, reductum eum in lectulo collocatum dimisit. Ipse vero ad se reversus cogitabat reverenter in recordationem suam ducens illud illustris verbisatoris rapti ad secreta tertii cœli dicentis : *Sive in corpore, sive extra corpus, II Cor.* xii, etc. Hæc vero visio ab eo paucis prudentibus ac sibi familiaribus manifestata est. Postea autem eidem regi adhærens, solito more servitio ejus subdebatur, usque dum rex Henricus præsentem vitam finiret (19). Ottoni itaque filio ejus in regnum sublimato, camdem quam patri sedulitatem servitii et fidei firmitatem in cunctis impertiri studebat. Tunc vero temporis habebat episcopus Udalricus filium sororis suæ Luitgardæ bonæ indolis, Adalberonem nomine, cuidam doctissimo magistro, Benedicto monacho, ad erudiendum scientiam grammaticæ artis et aliorum librorum commendatum. Cumque ille ab eo in omnibus profectibus bonæ scientiæ et disciplinæ doctus atque educatus in virile robur devenisset, statim de schola exemptus, ab avunculo suo episcopo imperatori præsentatus, et in manus ejus misericordiæ commendatus, regali servitio tam studiose atque decenter insistebat, usque dum imperatori ejus ministerium in ecclesiasticis et sæcularibus bene placuisset. De hac pro certo sedulitate ejus servitii quotidiani concessum est ejus avunculo sancto Udalrico episcopo, ut præfatus Adalbero in ejus vice itinera hostilia cum militia episcopali in voluntatem imperatoris perageret, et in curte imperatoris ejus vice assiduitate servitii moraretur, ea videlicet causa ut præfato præsuli, Dei servitio, et custodiæ gregis commendati, et utilitatibus ecclesiæ, et orationibus, et eleemosynis secundum suum desiderium immorari licuisset. Ille vero, quantum sæcularibus curis se absolutiorem esse persensiit (*sic*), tantum seipsum in Dei voluntate facere nitebatur obligatiorem. Cursus scilicet quotidianus cum matriculariis (20) in choro ejusdem matriculæ ab eo caute observabatur, quandocunque ei domi manendum aliæ occupatione consenserunt. Insuper autem unum cursum in honore sanctæ Mariæ genitricis Dei, et alterum de sancta cruce, tertium de omnibus sanctis, et alios psalmos plurimos, totumque psalterium omni die explere solitus erat, nisi si eum impediret aliqua inevitabilis necessitas. Missas autem tres (21) vel duas aut unam, secundum spatium temporis, cantare quotidie non desiit, si infirmitas

(16) Hoc verbum late sumendum videtur, cum nullus Fortunatus Augustanus episcopus reperiatur.

(17) Alii regem Italiæ vocant.

(18) Berengarius rex una cum filio se Ottoni Augustæ dedidit, an 951. Contract. Witich. Dict. Mar. et alii,

(19) An 936.

(20) Matricularii, clerici matricis ecclesiæ.

(21) Sublata est ea consuetudo *Vide* c. Sufficit, *de consecrat d.* 1.

[illegible] tractavit.

III [illegible] [illegible]

[illegible]

ejus ornatu, vel de paraturis altarium et [illegible] [illegible]

[illegible] vel potum, [illegible] sumpsit. In [illegible] plumeo [illegible] dormivit, sed psalterio (24) et [illegible] suppositis requievit. In nocte [illegible] sonante signo surrexit, et [illegible] cursus [illegible] complevit.

IV. [illegible] Quadragesimae [illegible] devotione [illegible] [illegible] in totum [illegible] psalterium [illegible], quo expleto et letania [illegible] aliis orationibus firmiter insistebat, usque dum signum ad vigilias defunctorum sonaret: quo audito statim surrexit, et cum fratribus Vigiliam [illegible] et Primam. Prima vero expleta, fratribus [illegible] more [illegible] portantibus, ipse remanens in [illegible] ex psalmis cum aliis orationibus [illegible] decantavit, usque dum fratres [illegible] et missam sacrificationis celebrare coepissent, ipse primum devote Deo sacrificium offerens, manum sacerdotis humiliter osculans. Expleta vero missa, Tertiam cum fratribus explevit: fratribus vero ad capitulum pergentibus, ipse [illegible] in ecclesia remansit, donec signum ad Sextam sonaret. Sexta autem hora expleta, [illegible] cantans *Miserere mei, Deus*, [illegible] ad [illegible] redut ad lavandum [illegible] et ad missam se praeparandum. Missarum autem celebrationibus expletis [illegible], ad hospitiolum pauperum [illegible] pauperum pedes lavit, et [illegible] pretium unius denarii [illegible] ad mensam [illegible] [illegible] pauperum multitudo copiosa. Apposita cum gaudio sumpsit, et [illegible] hilaritate [illegible] *Hilarem enim datorem diligit Deus* (II Cor. IX). [illegible] rantibus, laetificatis, congruo tempore Completorium [illegible] et omne colloquium [illegible]

(22) [illegible]

(23) [illegible] Vasalli autem [illegible]

(24) [illegible]

nisi cum Deo et sanctis ejus, usque ad alterius diei Primam peractam omnino devitavit. Hoc modo dies Quadragesimæ explevit, usque in diem indulgentiæ quem dicunt Pascha palmarum, eo die mane diluculo ad Sanctam Afram (25) veniebat, si in 'præterita nocte ibi non manebat, missam de Sancta Trinitate cantabat, et ramos palmarum diversarumque frondium benedicebat, Evangelioque et crucibus et fanonibus (26), et cum effigie sedentis Domini super asinum, cum clericis et multitudine populi ramos palmarum in manibus portantis, et cum cantationibus in honorem ejusdem diei compositis, et cum magno decore pergebat usque ad collem quæ dicitur Perleich, ibique obviam ei veniebat chorus canonicorum cum pulchritudine magna, et cum civibus qui in civitate remanserant, et qui de oppidis circumjacentibus ipsis se jungere voluerunt, ibi, ad imitandum humilitatem puerorum cæterorumque populorum, ramis palmarum et vestimentis suis viam sternentium. His expletis, vir sanctus congruentissimam admonitionem de passione Domini ad omnes fecit, eousque sæpe et ille fleret, fletuque suo multos flere fecisset. Admonitione peracta omnes simul Deum laudantes ad ecclesiam matriculam pervenerunt, ibique missam cum eo celebraverunt, et inde omnes in sua redierunt. Postea autem in his tribus diebus contiguis synodale colloquium habere consuevit, eo quod canones (27) bis in anno episcoporum concilia fieri præcipiunt: unum xv Kal. Oct., et aliud quarta hebdomada post pascha; hoc in isto tempore perficere decrevit, ne in antea ei aliquod obstaculum illud perficiendi impedimentum faceret, et ut in cœna Domini cum eadem multitudine clericorum et populi plenius et honorificentius chrisma et oleum sanctificaretur. Eo vero die, hora tertia omnes clerici, solemnissimis paraturis induti, venerunt in ecclesiam, et ipse, suo more gloriosissime ad Dei servitium paratus, cum eis sacrum mysterium agere devotissime cœpit, perlectoque Evangelio, et admonitione facta ad populum, et confessione populi accepta, indulgentiam humillime eis fecit, et tota synodo oblationem offerente, secundum ordinem, cautissime implevit usque ad benedictionem chrismatis et olei; hoc fecit magna reverentia sibi apportari, cum crucibus et cum pueris portantibus sub palliolo occultatis, et cereis, cum versibus ad hoc ministerium compositis formosissime decantatis, et cum processione duodecim presbyterorum, qui cum eo usque in finem missæ in suo ministerio perseverare debuerunt. Rite autem sibi allato, humillime suscepit, et totam synodum rogavit ut, quando ille crucem benedicendo super illud faceret, et ipsi, cum eisdem presbyteris qui in processione erant et sibi assistebant, benedicere non desisterent, cæterumque populum *Pater noster* cum magna humilitate decantare rogavit. Quo benedicto, et populo sacro viatico refecto, Vesperaque expleta, ad sacrarium venit chrisma et oleum clericis dispensandum. His dispensatis, ad hospitium pauperum venit, et eis solito more ministravit. Inde autem in ecclesiam ambulavit, et ante sacrarium venit, ibique a camerario allatis vestibus novis duodecim pauperes vestivit, et acervulum aeoli aliis dispensavit, et eo die nullum ab eo vacuum abire dimisit, quamvis eorum multitudo magna adesset. Postea ad cibum venit, cibatisque omnibus cum eo manentibus exemplo Domini pedes discipulorum suorum lavare cœpit. Lavationeque cum antiphonis congruentibus et versibus et lectionibus decentissime peracta, pocula optima iu suis cellariis recondita cum magna charitate et humilitate sufficienter porrexit, et, Completorio expleto, membra in Dei servitio fatigata quieti lectuli commendavit. Die autem paresceve, horis secundum ordinem caute expletis, omissis aliis cursibus, sicuti in cœna Domini, nisi ad eumdem diem pertinentibus, mane diluculo psalterium explere festinavit, et, sacro Dei mysterio perpetrato, populoque sacro Christi corpore saginato, et, consuetudinario more, quod remanserat sepulto, iterum inter ecclesias ambulando psalterium explevit decantando, et, vespertina hora, sine mensa atque mensalibus, in cubiculo suo pane et cervisia se recreare cœpit, et unicuique qui secum erant panem et cervisiam juxta eorum voluntatem exhibere præcepit. Sanctissimo autem Sabbati die expletis nocturnis officiis, et amando psalterio perlecto, præparatum sibi balneum intravit. quo nunquam uti solebat eo tempore nisi in Sabbato ante Quadragesimam et in media Quadragesima, et eo die. Lavatione autem corporis peracta, et præparatione vestimentorum induta, ad sacrum officium solemniter se præparavit, et totum clerum hora diei nona cum eo paratum esse destinavit, statimque, perlecta trina letania, cereoque sanctificato lectionibusque et tractis consummatis, cum quina letania et cum omni honore ad baptismum consecrandum ad ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ perrexit, baptizatisque ibi ab eo tribus pueris, cum septena letania, regressus est ad sacrarium ad missam se præparandum, clero interim psallente in choro. Missarum vero solemniis solemniter cum Vespera peractis, corporeque Christi dispensato, et sacris vestibus depositis, eo die mensa apposita ad refectionem cum magua multitudine consedit, et omnibus abundanter refectis cum gaudio ad mansiunculas redire permisit. Desiderantissimo atque sanctissimo Paschali die adveniente, post Primam intravit ecclesiam Sancti Ambrosii (28), ubi die Parasceve corpus Christi superposito lapide

(25) Ecclesia S. Afræ ea, quæ nunc vulgo S. Udalrici cœnobii SS. Udalrici et Afræ dicitur, urbe tunc non comprehendebatur.

(26) Fanones vexilla.

(27) Distinct. 18, c. 4: « Primum post tertiam hebdomadam Paschæ, ut in quarta cempleatur; secundum Idibus Oct « Apparet itaque hic xv Kal. Oct. sumptum pro 15 die Oct.; quam phrasim etiam aliis in scriptoribus, parum latinam, est observare.

(28) Hujus ecclesiæ nullam memoriam superesse, sed stetisse prope cathedralem notat Welserus.

collocavit. Ibique cum paucis clericis missam de sancta Trinitate explevit, expleta autem missa clerum totum congregatum in [illegible] (29) juxta eamdem [illegible] vestibus indutum [illegible], sanctum portato corpore Christi et Evangelio, et crucis, et incenso, et cum congrua salutatione versum a pueris decantata per atrium perrexit ad ecclesiam Sancti Joannis Baptistae, ibique Tertiam decantavit. Indeque cum antiphonis ad honorem hujus diei congruentissime compositis, ad summum (30) formosissima processione, laudis et [illegible] secundum ordinem [illegible] missam celebraturus pervenit. Missa itaque devotissime religiosissimeque decantata, [illegible] sacramenta Christi [illegible] et in sua revertentibus, ille ad cibum accessit. Ibi mensas tres omni decore praeparatas invenit; unam [illegible] quibus valebat residere solebat, et aliam [illegible] (31). Tertiam congregationi sanctae Afrae (32). Sanctificato itaque cibo, [illegible] et [illegible] inter missarum solemnia benedicti omnibus dispensavit, et tunc demum cibum cum [illegible] gaudio sumpsit. Tempore autem [illegible] symphoniaci venerant quorum tam copiosa multitudo fuit, ut pene [illegible] secundum ordinem stando impleverunt, et tres modos symphonizando perfecerunt. His [illegible] multiplicatis, canonici, praecipiente episcopo, charitatem accipientes et [illegible], unum responsorium de resurrectione Domini [illegible] decantaverunt. Et hac charitate expleta, ad alteram mensam congregationi S. Afrae similiter fecit. Appropinquante vero vespera, [illegible] et secum sedentibus [illegible] pergere praecepit, et tertiam charitatem omnes charitative bibere rogavit, acceptaque ea charitate, tertium responsorium omnis clerus simul cum laetitia decantavit. Quo decantato, hymnum decantando canonici surrexerunt, ut apte praeparati ad Vesperam devenire potuissent. Vespera autem peracta, episcopus cum hospitibus et militibus [illegible] eadem omnes exhilarandos revertebatur. Mane vero quod est dies [illegible] ecclesiam Sanctae Afrae congregabatur, ut episcopum [illegible] paraturis indutus honorifice [illegible], quia ejus consuetudo erat ut ea die ibi [illegible] solemnia missarum Deo militaret, et post peracta sacrarum missarum solemnia multitudinem populi illuc congregati sacro chrismate confirmaret, et [illegible] paschalem hebdomadam devotissime celebravit.

V. Finita paschali solemnitate, cum alicujus rei necessitas proposuisset, ut ad alia loca vel ad monasteria pertinentia ad episcopatum legitime pergere potuisset, Witmundi [illegible] (33), Stephense, Fauces, Wassinenberga, Henvibach, (quae nunquam in beneficium [illegible] concessit, nisi de exterioribus locis ad eadem monasteria pertinentibus [illegible] de [illegible] pago in quo monasterium [illegible] situm est [illegible] monasterii habere potuisset, ut [illegible] ab eo [illegible] deveniretur, sed ad suam potestatem [illegible] ibi manendi, et quae necessaria erant [illegible] in stipendiis habuisset), solebat itaque in sella super carpentum composita, de humeris plaustri in ferro pendente, et cum eo tres clericus de capellanis ejus, qui cum eo totos dies psalmos decantasset. Non ideo quando imprimis tali modo pergere coepit nisi (34) adhuc caballicare potuisset, sed ut a populis sequestraretur, ne [illegible] ineptis impediretur. Comitari vero semper cum illo aliquos suos presbyteros eruditissimos, et de capellanis tantum ut quotidie servitium Dei decore perficere potuisset praecepit. Similiter et de vasallis suis semper secum aliquos sapientissimos habere voluit, si ei aliquod negotium de ecclesiasticis rebus vel saecularibus ad tractandum devenisset, ut eorum consilio caute tractare et regere semper paratus esset. Fuerunt etiam electi de familia semper qui trahentibus bobus ductores fuissent, et cum ante et retro ad dexteram et ad laevam caute observassent, quibus ille quotidie tantum annonae equam per seipsum et per ministros ejus dare fecit in praesentia ejus, ut triplici numero virorum sufficere potuisset. Amantissimus quoque comitatus pauperum semper cum eo inter sua loca ibat; qui virtutem caballicandi habebant in cautissimis ambulatoribus pergebant. Alii autem his vehiculis in quibus soliti erant pergere, cum carpentis episcopalia ministeria portantibus perrexerunt. Quorsum vero (35) mansionaticas et totas procurationes quae per aliquem suorum fidelium quotidie caute disposuit. Nunquam vero in aliquo praedictorum monasteriorum otiosus manebat, nisi in aedificiis ecclesiae, vel claustrorum, vel aliorum aedificiorum, vel murorum antea praeparatis, et collectis suppellectilibus laborasset. Vitam vero in eodem monasterio Deo militantium monachorum sive canonicorum et stipendia eorum omnium regere et componere studuit, et jus familiae dissolvere omnimodo non concessit. Dona etiam sancti Spiritus traditu, ubi necessitas fuit, confirmatione chrismatis non omisit.

VI. Gratum autem et necessarium [illegible] populis, cum quarto (36) anno, secundum constitutionem

(29) Peritzu.

(30) Superscriptum erat : [illegible] Germanicum scilicet cathedralis ecclesiae [illegible].

(31) [illegible] h. e. [illegible] cathedralis.

(32) [illegible] ecclesiam S. Afrae, quae nunc S. Udalrici est, [illegible].

(33) Al. Stephense, Wassinenberga, Henvibach, Fauces, Suichese vel Fuck-Wenz. Al. [illegible] phense, [illegible], Hennebach, Fauces, Suchusen.

(34) Nisi pro quod non.

(35) Hoc vero [illegible].

(36) Forte sec. quinque ; [illegible] Dioceses suas ab episcopo visitari volunt. 10 q. 1. c. 9 et 10 Capitular. etiam Caroli M. et Ludov. Pii constitutum, lib. VI, cap. Art. 8.

canonum ministerium suum ad implendum, causa regendi et prædicandi atque confirmandi diœcesim sibi commissam visitare decrevisset, eodem modo, sicut superius diximus, in solio carpenti superposito sedebat, psalmosque solito more decantabat, eunuchum illum imitans qui, legens Isaiam prophetam super currum suum sedens, per viam pergebat, cui præcipiente Spiritu sancto Philippus adjunctus est, qui, ab eo prædicatus et baptizatus, fidem sanctæ Trinitatis accepit, æstimans pro certo, quantum se colloquiis humanis subtraxisset, ut tantum se divinis propinquiorem facere potuisset. Ad loca autem illa cum pervenisset ubi consilia sua denuntiata fuerant, cum evangelio et aqua benedicta et sonantibus campanis et tanta honorificentia susceptus est, quantum illis qui ibi congregati sunt virtus suppetebat. Statim vero missa celebrata in concilio considens, populum ante se vocari fecit, prudentioresque et veraciores sacramento interrogare præcepit, quæ in illa parochia emendatione digna fuissent, et contra jura Christianitatis perpetrata peccata, ut ei veraci relatu nota fierent facta. Ut autem ab eis aliqua normam rectitudinis supergredientia cognita audivit, sine perceptione personarum secundum judicium clericorum, ad tramitem rectitudinis, quantum, omnipotenti Deo juvante, potuit, retrahere festinavit, et male pullulata surcula vitiorum falcastro verbi Dei studiosissime resecare, ne virgulta malorum germinum segetem Christi sibi commissam suffocare licentiam habuissent ; et morbis vitiorum aptissima fomenta emendationem opposuit, sed tamen secundum verbum Dei dicentis : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (*II Tim.* IV). Ea vero quæ difficilia et insuperabilia ministris suis esse ab eis comperit, in præsentia sui, omnium cum eo manentium, adjutorio, percauta directione finiri contendit. Quæ autem ab eis sine obtrectatione aliorum in statum rectitudinis convertit persensit, eorum regimini perficiendum firmiter commendavit. Ille autem, sequens regulam sui ministerii, Spiritus sancti donum populo ad hoc illud congregato, sacræ unctionis confirmationem studuit imponere. Si autem his adhuc imperfectis nox solito more subrepens advenit, ne aliqua pars ovium sibi commissarum detrimento privationis cœlestis doni gravaretur, incensis luminaribus in nomine Domini cœpta perficere decertavit. Interdum autem, cum de refragatoribus justitiæ tanta contentio excrevisset, ut decedente die, tenebræ noctis funderentur in mundo, ne pro eo concilia inibi ventilata remanerent incorrecta, luminibus incensis regulas canonicas legere præcepit, ut seris justitiæ ora refragatorum oppilarentur, et justis judiciis omnia in Dei voluntate consummarentur. Cum autem completo concilio vel confirmatione ad mansiunculas rediit, corpus reficiendum non prius prandium gustavit, quam pauperibus eleemosynæ ab eo clerico cui illa obedientia erat commendata erogabantur. Debilibus autem cum eo advenientibus in sua præsentia collocatis, abundantem refectionem apponi præcepit. In quibusdam autem diebus capitula cum clericis habere disposuit in his locis ubi hæc aptissime fieri archipresbyteri putaverunt, et ubi eum ab aliis mundanis conciliis absolutiorem esse arbitrabantur. Congregatis ante se clericis, archipresbyteros, et decanos, et optimos quos inter eos invenire potuit, caute interrogavit qualiter quotidianum Dei servitium ab eis impleretur, et qualiter illis populus subjectus ex eis regeretur in studio prædicandi docendique : quantaque cautela infantes baptizarentur, infirmi visitarentur et ungerentur, defunctorum etiam corpora quanta compassione sepulturis traderentur ; qualiter de decimis et oblationibus fidelium pauperes et debiles recrearentur, viduis et orphanis in universis necessitatibus subvenirent ; quantoque studio in hospitibus et advenis Christo ministrarent ; si subintroductas mulieres secum habuissent, et inde crimen suspicionis incidissent : si cum canibus vel accipitribus venationes sequerentur, si tabernas causa edendi vel bibendi ingrederentur ; si turpes jocos in usu haberent ; si ebrietates et comessationes supra modum amarent ; si rixis et contentionibus et æmulationibus deservirent ; si nuptiis sæcularibus interessent : vel si aliqui eorum ministeria indecentia in consuetudine haberent ; si per Kalendas, more antecessorum suorum, ad loca statuta convenirent, ibique solitas orationes explerent, suasque Ecclesias ad tempus reviserent ; si obedientiam eorum magistris præbuissent, et in toto suo ministerio devoti et apti manere studuissent. Responsione autem de interrogatis facta, et ratione veritatis percepta, stantibus in rectitudine dulcissimæ consolationis gratia gratificavit, et ut deinceps a norma justitiæ non deviarent, suavi colloquio admonuit ; errones autem per devia incedentes fratres, dignis terruit correptionibus, et ut postea consueta vitia omitterent, præcepit.

VII. Horum autem qui in suo episcopatu proprietates habebant, quisquis religiosorum propter amorem Christi ecclesiam componere cupiebat, et cum concessa licentia ab eodem sancto episcopo eam ædificaverat, consecrationemque habili tempore ab eo fieri flagitavit, aptissime uniuscujusque petitioni præbuit assensum, si confestim ille consecratæ ecclesiæ legitimam dotem in terris et mancipiis in manum ejus celsitudinis dare non differret, in conspectu civium suorum et testium veridicorum, ne postea gestæ rei veritas offuscaretur ; ea etiam ratione ut aliis circumjacentibus ecclesiis jura eorum in nullis rebus propter illam novam minuerentur. Consecrationeque peracta, doteque contradicta, comprobato illic presbytero altaris procurationem commendavit, et ecclesiæ advocationem firmiter

legitimo hæredi pœno (37) imposito commendavit. Aliquius oblationis muneris non exposcebat, nisi presbyter ejusdem ecclesiæ aliquid propter honorem suum, et bonam voluntatem suam sponte eum accipere impetraret.

VIII. Jesse vero quodam tempore præceptis obediendo, cum in pago Alidgowe (38) nominatum ministerii sacratissimi implere decrevisset, venerunt quidam homines de eodem pago ad eum, lamentando dicentes: « Patres nostri in sua proprietate quam nobis reliquere, de lapidibus et cæmento et lignis ædificium construxerunt, quam Deo et sanctis ejus dedicari voluerunt, ut in ipsa ibi sacrorum officiorum celebrationem audire meruissent, quia locus iste in magna vastitate eremi est situs, sed propter difficultatem viæ et paupertatem substantiæ eorum, numquam episcopum ad consecrandum præfatam ecclesiam introducere potuerunt. » His auditis, Dei servus hilari vultu dicebat: « Potestis nunc ad tempus quæ consecrationi ecclesiæ sunt necessaria acquirere? » Qui omnes cum consolationibus freti respondebant: « Possumus. » Quibus ille inquit: « Cum nimia viæ dolorem diminuendo, intercedite, et quæ sunt ordinanda ordinate, cum (ad) vestræ subveniendum necessitati illuc perveniam, et, Deo juvante, ecclesiam consecrabo. » Die vero altera, consecratione peracta, cives ipsi secundum suam facultatem munera offerentes ante eum veniebant; quæ videns, subridens dixit: « Non propter amorem alicujus muneris, sed ut vestræ necessitati consulerem, et servitium Dei in hoc loco multiplicaretur, huc veni; hæc nobis oblata vestræ utilitati servantes, et in Dei servitio crescentes, manete in pace. » Hæc dicens recessit, et de scrupulo viæ nullam nisi quasi lætando querimoniam fecit.

IX. His vero bonorum operum studiis insistens, omnes apud eum commanentes exhortatione benignissima spiritualiter recreavit, docens non solum in verbis sed etiam in operationibus ut unusquisque Dominum ex omnibus viribus perfecte diligeret, et ejus amori nihil præferret, et proximum tanquam seipsum, patrem et matrem honoraret; insuper omnes bonæ voluntatis homines, de quibus angelica canit multitudo, dicens: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II); malignis autem in omnibus eorum malis actibus resisteret, secundum sanctum prophetam David, dicentem: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat* (*Psalm.* XIV); quod quisque sibi noluisset, alteri non faceret; ecclesias Dei cum devotione mentis et humilitate et cum oblationibus crebro visitaret, ibique cum effusione lacrymarum et pro remissione peccatorum suorum et pro omnibus justis suis necessitatibus Deum flagitare satageret. Inimicis insuper indulgentiam postulare monebat, secundum orationem Dominicam, dicentem: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI), et secundum Evangelium: *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Matth.* XVIII); et iterum: *Dimittite, et dimittemini* (*Luc.* VI). Decimas omnium laborum suorum Domino et sanctis ejus, omnibusque quibus sunt terminatæ, ne tantum Cain fratricidæ lacerderent cum magna cautela præsentare festinarent. Dominicos etiam dies et ceteras solemnitates in anno non solum in abstinentia servilium operum, sed et omnium vitiorum, devotissime venerari monuit. Eucharistiam quoque assidue accipere, atque ante acceptionem purgatum se exhibere, et post acceptionem mundum se custodire certaret. Dies Quadragesimæ ceteraque jejunia antiquitus constituta et noviter cum consensu inventa, omni monuit devotione ab omnibus custodiri, abnegationem sui facere, et Christi vestigia sequi, corpus castigare, delicias non amare, esurientes et sitientes escis et poculis recreare, nudis vestimenta præbere, infirmos et in angustiis constitutos visitare, egenis et vagis mansionem concedere, et quæ sunt necessaria propter amorem Christi præbere, pupillos et viduas in tribulationibus visitare, atque in cunctis eorum necessitatibus subvenire, malitias in corde non retinere, et verbis aliquem ad iracundiam non provocare, iram deponere, vindictamque Domino concedere, nulli malum pro malo reddere, nec aliqua læsione exacerbare, maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere, et persecutionem pro justitia sustinere, discordantes et inimicitias inter se habentes ad unanimitatis concordiam revocare, Deo resistentibus resistere, et sibi cum fide militantibus juvamina præbere, nullo octo vitiorum principalium quæ omne genus hominum infestant scandalo laqueari. Quærentibus autem quæ essent octo vitia principalia, respondit non solum illis, sed et iis qui adhuc in hæsitatione manent, quæ sint octo vitia, dicens (39): Primum est gastrimargia, hoc est ventris ingluvies, cum sua prole: comessatione et ebrietate; secundum est fornicatio, cum sua prole: turpiloquio, scurrilitate, ludicris, quæ etiam sunt stultiloquia; tertium est phylargyria, hoc est, avaritia sive amor pecuniæ, cum sua prole: mendacio, fraudatione, furto, perjurio, turpis lucri appetitu, falso testimonio, violentia, inhumanitate, voracitate ac rapacitate; quartum, ira, cum sua prole: homicidio, clamore et indignatione; quintum, tristitia, cum sua prole: rancore, pusillanimitate, amaritudine, desperatione; sextum acedia, cum sua prole: otiositate, somnolentia, importunitate, inquietudine, pervagatione, instabilitate mentis et corporis, verbositate et curiositate; septimum cenodoxia, hoc est, vana gloria, cum sua prole: contentione, hæresi, jactantia, ac præsumptione novitatum; octavum superbia, cum sua prole: contemptu, invidia, inobedientia, blasphemia, murmuratione, detrac-

(37) Observa ritum tradendæ advocationis ecclesiæ.
(38) Vulgo *Algau*, *Algers*.

(39) Hæc principalium vitiorum divisio etiam Cassiano et quibusdam aliis placuit.

tatione, inimicitia. Beatum vero dicebat, qui in istis vitiorum pedicis non offendebat. Octo vero notissimas beatitudines a Deo in Evangelio enumeratas, auribus cordis caute percipere, et intimis cogitationibus firmiter inserere, ut in tempore tentationis malignis spiritibus eas evellere virtus non concedatur, sed unusquisque ad spem cœlestium desideriorum earum consolationibus sublevetur; Agno vero omnipotentis Dei Christo tollenti crimina mundi, semper die noctuque multiplices laudes et gratias totis desideriis et omnibus viribus referre, quia dignus est sua incarnatione, et nativitate, et baptismo, et crucifixione, et sepultura, et resurrectione, et ascensione solvere signacula septem libri signati, in visione sancto Joanni apostolo in Pathmos insula ostensi. Intente autem et subnixe omnium in commune benevolentiam postulavit: si qui essent qui in semetipsis segetem aliquarum virtutum excrevisse sentirent, non suis meritis, sed omnipotentis Dei misericordiæ applicarent, ne subito jactantiæ grandine in eis necaretur, sed tempestiva maturitate, protegente Spiritu sancto, in horreis Christi collocaretur. Os a malo vel pravo eloquio custodire, lectiones sanctas libenter audire, mala sua præterita cum gemitu et lacrymis quotidie in oratione Deo confiteri, et deinceps emendare, desideria carnis non perficere, voluntatem propriam frangere, sacerdotum præceptis obedire, etiamsi ipsi, quod absit! aliter agant, eos imitantes, de quibus Dominus dicit: *Dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII). Castitatem amare monuit, nullum odire, invidiam et zelum non habere, contentiones non colere, elationem odire, venerari seniores, diligere juniores, timorem Domini in corde et animo sine intermissione habere, credere oculos Domini omnia videre, et aures ejus omnia audire, Psalmista dicente: *Ecce oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* XXXIII). Diem vero obitus sui et diem extremi judicii, in quo dicturus est Dominus his qui eum recreare et vestire et visitare in suis pauperibus quotidie festinant, qui ab auditione mala non timebunt, illud: *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV), etc., illis autem hæc negligentibus, et Deo in suis membris non ministrantibus: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Ibid.*), ante oculos semper suspectam et timidam habere: et pœnas maledictis præparatas oculis mentis sæpissime intueri; et locum pessimum qui semper est sine refrigerio, et sine splendore, et sine dulcedine, et erit sine fine, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur, ubi fletus et stridor dentium, sine intermissione semper auditur, ubi vorans flamma machinationibus diaboli semper renovabitur, ubi consolationis spes omnino non habetur, sed de hora in horam tristitia augetur, quia finem manendi invenire non possunt, sed cum his quibus in hoc sæculo ministravere, in augustiis sine

A fine perseverant. Dei autem benedictis et in ejus dextera collocatis quanta gaudia atque tripudia maneant, semper quantum humanis mentibus possibile est, cogitare oportet, de quibus scriptum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II). Ubi hymnidici angelorum chori inenarrabili claritate fulgebunt; ubi celsitudo patriarcharum digno honore remunerata gaudebit; ubi verax prophetarum ordo, prophetiis suis in toto expletis Deo gratias agere non cessat: ubi judex apostolorum chorus, accepta acie promissa mercede, perenniter exsultabit; ubi martyres, palma martyrii eorum coronati, consolatione perfruuntur æterna; ubi con-

B fessores, præmiis suis multiplicatis, in Dei laudibus perseverant: ubi virgines centesimi fructus retributione abundant, et viduæ sexagesimi fructus restitutione honorantur: ubi monachi, ex resignatione sæcularium omnium, cum esurientibus et sitientibus justitiam Dei, expletis eorum desideriis, satiati, Dei laudibus insistere non cessabunt; ubi pœnitentes, depositis delictorum suorum oneribus, sine fine Deum laudantes congaudent: ubi pueri Agnum in albis sequentes, sub throno angelis concordantes, Deum laudare cantando, non cessant; ubi gloriosissima virgo, Dei genitrix, Maria, super choros angelorum exaltata, inæstimabili claritate et formositate omnes hilarans conspicitur; ubi justi sicut sol fulgebunt, et omnes sancti Creatorem suum et omnium

C creaturarum, in sua claritate facie ad faciem gaudendo videbunt, ab eis auferentem omnem metum et omnem mœrorem et tristitiam, atque omnem adversitatem. In illo regno lux solis et lunæ et stellarum non est necessaria: fames et sitis nulli nocebunt, frigus vel æstus nullum fatigabunt, infirmitas et dolor nulli advenient, venturæ senectutis miseria non timebitur, sed sicut in die judicii corpora mortuorum in mensura ætatis plenitudinis Christi resurgent, in ea etiam impassibilitate et pulchritudine permanebunt. Nuptiæ ibi non celebrantur, et progenies hominum postea non multiplicabitur, sed completus numerus justorum non minuetur, sed sine fine in gaudio servabitur; insidias diaboli ultra non timebit, indulgentia peccatorum ultra non indige-

D bit; sicut angeli in primæ conditionis impassibilitate permanebunt, sic et homines, post resurrectionem æquales angelis, in sobrietate et incommutabilitate perseverant in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus ædificata, quæ dicitur duodecim lapididus pretiosis esse ornata atque fundata, quorum nomina et ordinem sanctus Joannes apostolus et evangelista in Apocalypsi enumerat: ubi jaspidem in primo fundamento positum dicit, quem dicunt omnia phantasmata fugare, in quo fidei viriditas designatur; sapphirum in secundo, qui spem cœlestis beatitudinis designat; calcedonem in tertio, qui flammam internæ charitatis figurat; in quarto smaragdum, qui ejusdem fidei fortem inter adversa confessionem figurat; in quinto sardonichum, sanctorum inter vir-

tutes humilitatem significantem; in sexto sardium, in quo sanctorum martyrum cruor exprimitur; in septimo chrysolithum, in quo spiritualis inter miracula prædicatio figuratur; in octavo beryllum, in quo prædicantium perfecta operatio significatur; in nono topazion, in quo eorumdem ardens contemplatio monstratur; in decimo chrysoprasum qui beatorum martyrum opus pariter et præmium significat; in undecimo hyacinthum, qui cœlestem ad alta sublevationem, et propter humilem ad humana descensionem figurat; in duodecimo amethystum, qui cœlestis semper regni in humilium animo memoriam designat. Hæc positio duodecim lapidum figurat humilitatem apostolorum, qui in fundamento Ecclesiæ sunt positi, sicut Salvator mundi beato dixit Petro: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Hæc dicendo ad Petrum omnibus notum fecit apostolis quod super eos esset Ecclesia sua ædificanda, quorum sonus in omnem terram exivit, et in fines orbis terræ verba eorum. Si apostoli fundamentum domus Dei sunt, et omnis Christianitas ædificatio ejusdem templi manere debet, dicente Apostolo: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos, et Dei ædificatio estis*, etc. (*I Cor.* III), studeamus omnes totis viribus nos Ædificatori et Inhabitatori conjungere, ut doctoribus nostris in fundamentum positis, eo donante, superædificari mereamur; ut inter electos lapides positi, et prælatis ordinibus juncti videamur; ut Creatorem et Redemptorem nostrum judicem vivorum et mortuorum, facie ad faciem videntes, cum eis laudare mereamur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

X. Longe lateque cum fama ejus bonitatis dilataretur, et diabolus eum in hoc culmine virtutum stantem videret, consuetæ malitiæ suæ astutus nitebatur in aliquam difficultatis voraginem immergere, et ab inceptis bonis impedire. His vero temporibus Liutolfus, filius Ottonis gloriosi regis, dux erat Alamannorum, cui pater ejus antea gentes omnes regionum suæ ditioni subjectarum sacramento post finem vitæ suæ subjugaverat; patruus autem ejusdem Liutolfi Henricus, frater regis, dux exstitit Noricorum; qui vero (40) inter se propter confinia regionum ex suasione malignorum hominum rixas et contentiones exoriri cœperunt. Cumque eos rex mitigatos ad concordiam et pacem revocare potuisset, objecit se filio, et in adjutorium fratris convertitur. Cum autem filius ejus, cum universis quos congregare potuerat, ei resistere niteretur, atque extorrem regalis potestatis agere moliretur, Henricus, prælatus dux, commendata civitate Ratisbona, totaque regione Noricorum, Arnolfo Palatino comiti, et cæteris insuper suis fidelibus, perrexit ad regem. Moram autem illo ibi faciente, prælatus Arnolfus cum multitudine populi fraudulenter Ratisbonam cum cæteris urbibus, et cum frequentia populorum, et cum omnibus quibus potuit, Liutolfi potestati subegit. Quibus compertis, rex cum fratre suo Henrico Bajoariam hostiliter invasit, ad restituendum eum in honorem prioris potestatis. Pontifex autem antistes Udalricus, cujus fidelitatis firma stabilitas nunquam ab adjutorio regis separata est, hæc comperiens, dimissa parte in Augusta civitate vasallorum suorum, cæterisque rebus collocatis, cum quibus potuit, omisso vehiculo carpenti, equitando in servitium regis, in regionem Noricorum sagaciter venit, carrulaque prolongata possibilitatem redeundi inde non potuit habere. Arnolfus autem prædictus interim, accepta multitudine, Augustam adiit, et despoliavit rebus omnibus quas secum abducere potuit, comprehensosque quosdam milites episcopi secum Bajoariam revexit. Rex autem cum de regione Bajoariorum reversus esset, et episcopus in sua sede resedisset, non considerabat se in Augusta civitate posse cum multitudine parva defendere, quia totum pene episcopatum in beneficium extraneorum dividebatur a Liutolfo et sequacibus ejus; milites autem episcopi quidam comprehensi, quidam vero sollicitatione iniqua divisi ab eo, quidam deprædationibus in paupertatem deducti, ita ut ei secundum suam voluntatem in adjutorio esse non potuissent. Hi autem qui cum illo remanserunt, suis colloquiis roborati, salubre consilium inierunt ut, relicta Augusta civitate, castellum quod dicitur Mantichingen ædificare, et ab adversariis eorum sibi se defendere studuissent. Tum vero una tantummodo nocte in Augusta civitate manebat inclusus, altera die statim perrexit ad prædictum castellum, quod erat in toto interius exteriusque sine ædificiis desertum. Quamvis certe hiems dura fuisset, tamen in illo loco, in tabernaculis et in tuguriis festinanter compositis, exspectavere donec congregata familia castellum ligno circumcinxere, et intus secundum possibilitatem eorum ædificia apta composuere. Arnolfus itaque et omnes qui cum illo erant, regiæ potestati undique contradicentes, hæc comperientes, legationes miserunt, si sospitatem sui suorumque habere voluisset, potestati Liutolfi se sine dubio subdere non distulisset, et ut prædictum castellum cum suis componere deseruisset; quia eo tempore in tota regione Suevorum nullus in regis adjutorio remanebat, nisi Adalpertus comes, cum sibi subditis, et Theopaldus, frater religiosi episcopi, et ideo æstimabant ut eorum decreto virtutem resistendi nullo modo acquirere potuisset. Qui, sapienti cum suis utens consilio, diversis promissionibus et humillimis responsionibus, et interdum obsidibus datis iterumque receptis ad se, eorum iras et obsidiones omnimodo mitigavit, donec ædificato castello vallibusque renovatis, in munitione ejusdem loci ab eorum cum suis sævitia se posse defendere æstimaret. Cum vero ulterius rationibus respondendi illos prolongare non potuisset, tunc manifeste confessus est se, sicut cœpit, in voluntate regis velle perdurare. Tunc prætus Arnolfus, filius Arnolfi ducis, congregata mul-

(40) Hoc vero abundat.

titudine eorum infaustorum qui antea Augustam civitatem deprædati sunt, et aliorum in quorum tunc confidebat adjutorium, voluit obsesso castello venerandum episcopum vi coactum cum suis ditioni subdere Liutolfi. Hac re comperta, episcopus econtra, legatis missis, multa pecunia promissa flagitabat ut revertentibus eis illi liceret et in pace subsistere : sin autem, pace contradicta, redire noluissent, præcepit eisdem legatis suos parochianos banno Christianitatis constringere, ne loca Sanctæ Mariæ, in suo episcopatu sita, ullo modo invadere præsumerent. Qui vero pecunia contradita bannoque Christianitatis postposito, male incœpta omittere noluerunt, sed ad internecionem eorum ea Dominica (41) in qua mos est clericorum ante Quadragesimam carnes manducare, et deinceps usque ad sanctum tempus Paschæ devitare, hostiliter invaserunt prædium Sanctæ Mariæ, et episcopum obsederunt. Qui vero die noctuque in Dei servitio studiose permanens, timore abjecto in Deum confidens, obsessiones eorum pro nihilo ducens, in prædestinatione inita firmiter perseveraverat. Hæc vero obsessio ut comperta fuisset Adalperto comiti et Theodpaldo fratri episcopi, congregata phalange populi, prima die Quadragesimalis temporis, quod est dies lunæ, mane diluculo castra inimicorum invaserunt. Sed illi hæc antea posse fieri non putantes, imparati ad bellum inventi sunt, et, repentino timore perculsi, relictis spoliis fuga inimicos evadere studuerunt. Illi autem eos sequentes, Hermannum fratrem Arnolfi apprehenderunt, quosdam in castris ceciderunt, quosdam vero ulterius subsequentes interfecerunt. Maxima autem parte eorum interfecta, cæterisque fugatis, nullus eorum ad se defendendum fiduciam accepit, nisi unus nomine Egilolfus, fugiendo brachio Adalperti comitis modicum vulnus infecit, de quo etiam vulnere mortuus est ; vulnerator etiam ejus statim occisus est a Liutperto vasallo ejusdem Adalperti. Paucissimi autem eorum, ictibus contusi, ac diversis modis vulnerati. periculum tamen mortis, equis eorum eos asportantibus, eo die vix evaserunt, quidam vero eorum, gelu miserabiliter astringente, nudi in desperatione vitæ proprias mansiunculas repetierunt Corpus vero Adalperti, in Dei voluntate occisi, reverendus episcopus ad Augustam civitatem vexit, et, animam honorifice Deo commendans, in ecclesia Sanctæ Mariæ sepelivit. Nullus autem eorum qui antea sibi spolia Augustæ civitatis in contrarietatem sanctæ Dei genitricis Mariæ vindicaverunt, impunitus evasit, nisi qui se suis propriis rebus cum indulgentia reverendi episcopi redimere non distulerunt.

XI. Manus proprias unus ex his lacerando, vicinis suis in veritate dicentibus, perdito sensu spiritum exhalavit. Alius autem cum ablato de Augusta civitate libro caballum sibi bene placentem comparavit, et secum adduxit in domum suam, uxorique suæ monstravit et dixit : « Melius mihi placet istum formosum caballum habere, quam librum cum quo hunc comparavi in Augusta relinquere. » Cujus verbis respondit uxor ejus, dicens : « Utile tibi forte fuisset, si manus tua hunc librum injuste non tetigisset. » Interim vero ille levigando manu in posteriora tangebat caballum, et statim ab eo percussus mortuus est. Novis et inopinatis his cladibus, et aliis multis formidolosis rebus in reis peractis a multitudine populi compertis, timor magnus invasit eos qui se esse reos cognoverunt de prædicta prædatione Augustæ civitatis, non solum in eos qui illuc pervenerunt, sed et qui aliquid de injuste acquisitis ab eis acceperunt, et ideo, ad pœnitentiam et lamentationem conversi, digna emendatione et restitutione abstractarum rerum, et cum efflagitatione indulgentiæ episcopi, studuerunt se cum Christo et cum sancta Maria matre ejus pacificare. Non post multum vero temporis præfatus Arnolfus qui se præsumpsit res sanctæ Mariæ hostiliter invadere, et incorrigibilis sine pœnitentia perduravit, obsessa Ratisbona civitate paratus ad prælium exivit, et statim in articulo tumultus occisus est. Quidam etiam homo, de episcopatu qui dicitur Eshstetten, partem vilissimi mensalis inde ad suam proprietatem portavit, et statim a dæmonio occupatus, nullum abscondendi locum ab eo invenire potuit neque in ecclesia neque extra ecclesiam, neque aspersus aqua benedicta, quin juxta eum semper videretur manere, donec, Augustam regrediens, injuste inde rapta reportavit, et episcopum cum scopis ei flagella imponere pro Christi nomine postulavit, et insuper indulgentiam præfati delicti condonare, sicque liberatus a dæmonio salvatus recessit.

XII. Ne diu me ab incæpta taxatione subtraham, libet stylum retrahere ab enumeratione ex utraque parte obsessarum urbium et bellorum undique furentium, et vicissitudine stromatum (42) diversorum, sed potius quomodo Dominus omnipotens per merita servorum suorum suum dignaretur populum liberare libet recensere ; ne diaboli machinationibus ad suum perveniret exitium. Cum rex Otto in Alamannia, propter eos qui cum Liutolfo filio ejus ditioni suæ regalis potestatis contradicere voluerunt, cum exercitu conversaretur juxta flumen quod Hilara vocatur, in campo oppidi quod dicitur Tussa (43), et ibi sæpedictus filius ejus Liutolfus cum alio exercitu obvius ad pugnandum contra eum deveniret, et cum tanta vicinitate conjuncti essent, ut nulla ambignitatis spe detenti manerent in utrarumque partium multitudine; ni bellum ab eis committeretur, tunc amabilis Deo Udalricus episcopus, in Deum tota fiducia confidens, assumpto Curiencis Ecclesiæ Hartberto religioso episcopo, legationes inter eos facere cœpit, et ad pacis concordiam exorare, et ne populus qui a Deo illis commendatus est ad regendum, pro eorum

(41) Vulgo *Quinquagesima.*
(42) Pro *stratagematum.*

(43) Tussen.

rentis ducerentur ad perditionem. Deo autem annuente, hos auctores sceleris, filium scilicet regis et filii ejus Liutolfi, de perfidia consiliationibus et doctrina venenosorum episcoporum in pacificam versos, pactum pacis inter se plantaverunt; et tribulationes hinc mitigavit. Et sic tunc pace redierunt. Tantis autem illius praeliti temporis fatigationibus superatis, aestimaverunt se aliquod spatium temporis in pace posse quiescere. Altero pro certo anno, quod est anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 955, tanta multitudo Ungrorum erupit, quanta tunc temporis viventium hominum nemo se antea vidisse in ulla regione professus est, et Noricam (44) regionem a Danubio flumine usque ad Nigram silvam, quae pertinet ad montana, simul devastando occupavit, et cum Licum transmearet, et Alamanniam compeeret, ecclesiam Sanctae Afrae concremavit, ad totam provinciam a Danubio usque ad sylvam depraedavit, et maximam partem usque ad Hilaram fluvium percusserunt. Augustam autem civitatem obsedit, quae tunc temporis non turribus circumdata muris, firma et munita non fuit. Sanctus autem antistes magnam valde multitudinem optimorum militum secum intra septa civitatis collectam habebat; ex quorum agilitate et audacia civitas fortiter firmata, Deo juvante, consistebat; qui ut exercitum Ungrorum ad expugnandam civitatem convenire viderent, ex civitate exire voluerunt, sed hoc episcopus ex suo consilio renuens, portam ad munimen aditus intrandi manifeste firmiter occludere praecepit. Porta autem orientalis juxta (45) tanto illis ad equos, ut a descensu Ungrorum tutior munita est, ut ipsi aestimaverint se illam posse intrare; milites enim episcopi ante portam viriliter pugnantes eis restiterunt, usque dum unus Ungrorum qui ceteros pugnando antecedebat, et ex capite ducto et antecessione maximam pro illo fiduciam habebant, occisus occubuit; ceteri denique cum eum terra tenus mortuum cadere viderunt, magno clamore et lamentatione eum rapientes ad castra reversi sunt. Hora vero belli episcopus super caballum suum sedens stola indutus, non clypeo aut lorica aut galea munitus, jaculis et lapidibus undique circa eum discurrentibus, intactus et illaesus subsistebat. Bello vero finito regrediens circuivit civitatem, et domus belli in circuitu civitatis congregatas ponere, et in tota nocte eas aedificare, et vallos, quantum tempus suppetebat, renovare praecepit. Ille autem totum spatium noctis in orationibus permanens, religiosas mulieres in civitate congregatas commonebat, ut una pars earum cum crucibus ad Dominum devote clamando intra civitatem circuiret, et altera pars clementiam sanctae Dei genitricis Mariae pro salvatione populi, et pro liberatione civitatis studiosissime pavimento prostrata flagitaret. Ipse autem adveniente particulam noctis ante Matutinam horam corpus requiei superius indulsit, et, matutinis et laudibus expletis,

aurora primum erumpente, salutaris sacrificii hostiam Deo libare fecisset. Ministerio sacro peracto, viatico sacro omnes recreavit, humilique admonitione persuasit eis, in fide recta persistentes, spem suam in Domino componere, non dubitarent, indicavit eis magnam spem consolationis, et ingessit psalmographi David verba dicentis: *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psal.* XXII). Salutari autem admonitione episcopi peracta, cum jubar solis primum latitudinem telluris irradiaret, exercitus Ungrorum innumerabili pluralitate ex omni parte ad expugnandam civitatem circumcinxit, diversa secum instrumenta ad depositionem murorum, eamque undique pararet ad bellum, et cuncta propugnacula civitatis repugnantium plena fuissent, quidam Ungrorum flagellis alios minantes ad pugnam coegerunt, et illi, vastam multitudinem in propugnaculis resistentium eis videntes, muris se conjungere adhuc perterriti non audebant. Interim cum interius exteriusque parati essent ad bellum, Berchtoldus, filius Arnolfi, de castello Risinesburch veniens venit ad regem Ungrorum annuntians ei adventum Ottonis gloriosi regis. Qui, ut hoc audivit, statim classicum omni exercitui notum clangere praecepit, de cujus sonitu exercitus totus pugnam civitatis omisit, et ad colloquium eorum regis se conjungere festinavit. Qui, cum eis adnuntiatione facta, Deo donante, a pugna civitatis cessabat, et in occursum gloriosi regis ire coepit; ea ratione ut, illo cum suis superato, victor rediens civitatem et totum regnum libere habere potuisset. Regi Ottoni venienti Dietpaldus comes frater episcopi, cum ceteris qui in civitate erant, nocte exiens in occursum venit. Rex igitur cum tantum exercitum Ungrorum perspexisset, aestimavit non posse ab hominibus superari, ni Deus omnipotens eos occidere dignaretur, in cujus adjutorium confidens, suorumque consolationibus principum roboratus, bellum viriliter cum eis agere coepit, et cum multi caede utrobique cecidissent, et his interfectis qui ad occisionem a Deo praedestinati erant, gloriosa victoria Ottoni regi a Deo, cui nihil impossibile est, data est; ita ut exercitus Ungrorum in fugam versus virtutem praeliandi ultra non haberet, et, quamvis incredibilis numerus illorum occisus fuisset, hujus tamen eorum exercitus adhuc remanebat, ut hi qui de propugnaculis Augustae civitatis eos venire conspexerant, non putarent homines eos foedere aestimaverunt, donec praecurrentes civitatem ulteriora Lici fluminis litora festinando equitando cooperuerunt. Rex autem cum suis eos sequens, et quibusdam conjunctis pugnans, vespertina hora diei Augustam pervenit. Ibique cum episcopo Deo sanctum duxit, atque magnam consolationis laetitiam fecisset, de Dietpaldo fratre ejus qui in bello occisus est, et de aliis suis propinquis ibidem interfectis, Reginbaldo filio Dietpaldi comitatibus

(44) Bavariam intellige.

(45) Porta quam Jacobeam dicimus.

patris honoravit, episcopique fido adjutorio, in A quibuscunque ejus desiderium cognovit, dignam mercedem restituit. Mane autem facto, fugitivas barbarorum acies sequendo, regionem Bajoariorum (46) revisit, festinisque legatis missis, tota remigia et vada fluminum observare præcepit, ad occisionem eorum, quod et ita factum est. Illi autem, nocte illuc venientes, quidam eorum ab his qui in navibus erant fluminibus immersi sunt, quidam occisi sunt, qui autem ad littus pervenerunt, ab his qui littora observabant interfecti sunt, nulla eis via, et nullum devium ab eis inveniri potuit, quin in omni loco vindicta Domini super eos manifeste maneret ; ita etiam ut non post multos dies reges eorum et principes comprehensi et ad Ra- B tisbonam perducti, in ignominiam gentis eorum, cum aliis multis eorum comprovincialibus equuleo suspenderunt.

XIII. Rex autem Otto potentiam in Deo tenens, Henricum fratrem suum potestativa manu in regnum confirmavit, et ipse in Saxoniam victor, sicut solebat, revertebatur. Venerandus autem episcopus Udalricus, cum rex ab Augusta discederet, abiit ad loca ubi bellum peractum est, quærens prædictum Dietbaldum fratrem suum et nobilem Reginboldum filium sororis suæ (47), et inveniens eos ad Augustam perduxit, et in ecclesiam Sanctæ Mariæ ante altare sanctæ Walpurgæ virginis in sede unius taphi (48) ambos fideliter sepelivit. His ita, sicut prælibatum est, peractis, episcopus, quamvis multis adversis C fatigatus fuisset, sicut optime omni speranti in Deo decet, bonæ consolationis effectum assumens, cum suis pertractare cœpit qualiter imminentia damna aptissime superare potuisset. In primis qualiter deprædatam congregationem clericorum sustentaret, ad implendum ministerium quotidianum servitii Dei in ecclesia, sciebat enim eos cibaria non habere, et ideo cum his quæ, ipse sic deprædatus, habere potuit, et quæ a benevolis populis ei transmissa sunt et oblata, assidue in sua præsentia eos secundum suam facultatem mandere et bibere fecit, et omnimodis adjutoriis stabilivit, eo usque dum ex semetipsis deprædationis miseriam temperaverunt, et loca eorum ex iterata laboratione sustentationis subsidium attulerunt : sua autem loca D ignibus exusta et consumptis frugibus in desolationem redacta, studiosis laboribus in agris et ædificiis renovare præcipit, strenuitas autem familiæ jussioni ejus parendo, sic inchoabat, et congruo tempore utilitatis usu, quantum possibilitas sufficiebat, restituit. Ecclesiam autem Sanctæ Afræ, quæ a paganis fuerat cremata, adhuc reædificata non erat, sed tugurium glossibus (49) tectum altaria ab imbribus et intemperiebus defendebat ; sepulcrum Simperti episcopi, in thoro juxta gradus situm, adhuc sine tecto remanebat : de cujus operimento in visione admonitus, lignis more operculi arte conjunctis tegebat. Non post multum vero temporis decursum, iterum admonitus ut domum Sanctæ Afræ reædificare non tardaret. De cujus instauratione cum sæpissime tractaret qualiter congruentissime fieri potuisset, et qualiter sub positione cryptæ orientalem plagam ecclesiæ convenientissime decoraret, et nullus certitudinis effectus ei animo irrepsisset, continuis orationibus et jejuniis cum domesticis et religiosis presbyteris, devotissime misericordiam Dei secreto deprecari cœpit ut ei monstraretur locus in quo corpus sanctæ Afræ collocatum fuisset, et si cryptam in eo loco ubi voluntas ejus complacuit fas componere maneret. Ut orationem ejus et jejunium ad aures Domini pervenire dubium non esset, secundum cantationem sancti David prophetæ : *Ecce oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum* (*Psal.* XXXIII), quadam nocte in visu ei Sancta Afra apparuit, et locum collocationis corporis ejus, sicut in scriptura passionis ejus est scriptum, ab Augusta civitate in secundo milliario in ecclesia monstravit. Cryptam autem in prædestinato loco fieri prohibuit, propter sanctorum reliquias, quæ in illo loco in requie diem exspectare debent judicii. Hac revelatione perdoctus quid sibi esset faciendum, muros ex maxima parte ab ignibus depositos cum magna festinatione reædificare fecit, et priori altitudini mensuram unius cubiti superposuit, cryptaque congruenti occidentalem partem ecclesiæ decoravit, super ædificia in sua præsentia caute mensurata, summo studio incidere et adducere præcepit, et non tardavit donec imbricibus eam ex toto cooperuit, et interius ædem ecclesiæ laqueariis vestivit, et lucida pictura decoravit, et ornamenta ecclesiæ, quæ propter barbaros in civitatem fuerant deportata, et in matrici ecclesia servata, restitui fecit.

XIV. Quam in magna observatione Dei ille locus orientalis partis ecclesiæ semper maneat certis sit indiciis manifestatum, hic mihi congruum videtur innectere. Quidam hortulanus nomine Adelpoldus ibi deambulando inter gramina speluncam invenit, in quam intrans formosam ædiculam sub terra muratam conspexit, et veniens nuntiavit episcopo, dicens : « In hoc loco possum olera mea et alia necessaria reponere. » Cui ille respondit denuntiando, dicens: « Si hoc facis, sensum et sospitatem membrorum tuorum te perdere dubium non est. » Hortulanus autem verbis episcopi non credens, sine ejus licentia præfatas res in eamdem speculam congregare cœpit ; hoc faciendo sensum cum auditu et visu perdidit. Hoc autem cum episcopo nuntiatum fuisset, jussit adduci sibi hortulanum, et dixit ei : « Quare occupare voluisti illum sanctum locum, spernendo meum præceptum ? » Cui ille, quamvis sensu careret : « Non inficior, ait ; scio enim quod pro illo reatu, quod mandatis tuis non obedivi, istam tribulationem incurri. Cujus tribulationibus benevolus episcopus condolens,

(46) Al., Bavariorum.
(47) Luitgardæ.
(48) Sepulcri.
(49) Pro *scandulis*.

indulgentiam ei cum benedictione donans, Deo concedente, sanitati restituit. Mirabile dictu! sic sanatus postea illam infirmitatem nullo modo invenire potuit. Postea autem episcopus pullulantibus annis, in australi parte exterioris muri ecclesiæ sepulcrum sibi fodere, et exterius muro firmare, et per ruptum muri ecclesiæ arcum minutum desuper curvare præcepit, et arcam lapideam componere ad componendum corpus in sepulcro, et insuper tabulatum densum, longo tempore imputribile, tamen conjunctione vinctum superponi decrevit. His præparationibus exsequiarum suarum perpetratis, omni hebdomada deinde ipsum locum die Veneris visitare, et ibi hostias immolare consuetus erat, si alia aliqua ei occupatio vel infirmitas impedimentum non fecit. Interea vero Deo donante clementia istas regiones concordia pacis illustrabat, et benevolas vocatas turbas peregrinationum a Dei servitio non prohibebat. Unde ipse Romam pergere decrevit, et illuc feliciter pervenit, liminaque beatorum apostolorum Petri et Pauli devotionis studio humiliter visitavit, ibique precibus profusis, eleemosynarumque largitate pauperibus dispensata, ab Alberto principe Romanorum honorifice susceptus est, frequentique muneris et oblatione consolatus, aliquot dies ibi perduravit. Cumque ibi morando reliquias sanctorum se velle comparare indicasset, quidam clericus hoc eum rescens, perduxit eum in silentio noctis ubi caput Sancti Abundi martyris in quadam ecclesia altari inclusum servabatur, cujus passionem ei ostendens, et caput præsentans, sacramento humilitatem dedit super reliquias quas episcopus secum attulerat, ejusdem Abundi caput esse cujus passio præsentialiter fuit perlecta. Cum autem sacramentum peractum audisset episcopus, placitum mercedem clerico donavit, caputque sancti Abundi accipiens, ad Augustam secum reportavit, ibique ad consecrationem multorum gloriose inclusit. Monasterium vero Sancti Galli ubi ille nutritus litterarum fuerat perdoctus, humiliter visitavit, ibique Deo militantibus sufficientis convivium fecit, et inde ad cellam sancti Magnoaldi pervenit, ad visitandum servum Dei sanctum Eberhardum, eumque muneribus aliisque solitis sanctitatis salutationibus ut quibuscunque potuit caritate augmentare volentes. Ultima vero vice, Eberhardo vivente, cum intercedendo debuisset, expleta mutua sanctæ consolationis loquela, discessurus cum orationibus in ecclesia peractis, ad vehiculum suæ reportationis egrederetur, cumque paratus esset ad pergendum, et sanctum Eberhardum amplius videre non potuerit, subito post eum quasi festinando veniebat, et summa charitatis instantia, cum flebilibus oculis aiebat: « Ex hac hora ultra me non videbis, donec corporibus in præsentia Dei nos videre meruerimus. » Cujus verba respondens episcopus dixit: « Dulcissime Pater, nunc non vis me certificare de hoc quod ecce nunc tibi quærimus? » Cui ille respondit: « Filius adhuc vita non tibi tunc imminet, verba autem quæ tibi nunc dixi vera esse non dubites. » His verbis expletis episcopus remeavit, et antequam iterum eamdem cellam revisitaret, Eberhardus feliciter migravit a sæculo.

XV. Regionem quoque Burgundionum tempore illo adiit, et ad Agaunensium locum ubi sanctus Mauritius cum suis sequacibus propter nomen Domini martyrium suscepit, magno humilitatis studio visitavit. Qui antea a rege Burgundionum promissionem acceperat, ut munus de sanctis martyribus ex ejus datione et adjutorio inde ad Augustam referre mereretur. Et cum illuc die Sabbato pervenisset, monasterium noviter a Sarracenis exustum invenit, et nullum de habitatoribus ibi conspexit, nisi unum solo solitum vel senilem combustum monasterium custodientem. Cumque illic sacram noctem in Dei laudibus ibi permaneret, et mane cum radius solis primum latitudini terræ lucem diffunderet, missam de Sancta Trinitate celebravit; qua expleta, cum alteram missam venerationi diei Dominicæ congruentem celebrare cœpisset, duodecim clerici cum multitudine populi advenientes ministerii sui celebrationem audientes perstiterunt. Quo peracto, sanctus episcopus eosdem fratres salutavit, et muneribus honoravit, et ob quam rem illuc devenisset notum fecit. Qui hilaritatis ejus dulcedinem et sanctitatis religionem persentientes, ne delectabili desiderio privatus abiret, aperta collocationis sanctorum spelunca in monte exciso, plurima parte sanctarum reliquiarum donatum lætificaverunt. Cum vero optabili licentia clericorum et exsultatione dimissione populi inde rediret, Constantiam civitatem causa orationis visitavit, et inde ad Augiam insulam venit, et ab Alawico abbate charitative susceptus et omnimodis commodis bene procuratus est. Cumque amabili colloquio inter se sermocinarentur, omnia quæ ei in itinere acciderant nota fecit. Benevolentia autem abbatis, cum audiret eum pro amore sanctorum exsequiarum exire, desiderio ejus satisfaciens, non modicam partem de corpore sancti Mauritii et de aliorum multorum sanctorum reliquiis ei donans, lætum abire permisit. Augustæ vero civitati cum appropinquaret, præmissis nuntiis demandavit ut ad occursum pro exspectatione donum sanctorum reliquiarum, quod secum attulerat, honorifice clerici cum populo, et cum crucibus et incenso pigmentorum aliquorum benedictis occurrerent, et susceptas gloriose cum laudibus et necessariis congruis perducerent honorifice cum illo in ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ consecratam. Illuc cum perductum esset, ab episcopo caute collocatum est in locum sanctum et reponitur, ad laudem Dei omnipotentis, et in auxilium populi advenientis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

XVI. Talibus et his similibus studiis semper in Dei voluntate serviens, demonstravit qualiter episcopatum, quem ad regendum suscepit, omnigenis bonorum sublimare potuisset, et servitium Dei et sanctæ Mariæ Dei genitricis amplificare indefesse

laborabat, et ideo ubique gratia Dei præventus, sicut in Psalmis scriptum invenitur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos* (*Psal.* CXLIV); et secundum Apostolum dicentem: *Scimus quomodo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etc. (*Rom.* VIII). Multiplicibus enim Dei magnificentiis honoratus, et firma fide confortatus, desideria voluntatis suæ percipiens, multis in suis necessitatibus profuit, et possibilitatis suæ potentiam quantum potuit humiliter celavit, quia multi qui caduco morbo vexabantur, sanctitatis ejus benedictione percepta, sospitati restituebantur, si pro qua re benedictionem expetivere, non indicavere; qui autem necessitatis eorum afflictionem manifeste nuntiaverunt, benedictione subtracta, causa humilitatis abire permisit, dicens: « Ego non sum dignus de hac infirmitate vos posse liberare. »

Sanctificatum vero oleum in die cœnæ Domini ab eo tam salubre effectum est, ut multi in infirmitate positi, ab eo uncti celeriter sanitati restituerentur; et multi caliginem oculorum habentes, et præsentis luminis se in hoc sæculo munere carentes putavere, a tactu hujus olei serenitate oculorum iterum uti meruerunt. Hæc vero, nemine dicente, comperiebam, sed propriis oculis in quamplurimis peracta conspiciebam. De ipsius autem episcopi recuperatione non oportet reticere quia, cum quodam tempore de monasterio Sancti Galli redire ad Augustam civitatem decrevisset, Campidonam veniens, tam gravi infirmitate detentus est ut ex se sine adjutorio aliorum ambulare non potuisset, et cibum ad recreationem corporis sumere vires non sufficerent. Missis nuntiis celeriter ad Augustam civitatem, oleum ab eo consecratum sibi inde reportare præcepit, cumque in vigilia Pentecosten nuntiis revertentibus hora diei nona, cum adhuc congregatio monachorum solemni officio missæ interfuisset, et ipse intra cubiculum sacrum mysterium auditum habuisset, oleum ei repræsentaretur, peracto sacro mysterio, monachi ad eum introducti sunt præsentibus clericis qui cum eo illuc devenerunt, et cantatis pro ejus infirmitate septem psalmis letaniaque devote expleta, quemdam sanctum monachum Hiltine nominatum, ad claustrum revertentes fratres ad ungendum cum oleo sancto cum suis duobus presbyteris dimiserunt. Unctione vero peracta, secundum doctrinam Jacobi apostoli: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyterum Ecclesiæ*, etc. (*Jacob* V), dixit episcopus præposito: « Istis unctoribus meis cum cæteris meis comitibus, in mea vice servitium congruenter exhibete, cum his bonis quæ nobis hodie concessit Deus. » Cum vero ad mensam prendendum consedissent, et adhuc prandium peractum non fuisset, nuntius de episcopo venit, dicens: « Læto animo estote et recreamini cum gaudio, quia dominus noster episcopus, quamvis hebdomada præterita vel buccellam panis ad refectionem accipere non potuisset, nunc, Deo donante, se reficit, et reducta sanitate est melioratus. » Qui, audito delectabili nuntio, omnes simul Deum laudantes et Deo gratias dicentes, hilares effecti sunt. Vespertina autem hora adveniente, et signo vespertinali in primis sonante, statim surrexit, et ad ecclesiam ambulavit, et ibi in Dei laudibus infatigatus permansit, donec Vespertinalis laus a fratribus secundum cursum monachorum prolixe perficiebatur, et postea, de die in diem confortatus, ex integro pristinæ sanitati cito restitutus est. O quam magna multitudo dulcedinis Dei, qui illi hoc tanta velocitate ad remedium concessit, quod ille aliis ad medicinam et ad indulgentiam peccatorum præparavit, ut cum ejus fide perfecta cæteris plurimis fides confirmaretur!

XVII. Tradere huic quoque me aliam rationem in hoc loco oportet, quam Herewigo capellano ejus dicente comperi. Quadam die cum pro aliqua utilitatis causa super fluvium Vindicem [*al.*, Vindomen; *al.*, Vindonem, *vulgo* Werten] nominatum caballicare debuisset, et ipse ab illuvie elevatus fuisset, et comites episcopi universi vadum rectitudinis devitarent, et alia vada aptiora quærerent, et idem ipse prænominatus Herewigus solus (50) cum eo remaneret, ipse vadum quod alii omiserunt sine trepidatione transcendit, soccis de sago factis indutus propter frigus, quia hiems erat. Præfatus vero Herewigus, flumine transgresso, ex cingulo deorsum, quamvis super altiorem caballum sederet quam episcopus, udus effectus est, et prospiciens in vestimenta episcopi si aqua infunderentur, sed nec in soccis quidem unum pilum humidum conspexit, et ad episcopum dixit: « Ego uditate perfusus sum, et tuæ celsitudini pilus in soccis non est madefactus: » Cui dixit episcopus: « Hæc quæ vidisti, me vivente nemini dicere præsumas. Alio vero tempore cum ad colloquium Ottonis imperatoris ad Ratisbonam civitatem navigando per Danubium venire decrevisset, quodam die, nautis incaute ante se conspicientibus, navis cuidam ligno importune conjuncta, aquis repleta immersionem omnibus minabatur. Perturbati vero omnes et timore perculsi, ad littus magno studio navem perducere festinarunt Navi vero aridæ adducta, quæ intra erant ad littus portaverunt, illius vero episcopi posteriori rostro navis sedentis obliti sunt. Unus vero clericorum Mesi nominatus, magno stupore attonitus, dixit: « Heu nobis miseris! quia seniori nostro in isto periculo adjutores non fuimus, » et his dictis currens per profunditatem aquæ quæ in navi fuerat congregata, assumptis brachiis episcopi super humeros ejus, evexit eum extra navem, omnibus itaque expositis et illo novissime egresso, navis in posteriori parte profunditati demersa est. Quid mirum si navis onusta eo insedente mergi non potuit, sed eo jubente super aquam stetit qui beato Petro apostolo undas maris ad superambulandum propria voluntate firmavit? Sic non ex sua conditione, sed ex meritis in ea sedentis navis interim super aquas natare

(50) Transmittit flumen inundans nil madefactus.

cogebatur donec cunctis stipendiis et oneribus relevaretur, postea vero in mensa nutriebatur.

XVIII. Romam visitare itaque cum quodam tempore æstuanti animo desideraret, et ad fluvium nomine Tarum (51) pervenisset, tam periculosum ex inundatione aquarum factum invenit, ut nullus ex utraque parte advenientium eo die vel alio se posse venire super eum speraret: sanctus episcopus in Deum confidens, paratura missalici se indui festinavit, et in litore fluminis cum suis comitibus missam devote celebravit, et post missam prædictum flumen tanta commoditate transivit, ut nulli ejus comitum aliquid adversitatem eveniret, sed omnes salvi et incolumes Deum laudantes gaudendo ibant per viam.

XIX. Multimodis Christi servitiis cum ferventissime insisteret, et undique amplificare studuisset, Deo donante, excogitavit, propter augendam sanctimonialis religionem Ecclesiæ similitudine, ad ecclesiam Sancti Stephani protomartyris sanctimonialium congregationem componere, et regulæ sanctitatis subdere, et sancto velamine Christo Deo desponsatas conjungere. Quod cum factum fuisset, quædam mulier cum consensu conubii mariti despiciens eamdem congregationi ob futuræ beatitudinis mercedem obedientiam professa se adnexuit, litterarum vero scientia ad perfectionem docta non manebat, ad exteriora autem necessitatis opera strenuitatem magnam habebat, et ideo aliæ sanctimoniales eam cellerariam fieri voluerunt. Qua renuente, episcopo annuntiatum est, et supplicatum est ut eam sua potestate ministerium cellarii commendaretur. Episcopus vero, supplicationi assensum præbens, prælatam sanctimonialium cellerariam esse præcepit; illa autem præcepto episcopi non obediens, sed in pristina refragatione conata est persistere. Sequenti vero nocte in somnis audivit vocem dicentem sibi: « Quia non obedisti præcepto episcopi, ideo usu ambulandi privaris tamdiu donec ab eo absolveris. » Expergefacta autem dissolutam membris ita se esse persensit, ut nullum ambulandi effectum habere potuisset. Hac infirmitate ligata, laboriose exspectabat adventum episcopi. Interim vero appropinquabat tempus synodalis colloquii, et episcopus ad Augustam revertebatur; hoc cum infirma sanctimonialis audiret, rogavit se portari in ecclesiam Sanctæ Mariæ et obviationi ejus repræsentari, eumque ad ejus præsentiam veniret, ejus misericordiam deprecari cœpit, ut ab affligentibus alligationibus infirmitatis ab eo absolvi mereretur. Audita ejus deprecatione, episcopus de inobedientia eam increpavit, et manum benedictionis simul et indulgentiæ desuper dimisit. Cumque ab ea revertebatur episcopus, statim sanitati restituta currendo præcessit episcopum, antequam ille perambularet ecclesiam, et ante vestibulum ante ejus præsentiam prostrata Deum pro reddita sanitate laudando, promisit de inobedientia sibi esse fore emendaturam, et ad propria cum consolatione remeavit.

XX. Hymnizans sanctus Dominum episcopus, habili tempore paulo ecclesiam in cœmeterio Sanctæ Mariæ in modum crucis ædificare cœpit, et, ædificatione peracta, altaribusque quinque in ea compositis, in honore sancti Joannis Baptistæ dedicavit, et doleum baptizandi de petra excisum in ea constitui fecit, et, ante legitimatum, presbytero ad procurandum in divinis officiis commendavit, et præcepit ut matrimonium in summa hebdomadæ die Sabbati, et in aliis solemnibus festivitatibus, cum Evangelio et candelis et cereis, cum Dei laudibus reverenter visitaret, et in Paschali hebdomada, quam dicunt infra Albas, quia more consuetudo est tres cantare psalmos ad Vesperum, remanentes duos alios deambulando cum antiphonis et tam formosa modulatione perpositere, et ipse persæpe ibi salutares hostias Deo immolare consuevit.

XXI. Zoam (52) in ultimis temporibus suam salvare cupiendo, animo decrevit, quamvis vires corporis de die in diem decrescere sentiret, ut limina apostolorum Petri et Pauli devota intentione laborasset visitare. Cumque aliquantulum itineris peregisset in carpento, et ad difficiliores vias pervenisset, non potuit iter ultra peragere, antequam in lecto collocatus equis superpositis pergere cœpit; sicque pergendo, quamvis comitibus ejus ubique periculosum videretur, Deo juvante, et sancto Petro apostolo, sine periculo Romam pervenit, votorumque ibi antea dispositorum et processionibus devotissime expletis, et gratissimorum condimentorum et indulgentiarum donis acceptis, permissoque (53) sibi a sancto Petro et vicario ejus pontifice, cæterisque Deo ibi sancto Petro militantibus, honorabiliter accepto, felicem reditum iniit, et Ravennam visitare disposuit. Illucque cum appropinquaret, imperatorem gloriosum Ottonem cum imperatrice Adalheida ibi manere comperit, et ante se misso nuntio adventum ejus illi indicavit, et ille statim nuntium sequendo ad ostium cubiculi imperatoris pervenit. Imperator vero, cum eum in tanta vicinitate manere agnovisset, uno pede calceato et alio adhuc incalceato, causa humilitatis et flagrantia divini amoris, cum ad suscipiendum amabiliter festinavit. Cumque in cubiculo consessu imperatricis suavi colloquio fruerentur, et alternis locutionibus diversarum rerum proventus terminarent, vir sanctus imperatorem cum auxilio imperatricis rogare cœpit ut filio sororis suæ Adalberoni procurationem sui episcopatus, regimenque super familiam et omnia negotia necessaria ad eam pertinentia, fideliter firmiterque commendaret, et ut sollicitudine ejus imperialis potentiæ præmissione consentaneis acquirere mereretur, ut post ejus decessum cathedram episcopalis potestatis ei donaret, ut sibi semper otii ad studium orationis et ecclesiastici regiminis et Christianitatis stabilitatem facultas concederetur. Cujus petitionem gloriosus et venerabilis imperator communi præsulum sæcularium

(51) Tarus Plinio, fluvius Italiæ Cispadanæ.
(52) Zoam pro vita, vitam pro anima usurpavit.
(53) Permissione. Leibn.

negotiorum commercia Adalberoni commendavit, et episcopalis honorem cathedræ post vitam episcopi, si Deus vellet, ei donare promisit, et insuper multis libris auri episcopium donatum amabiliter abire permisit, et ejus mansiones cum alio servitio necessario, cum suis fidelibus usque ad finem illius provinciæ caute disposuit.

XXII. Episcopus autem et præfatus Adalbero, cum lætabundi reverterentur ad civitatem, honorifice sicut decuit suscepti sunt, et omnes qui ibi inventi sunt, comperta eorum prospera reversione et honorificatione ab imperatore eis facta, valde lætificati sunt. Tunc vero præfatus Adalbero, congregatis militibus episcopi, desideravit ut ei sacramenta fidelitatis jurarent, quod et fecerunt in præsentia episcopi; similiter et familia per totum episcopatum fecit. Episcopus autem indumento more monachorum formato induebatur, quorum antea regulam multimodis virtutibus sequi consueverat. Cumque hæc ita agerentur, propter quorumdam clericorum æmulationem, qui se æstimabant post obitum sancti episcopi, imperiali celsitudine concedente, episcopatum posse acquirere, ferulam episcopalem publice portare præsumpsit, ut eis tota spes acquirendi episcopatus adimeretur.

XXIII. Postea vero revertentibus de Italia imperatoribus, patre scilicet et ipsius prole, ad Franciam, facta est synodus in loco qui dicitur Ingilunheim (54), ad quam archiepiscopi cum cæteris suis suffraganeis sanctum Udalricum cum suis legatis honorifice invitaverunt. Adalberonemque ejus nepotem cum eo venire decreverunt. Illuc vero cum pervenirent, et antistites ibidem congregati Adalberonem baculum episcopalem publice portare cognovissent, irati sunt contra eum, et dicebant ut, contra canonicæ rectitudinis regulam, in hæresim lapsus fuisset, et quod pontificalis honorem sublimitatis vivente episcopo sibi plus justo vindicaret, et ideo ultra eum episcopum ordinari non deceret. Quibus ille auditis, prima die synodale colloquium intrare devitavit, et in alia domo cum cæteris clericis episcopi remanebat. Antistes autem cum paucis suis capellanis synodum intravit. Cumque inter se pontifices colloquia habere cœpissent, uniuscujusque rationem per latinitatis locutionem voluerunt terminari; cumque causa sancti Udalrici fuisset ventilanda, et ille, pro infirmitate (55), tam sonora voce ut tota synodus audire potuisset, rationem proferre non posset, advocabatur unus suus clericus nomine Gerbardus, qui extra synodum cum Adalberone remanebat, ut pro eo desiderii sui rationem per latinitatis locutionem manifestaret. Cumque vix, pro densitate multidinis, in præsentia imperatorum et episcoporum præsens stetisset, interrogabatur quid desideraret dominus suus. Quibus interrogationibus multiplicatis, dixit: « Non debeo interrogationibus vestris respondere pro domino meo, nisi illo præcipiente. » Cui dixit episcopus: « Frater, bene tibi notum est desiderium meum, enarra hoc, et obsecra ut eorum consiliis et permissionibus, Deo juvante, expletum fiat. » Tunc præfatus clericus Gerhardus in præsentia omnium dixit: « Excellentissimi imperatores, et religiosissimi antistites, desiderium domini mei est relinquere sæculum, et secundum regulam sancti Benedicti sanctam ducere vitam, et in contemplativa vita diem exspectare obitus sui. In indumento pro certo habitus exterioris, potestis cognoscere voluntatem animi interioris. » Istis et aliis rationibus in voluntate domini sui in finem deductis, terra tenus ceciderunt ante pedes imperatorum et antistitum, obsecrans ut petitionem domini sui secundum Dei voluntatem implere non dedignarentur. Qui simul respondendi inducias usque in crastinum diem postulaverunt, et postea inter se æstimaverunt qualiter causa Adalberonis terminaretur. Quidam vero episcoporum adjutores Adalberonis fuerunt, ne prorsus a spe episcopalis ordinationis, post vitam avunculi sui excluderetur. Hæc cum inter se sermocinarentur, ultima in unum ratione coadunati, omnes simul firmaverunt [quod], nisi Adalbero se sacramento excusaret quod non sciret hæresim manere quia episcopalem potentiam cum baculo arripuit, nullo modo ulterius legaliter episcopus fieri potuisset. Altera vero die cum episcopo etiam Adalbero synodali interfuit colloquio, et cum ei prædictum crimen imputaretur, multis objectionibus diversorum colloquiorum cum suis adjutoribus a prædicto crimine se defendere statuit. Hoc cum ei adunatio omnium episcoporum non consentiret, secundum præ dictam destinationem episcoporum sacramentum perfecit per nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti super quatuor Evangelia. Tunc iterum episcopus Udalricus petitionis suæ responsa, quæ pridie procrastinata fuerunt, per prædictum suum clericum expetivit, quia desideravit ut prædictus suus nepos episcopus ordinaretur, et ille, secundum regulam sancti Benedicti, in monasterio cum eorum consensu deservire mereretur. Episcopi autem, quamvis eis ex toto non placeret, aperte ei in synodo contradicere noluere petitionem suam; sed sapientissimi ex ipsis, cum consilio aliorum, extra synodum eum ambulare cum illis postulaverunt, ibique cum eo et cum suis clericis sapientissimis secretam locutionem habuere, dicentes: « Reverende Pater, cui nota est omnium ecclesiasticorum librorum normula, qui semper callem rectitudinis ambulasti non deviando, non decet ut nunc, istam viam quam semper tenuisti omittens, seminarium ex te sumat talis error, ut alius in loco tuo, te vivente, ordinetur; quia, si ex te talis consuetudo incipit perpetrari, in posterum multis reverendis et bonis episcopis, ab eorum nepotibus et clericis talia desiderantibus, multa concrescunt adversa. Melius tibi est ut in eo ministerio, in quo cœpisti, Deo servire permaneas, quam, tuam voluntatem sequens, aliis

(54) Synodus Ingilunheimensis in causa Adelberonis, an. 972.

(55) Agebat annum octuagesimum secundum.

plurimis scandalum facias; quia ex te canonici et monachi et sanctimoniales et cæteri Christiani ad rectitudinis statum debent constringi, qui ex semetipsis per culmina cadere festinant. Qui autem incaute ambulando ceciderunt, ex te, Deo juvante, erigi posse sperandi sunt. De nepote autem tuo Adalberone tuæ voluntati satisfacientes, in commune firmamus ut nullus alius a nobis post tuum discessum, ad illum locum in quo tu pastor existis, eo vivente ordinetur nisi ipse. His consiliis consentiens sanctus episcopus Udalricus, cum eis in synodum regrediebatur, et tunc cum consensu aliorum antistitum, licuit ab imperatore Adalberoni commendari in eorum præsentia, procurationem sui habere, et sub ipso totius episcopatus curam dispositionem in omnibus adimplere. Taliter vero istis terminatis, finita synodo, episcopus et Adalbero cum suis Augustam revertebantur (56).

XXIV. Prædicta vero synodus in autumnali tempore peracta est; et in anno Paschali tempore adveniente, sancta celebrata Pascha, episcopus et Adalbero, amabiliter vocante Riuwino (Rickwino) comite, Dietpaldi fratris episcopi filio, ad castellum Dilinga nominatum venerunt, ut ibi aliquot dies charitative cum eo et cum femina ejus Hiltegart nominata manerent. Paucis itaque diebus transactis, Adalbero ibi cum phlebotomo sibi phlebotomando sanguinem minui fecit, et postea cum episcopo ad cœnam consedit, et de cœna surgens in lectum se ad requiescendum deposuit. Cumque unusquisque ad suas divertisset mansiones, eadem nocte subitanea morte Adalbero defunctus est, an. 973. Herewingus ejus presbyter, cum ad nuntiandum hoc episcopo cubiculum ejus intraret, episcopus sermonem ejus præveniens, dixit illi: « Ecce Adalbero defunctus est. » Cui ille respondit: « Ideo ego huc intravi ut tibi hoc nuntiarem, nullus alius me præibat ad te, et quomodo hoc scire potuisti? » Cui ille respondit: « Vade, et suscita Riuvinum et omnes qui nobiscum sunt, ut cito præparent vehiculum ut corpus ejus Augustam civitatem ducamus. » Episcopus autem missis ad Augustam legatis, præcepit ut in ecclesia Sanctæ Afræ sepulcrum ejus juxta ipsius sepulcrum præpararetur, quod et sic factum est. Ille autem cum his qui cum ipso erant, imposuit corpus carpento, et ascensis equis Augustam vexit cum frequentia populi. Matricularii autem cum crucibus et aqua benedicta et cereis et incenso, et cum magna multitudine familiæ cæterique populi appropinquanti occurrerunt, et honorifice suscipientes, cum congruis orationibus et modulationibus perduxerunt ad locum sepulcri, et ibi expletis vigiliis et salutaribus pro ejus anima Deo oblatis hostiis, episcopo animam omnipotenti Deo commendante, corpus devotissime sepelierunt. Commendatione autem corporis peracta, et episcopo cum tristitia residente, universi flebili et lamentatione et magna mœstitia in suas reversi sunt mansiones, pro eo quod eum nobili genere ortum, et formosum, et grammaticæ artis bene doctum, et in Dei servitio studiosum, et in bonis operibus strenuum, et in eloquentia dulcissimum cautum, in amandis largum, in adversis aliorum tristem, multarum virtutum opulentia cumulatum, in adjutorio miserorum festinum, multimoda benevolentia ornatum virum, tam cito depositum senserunt.

XXV. Religiosus autem antistes, misso legato nuntiavit imperatori obitum prædicti nepotis sui, et abbatiam Uffenheim nominatam, quæ ipsi a suo imperatore potestate concessa erat, postulavit sibi donari, non causa avaritiæ, sed ea intentione ut consolatis ibidem Deo servientibus deliberationem quam ille eis antea conscriptam et sigillatam ab eodem imperatore donari impetravit, restituere potuisset. Imperator autem per eumdem nuntium abbatiam concessit, et consolationum magnam et multimodam salutem remandavit. Nuntius autem cum reverteretur, invenit episcopum in loco qui dicitur Staphahuse, et hæc prædicta narravit. Paucis vero diebus postea revolutis, adhuc ipsi in eodem loco manenti per nuntium quemdam, orationis suffragia pro anima imperatoris poscentem, obitus ejus illi annuntiabatur. Inde vero cum ad Augustam rediret, venerunt nepotes sui, Riuvinus comes filius fratris sui Dietpaldi, et Hupaldus comes filius fratris sui Manegoldi, et rogaverunt illum ut pergeret ad oppidum quod nominatur Witeslinga, et illis monstraret ecclesiam illa suam, ubi corpora suorum parentum terræ commendata fuerant, (de qua ipse sæpe eos antea præmonuit ut eam meliorarent, et eadem corpora in illam concluderent, ne ultra a pluviis domatum infunderentur), ordinare, et quantæ magnitudinis eam facere debuissent. Sanctus vero episcopus, quamvis certissime sciret in proximo manere sequestrationem corporis et animæ suæ, tamen pro divino amore et pro eorum amabilitate, illuc perrexit, et privata ordinatione eamdem ecclesiam super prælata corpora amplificari perdocuit. Ibique cum nepotibus suis aliquot diebus moratus est, et inde ad castellum Sunnemotinga [al. Sunnemotinga] nominatum, propter petitionem Manegoldi fratris prædicti Adalberonis, pervenit. Cumque in itinere antequam illuc pervenirent, in campo propter herbam, juxta villam quæ dicitur Gundelfinga, castrametati fuissent, cum vel equos suos herbas pascere cœpissent, venit quidam homo qui dixit Chunradum episcopum certissime defunctum fuisse, et nominavit diem obitus sui, et diem collocationis corporis ejus in sepulcrum. Hac fama audita, clerici et alii familiares ejus stupefacti effecti sunt, et statim voluerunt nuntios [Augustam] mittere, ut per eos famam veram experirentur. Quibus sanctus episcopus blando sermone dixit, certissime rei veritatem sciens: « Domino adhuc nun-

(56) Miraculum quoddam in altero exemplo hic visum omittere ... sequebatur, quod quoniam infra iterum repetitur

tuum mittere, mane diluculo comperietis qualiter circa episcopum maneat. » Crastina vero die diluculo quidam de Constantia venit, et de obitu episcopi veraciter contradixit, et ejus possibilitatem, secundum suam consuetudinem, esse nuntiavit. Sanctus autem episcopus Udalricus cœptum iter peregit, et ibi, quasi ad convivium vocatus, post expletionem salutaris hostiæ quam quotidie per se, quamvis viribus corporis valde esset destitutus, Deo persolvere satagebat, cum convivantibus quotidie ad mensam sedebat, et nullum corpori cibum exhibuit, nisi micas panis aquæ infusas in os misit, quas etiam sæpissime aquis exspoliatas de ore rejecit, haustibus vero aquæ interdum corpus, cum adhuc ad mensam sederet, reficiebat. Consummatisque ibi rebus pro quibus illuc vocatus est, abire cœpit; altera die ad locum qui dicitur Utiuntiga (57) pervenit, et ibi ad se convocatis monachis de monasterio Uitenbura nominato, autumare cum eis et cum suis fidelibus provide cœpit quomodo deliberationem, quem eis antea sicut prædixi ab imperatore impetraverat, restituere potuisset, et dixit eis: « Eligite ex vobis unum ad abbatem, qui in Dei servitio utilis, et vestris necessitatibus possit cautus inveniri. Si illum eligitis qui mihi ad hoc placet, commendabo illi abbatiam usque in præsentiam domini mei imperatoris; sin autem alium nisi mihi placentem eligitis, non illi commendabo. » Qui respondentes dixerunt: « Nominet nobis sanctitas tua hunc qui tuæ dominationi placitus sit ad electionem nostræ unitatis. » Tunc dixit eis: « Rudungum (58) fratrem vestrum ad hoc nominabo ministerium. » Quibus auditis, fratres inducias postulaverunt, donec omnes simul loquerentur si hæc electio cum omnium fratrum consensu fieri potuisset. Cumque in loco destinato collecti fratres colloquia inter se habere cœpissent de præfata electione, quibusdam fratribus placuit, quibusdam displicuit, sed tamen cum consilio amicorum roborati, episcopi voluntati parentes, in unum coadunati Rudungum ad abbatem elegerunt, et, cum eo ad episcopum regredientes, unitatis eorum electionem ei nuntiaverunt. His auditis, episcopus assumpto baculo commendavit abbatiam præfato Rudungo usque in præsentiam imperatoris, qui tunc in imperio patri suo æquivoco successerat, et illum commendavit suis nepotibus et aliis suis fidelibus, ut eum celsitudini imperatoris præsentarent, et, illis cum fide ei juvantibus, ab eo hæc confirmarentur. His ita expletis, propriam sui episcopatus revisitavit sedem.

XXVI. Mœnia autem Augustæ civitatis introgressus, magna tristitia septus est pro morte Adalberonis sui nepotis,, et pro obitu imperatoris, cui semper fidem in omnibus servavit, cujus etiam amor pectori ejus firmiter conglutinatus est. Pro requie vero animarum amborum multas eleemosynas largitus est pauperibus, et multas orationes et preces ad Dominum quotidie effudit, ut eis misereri dignaretur. Missarum vero officia quotidie celebrare non desistebat, quousque vires corporis subtrahebantur ut nullo modo ultra per se stare potuisset. Ad mensam vero sedebat, et sedentibus cum eo convivium faciebat, et ille quasi jejunus absistebat, et postea, in ecclesia vel in cubiculo suo, dulci cantatione psalmorum, vel auditione sacrarum lectionum recreatus est. Vires vero corporis cum ei ita defecissent, ut per se missam cantare non potuisset, quotidie in ecclesiam introductus devotissime eam audire et interim orationibus intentus insistere non desistebat. Pro certo post missam expletam cum cubiculum intraret, repausationi lectuli se non commendavit ante hor m Vespertinam, sed super sedile suum calceatus sedit, et interdum se super pulvillum in dexteram partem reclinavit, interdum ad sinistram, et interdum sedens ad dorsum super posteriora sedilis in quo sedebat reclinavit. Et post expletionem cursus et totius psalterii, legente Gerhardo præposito *forte* ecclesiæ cathedralis sacrorum lectiones librorum audivit et interdum cum eo inde dulci eloquio fruebatur. Cuidam vero [*sic*] eloquio inter ipsos finito, præfatus clericus interrogavit eum, dicens: « Habes spem pro ista infirmitate, Domine, obitum tuum tibi imminere? » Cui ille quasi eum increpando respondit: « Quare sic dixisti? non spero, sed certissime cognosco diem obitus mei non post multos dies mihi evenire. » De qua re presbyter contristatus indulgentiam postulavit, et dixit illi: « Domine, quem episcoporum præcipis vocare ad commendationem corporis tui? » Cui ille respondit: « Eo tempore quando anima mea derelictura est hoc corpus, non potestis ullum eorum huc advocare: quia comprovincialis meus Chunradus episcopus tanta infirmitate detentus est ut huc venire non possit, episcopi vero Bauvariorum ad regale colloquium ad Franciam sunt congregati. » At ille inquit: « Domine, quid tunc facere debemus? » Cui sanctus episcopus dixit: « Nostis corpus hominis terræ commendare? » At ille ait: « Si talis persona esset super quam commendatio nostra fieri debuisset, timorem inde non haberemus » Cui episcopus dixit: « Facite de hac re, cum tempus advenerit, sicut optime potestis, Dominus commendatorem corporis mei providebit. » Et his dictis præfatus presbyter iterum lectionis usum assumpsit, et in ea, sicut solitus erat, usque dum sonante signo Vespertinalis laudis hora annuntiabatur. Lectiones vero fuerunt Vitæ Patrum sanctorum, et liber sancti Gregorii quem Dialogorum vocant; cujus ultimus liber disputat multum de his qui de corpore rapti in spiritu multa viderunt, et iterum ad corpus redierunt. Taliter vero conversando formosissime exspectabat diem obitus sui, et interdum in spiritu plurima videbat, de quibus pauca his qui cum eo erant narravit. Interea vero Werinhario abbati de monasterio Vulta [Fulda] nominato, causa visitationis ad eum venienti, inter alia dixit: « Tu post me hic deberes episcopus fieri,

(57) *Al*, Ottinga.

(58) *Al.*, Ruodungum.

omnes se elegerunt, nisi duo; hi vero duo si aliis consensissent, electio tua sine dubio perfecta fuisset. Et his dictis manus Adalberonis tunc [illegible] (59), et manus Hattoni [illegible] comprehendens, [illegible] commendavit, et [illegible] permisit.

XXVI. [illegible] vero vice, quadam die quasi de gravi somno expergefactus, et assidentibus et hæc audientibus, ait : « Heu ! heu ! quod illum nepotem meum Adalberonem unquam vidi, quia pro eo quod ei [illegible] desiderium suum consentiebam, [illegible] me [illegible] in suum [illegible] ? » Et his dictis statim tacuit. Virtus vero corporis de die in diem decrescens, in tantum deficiebat, ut ecclesiam intrare nisi a [illegible] non potuisset. Cum vero in die natalis sanctorum Marci et Marcelliani, quod est XIV Kal. Julii, ecclesiam introduceretur ut missam audiret, peracta missa, ad [illegible] tapetum sibi deponi præcepit, et se super illo prosternebat. Illi vero cum quasi [illegible] jacuisset, surrexit, et camerarium Liutpaldum presbyterum ad se venire fecit, et [illegible] quas illo in ministerio habebat in præsentiam sui portare præcepit, et [illegible] ante altare [illegible] et [illegible], et [illegible] ad servitium suum [illegible] dimisit. Cum vero ante eum posita fuissent, et illi ea conspexissent, dixit : « Quid mihi hæc omnia nunc debentur ? » Quamvis vero illi plurima viderentur, nihil ex tamen major [illegible] fuit nisi [illegible] camisalia, et [illegible] vel [illegible] mensalia, et duo sarcilia, et X solidi argenti, quos in manum Gerhardi præpositi commendavit statim ad erogandum pauperibus. Cætera vero omnia [illegible] dividi [illegible] fecit. De vestimentis suis misit Antonio (60) venerando viro, quem ille antea ad [illegible] in Dei nomine [illegible] etiam [illegible], mobilitate membrorum [illegible], nisi de [illegible] sursum, cui domicilium in [illegible] monasterii [illegible] a terra [illegible] ædificatum erat, ut ea quæ ab eo digesta [illegible] terra [illegible] a domicilio [illegible], vestimenta transmisit; quia [illegible] cum episcopus in eodem monasterio [illegible] prædictum pauperem [illegible] ipsum sæpe visitavit, et ejus [illegible] dulcedinem libenter audivit, quia [illegible] quem prædictum pauper [illegible] omnino semper in Dei [illegible] et orationibus die ac nocte [illegible]. O quæ lingua virtus tantæ [illegible], qui in [illegible], tanto spatio interposito, Christum [illegible] ? [illegible] qui ab [illegible] vestiri volebat. His vero [illegible] dispositis, præcepit [illegible] quibus [illegible] fidelibus se ministrare, ut [illegible] ad suum servitium pertinentibus, cuncta quæ in [illegible] invenit [illegible],

(59) Vincentius Borg. [illegible] observavit [illegible] an. 1500 [illegible] ad [illegible] vestibus [illegible] ad [illegible] majores [illegible] Vocum [illegible] (?), capital. [illegible] a magna domo [illegible] gerit, [illegible] interpretatur.

in tres partes dividerentur, et tertia pars presbyteris pauperibus [illegible] provida dispensatione statim eo vivente donaretur; quod et factum est. Pro certo quamvis corpus gravi infirmitate detentum fuisset, sensus et animus ad [illegible] non potuerunt, [illegible] intentionibus.

XXVII. Die itaque sancto nativitatis sancti Joannis Baptistæ [illegible], quasi repente de summo [illegible] excitatus, dixit [illegible] suis : « Induite me vestimenta mea et calceamenta. » Qui [illegible] propter magnam ejus infirmitatem, si hæc in [illegible] vel [illegible] sensus eis [illegible], [illegible] tamen præceptum ejus, induerunt eum vestimenta ejus et calceos. Statim autem parare se missam [illegible] præcepit; cumque paratus fuisset, [illegible] matricem ecclesiam, et [illegible] ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ, quam ipse antea ædificaverat et in honore ejus consecraverat, pervenit. Itaque missam (61), quam anniversariis solemnitatibus mane diluculo consueverat cantare, potenter et caute explevit; illaque finita, statim publicam missam [illegible], et devotissime Deo juvante peregit. [illegible] missæ cum, stando sine adjutorio aliorum, cum benedictionibus [illegible] ad finem perduceret, consedebat, et astantibus sibi clericis dicebat : « Hæc mysteria quæ nunc Deo donante peregi, ex possibilitate corporis mei non assumpsi, sed ex præcepto : hodie enim cum in lecto quasi sopitus somno jacerem, steterunt coram lectulo meo duo viri juvenes formosissimi aspectu, e quibus mihi unus dicebat : « Quare non surgis, debes enim hodie ad Sanctum « Joannem Baptistam missam celebrare. » Cui alter respondit : « Quomodo potest hoc fieri, quia pro impo- « ssibilitate corporis Primam adhuc non explevit ? » At ille qui antea locutus est ad me dixit : « Surge et se- « cundum meum sermonem Dei mysterium in præfata « ecclesia implere festina, quia hodie præter te nullus « [illegible] ibi missam cantabit. » His vero dictis ad cubiculum regressus est. Cumque diem obitus sui devota mente et [illegible] animo et secundum verba psalmographi David dicentis : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus (Psal. XLI)*, exspectaret; quamvis verbis non dixisset, factis tamen manifestavit quod de hoc sæculo se migraturum esse in vigilia apostolorum Petri et Pauli putavit. Eadem die, antequam vespertinalis laus inciperet, et cum a custodibus omnes [illegible] ad [illegible] moverentur, [illegible] et [illegible] quæ ad [illegible] suam conservatam habuit [illegible], se quasi defunctorum deposuit. Finita autem Vespertinali laude, [illegible] se a terra [illegible] et [illegible] dixit : « O sancte Petre, nunc non [illegible] ego [illegible] ! » Et quasi animo ali-

(60) Al., Hattoni, quod prodat W. [illegible]

(61) Antiquitus tres missæ celebrabantur in festivitate S. Joan. Baptistæ : una scilicet in vigilia, reliquæ duæ in die. Vid. Albinum, et Amalarium, lib. III, c. 38.

quantum de hac re mente consternatus manebat eum: Prælatus autem presbyter Gerhardus dixit ad eum: « Domine, noli contristari, sed recordare quia aliis sanctis episcopis similiter contigit; uni enim dictum est: Circa natale apostolorum de hoc sæculo ad requiem es perducturus, is cum speraret se in natale apostolorum obiisse, induciæ ei prolongabantur usque in octavum diem, et tunc defunctus est. Cassio Narniensi episcopo, per quemdam presbyterum ab angelo flagellatum dictum est: Non cesset manus tua, non cesset pes tuus, age quod agis, operare quod operaris, natali apostolorum venies ad me. » Episcopus autem, æstimans in solemnitate apostolorum, quæ tunc proxima erat, sibi obitum suum imminere, in quibuscunque potuit ad depositionem corporis sui præparare se studuit. Solemnitate itaque adveniente, sanus permanebat et incolumis, et sic mansit, donec curricula septem annorum præterirent, et tunc in eodem die, sicut ei dictum est, multis bonis præmissis, et sacro ministerio expleto, feliciter migravit a sæculo. » His auditis, sanctus episcopus vera esse recordatus est, et respondit ei dicens: « Bene dixisti, frater, » et revelatus mente bono animo manebat, et cum eo manentibus dulcem et commodum se exhibebat: nullum objurgans, nullum increpans, nulli iratus, nulli molestus, nulli adversus, nullum verbum alicujus lamentationis ab eo audiebatur, sed bona omnia quæ tunc potuit, præsentibus et absentibus fecit. Nemini indulgentiam negavit, gratia suæ benedictionis omnes consignavit. Prædictus vero Richwinus comes, nepos ejus, adhuc de regali locutione non revertebatur. De quo interdum dicebat: « O Richwine, utinam me vivente venires ut te viderem! » Eo anno solemnitas apostolorum Petri et Pauli Dominica die eveniebat, de qua optimis moribus, sicut prædixi, exspectabat, donec dies quintæ feriæ pertransisset; in illa nocte, antea quam aurora sextæ feriæ bene cognosci potuisset, asperso cinere in modum crucis, et aqua benedicta aspersa, se deponi fecit, et sic jacebat usque dum aurora cunctam latitudinem orbis illuminaret. Tunc Richwinus de palatio rediens intravit, et legationem imperatoris eo audiente recitavit. Eo scilicet viso legationeque audita, oculos levans secundum suam possibilitatem gratias agebat Deo omnipotenti qui, secundum dicta David prophetæ: *Voluntatem timentium se faciet*, etc. (*Psal.* CXLIV.) Richwino autem exeunte, statim eadem hora clericis litaniam devote canentibus animam Deo commendans, anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 973, ætatis LXXXIII, ordinationis autem L, quarto die Julii IV Non, ejusdem mensis, die Veneris, felici obitu quasi somno suavi soporatus, ergastulo corporis exemptus, migravit ad requiem. Pro certo sanctum corpus cum ad lavandum more solito denudatum fuisset, suavi odoris fragantia nares omnium ibi manentium replevit, et tandiu permansit quoadusque corpus lavatum prædestinatisque vestibus indutum, et feretro impositum, in ecclesiam portaretur. Clerus nempe cum audiret quod episcopi Bauvariorum de prædicto colloquio redirent ad suam provinciam, misso legato, voluerunt archiepiscopum Fredericum ad commendationem sacri corporis vocare: cumque ad illum nuntius veniret, invenit eum tanta infirmitate febrium detentum, ut nullo modo advenire potuisset. Misso autem cum tristitia inde revertente, audivit quod venerandus episcopus Wolfgangus ad locum qui dicitur Nordilingga venire voluisset; in occursum ejus festinavit. Ad eum certe cum perveniret, salutatus ab eo audivit quod Augustam civitatem pergere voluisset, visitare sanctum Dei servum Udalricum in infirmitate detentum. Cui ille respondit: « Dominus sanctitati tuæ præcepit visitare eum, et ego ad hoc veni ut nuntiarem tibi quia defunctus est, et de omni congregatione ibi Deo militante te flagitare, ut festine venires et sanctum corpus Deo commendares. » Quo audito, sanctus episcopus magna mœstitia septus est; in eadem nocte diluculo surrexit, et ad Augustam pergere cœpit. In itinere vero cum cognovisset quod ad congruum tempus illuc pervenire non valeret, præmisso eodem legato, nuntiavit adventum ejus. Interim vero corpus in ecclesia sanctæ Mariæ a congregatione die noctuque cum orationibus et missarum celebrationibus, caute et devote custodiebatur usque in diem Dominicam. Die vero Dominica post primam missam pro ejus anima celebratam congregato clero et sanctimonialium congregatione adveniente, et magna de provinciis multitudine populi, presbyteri levaverunt corpus, et ad Sanctam Afram ubi antea sepulcrum ejus præparatum fuerat, portare cœperunt. Cumque venirent ad collem qui dicitur Pereleich [*al.*, Perelich], præfatus nuntius venit, et adventum Wolfgangi episcopi nuntiavit. Illi autem perducentes corpus in ecclesiam sanctæ Afræ, et item missam sacrificalem cum omni devotione pro requie ejus animæ celebraverunt. Episcopus vero cum adhuc non veniret, et hora diei non tardaret, nisi tempus celebrationis publici Dei ministerii immineret, et hoc cum omni devotione a congregatione clericorum perficeretur, venit præfatus episcopus, qui cum honorifice susceptus fuisset, et orationi finem imposuisset, salutatis a se fratribus dixit: « Quid vobis videtur an hodie sacrum corpus commendamus, vel ad alterum diem procrastinemus? » Cui fratres respondentes, dixerunt: « Si tuæ sanctitati placet, nobis bonum videtur eis omnibus, qui nunc hic in præsentia sunt, annuntietur ut mane congrua hora huc ad commendationem sacri corporis conveniant, et a te salutaris hostiæ munus nobis sacrificantibus pro requie ejus animæ Deo offeratur, quia congrua hora præterita est, et tu es magna lassitudine septus. » Quibus auditis, episcopus consilio eorum libentissime assensum præbens, alterum diem expectavit. Ea vero nocte Hiltegart, uxor præfati Richwini comitis, quamvis nupta, tamen satis religiosa, venit, camisaleque cera perfusum attulit, et sublimissimos clericos petiit ut sacro corpori caute secreto circumdaretur, ne

A sacerdotali paratura, qua indutus erat, cito a terra consumeretur, quia hoc adhuc vivens præcepit ne tabulatum lignorum corpori ejus supponerent, sed panes super imponerent, et ligneo operculo cooperirent; qui hoc mandatum ejus, pretiosum camisale corpori sacro circumdederunt. Hoc autem facto, magna multitudine populi adveniente, et clericis sanctimonialibusque ibidem Deo militantibus congregatis, sed et de provinciis multis, variis officiis [illegible] adjunctis, antistes, cunctis pro ejus anima sacrificantibus, magna contritione cordis et humilitate salutarem obtulit hostiam Deo, insuper etiam publice missa expleta, omnes in commune sancto et corde [illegible] admonuit, ut pro illa sancta anima [illegible] intentione cordis devote exorarent, ut omni vinculo delictorum absoluta, Deo donante, perenni gaudio [illegible] cum sanctis et electis Dei perfrui mereretur. Oratione autem consummata verbum ejus ab omnibus [illegible], episcopus corpus benedixit, et animam omnipotenti Deo devotissime cum lacrymis commendavit. Ministri autem, sicut prædictum est, operculo ligneo corpus cooperuerunt, et super hoc gradibus murali opere lapideis [illegible] tabulatum superposuerunt, in superficie autem terræ cum lapidibus conjunctis firmiter clauserunt. His ita peractis, episcopus ad Augustam causa orationis perrexit. Orationibus multipliciter consummatis, a fratribus per caritatem rogatus, paraturam missaticam, quæ fuit sancti Udalrici, quarum opulentia ille vivens abundabat, propter ejus sanctitatem suscepit, et humanitate, sicut optimo dignus erat, dimissus, Deo comite ad propria reversus est.

XXVIII. Post obitum sancti Udalrici episcopi, Heinricus filius Purchardi comitis successor ejus effectus est, non proprie in ovile ovium intrando, sed aliunde ascendendo, quia Purchardo duce Alamannorum, qui filiam sororis ejus habuit uxorem, et aliis plurimis, sed et quibusdam militibus, qui ab eo beneficia sua augeri adulatorie cupiebant, consiliantibus, subtili cœpit consilio æstimare qualiter prædictum locum sibi potuisset usurpare; quatenus in ejus electionem devenirent, quod Werinharius abbas in quadam invitatione [illegible] contra congregationem, ubi sanctus Udalricus in [illegible] mensis adjunctus, audivit: si duo alii consentirent, ut omnis illa congregatione ad hoc [illegible] ejus successor efficeretur, sicut antea prædixi. Quidam clerici, adjunctis et aliis quibusdam militibus de eodem episcopatu [illegible], ad curtem imperatoris [illegible] episcopatum [illegible] iter agere cœperunt. Cumque ad Wormatiensem civitatem ad monasterium sancti Cyriaci venissent, invenerunt ibi Purchardum ducem cum uxore sua in infirmitate [illegible]. Cumque ei indicarent studium itineris sui, quibusdam machinationibus callida ratione ab eo illusi sunt; quia dixit eis imperatorem his diebus prope in [illegible] finibus regni ejus morari, et in ea via quam pergere debuerant,

omnia supra modum clara, et herbam undique in defensione [illegible] ut illos semetipsos et eorum caballos nulla commoditate posse sustentari. Nec post multos dies imperator [illegible] vult regale colloquium habere ad locum qui dicitur Eristein; illuc facile potestis ire, sine contradictione omni, et quando meus certus nuntius vobis prædictæ invasionis diem nuntiaturus advenerit, illuc venire ne dubitetis; ibi enim me invenietis [illegible] vobis fore adjutorem, et in electione episcopali sine ambiguitate [illegible] vestris votis concordare. Illi verbis auditis, vera esse æstimantes, et consilio ejus consentientes, reversi sunt. Nec post multum vero temporis nuntius ducis venit, et regale colloquium in prædicto loco manere indicavit, eosque illuc venire admonuit. Qui statim aliis

B fratribus secum sumptis, ad præfatum locum pergere festinaverunt. Cumque appropinquassent ad locum qui ad Balneas nominatur, quidam nuntius eis obvius dixit: « Heinricus filius Purchardi, quem imperator cum suis fidelibus, et dux Purchardus ad Augustam antistitem esse decreverunt, nunc illo occurrit vobis. » Hac ratione audita, contristati fratres eo quod de prædicta electione episcopi privari debuerunt, ultra non sunt progressi, sed revertentes in loco opportuno exspectaverunt, usque dum prælatum Heinricum inde comitarentur. Eo statim die, cum ad castra venirent milites qui de duce Purchardo cum Heinrico venerunt, adjunctos sibi clericos rogare cœperunt, ut Heinricum in commune episcopum esse comprobarent in eodem loco. Qui in-

C ducias petierunt, usque in communi capitulo, domi cuncti fratres in unum se coadunarent. Cumque milites hoc refutarent, et longa inter se locutione contenderent, reversi ad Heinricum, cum quibusdam clericis elegerunt eum super se esse episcopum; quidam vero eum non eligentes, ad Augustam pervenerunt ad cæteros fratres. Cumque ad Augustam pervenirent sequestratam electionem ejus, venit quidam comes, Wolveradus nomine, cum aliis quibusdam hominibus quasi legationem ab imperatore ferendo ad congregationem, dicens: « Imperator demandavit vobis gratiam et misericordiam et omnia bona, et postulavit ut istum dominum Heinricum, quem ille cum suis fidelibus decrevit in isto loco esse pastorem, ut et vos ab [illegible] vobis eligere una-

D nimiter [illegible]. » Legatio autem hæc fraudulenti consilio composita erat. Cui respondentes dixerunt: « Veniat ille cum eo ad capitulum nostrum ad audiendum responsa nostra. » Cumque vix obtinuissent ut in capitulum intrarent, legebant lectiones canonicas de electione antistitum. Post lectiones Heinricus, cum [illegible] de lectionibus in præsentia recitatis quod in potestate [illegible] committerunt eum eligere vel refutare, eum [illegible] humiliter postulavit ut eum episcopum eligere non dedignarentur, promittens eos, si ejus postulationi consentirent, in posterum [illegible]. Qui ejus promissionibus credentes, quidam vero sponte, quidam vero [illegible] timendo, omnes tamen in commune

decreverunt eum esse episcopum. Hæc vero electio cum in ecclesia militibus et familiæ nota facta fuisset, sonantibus campanis ab omnibus confirmabatur Tunc demum præfatus Heinricus, assumptis quibusdam canonicis, perrexit ad imperatorem, et in præsentia ejus aliorum testimonio roboratus de electione ejus nuntiavit, humiliter flagitans ut a celsitudine ejus imperialis potestatis pontificium prænominatum ei concederetur. Imperator autem ejus petitioni non contradixit, neque continuo adimplevit, sed promisit ut post quinque dies in solemnitate sancti Mauritii ejus petitioni assensum præberet, sicut et fecit. Postea vero statuto tempore ad Maguntiam venit, et a Rudperto archiepiscopo et suis suffraganeis benedictionem episcopalem accepit. His vero temporibus Otto filius Luitolfi, filii Ottonis imperatoris, dux fuit Alamannorum, et Heinricus, filius Heinrici fratris ejusdem imperatoris, dux Bauvariorum erat ; qui, quamvis ex vicina propinquitate charitate conjuncti fore debuissent, ex machinatione male suadentis Satanæ invidias et dissensiones inter se exercere cœperunt. Heinricus itaque episcopus æquivoco suo duci aptior mansit in omnibus, et ipsius consiliis plus consentiens quam Ottoni duci, quamvis civitas Augusta in suo ducatu sita maneret. Pro hac vero re Otto dux contra eum iratus esse cœpit, et cum fidelibus suis consiliari ut ei, in quibuscunque potuisset, adversaretur ; quod et fecit. Insuper episcopus quibusdam militibus nepotibus sancti episcopi Udalrici, Manegoldo et Hulpaldo, voluit beneficia abstrahere, propter quorumdam consilia, sine illorum reatu. Ipsi autem, quia episcopo sancto Udalrico adhuc vivente ab eo missi sæpe in auxilio imperatoris cum herili multitudine militum venerunt, et in ejus servitio voluntatem ejus strenue in omnibus adimplentes, tandiu permanserunt usque cum illius gratia muneribus honorati redire dimissi sunt. Regina etiam profitebatur eorum se esse propinquam ; ideo beneficia accepta episcopo contradixerunt et in eorum potestate, eo nolente, tenuerunt. Episcopus itaque his et aliis multis adversis fatigatus, tristis effectus est. Quodam tempore cum imperator Otto gentem Sclavorum cum exercitu invadere voluisset, et Otto, qui tunc dux erat Alamannorum et Bauvariorum, Heinrico deposito, in adjutorium ejus venire cum Alamannis et Noricis paratus esset, Heinricusque episcopus ire se cum illo promitteret, exspectavit cum suis militibus donec recederet exercitus, et, sicut antea consiliati sunt, occupavit cum militibus suis civitates quas potuit, et ipse in Nuwingburg intravit. Heinricus autem, qui antea dux fuit, Pazonam civitatem intravit, ea ratione ut Ottone cum exercitu recedente, provinciam sibi adjutorio nepotis sui episcopi subjugaret. Hoc itaque consilium cum Ottoni duci notum factum fuisset, reversus est cum exercitu ambarum provinciarum, et obsedit eum in præfata civitate Pazova. Imperator autem Otto, cum Dei clementia liberatus a Sclavis, venit post eum ad eamdem civitatem in obsidionem ejus. Cumque obsidione finita et carmula mitigata, imperator ad Saxoniam reverteretur, postea statuto tempore Heinricus filius Heinrici, et æquivocus ejus filius Perhtolfi ad colloquium imperatoris vocati sunt, cum quibus etiam Heinricus episcopus ad imperatorem se ad excusandum de prædicto reatu venit, ut restitutus gratiæ ejus ad propria redire mereretur. Peracto itaque colloquio, Heinricus et æquivocus ejus in exsilium missi sunt. Heinricus autem episcopus ad Vurdinam ubi sanctus requiescit Liutgerus, abductus ad custodiendum commendatus est. Cumque ibi de Pascha usque post nativitatem sancti Joannis Baptistæ cum magna cautela custodiretur, factum est imperiale colloquium in oppido quod dicitur Trutmanna. Illuc venerunt duo presbyteri Gerbardus et Anamotus de Augusta, et, cum interventu Ottonis ducis et episcoporum ibi inventorum, supplicaverunt non solum de semetipsis, sed de omnibus clericis et laicis in eodem episcopatu habitantibus, ne diu episcopali custodia privarentur. Imperator autem petitioni Ottonis ducis et aliorum suorum fidelium præfatorumque clericorum satisfaciens, episcopum de exsilio reduci præcepit, et in præsentia sua, iterato fidelitatis suæ sacramento, eum gratia sua ad episcopatum suum redire concessit. Restitutus autem in suum locum episcopus tractare in animo suo cœpit pro quibus reatibus ei tam diversa adversa sic frequenter accidissent, qui a duce multipliciter plus quam antecessores sui injuriabatur ; et quia principes militum beneficia sua contra voluntatem ejus habere præsumebant, et electissimi de paterna sua familia ministratores diverso modo repente interierunt, secreto a familiaribus clericis interrogavit, si sanctus Udalricus de Werenhario abbate diceret, ut successor ejus fieri deberet, sicuti ei antea dictum est. Cumque in veritate verum esse cognovisset, quod antea credere noluit, expavit se vehementer, sed publice non manifestavit ; pro eo plus expavit, quia tunc frequenter signa magna et mirabilia ad sepulcrum sancti Udalrici episcopi, Deo concedente, fiebant. Tunc demum in meliora multipliciter mutatus, cum Deo se pacificare conatus est, et matricem ecclesiam novo tecto cooperire præcepit, et super Licum fluvium ad Sanctam Afram pontem composuit. Et, ut nullus ex familia de ponte teloneum aut ullam redhibitionem acciperet, præcepit, sed in eleemosynam ejus quicunque voluissent sine contradictione et occupatione pergerent. Postea autem Romam et limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli pro remissione delictorum suorum visitavit Et antea quam illuc pergere cœpisset, proprietatem quam pater suus Purchardus in Geisinhausa habere visus est, et quam Etichoni fideli suo sub testimonio contradidit, ea videlicet ratione ut eam illuc firmiter transfunderet, ubi cum filius ejus Heinricus episcopus rogaret, tunc pro certo Ethich postulante episcopo tradidit cum manu ejus præfatam proprietatem legitime, secundum legem Noricorum, sanctæ Mariæ super altare ejus in

Augustæ civitate situm, et super ipsam demutatam lapidibusque inclusis decoratum, cum ecclesia et totis ædificiis, cum agris, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, sylvis, tonsis et intonsis, quæsitis et adhuc inquirendis, et cum familia et cum omnibus ad eamdem proprietatem jure pertinentibus, nisi xx hubas extra traditionem dimisit; et eas servituti sancti Magni ad Fauces decrevit, canonicisque placitavit, ut potestatem habeant, si vellent, easdem hubas xx cum x in ista provincia in bono loco sitis hobis concambire, in manum Werenharii advocati, et in manum Gerhardi præpositi, pro remedio animæ suæ, et patris matrisque suæ et matertere suæ cæterorumque propinquorum et parentum suorum, in eam placitationem, ut in jure et potestate canonicorum perpetualiter in oblatione permaneat, salvo in omnibus eorum quotidiano stipendio; et ut ipsi, pro requie ejus animæ, annis singulis ante anniversarium diem ad horam vespertinam vigiliam plena de voce celebrent, et in anniversaria die iterum vigiliam expleant, et celebrata missa altaris hostiæ oblationem omnes in commune Deo offerant, et insuper centum pauperes sufficienti stipendio edendi et bibendi procurent, et ex eis duodecim vestiant, in uno anno laneis vestimentis, et in altero anno lineis induant, et caligas calceamentaque præbeant. Si autem aliquis successor (*al.*, meus, *et sic postea*) ejus antistes hanc placitationem irrumpere tentaverit, et prædictam proprietatem canonicis auferendo in suam utilitatem aliquo modo redigere conatus fuerit, et ita ratione ei competenti statim non restituerit, hæredes ejus legitimi liberam habeant potestatem tres ponere super altare denarios, et eamdem proprietatem inde redimere et in jus proprium possidere omnibus in futurum generationibus.

Actum Augustæ, in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ ante altare, episcopo Heinrico perpetrante, in præsentia canonicorum, coram frequentia populi et coram testibus subnotatis.

Signum Eilik qui hanc traditionem fecit. Signum Adalberonis. Signum Jacob. S. Marahwurat. S. Willeharm. S. Hunwid. S. Engilmar. S. Wezzi. S. Pilgrim. S. Gundalter. S. Cadolt. Isti de provincia Noricorum (62).

Isti autem de provincia Alamannorum. Signum Werenhere advocatus qui hanc traditionem cum manu Gerhardi præpositi accepit. S. Hiltipold. S. Gotebold. S. Reginhar. S. Salilger. S. Arbo. S. Vrolf. Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi nongentesimo octogesimo, Indictione viii, iv Nonas Octob., et xx (63) die Jovis. Ego igitur Gerhardus indignus presbyter notavi diem et annum. His ita, sicut prædixi, expletis, Romam perrexit et votis suis perfectis sanus ad propria venit. Adhuc autem intus magna angustia mentis angebat, pro eo quod a duce Ottone, quamvis exterius pacifici essent, plus angebatur quam antecessores sui ex servitium facere de rebus Sanctæ Mariæ; et pro eo quod quidam milites beneficia possessionum ad illius potestatem jure pertinentia contra ejus voluntatem possidebant. Qui ille ex nobilibus parentibus ortus est, et grammaticæ artis aliorumque librorum magnam scientiam habebat, suavique eloquio et bene sonante loquela valde congrue exuberabat, in sanctis solemnitatibus, in Dei servitio et in prædicatione studiosus fuit. Herili servitio ad mensam suam utebatur, et cum eo manentibus copiam manducandi atque bibendi hilari vultu et placida mente porrexit. Familiæ autem plus justo sævior exstitit, eorum jus tollendo, et in quibusdam locis novum censum creando. Tunc demum cognoscebat quod prælibata adversa, nisi Deo adjuvante et imperialis celsitudinis gratia machinante, superare non potuit, et toto nisu servitio imperatoris se innectere studuit, ut acquisitione ejus gratiæ omnes contrarietates et ab aliis undique imminentes, cum ejus præsentia et cum ejus præceptis mitigarentur. Ideo igitur sæpius cum imperialibus muneribus eum visitavit, et drudes (*al.*, gratos, *al.*, consiliarios) suos donis congruis sibi complacare satagebat, et insuper hostilia itinera cum eo pergebat, taliter sicut ei optime æstimabat placere. Anno itaque Domini nostri Jesu Christi 983, imperator cum exercitu Calabriam provinciam adiit; illuc etiam episcopus Heinricus cum eo pervenit: cumque ibi pugna cum Sarracenis ageretur, plurimis ibi ex utraque parte occisis, heu dolor! sive captus, sive occisus, etiam ibi remansiit. Supra modum est lamentandum perditio ejus, quia locus ejus a clericis suis, et propinquis et cognatis et amicis inveniri et visitari non potest. Periculosum est valde decretum Dei per suos sanctos revelatum supergredi et prophetias spernere, dicente scriptura: *Spiritum nolite exstinguere, prophetias nolite spernere* (*I Thess.* v). Werenharius autem postea ab imperatore interrogatus si episcopatum accipere vellet, sicut sanctus Udalricus antea decrevit, qui cum adhuc esset sanus et incolumis, respondit se ultra hunc episcopatum non velle accipere. Post contradictionem autem episcopatus, et a ministris ejus comperit, paucis horis interpositis, infirmari cœpit et ad Luggam vitam finivit, et corpus ejus portatum est usque ad sanctum Dominum, et honorifice est sepultum. Otto autem dux etiam ad Luggam defunctus est, et a suis super montana portatus, ut usque ad Aschaffenburg perductus, cum magno honore et maxima lamentatione ibi terræ commendatus est.

(62) Aliud exemplar hæc nomina habet: *Eilik, Adalbero, Jacob, Marahuuart, Willehalm, Hunfrid, Engilmar, Wezzil, Piligrim, Gundolter, Cadolt, Weinhere, Gerhardt, Hiltibold, Gotebold, Reginhar, Saaliger, Arbo, Vrolf.* Dies et annus non est ascriptus. Sed et hic appellationes inversæ sunt, isti de provincia Alamannorum, isti autem de Noricorum.

(63) *Et* xx videtur delendum.

MIRACULA S. UDALRICI.

I. Post commendationem pretiosi thesauri sacri corporis Udalrici, tapetium sepulcro superponebatur et assiduum lumen appositum sine intermissione ardebat. Quidam autem custodum ardentem cereum incaute posuit juxta sepulcrum; quo recedente, cereus cecidit in transversum super tapetium sepulcri, et ardens permansit donec illa pars cerei quæ super tapetium jacebat ab igne consumebatur; et cum anteriori parte tapetii quæ sepulcro eminebat conjunctus arderet, et flammam sursum per tapetium emitteret, custos advenit, et hoc videns tremefactus obstupuit, et quod adhuc remanebat de cereo timens abstulit, tapetiumque sollicite inspexit si ab igne aliquid læderetur, vestigium ignis de minimis micis cereis invenit, unum vero pilum in superficie et in latere sepulcri in tapetio exustum invenire non potuit. Hoc miraculum cum magistro suo et fratribus nuntiaret, et vestigium cerei monstraret, et tamen tapetium illæsum ostenderet, admiratione et gaudio repleti Deum omnes glorificaverunt et sanctum Udalricum.

II. Quamvis adhuc nullum inibi aperte fieri miraculum comperiretur, utriusque sexus familiæ multitudo jugiter pavimento prostrata, positioni sancti corporis adjuncta, necessitatis suæ suffragia precabatur, deprehendensque ei multa omnigenæ commoditatis auxilia inde evenire, frequentius eumdem cœpit visitare locum. Itaque cum ab assiduitate visitantium, Domino concedente, plurimis ille commendaretur locus, venit quidam homo de provincia Noricorum, nomine Reginwalech, qui integro anno febre fatigatus ad nimiam infirmitatem deductus, ad Wicfredum præpositum ejusdem loci venit, interrogans eum si aliquod liberationis suæ medicamentum ei indicare potuisset. Qui respondens, dixit: « Vade et acquire tibi baculum, et porta eum ad sepulcrum domini mei sancti Udalrici pro sospitate tua. » Qui ambulans inde concidit sibi baculum de ligno bidullaneo, et portavit eum ad præfatum præpositum. Qui ambulans cum eo duxit eum ad sanctum sepulcrum, et monstravit ei baculum ponere super illud. Oratione etiam clericorum fretus, et doctrina eorum in fide confortatus, eadem hora a febre liberatus sanitati manifeste redditus est.

Eodem vero tempore in istis regionibus incredibilis multitudo populorum febribus fatigabatur. Qui cum audirent præfatum hominem ad sanctum sepulcrum, sicut prædixi, fuisse liberatum, quidam cum baculis, quidam etiam additis aliis oblationibus festinaverunt pro sanitate sua sanctum visitare sepulcrum. Qui omnes, undecunque venirent, celeriter sanitati restituebantur.

III. Quidam de familia sanctæ Mariæ, Hisenhart [*al.*, Isenhart] nomine, unum de baculis qui ad sepulcrum de infirmis portabantur, tulit, et eum in manu portando, inde ambulare cœpit: cumque ad collem qui dicitur Perlaich veniret, a febre acute fatigari cœpit. Tunc perpendens pro quo reatu infirmitati concederetur, regressus ad sepulcrum baculum restituit in locum ubi eum tulit, votumque fecit ut ultra nullum inde auferre præsumeret, votoque peracto a febre dimissus est.

IV. De congregatione Sanctæ Afræ presbyter unus, Adelger nominatus, tulit de sepulcro duos bacellos speciosos ad videndum, et aptos in manibus ad portandum, et sui obliviscens portavit eos in domum suam, ibique cum sedisset, invasit eum oscitatio crebra et obripilatio cutis maxima, et omnia membra tædio occupata sunt, ita ut virtutem sedendi, neque ambulandi, nec saltem jacendi apte non potuisset habere. Qui inter semetipsum æstimare cœpit pro quare tam subita solutione membrorum gravaretur, et surgens venit ad Wicfredum præpositum, et nuntiavit illi eventum rei. Cui ille dixit: « Tu ne istos bacellos de sancto sepulcro tulisti? » Qui dixit: « Ita feci. » « Festina, inquit ille, reponere eos in locum suum. » Hoc cum factum fuisset, omni incommoditate corporis fugata, presbyter confestim, sanitati pristinæ restitutus est.

V. Quicunque etiam de multitudine vulgi de apportatis baculis in manus suas acceperunt, ut inter sacra mysteria se super eos inclinarent, et facilius finem mysterii exspectarent, repentina invasione febris quassati sunt, compertaque causa eventus, rejectis baculis eadem hora liberati sunt.

VI. His casibus divulgatis, et in notitiam undique omnium deductis, nullus præsumebat vel minimum bacellum sine licentia inde auferre; et ideo tanta multitudo baculorum excrevit, ut facile dinumerari non potuisset, nec sine impedimento in angulis ecclesiæ collocari. Unde factum est ut super trabes ejusdem ecclesiæ, ubi sepulcrum situm est, ponerentur. Mansionarii itaque, præcipiente eorum magistro, frequenter eos ad focum portant, et eis ardentibus ceram ad mollitiem redigunt ad candelas multiplicandas ad servitium Dei. Super trabes tamen plurimi semper remanebunt, et hi qui eos conspiciunt, non putant numerum eorum in aliquo minorari. Sustentacula eorum qui, gratia Dei concedente, per merita sancti Udalrici a diversis infirmitatibus ibi sunt liberati, plurima pendent, et aliorum analogiæ secundum membra diversa infirmantium figuratæ etiam plurimæ ibi videri possunt. Vehicula etiam eorum qui carris superpositi multimoda debilitate membrorum manci illuc veniebant, et in omnibus membris perfecta sanitate donabantur, relictis ibi carris cum tuguriis, pedestri itinere læti redierunt, ante fores ecclesiæ conspici possunt.

VII. Cujusdam vero mulieris filia in brachio in totum debilis facta in pago Geltenstein, cui quadam nocte in somnis dictum est: Quare filiam tuam cum

lucerna non producens ad sepulcrum sancti Udalrici pro sanitate sua? » Quæ expergefacta somnium narravit filiæ suæ, et ut celerius potuit, cum illa cum candela perrexit, et perfecta sanitate recepta, inde læta ad propriam possessionem revertit.

VIII. De eodem vero pago de oppidulo Tenningewe vocato, quidam homo, cui aures clausæ sunt ut nihil audire potuisset, et lingua ligata, ita ut nunquam ullum verbum proferre potuisset, ad sepulcrum sancti Udalrici a fratribus suis deductus est, et ibi prostratus diu jacuit lacrymas fundendo; elevatus autem a fratribus per altaria deductus est. Cumque ambulare cœpisset, et perveniret ante altare sancti Donati, quod est situm ad occidentalem partem ecclesiæ, audivit sonitum cantantium in choro clericorum, et infirma adhuc voce dixit fratribus suis: « Ecce audio et loqui possum. » Qui cum peracto Dei ministerio hæc clericis annuntiarent, et ipsi veraciter hæc ita esse cognoscerent, campanas sonare fecerunt, et ipsi in commune Deum laudare cœperunt, laudationeque finita cum perfecta loquela et integro auditu donatus præfatus infirmus abire promeruit.

IX. Ex familia episcopi Heinrici similiter quidam, Luitnotus nominatus, reatu proprio gratiam domini sui perdidit, pro eo quod ferra per loca episcopi sibi commendata magna incautela dissipavit. Qui cum a ministris episcopi vehementer territus maximum timorem incideret, ad sepulcrum sancti Udalrici pro liberatione imminentis angustiæ nudis pedibus accessit, et ibi diu cum lacrymis adjutorium ejus postulavit. Inde autem cum reverteretur, paucis diebus interpositis, facilius quam credere potuisset, gratiam sui domini recepit. Deinde in auxilium ejus firmiter ubique confidens, in recreatione sua pro amore ejus frequenter bibebat, et alios bibere postulare consuevit.

X. Idem Luitnotus quadam die ad domum Baronis (al. Basonis), qui tunc potens minister episcopi fuit, in oppido Pöhlingen venit, et ibi cum eo prandium sumpsit. Qui cum satiatus abire voluisset, præfatus Baro rogabat eum plus ad bibendum. Cujus petitioni ille contradicere non audebat, sed vas quod illi porrigebatur accepit, dicendo: « Istam sacram bibere pro charitate sancti Udalrici, per cujus adjutorium de maximis angustiis liberatus sum, volo. » Cumque paululum hausisset, et vas cum manu sursum verteret, dixit: « Cum ista charitate signatus, certus sum quia nullius adversitatis gravitas mihi hodie poterit nocere, sed neque gladius corpus meum vulnerare. » Cui Baro dixit: « Da mihi digitum tuum, ut videam si cultellus meus tuum possit vulnerare membrum. » Qui nimium magna fide digitum suum ei porrigebat. Ipse autem apprehenso ejus digito, alia manu cultellum de vagina extrahere conabatur, ad vulnerandum digitum prænominati pisaris, propriæque suæ manui eodem cultello grande vulnus infixit, digitumque apprehensum simul et cultellum festine dereliquit, et suam manum vulneratam lamentari cœpit, pastor autem in fide confortatus sanus recessit.

XI. Alius autem ex familia, nomine Adelhardus (al. Adalhardus), cum de Augusta civitate ad suam mansionem quæ est sita in oppido Eslingen nominato pergere voluisset, ante portam civitatis quidam homo eum cum aliis bibere rogavit. Cumque bibere cœpissent, quidam de manentibus pro charitate sancti Udalrici postulavit eos potum accipere. Præfatus autem Adelhardus sordidum verbum ex ore suo emisit, et poculum rogatæ charitatis accipere renuit. Cumque paululum inde recederet, in planitie viæ equo suo cadente crus ejus fractum est, et ita ad suam domum cum labore deductus longo tempore debilis permansit. Postea vero votum ad sepulcrum sancti Udalrici vovit, et, Deo donante, sanitati est restitutus, et deinde charitatem quam antea sprevit alios frequenter bibere postulavit.

XII. In præfata villa Ettinga quadam die cum multi ex familia simul ad bibendum in unum congregati fuissent, fuit inter eos unus, nomine Walterich, discipulus Wicfrodi, præpositi de Sancta Afra, qui, cum audiret ibi postulare sancti episcopi Udalrici charitatem, profano ore quasi insaniendo stultissime locutus est: « Quid mihi prodest charitas illius episcopi, quia ille signa facere non potest plusquam unus canis? » Illo verbo emisso, diabolo concessus loquelam hominis amisit, et more canis furendo sonare cœpit, et ganniendo atque latrando, parvo tempore evoluto, heu! miserabiliter vitam finivit.

XIII. In civitate Augusta quidam faber Hrevuns vocatus, longo tempore magna infirmitate totius corporis detentus, ita ut ambulare non posset nisi aliis adjuvantibus, et interdum cum duobus sustentaculis sustentatus, prope terram inclinato capite ad necessaria corporis vix pervenit. Qui cum audisset multos infirmos ad sepulcrum sanctum sæpe sanari, cœpit illuc ultra vires repere, et mane diluculo de mansione sua exire, et illuc ante horam diei tertiam vix pervenire. Cumque hoc frequenter fecisset, quodam tempore in Quadragesima, die Veneris, cum ad portam, cui capella sancti Michaelis est superposita, veniret, ultra modum lassus et universis viribus destitutus subsistit, dicens: « Domine Deus, Pater omnipotens, cognoscere dignare quanta infirmitate nunc istum adii locum, et per merita sancti confessoris tui Udalrici miserere mei, » et aliquantulum pausatus repsit usque ad sepulcrum. Finita ibi oratione, dum accepto sustentaculo adjuvante comite suo surgere voluisset, unum sustentaculum in pavimento lapsum est, et ipse ad terram iterato dejectus est, et in dejectione genua ejus retro in contractione nervorum more fractorum asellorum sonitum fecerunt, et crura per pavimentum extensa sunt. Comes autem illius cum eum levare voluisset, dixit illi: « Exspecta paululum, quia, ut mihi videtur, ex me ipso surgere possum et ambulare. » His dictis, dimissis in pavimento sustentaculis, surrexit et ambulavit. Qui

statim ibi accepta cruce, clericis ceterisque civibus cum eo comitantibus, sine baculo patenter ad Sanctam Mariam in Augustam civitatem perambulavit, ibique Dei laudibus in commune peractis, eadem hora ad Sanctam Afram crucem portando regressus est.

XIV Nativus quidam pauper de oppido quod dicitur Messlinga [*al.*, Messinga], Hiltibaldus nomine, cæcitate perculsus est, et in illa cæcitate duos annos perduravit: tertio autem anno, quidam homines de eodem pago pergere decreverunt ad Augustam civitatem causa orationis: qui invenerunt eum in eodem itinere cum duce suo victum per oppida quærentem, et dixerunt ei: «Perge nobiscum ad Augustam civitatem et ad sepulcrum sancti Udalrici, forsitan ibi misericordiam consequi poteris.» Quibus ille respondit: «Stipendia mihi et ductori meo, et oblationes ad illa sancta loca deferendum non habeo.» Qui respondentes, dixerunt: «Si nobiscum ieris, quantum possumus auxiliatores tui sumus.» Quorum consentiens suasionibus cum eis perrexit ad Augustam, et eadem nocte juxta sanctum sepulcrum foris ecclesiam diem exspectavit futurum. Mane autem facto, infra ecclesiam ad sepulcrum deductus devote oravit, et antea amissum lumen oculorum, gratia Dei donante, recepit, levataque cruce, comitante cum eo magna multitudine populi, ad Sanctam Mariam pervenit, et qualiter sit illuminatus, civibus suis ei testimonium dantibus recitavit.

XV. Quodam (64) tempore cum sanctus episcopus ad synodum Ottonis imperatoris in Inglunheim congregatam pergeret, quidam pauper de oppido Affelterbach, Rudpret [*al.*, Rutpertus] vocatus, juxta viam ei conjunctus est, ilia sua de ventre prolapsa in loco umbilici portans in sinu suo: cumque ea aperto sinu episcopo ostenderet, præcepit ei denarium dari et dixit illi: «In pace Dei perge.» Qui non multo post tempore, meliorari de die in diem cœpit, et sanato ventre de prædicta infirmitate liberatus est. Postea autem idem ipse claudus factus est, ita ut nisi scamellis sustentatus ambulare potuisset, utilitate etiam dextræ manus in lineamentis totus privatus est. Hac infirmitate cum quatuor annis detentus mansisset, desideravit venire ad sepulcrum sancti Udalrici, et comparavit ceram quam secum ad sepulcrum deferret; comparata autem cera virtus ei in sustentaculis baculorum, dimissis scamellis ambulandi concessa est. Illuc autem taliter cum perveniret, manus ejus et genua sanitati restituta munia sua receperunt, ita ut idem homo sine sustentaculis erectus gradiens tripudiando rediret.

XVI. De regno etiam Lotharii quidam Lutericus [*al.*, Luitharius] qui multo tempore luce oculorum caruit, ad sanctum sepulcrum venit, et orationibus peractis visum clarum recepit.

XVII. Clericus quidam, qui in Augusta civitate studio discendi sæpe inter scholares morabatur, cum ad propinquos suos reverteretur, mutus effectus est: cumque ab eis ad sepulcrum sanctum deductus fuisset, emissis de ore suo duobus denariis super sepulcrum, loquelam quam amisit, recepit.

XVII. Cæcus quidam cum valde parvulo ductore ad sanctum locum hiemali tempore studuit pergere; qui cum Smutturam fluviam transgrederetur, et ad longum rivulum de fonticulis congregatum super viam decurrentem veniret, ductor ejus ei auxilium præbere non potuit, sed de frigore et lassitudine defectis viribus cecidit. Cæcus autem, ductore cadente, magna cura et tristitia per decursum rivuli cum baculo undique palpando ambulavit, et magna voce clamando ad sanctam Mariam et sanctam Afram, et ad sanctum servum Dei Udalricum, adjutorium et misericordiam sibi dari intenta mente flagitavit. Cumque sic palpando et clamando pene usque ad finem rivuli perveniret, Dei donante clementia, subito apertis oculis lumen aspexit, et regrediens ductorem suum levavit, et usque ad sanctum sepulcrum, omnipotentem Deum et sanctos suos laudando, portavit, ibique manifeste clericis et omnibus præsentibus quæ ei in via acciderant recitavit.

XIX. Fuit quædam matrona in Francorum provincia prædives et nobilis, quæ arrepta a diabolo nimie laborabat; ad cujus ereptionem quinque episcopi cum aliis plurimis convenerunt. Qui cum diabolum orationibus et conjurationibus arctarent ut obsessum corpus dimitteret, clamans et ejulans, dixit: «Nisi aliquid de rebus episcopi Udalrici huc venerit propter vestrum præceptum possessum vas non dimitto.» Cumque iterum atque iterum eadem responsa iteraret, æstimare cœperunt ut legatos ad Augustam mitterent, ut aliquid acquirerent de rebus episcopi. Interim vero cum hæc inter se arbitrarentur, clamavit diabolus per os matronæ: «Væ mihi! væ mihi! hic in vicinitate est presbyter unus qui habet humerale quod fuit præfati episcopi;» quamvis non sponte, sed Deo jubente, nominavit presbyterum et locum ubi habitavit. Cumque accersitus presbyter cum humerali veniret, antequam domum intraret, dæmon dixit: «Væ! væ! nunc venit humerale episcopi.» His dictis clamando et dolendo corpus matronæ valde fatigatum reliquit. Interrogatus autem presbyter unde ei humerale veniret, respondens dixit: «Episcopus aliquando ad regale colloquium pergendo, ad nostram ecclesiam venit, et nos sibi missam cantare rogavit, cumque alba nos indui sine humerali velle videret, dixit: «Ubi «est vestrum humerale?» Cui ego respondi: «Non habeo humerale. Tunc ille istud humerale jussit mihi donari.» Matrona autem a dæmonio liberata, et sensui sanitatique restituta, tota vestimenta sua, quibus eo die induebatur, cum caligis et calcea-

(64) Hoc miraculum in uno exemplari etiam sub finem capitis 23 Vitæ S. Udalrici relatum. Porro minimum duabus Ingelheimens. synodis S. Udalricus interfuit; posterioris, quæ acta an. 972, mentio fit in Vita cap. 23. Prioris meminit an. 948, VII Id. Jun. Flodoardus in Chron.

mensis ad sepulcrum sancti Udalrici per nuntios misit; quibus etiam præcepit ut illi nuntiarent qualiter, Domino concedente, per ejus merita est liberata. Wolfredus ejusdem loci præpositus, qui etiam et custos ecclesiæ eo tempore mansit, de freno ejusdem matronæ dalmaticam fieri fecit, et alia ejus vestimenta, sicut congruum fuit, ad Dei servitium composuit, ut hoc signum misericordiæ Dei frequentius pastoris in recordatione maneret.

XX. In regione Sclavorum, filius Wolizlawi (64), Wonslai ducis in valetudinem incidit, et in tantam infirmitatem deductus est, ut pater ejus et mater cæterique præsentes amici præsentem vitam eum ulterius habere posse desperarent. Cumque pater in his angustiis versaretur, admonitus est de matre pueri et de aliis quibus notum fuit quam multipliciter multi per merita sancti Udalrici de diversis angustiis liberati essent; continuo votum vovit, si filius ejus ad vitam rediret, ut suis legatis sepulcrum sancti Udalrici cum oblationibus visitarent. Eodem vero die filius ducis conversus ad vitam, consolationem patri suo mirantem obtulit. Qui cognoscens misericordiam Dei in filio, nuntios statuit mittere et votum ejus implere studuit. Qui venientes ad sepulcrum obtulerunt v libras argenti et aureos quam plurimos, et de cera quantum unus fortis summarius portare potuit; mater etiam pueri sessum aureorum denariorum bonam partem pro filio misit. Legati etiam altare Sanctæ Mariæ cum auro et aliis oblationibus, sicut eis præceptum est, devote visitaverunt, similiter et altare Sanctæ Afræ, et narraverunt pro quâ re missi sunt, dicentes antequam ipsi exirent de sua provincia, ut filium domini sui ambulantem et sanum dimitterent.

XXI. Alio quoque tempore quidam dux Vandalorum (65) Missiko cum sagitta toxicata in brachio vulneratus est. Qui cum sentiret suos venenum noxio esse perfusum, et sibi imminere mortis interitum eadem hora posse, cum magna fide et constantia votum vovit, ut brachium argenteum cum manu, quantum potuisset, ad sanctum Udalricum, mittere non differret. Qui statim post votum relevatus a periculo ad domum suam rediit, et brachium secundum suum votum componere præcepit. Cumque fabri brachium fabricare cœpissent, et manum in eo fingerent, dux continuo de imminenti periculo liberatus surrexit, Deum laudans qui eum per merita sui sancti episcopi de mortis periculo liberavit, votum suum perficiens, mittendo brachium cum manu ad ejus sancti sepulcrum.

XXII. Quædam mulier de Curwalensi Retia, relicto proprio marito, cuidam viro de pago Albegewe, Darius vocato, in matrimonium juncta est. Cumque cum illo aliquantulum temporis maneret, a dæmonio arrepta est, et ab eo multo vexabatur. Quæ cum in multis sanctis locis liberationis suæ adjutorium quæreret et non inveniret, consilium accepit ut ad sepulcrum sancti episcopi Udalrici veniret; quod et fecit. Cumque appropinquaret Augustæ civitati, et ecclesiam sanctæ Afræ bene aspicere potuisset, clamans et frendens cecidit in terram, et facta est quasi mortua. Prædictus autem Darius cum circumstantibus sibi studuit levare eam; levata autem, reddito sensu, a dæmonio est liberata.

XXIII. Eleemosynaria quædam Abrahami Frisingensis episcopi civitatis, de villa quæ dicitur Camera, cui maxilla pectori fuit inserta, et loquela in toto negata, cui etiam manus brachiis replicatæ et conglutinatæ erant, ut figuræ digitorum vix cognosci potuissent, cum veniret ad sanctum sepulcrum, et inde revertendo super pontem Lici fluminis ambularet, quidam homo ei obvius venit et interrogavit eam unde pergeret; cui illa respondere non potuit, sed vertebat se inclinando ad ecclesiam sanctæ Afræ, ut ei monstraret unde pergeret; cum autem se ad illum verteret, maxilla de pectore solvebatur, et loquela ei ad respondendum concessa est.

XXIV. Quidam cæcus cum perveniret cum ductore suo ad fluvium qui dicitur Vindex interrogavit eum si adhuc videre potuisset civitatem et monasterium. Cumque audiret in proximo fuisse sanctum locum, abstrahere sibi fecit caligas et calceamenta, ut nudis illuc perveniret pedibus; ductor autem ejus, raptis calceamentis et aliis rebus ejus, furtive recessit ab eo, qui æstimans ut pro aliqua necessitatis causa oppidum juxta situm intraret, et statim sibi in adjutorium rediret. Cumque diu exspectaret, vociferando eum continuare cœpit ut veniret. Interim etiam quæsivit caligas et calceamenta, et non invenit. Tunc persensit a ductore suo se esse despoliatum flendo et orando clamare cœpit ad sanctam Mariam matrem Domini, et ad sanctam Afram, et ad sanctum Udalricum, ut sibi aliquod consolationis supplementum eveniret. In hac cum prolixæ afflictionis tolerantione laboraret, subito ignotum conspexit oculis lumen, et statim crucicula de viminibus facta eumdem demonstravit locum, et tunc lætus destinata visitavit loca, gratias omnipotenti Deo et sanctis ejus agens pro percepto lumine; cives autem de Horvarchusen in eodem loco ubi crux lumen monstravit invenerunt, majorem crucem pro signo posuerunt.

XXV. Quodam tempore cum populus curreret undique ad Augustam in vigilia nativitatis sanctæ Mariæ, ut sanctam diem ibi solemniter celebrarent, quædam mulier inter alios cum puella sua parvula studuit et illuc venire, ut illam ad sepulcrum sancti Udalrici cum oblationibus ibi præponderaret pro sua sospitate. Cumque super pontem Vindicis carpento superpositam puerulam cum aliis rebus ducere voluisset, pro inæqualitate pontis carpento inclinato, puerula cecidit in amnem, qui pro nimia illuvie vehementer elevatus, universa super eam mentibus [illegible] sonuit. Cumque mater tristissima in perniciem sui in amnem post puerum cadere voluisset, et vix a circumstantibus comprehensa tenere-

(65) Polonos significat.

tur, populi in utraque parte fluminis in ripa festinaverunt in adjutorium infantis. Qui cum a nemine eorum adjuvari potuisset, flumine submersus ab oculis omnium occultabatur. Mater autem ab amne vi abducta, et quantum possibile fuit consolatione recepta, flendo et lamentando adjutorium sanctissimæ Dei genitricis Mariæ imprimis quæsivit, et postea ad sepulcrum sancti Udalrici cum oblationibus quas antea pro sospitate filii sui illuc deferre decrevit, et eas pro requie animæ pueruli cum bona fide donavit. Sequenti vero nocte cum triste corpus mulieris sopor occuparet, quidam valde venerabilis senex, in vestitu episcopali, apparuit ei, dicens: « Pœnitet ne te, mulier, valde infantulus tuus? » Quæ respondit: « Etiam, domine. » Cui ille: « Mane diliculo, inquit, vade ad fluvium, et ubi ultima vice in amne videretur, quære eum in ripa fluminis inter frutices. » Quæ expergefacta venturum cras vix exspectans cum adjuvantibus sibi ripam fluminis adiit, et secundum verbum sancti viri infantem suum sanum et incolumem invenit. Tunc læta Deum laudans rediit, et rem gestam in civitate et ubique recitavit.

XXVI. Quidam vero homo juxta Danubium, cum cunctus populus sua sponte natalitium sancti Udalrici solemniter celebraret, fenum cum rastellis congregavit in cumulos, diem sanctum spernendo. Qui cum altera die cum plaustris veniret, ut hoc in fenarium suum duceret, exterius formosum invenit; cum autem bibenti ligno interius tangeret, totum in favillas immutatum invenit, et diem sanctum quem antea celebrare noluit, postea præ timore contemnere non audebat.

XXVII. Eodem vero tempore ancilla cujusdam matronæ, Gerbirc [*al.*, Gerbirch] nuncupatæ, telum suum, dum in texendo laboraret, subitus dolor cœpit contrahere manus ejus; quod cum lamentando aliis diceret, responderunt ei: « Depone texile ferrum, quia pro reatu hodierni operis hic labor tibi accedit; » quæ vix manibus de ferro absolutis lectum intravit. Cumque ibi requiem non haberet, præ contractione manuum, conservæ ejus nuntiaverunt dominæ suæ: illa vero præcepit ut mane diluculo duceretur pro liberatione sua ad sepulcrum sancti Udalrici. Cumque in itinere lassæ circa horam nonam in planitie Lechfeldiei campi ad reficienda corpora consedissent, dolor cœpit minui in manibus laborantis, ita ut antequam de ipso loco surgerent, usui prioris rectitudinis redderentur. Quæ tunc lætæ pervenerunt ad prædestinatum locum, et inde in civitatem ad ecclesiam sanctæ Mariæ genitricis Dei. Post vesperam venientes, hæc, sicuti gesta sunt, nobis annuntiaverunt, et lætæ ad propria redierunt.

XXVIII. Nobilis quædam matrona de Burgundionum provincia, dum decrevisset pergere ad Au-
A gustam civitatem cum oratione, quemdam claudum eleemosynarium præcepit comitari secum; cujus caballum duobus ministris suis commendavit, ut pedes ejus, sicuti mos est peregrinantibus, ferro munirent. Qui fraudulenter pedes caballi cum clavis vulneraverunt, ne delator eorum in itinere actuum suorum pro fidelitate dominæ suæ, sicut solitus erat, maneret. Dixeruntque claudo: « Caballus tuus claudicat, et ideo hic te necesse est remanere. » Quibus claudus respondens dixit: Quamvis caballus claudicet, tamen non consentio hic me remanere: qui omnia potest Deus omnipotens, etiam me valet, sicut sibi placet, ad loca perducere destinata. Cumque cum aliis pergere cœpisset, sano et apto caballo ad Augustam pervenit. Cumque ibi ad sepulcrum sancti Udalrici devotam
B orationem prolongaret, et firma fide pro sospitate sua clementiam Dei imploraret, in præsentia multorum sanitati redditus est. Hoc videntes præfati homines qui impedire iter ejus in caballo voluerunt, ceciderunt terratenus, confitentes clericis cæterisque qui in præsentia aderant delicta sua, veniam postulantes, quod eum claudum impedire voluerunt ne perveniret ad locum, ubi Dominus per merita sancti Udelrici eum sanare dignatus est. Et accepta pœnitentia secuti sunt claudum sanatum crucem portantem, uterque saxum tantæ magnitudinis portans quantum levare potuit, usque in ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ est sita in civitate; ibique peccata sua lamentabantur multum cum lacrymis veniam postulantes. Cumque hoc signum in
C præsentia omnium recitatum fuisset, clerici *Te Deum laudamus* et populi *Kyrie eleison* cantantes, gratias et laudes Deo referebant.

XXIX. Quidam homo juvenis, cujusdam filius comitis, tanta infirmitate est detentus, ut nec in lecto nisi ab aliis adminiculatus in aliud se vertere potuisset latus, nec cibum multo tempore valeret accipere, nisi paucis oblatis refocillaretur. Cum vero immani labore fatigaretur, a fidelibus suis in lecto ad sepulcrum sancti Udalrici deductus est, oblationibus oblatis lacrymabiliter ibi misericordiam deprecatus est. Cumque eum in lecto ad Sanctam Mariam portare cœpissent, in medietate viæ cœpit rogare portantes ut deponeretur ad ambulandum. Qui
D non credentes eum posse ambulare, noluerunt deponere. Ad portam vero civitatis iterum rogavit ut deponeretur, dicens se posse ambulare. Qui iterum ei non consenserunt. Ad gradus vero atrii ecclesiæ cum perveniret, in nomine Dei omnipotentis, omnes in commune flagitavit ut, deposito lecto, eum ambulare dimitterent. Ipsi autem in fide hæsitantes petitioni ejus assensum non dederunt. Ille autem ut cognovit infirmitatem ab eo esse separatam, et virtutem nutu Dei concessam, exsilivit de lectulo, et inde strenuo gressu ad ecclesiam pervenit, et sospes ad propria rediit.

EPILOGUS.

Hæc pauca prælibata miracula sufficiant studiosis ad bona exempla lectoribus, ita ut etiam tardis et segnibus nimis tamen pro nausea fastidium non moveant. Quomodo si cuperem cuncta beneficia adeuntibus ad sepulcrum sancti Udalrici et inde revertentibus, vel juxta sepulcrum infirmis atque debilibus a Deo concessa sigillatim enumerare, nullius adjutorio nisi solius Dei, qui omnia potest, possum perficere. Ita tanta namque multiplicia sunt, ut sensibilitas humanæ agilitatis dinumerare ea non possit. Quia quibusdam post vota devote peracta illuc cum oblationibus veniendi, statim in laribus suis donata sunt, quibusdam in itinere ad hoc longe positis, quibusdam illuc appropinquantibus, quibusdam illuc pervenientibus, quibusdam inde redeuntibus compendiose adimplenda sunt. Quorum auditus bono rumore non solum propinquas, verum etiam longe sitas regiones advolavit, quod frequens frequentia adventantium undique populorum sæpissime manifestat, indicans in istis locis in suis regionibus multa magnalia Dei per merita sancti Udalrici facta, quorum vera cognitio nos propter nostras necessitates ad ista loca veniendum incitavit. His auditis, eia nos, qui inquilini hujus ecclesiæ sumus, et tanti patroni faciem sæpissime vidimus, et ejus doctrinam benedictionemque sæpissime accepimus, et in eo optima exempla conspeximus, et nunc in retributionem ejus bonorum operum assidua miracula et diversa signa in liberatione multorum videmus et audimus, cur non expergiscimur, et tædium nostri desiderii non deponimus? Eum vero de quo loquimur quantum, Deo donante, possumus imitantes, ejus adjutorio iter rectitudinis ineamus, per quod pervenire mereamur ad eum qui in tribus personis in divinitatis æqualitate unus, incommutabilis, omnipotens Deus permanet sine fine in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI UDALRICI

AUGUSTANI EPISCOPI

SERMO SYNODALIS.

Ex codice manuscr. monasterii Neresheimensis, scripto anno Christi 1009, *quod ex verbis istis colligitur* : « *Ab initio mundi usque in adventum Domini secundum Hebraicam veritatem anni sunt* 3956, *secundum vero interpretes, anni* 5200. *Colliguntur autem anni omnes a creatione primi hominis usque in septimum annum Henrici imperatoris secundum Hebraicam veritatem* 4965, *secundum vero interpretes* 6708. »

(Labb. *Concil.* IX, 803.)

CONJECTURA MARCI VELSERI DE AUCTORE SERMONIS SEQUENTIS.

Cum codex Neresheimensis in Augustanæ diœcesi, anno Christi 1009, hoc est tricesimo sexto post mortem sancti Udalrici, scriptus sit, verisimile fit synodales has constitutiones a sancto Udalrico fluxisse, quas sequentes deinde episcopi, quod inscriptio innuit, sæpius repetere et proponere consueverint. Primum vero earum auctorem sanctum Udalricum esse, magnopere confirmat locus vetusti scriptoris in ejus Vita cap. 6. « In quibusdam autem diebus capitula cum clericis habere disposuit, in his locis ubi hoc aptissime fieri archipresbyteri putaverunt, et ubi cum illis muniatus conciliis absolutionem esse arbitrabantur. Congregatis ante se clericis, archipresbyteris, et decanis, et optimis quos inter eos invenire potuit, caute interrogavit qualiter quotidianum Dei servitium ab eis impleretur, et qualiter populus illis subjectus ex eis regeretur in studio prædicandi docendique, quantaque cautela infantes baptizarentur, infirmi visitarentur, et ungerentur, defunctorum etiam corpora quanta compassione sepulturæ traderentur, qualiter de decimis et oblationibus fidelium pauperes recrearentur, viduis et orphanis in diversis necessitatibus subvenirent, quantoque studio in hospitibus et advenis Christo ministrarent; si subintroductas mulieres secum haberent, et inde crimen suspicionis incurrerent, si venationibus vel aucupationibus operarentur, si tabernas causa edendi vel bibendi ingrederentur, si turpes jocos in usu haberent, si ebrietates et comessationes supra modum amarent, si rixis et contentionibus et seditionibus deservirent, si nuptiis sæcularibus interessent, vel si aliqui eorum ministerio indecenti in consuetudine haberent, si per Kalendas more antecessorum suorum ad loca statuta convenirent, ibique solitas orationes explerent, atque ecclesias ad tempus revisissent, si obedientiam eorum magistris præbuissent, et in suo sibi ministerio devoti et apti manere studuissent. » Cum plerumque harum interrogationum constitutionibus respondeant, tempus præterea locusque conveniat, profecto nihil vetat quin eidem sancto Udalrico constitutiones et interrogationes tribuere.

ADMONITIO SEVERINI BINII.

Amice lector, hunc sermonem synodalem, post primam editionem conciliorum nostrorum inserendum misit ad me amplissimus dominus Marcus Velserus, piæ memoriæ, quondam inclytæ reipublicæ Augustanæ duumvir, sitiens prisci ævi monumentum, una cum conjectura de auctore. Operæ pretium facturum me pu-

tavi, ut latentem sermonem omnibus pastoralibus synodis celebrandis utilissimum, et tenebris erutum in lucem emitterem. Quod ecclesiasticæ disciplinæ [illegible] sit : eritque ut spero, si qui in sortem ac ministerium Domini cooptati sunt, hæc tam salutaria monita in intimas medullas demittant, ut ad eorum præscriptum, vitam, mores, et actiones suas conformare studeant. Cum incertum sit quoto anno ab Udalrico habitus fuerit, præfixum initio scripti libri annum retinendum esse judicavi.

Fratres presbyteri et sacerdotes Domini, cooperatores nostri ordinis estis. Nos quidem, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos locum Eleazari et Ithamaris. Nos vice duodecim apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta discipulorum estis. Nos pastores vestri sumus, vos pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori Domino Jesu Christo, vos de plebibus vobis commissis. Et ideo, charissimi, videte periculum vestrum. Admonemus et obsecramus fraternitatem vestram, ut de communi salute vestra cogitantes attentius, audiatis admonitionem nostram ; et quæ vobis suggerimus, memoriæ commendetis, et opere exercere studeatis.

In primis admonemus ut vita et conversatio vestra irreprehensibilis sit, scilicet ut cella vestra sit juxta ecclesiam, et in ea feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturna surgite. Cursum vestrum certis horis decantate. Missarum celebrationes religiose peragite. Corpus et sanguinem cum timore et reverentia sumite. Vasa sancta propriis manibus abluite et abstergite. Nullus cantet missam, nisi jejunus, Nullus cantet, qui non communicet. Nullus cantet sine amictu, alba, stola, fanone, planeta. Et hæc vestimenta nitida sint, et ad nullos alios usus sint. Nullus cum alba, qua in suos usus utitur, præsumat missam cantare. Nulla femina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mundissimum sit, altare coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur, nisi capsæ et reliquiæ, aut forte quatuor Evangelia, et buxida cum corpore Domini ad infirmos ; cætera in nitido loco recondantur.

Missale plenarium, Lectionarium et Antiphonarium unaquæque ecclesia habeat. Locus in sacrario aut juxta altare sit præparatus, ubi aqua effundi possit quando sacra vasa abluuntur, et ibi vas nitidum cum aqua dependeat, ibique sacerdos manus lavet post communionem. Ecclesiæ sint coopertæ bene et cameratæ, et atrium sit sæpe munitum. Nullus extra ecclesiam per domos aut in locis non cameratis missam cantet. Omnis presbyter clericum habeat aut scholarem, qui epistolam vel lectionem legat, et ad missam respondeat, et cum quo psalmos cantet. Nullus solus missam cantet.

Nullus cum calcariis, quos sporones rustice vocamus, et cultellis extrinsecus dependentibus, missam cantet, quia indecens est et contra regulam ecclesiasticam est.

Calicem et oblatam recta cruce signate, id est non in circulo et variatione digitorum, ut plurimi vestri faciunt, sed strictis duobus digitis et pollice intus recluso, per quos Trinitas innuitur, istud signum recte facere studete : non enim aliter quidquam potestis benedicere. Infirmos visitate, et eos reconciliate, et juxta apostolum (*Jac.* v.) oleo sancto inungite, et propria manu communicate. Et nullus præsumat tradere communionem laico aut feminæ ad deferendam infirmo.

Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat. Videte ne per negligentiam vestram ullus infans sine baptismo moriatur. Nullus vestrum sit ebriosus et litigiosus, quia servum Domini non oportet litigare. Nullus vestrum arma ferat in seditione, quia arma vestra debent esse spiritualia. Nullus canum aut avium jocis inserviat.

Nullus in tabernis bibat. Unusquisque vestrum, quantum sapit, plebi suæ de Evangelio vel Apostolo, die Dominico, vel festis diebus, annuntiet. Verbum Domini debetis prædicare. Curam pauperum, peregrinorum et orphanorum habete, eos ad prandiola vestra invitate. Estote hospitales, ut alii a vobis exemplum bonum sumant.

Omni die Dominica ante missam aquam benedictam facite, unde populus aspergatur : et ad hoc solum vas habete. Sacra vasa, et vestimenta sacerdotalia, nolite in pignore dare negotiatori aut tabernario. Nullus vestrum usuras exigat, et conductor sui fenoris existat. Res et facultates, quas post diem ordinationis vestræ acquiritis, sciatis ad ecclesiam pertinere Nullus sine scientia et consensu nostro ecclesiam acquirat. Nullus per potestatem sæcularium ecclesiam obtineat. Nullus ecclesiam ad quam titulatus est relinquat, et ad aliam quæstus causa migret. Nullus plures ecclesias teneat sine adjutorio aliorum presbyterorum. Nullatenus una ecclesia inter plures dividatur. Nullus alterius parochianum, nisi in itinere, et cum placitum fuerit, ad missam recipiat. Nullus in alterius parochia missam cantet. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare, et bibere vinum, nisi pro eo ad præsens eleemosynam fecerit Nullus præsumat baptizare, nisi in vigilia Paschæ et Pentecostes, nisi propter periculum mortis. Unusquisque fontes habeat, et si non potest lapideos, habeat aliud vas ad hoc præparatum, in quo nihil aliud fiat. Videte ut omnibus parochianis vestris Symbolum et Orationem Dominicam insinuetis. Jejunium Quatuor Temporum, et Rogationum, et Litaniæ majoris, plebibus vestris omnimodis observandum insinuate : feria quarta ante Quadragesimam plebem ad confessionem invitate, et ei, juxta qualitatem delicti, pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in Pœnitentiali scriptum est. Quater in anno, id est, Natale Domini, et Cœna Domini, Pascha,

et Pentecoste, omnes fideles ad communionem corporis et sanguinis Domini accedere admonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abstinere exhortamini. Eulogias post missam in diebus festis plebi tribuite. Nullus induatur vestimentis laicalibus. Nullus rem, aut possessionem, aut mancipium ecclesiae, vendere, aut commutare, aut quocunque ingenio alienare praesumat.

Diem dominicum, et alias festivitates, absque opere servili a vespera usque ad vesperam celebrari docete. Cantus et choros mulierum in atrio ecclesiae prohibete. Carmina diabolica, quae super mortuos nocturnis horis vulgus facere solet, et cachinnos quos exercent, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus aliis praesumat missam cantare, sed et plebibus vobis hoc annuntiate. Ad nuptias nullus vestrum eat. Omnibus annuntiate ut nullus uxorem accipiat, nisi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete, et ut nullus ad proximam sanguinis sui accedat, et ut alterius sponsam nullus ducat. Porcarios et alios pastores vel Dominica ad missam venire facite. Patrini filiolis suis Symbolum et Orationem Dominicam insinuent, aut insinuari faciant. Chrisma semper sub sera sit sigillo (*forte*, sub sera sit, et sigillo), propter quosdam infideles. De ministerio etiam vobis commisso vos admonere curamus, ut unusquisque vestrum, si fieri potest, expositionem Symboli et Orationis Dominicae, juxta traditionem orthodoxorum penes se scriptas habeat, et eam pleniter intelligat: et inde, si novit, praedicando populum sibi commissum sedulo instruat; si non, saltem teneat, vel credat. Orationes quoque missarum et Canonem bene intelligat, et si non, saltem memoriter ac distincte valeat proferre. Epistolam et Evangelium bene legere possit, et utinam ad litteram ejus sensum possit manifestare. Psalmorum verba et distinctiones regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Sermonem, ut supra diximus, Athanasii episcopi de fide Trinitatis, cujus initium est *Quicunque vult*, memoriter teneat. Exorcismos et orationes ad catechumenum faciendum, ad fontes quoque consecrandum, et reliquas preces super masculum et feminam, pluraliter baptizandi, ad suscipiendum infirmum, ordinem quoque reconciliandi, juxta modum sibi canonice servatum, atque ungendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes bene saltem sciat legere. Similiter ordinem et preces in exsequiis agendis defunctorum. Similiter exorcismus et benedictiones salis et aquae memoriter teneat. Cantum nocturnum atque diurnum noverit.

Computum minorem, id est epactas, concurrentes, regulares, terminum paschalem, et reliquos si quot, si est possibile, Martyrologium et Poenitentiale habeat, et caetera. Volumus autem, fratres charissimi, quatenus quae nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis studeatis operibus adimplere, praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

CHARTA UDALRICI

EPISCOPI AUGUSTANI

Qua Campidonensi monasterio eligendi abbatis libertatem restituit.

[illegible]

Omnibus spem vitae gerentibus, et adhuc in posterum nascentibus notum sit quod primo Ottone principatum regni percipiente, sanctissimae memoriae Udalricus, Augustensis civitatis episcopus, Campidonensis monasterii curam de manu praedicti principis suscepit, et ad ipsum, non avaritiae vel cupiditatis causa, sed pro augendo sanctae Mariae servitio, paterna provisione promovit. Post aliquod tempus, Dudone electo fratribus in eodem monasterio militantibus vir venerabilis sui oneris pondus commendans, Moysen legiferum ratum imitatus est, qui frequentia populi fatigatus, Aaron et Hur adjutoribus sublevatus. In eadem vice sanctus Udalricus juvenem, nomine Liuterich, infra claustrum fratribus Deo servientibus decanum et magistrum [illegible]; alterum Irminhart vocatum in praepositura [illegible] negotii dispensare praecipiebat. Hujus Irminhardi in exterioribus rebus providendo convenirent, et dignis meritis suis bonam famam in contiguis partibus et in regni finibus promeruit, placuit ut aliquod remedium suae animae praepararet, et ad honorem Dei basilicam fundamentis construeret, quam ut modo dispensavit. Dei adjutorio et opibus suis [illegible] operis explicitum perpetravit, et hanc ipsam ecclesiam in [illegible] Dei dignus Udalricus episcopus in honore sanctae Crucis, et sancti Georgii et sancti Nicolai confessoris VIII idus Maii dedicavit, et coram multitudine cleri et populi episcopali sententia [illegible], ut unus ex fratribus, qui in regulari vita, morum [illegible] dignus fuisset, eandem ecclesiam quotidiano obsequio provideret, et quotidie [illegible] Udalrici episcopi [illegible] de cellario fratrum pleniter acciperet; deinceps alteri [illegible]

cumseptus, in legitimam dotem unum mansum in *Iconingeuc*, et dimidium in Lietenbore, et tertiam partem in *Heimirtingen* donans et adhuc ex tali paupertate ecclesiam non posse procurari existimans, unum mancipium, quod vocabatur, *Madelbreth*, cum novali quod primus ex viridi silva in monte *Chnieboz* cepit, adjuncta manu Salechonis advocati in hoc altare contradidit. Dehinc sacerdotali veste indutus coram populo publice dixit: Si qua persona huic ecclesiæ vel altari aliquid horum, quæ dedimus, abstrahat, huic æternæ vitæ januam intrare non liceat, et ab hac luce sequestretur, quam in conspectu Dei omnis justus feliciter contuetur (66). »

NOMINA EPISCOPORUM AUGUSTÆ CIVITATIS.

I. Zozimus. *Aliquis recentiori manu præposuit*, S. Dionysius martyr.
II. Perewelf.
III. Tagepertus,
IV. Manno
V. Wicho
VI. Pricho.
VII. Zeizzo
VIII. Marchman
IX. Wichterpus
X. Tozzo
XI. Sintpertus
XII. Hanto
XIII. Nidger
XIV. Odalman.
XV. Wigger
XVI. Lanto
XVII. Adalpero
XVIII. Hiltine
XIX. S. Oudalricus
XX. Heinricus
XXI Euticus
XXII. Liutolth
XXIII. Gebehart
XXIV Sigefridus
XXV. Pruno
XXVI. Eberhardus
XXVII. Heinricus
XXVIII. Embrico. Hic primo ordinationis suæ anno, qui est ab Incarnatione Domini 1064, datis ab antecessore ejus 50 talentis, ecclesiam sanctæ Afræ a fundamentis destruxit: et repertum est corpus sanctæ Eutropiæ in plumbeo sarcophago prid. Kal. Maii; corpus vero sanctæ Afræ in lapideo sarcophago miræ magnitudinis integrum, et quodam cæmento obductum repertum est IV Nonas ejusdem mensis.

Hactenus prima manus: quæ sequuntur, secunda manu adjecta sunt.

XXIX. Sigefridus
XXX. Hermannus
XXXI. Waltherus
XXXII. Kondradus
XXXIII. Hartwicus
XXXIV. Oudalschalcus
XXXV. Heirtwicus
XXXVI. Sifridus
XXXVII. Syboto
XXXVIII. Hartmanus
XXXIX. Sifridus
XL. Wolfardus
XLI. Degenhardus
XLII. Fridericus

APPENDIX.

OFFICIUM SANCTI UDALRICI.

(Dom. Gerbert, *Scriptores ecclesiastici de musica*, II, 117.)

(*Ant. ad Magnif.*) Venerandi patris Wodalrici solemnia magnæ jucunditatis repræsentant gaudia; quæ merito cleri ac populi suscipiuntur voto, celebrantur tripudio. Lætetur tellus talis compta præsule. Exsultet polus tanto ditatus compare. Solus dæmon ingemat, qui ad ejus sepulcrum suum assidue perdit dominium. Ave, nunc corona martyrum. Salve, gloria confessorum. Simulque sanctorum decus omnium, nos Christo commenda in perpetuum.

(*Invitatorium.*) Adoremus regem Christum Dominum, qui hodie sanctum Wodalricum perduxit ad regna cœlorum.

(*Antiphonæ nocturnorum.*) 1. Beatus Wodalricus ex nobilibus et religiosis parentibus Deo prædestinante in salutem plurimorum extitit ortus. Beatus vir.

2. Hunc religiosi parentes commendaverunt in

(66) *Confer ea quæ de episcopis Augustanis dicta sunt, tum in observationibus prævüs num.* 7, *tum ad Vitæ, cap.* 1. *Dionysium ex catalogo episcoporum Augustensium expungit Velserus in Notis ad conversionem Sanctæ Afræ sub finem.*

sancti Galli cœnobium, sacris litterarum studiis imbuendum.

Quare fremuerunt.

3. Qui inter egregios regularis disciplinæ magistros dulcissimos theoricæ carpebat quotidie fructus.

Domine quid multiplicati.

4. Igitur sacræ institutionis norma sanctus adolescens perductus, in cathedram pontificalem est sublimatus.

Cum invocarem.

5. Vox beato sic ait in visu : Wodalrice episcope, scias te hodie hospites suscepturum esse.

Verba mea.

6. Inter cætera miraculorum insignia vir Dei persæpe cœlesti meruit perfrui visione.

Domine Dominus noster.

(*Responsoria I nocturni tria.*) ℟ 1. Beatissimi pontificis Wodalrici diem natalitium recolentes, qui hunc tantis coruscare fecit virtutibus, * Christum condignis veneremur laudibus. ℣. Qui inter cætera dignationis suæ beneficia hujus Sancti nobis donavit patrocinia. Christum.

℟ 2. Puer Dei inclitus Wodalricus infra duodecim ætatis suæ hebdomadarum curricula * ex divina admonitione a materno suspendi jussus est lacte. ℣. Ut solido cibo confortatus cœlestis verbi dispensator præfiguraretur egregius. Ex divina.

℟ 3. Cum transacto infantiæ termino jam bonæ indolis puer existeret, in sancti Galli cœnobium est commendatus * sacris litterarum studiis imbuendus. ℣. Ubi multorum futurus magister Deo favente satagit proficere. Sacris.

7. (*Antiphonæ II nocturni.*) Sanctus sacerdos dum divina quondam celebraret mysteria, dextera Dei æterna visibiliter apparuit supra sacrosancta.

Domine quis habitabit.

8. Quadam nocte, in visu ei sancta Afra apparuit, et locum collocationis proprii sui corporis in ecclesia demonstravit.

Domine in virtute tua.

9. Sanctam Agaunensium locum, orandi gratia, adivit, ubi Thebæorum martyrum reliquias Deo donante acquisivit.

Domini est terra.

10. Quas cum summo honore Augustam attulit, ac in oratorio Dei Genitricis cum hymnis et psalmodiis religiose collocavit.

Benedicam.

11. Per oleum, quod sanctus Pontifex in Cœna Domini consecravit, plurima curationum beneficia ægrotis Christi gratia condonavit.

Te decet.

12. Celebratis missarum solemniis, quemdam fluvium periculosa aquarum inundatione refusum transvadavit cum incolumitate suorum.

Bonum est.

(*Responsoria II nocturni tria.*) ℟ 4. Deo dilectus velut per divinum oraculum fuerat edoctus in pueritia, * in civitate Augusta sacerdotali decorata est infula. ℣. Hic Dei gratia se præveniente, ac totius plebis voto in unum concurrente. In civitate.

℟ 5. Orationes tuæ et eleemosynæ, Wodalrice, Deo sunt acceptæ, qui bonis intercessoribus tuis te commendavit, * ut tibi sacra mysteria celebranti assistant, et ea tecum benedicant. ℣. Wodalrice episcope, scias te hodie hospites suscepturum esse. Ut tibi.

℟ 6. Vir Dei plenus dum hostiam salutarem immolaret, ipso ex more signum crucis agente, dextera Dei sancta visibiliter apparuit, * quæ sacrosancta Dominici sacramenti mysteria cœlitus consecravit. ℣. Vere felix et sanctus, cui, hora sancti sacrificii, dextera Dei apparuit ministranti. Quæ sacrosancta.

(*Ant. ad Cantic.*) Surge, Wodalrice, et secundum morem sermonem in ecclesia hodie divinum ministerium festina implere.

(*Responsoria tria III nocturni.*) ℟ 7. Quidam verbis viri Dei non obaudiens sensum cum visu et auditu perdidit, sed mox ad ipsum perductus, * pristinæ sanitati est restitutus. ℣. Cujus tribulationibus cum mitissimus condolens indulgentiam et benedictionem donaret. Pristinæ.

(℟ 8.) Sanctimonialis femina, ut per sancti pontificis orationem est sanata, mox currendo præcessit eum * laudans et benedicens Dominum. ℣. Pedibus ejus provoluta gratiarum actiones egit devota. Laudans.

℟ 9. Sancte Dei Wodalrice, virtutum gratia plene, spes miserorum, decus ecclesiarum, * intende preces populi supplicantis, ut impetres veniam pro delictis. ℣. Ecce quia super pauca fidelis exstitisti, super multa constitutus in gaudium Dei tui introisti. Intende.

1. (*Antiphonæ ad Laudes et horas.*) Dominus Jesus Christus de cœlo misericorditer in terram prospexit, quando sanctum Vuodalricum catholicæ ecclesiæ pontificem fieri destinavit.

2. Cultor Dei egregius ad culmen pontificatus divina electione promotus, cœlestis verbi semina ubique spargebat per fidelium corda.

3. Hujus sanctissimi viri sanctorum dogmate divinorum signorum semper cœlitus comitabatur efficacia.

4. Sancta Afra martyr viro Dei quondam visione duce se trahente, supernorum civium cœtum feliciter meruit intueri.

5. In hujus visionis contuitu medio apostolorum principem vidit cum aliis quos vel olim in carne vel nunc primum in spiritu cognovit.

(*Ad Bened.*) O beatum virum, cœlesti visione dignum, qui etiam inter cætera divinæ revelationis arcana superventurum Pannonicæ gentis didicit bellum, et triumphum Christianæ parti cœlitus concessum.

(*Ad Magnif. in II Vesp.*) Sacerdos Dei Wodalricus

cum ex ergastulo carnis ad æthera esset sublevatus, tanta de exanimi ejus corpore suavissimi odoris manavit fragantia, ut cunctorum ibi assistentium perfunderet nares et pectora. In cujus veneratione dicamus : Gloria tibi Domine.

(*Collecta ad Missam.*) Deus qui hodiernæ festivitatis diem beati Wodalrici confessoris tui atque pontificis transitu gloriosum fecisti : concede propitius sic tanti patroni atque doctoris merita venerari in terris, ut ipsius apud te patrocinia sentiamus in cœlis. Per.

(*Secreta.*) Munus, Domine, nostræ devotionis sacro altari superpositum, pia beati Wodalrici supplicatio tibi Domino Deo nostro reddat acceptum, et ad hoc percipiendum purificet corda omnium nostrum. Per.

(*Præfatio.*) Æquum et salutare. Te quidem in sanctis tuis mirabilem prædicare, cujus gratuiti semper est muneris, quidquid in eorum vel verbis sonat mirabile, vel virtutibus coruscat insigne. Unde ex eorum collegio beati Wodalrici confessoris tui atque pontificis solemnia celebrantes, eadem sacrosancta Filii tui Domini nostri Jesu Christi dextera petimus in æternum consignari, quæ singularem redemptionis nostræ hostiam, ipso sacerdote sacro altari assistente, visibiliter voluisti benedici. Per eumdem Christum Dominum nostrum : per quem majestatem tuam laudant.

(*Postcommunio.*) Cœlestium sacramentorum participes effecti, quæsumus, Domine Deus noster : ut, interveniente beato Wodalrico confessore tuo atque pontifice, et peccatorum nostrorum indulgentiam, et vitam consequi mereamur æternam. Per.

ANNO DOMINI DCCCCLXXIV.

BENEDICTUS VI PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(MANSI *Conciliorum generalium*, tom. XIX, col. 37.)

Benedictus, patria Romanus, filius Hildebrandi, post obitum Doni subrogatus est in locum ejus XIII Kal. Decemb., anno Redemptoris 972. Hujus temporibus Otto magnus imperator, funeribus matris et Wilelmi Moguntini episcopi præmissis, mortuus est in Saxonia, anno imperii sui duodecimo. Adelais relicta conjux animam defuncti Ottonis mariti sui prosecuta fuit iis pietate officiis, quæ a Witichindo in fine libri III describuntur. Post obitum patris Otto secundus solus imperare cœpit, qui cum patre sextum annum imperii sui inchoaverat. Benedictus a Bonifacio Francone Romano, Fernitii filio, cardinale diacono, viro scelestissimo, captus et in carcerem detrusus, strangulatus est ab eodem, anno Christi 974, cum sedisset annum unum, menses tres et dies aliquot. Sedem apostolicam sacrilega cæde optimi pontificis vacantem sacrilegus homicida Bonifacius, qui septimus ejus nominis reperitur alibi nuncupatus, violenter invasit, eamque annum unum et mensem tenuit. Hunc ego, antiquiores scriptores imitatus, inter veros et legitimos pontifices numerandum non esse judicavi, quod sedem apostolicam turpiter ingressus, turpius deseruerit. Nam cum post multa alia scelera et flagitia homo nefarius Vaticanam basilicam omnibus ornamentis suis exspoliasset. Benedictus Albericorum, de quorum familia erat, ope et auxilio fretus, eum usque adeo exagitavit, ut, Roma relicta, Constantinopolim adire cogeretur. Quando et qua occasione Romam redierit, dicam infra in vita Joannis XIV.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(JAFFÉ, *Regesta pontificum Romanorum* 331.)

† Benedicti VI bullæ sunt scriptatæ per manum
Stephani notarii regionarii et scriniarii s. sed. apost. (2, 4, 5.)
Benedicti scriniarii s. summæ et apost. sed. (3).
Datæ p. m.
Widonis episcopi et bibliothecarii s. sed. apost. (2).
Joannis Deo amabilis primicerii s. ap. sed. (3).
Joannis episcopi et bibliothecarii s. sed. apost. (4).

† Quem alii censent in locum Joannis XIII, alii in Benedicti VI, subrogatum esse, DONUM (seu DOMNUM, BONUM) eximi de paparum serie oportere, perfecte demonstravit W. Giesebrecht, Jahrbucher des deutschen Reichs unter Otto II, p. 141. E tabulis enim cæterisque indiciis fidis, quorum auctoritate confecta horum pontificum chronologia est, satis apparet intervallum anni 1 et mensium 6, qui recentioribus in catalogis Dono tribuuntur, fuisse neque inter Joannis XIII et Benedicti VI, neque inter Benedicti VI et VII gubernationes. Accedit, quod jam « vivente » Benedicto VI, involasse in ecclesiam constat Bonifacium VII antipapam, ut illi succedere Donus minime potuerit. Postremo illud maxime notandum est, vetustissimos optimosque catalogos de Dono tradidisse nihil. Sic enim in iis de Benedicto VI reperitur :

In cod. Est. ap. Murat III, II, 322, *not. o. p* :

« Benedictus VI diaconus de regione VIII sub Capitolio, ex patre Ildebrando monacho ingressus est

mense Januario die 19. Hic fuit electus v anno regis Ottonis, ind. prima. Domnus sedit a. 1, m. 6. Iste strangulatus est. »

In cod. Vat. ap. Murat. III, II, 332.

« Benedictus VI, natione Romanus, ex patre Hildebrando, sedit a. 1, m. 6. Iste comprehensus est a quodam Cencio, Theodoræ filio, et in castellum S. Angeli retrusus ibique strangulatus est propter Bonifacium diaconum, quem interim vivente eo papa ».

In cat. pap. ap. Eccard. Corp. hist. II, 1640.

« Johannes (Benedictus) VI, nat. Rom. ex patre Hildebrando, sedit a. 1 m. 6 et de consilio Malifacii strangulatus est in castello S. Angeli. »

Ex tribus igitur his catalogis, quos a communi manasse fonte manifestum est, unus cod. Est. vocem « Domnus » continet. Quæ vero cum in catalogis illis pro « papa » haud raro collocetur, usque hoc loco referri eam ad ipsum Benedictum VI quivis videt facile, falsa transcribentium interpretatione Domnum illum qui cum Benedicto anni 1 mensiumque 6 pontificatu, quantum fuisse Benedicti VI scimus, in posteriores catalogos irrepsisse.

BENEDICTI VI PAPÆ

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

Benedicti papæ VI epistola ad Fridericum Salisburgensem episcopum et ejus comprovinciales. Ipsi ejusque successoribus vices apostolicas in Norica et Pannonia concedit.

(Anno 973.)

[MANSI, *Concil.* XIX, 58.]

BENEDICTUS, divina favente gratia atque totius populi Romani electione apostolicus, Friderico Salisburgensis Ecclesiæ archipræsuli, una cum suis fratribus, videlicet Noricæ provinciæ episcopis, mansuram in Christo felicitatem.

Protoplasto generis humani atque ejus semine serpentina suasione in gehenna cadente morte, multas Deus misericordia ductus medicinas misit in hunc mundum, patriarchas scilicet justos, prophetas veridicos, legiferum cum lege : et his omnibus nondum salvare non valentibus, novissime Filium suum humana carne indutum ad redemptionem generis humani ad terras transmittere dignatus est. Eo itaque inter homines conversante, duodecim elegit apostolos, quos ad seminandum verbum Dei in corda fidelium per universum transmisit orbem : quorum atque totius Ecclesiæ sanctæ constituit Petrum principem, cui gregem commisit ecclesiasticum, tertio ei dicens : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI), cui etiam ligandi atque solvendi tradidit potestatem, dicens : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Et non solum sancto talis concessa Petro potentia, sed etiam suis successoribus, ejus vicem in Ecclesia tenentibus, eadem ligandi atque solvendi a Deo tradita est potestas. Sancti itaque Petri apostoli successores per loca, prout opus erat atque decuit, constituerunt archiepiscopos, qui eorum vicem tenerent in Ecclesiis ; quia ipsi universas regere non poterant Ecclesias. Nos quoque vicem beati Petri apostoli, prout hominibus istius temporis possibile est, in Ecclesia tenentes, statuta illorum antecessorum nostrorum confirmare, quantum possumus, libenter desideramus.

Concedimus itaque vicem apostolicam Friderico Salisburgensis Ecclesiæ antistiti, ejusque successoribus, in tota Norica provincia et in tota Pannonia, superiori videlicet et inferiori, quomodo sui antecessores eamdem potestatem a nostris habuere antecessoribus : ita scilicet, ut nulli liceat in prælatis provinciis sibi usurpare pallium, nec episcopos ordinare, nec aliud officium quod ad archiepiscopum pertinere debet, præter præfatum archiepiscopum ejusque successores. Quicunque autem huic refragari, vel contendere voluerit decreto, quod nos vice B. Petri apostoli fungentes, consensu nostrorum episcoporum ac totius cleri Romanæ Ecclesiæ, decrevimus, sciat se B. Petro ejusque vicario esse contrarium atque fore anathema usque ad satisfactionem, sive sit episcopus, aut presbyter, sive clericus cujuscunque ordinis, sive laicus cujuscunque fuerit dignitatis ; quia sancta sanctorum antecessorum nostrorum solvere nolumus neque valemus. Sed quomodo illi consensu suorum episcoporum ac totius cleri constituerunt, fiat ex eorum pariter, et nostro decreto firmum atque perpetuum. Quicunque autem episcopi per amicos, sive clam per aliquam fraudem, aliquando ejusdem dignitatis petierint, sive petierunt privilegium, illos suspendimus ab ea dignitate ; quia illicitum judicamus ut aliquis episcopus, sine totius suæ provinciæ atque suffraganeorum suorum consensu, pallium sive aliquod archiepiscopatus privilegium a Romano pontifice acquirere præsumat.

II.

Privilegium Benedicti papæ, quod dedit episcopo Theoderico Trevirensi.

(Anno 973.)

[MANSI, *Concil.* XIX, 45.]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, charissimis nobis in Christo fratribus universis episcopis et totius dignitatis, et ordinis catholicæ fidei.

præsentibus scilicet et futuris, perpetuam salutem. A

Quia, licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia disponente, beati Petri apostolorum principis sacratissimam sedem, universaleque in toto orbe magisterium suscepimus, necesse est omnium Ecclesiarum, ut diligentissimam sollicitudinem ita continenter habeamus, ne earum jura auctoritate ejusdem apostolorum principis, cæterorumque successorum ejus venerabilium Patrum inviolabiliter statuta, et confirmata, nostro minuantur ac pereant tempore; sed potius corroborata decenter augeantur atque proficiant. Ideo vestram nosse volumus sanctitatem quod, Theoderico dilectissimo fratre nostro Treverensis Ecclesiæ archiepiscopo Romam dirigente legatarium, ad sanctorum apostolorum limina B
audivimus, sicut etiam pridem audiendo, imo et legendo compertum habuimus, eamdem ipsam præ cæteris Galliarum Ecclesiis catholicæ religionis exordium, et Chistianæ religionis catholicæque fidei rudimenta prima percepisse per sanctorum virorum Eucharii, Valerii, Materni, et cæterorum evangelicam doctrinam, quos tempore suo prædictus beatissimus Petrus apostolus ordinavit et instruxit, nec non illuc ad prædicandum direxit. Unde totius ordinis nostræ sedis apostolicæ consultu, gratuitoque assensu jura privilegiorum, quæ a sancta Romana matre Ecclesia præfatis sanctis, eorumque reliquis successoribus, id est Agritio, Maximino, Paulino, Severo, almificis et apostolicis viris, a primordio usque nunc authentice concessa sunt, quæque etiam C
ipsius civitatis excidio, incendio aliquove casu consumpta approbantur, eidem Treverensi Ecclesiæ prædictoque fratri nostro Theoderico, et per eum cunctis successoribus suis reconfirmare, recorroborare et omni modo restituere dignum duximus, decernentes, etc., ut Treverensis præsul post quemlibet ordinarium legatum apostolicæ sedis in Galliam, Germaniamve destinatum, primum inter alios pontifices locum obtineat Et si missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, similiter post imperatorem, sive regem sedendi, sententiam edicendi, et synodale judicium canonice promulgandi primatum habeat. utpote in illis partibus vicarius nostræ sedis apostolicæ merito constitutus. Neque enim dignum est ut illius Ecclesiæ præsul aliquo tempore cæteris non D
habeatur prælatus, cujus honor in illis partibus sub ipso apostolorum principe exstitit primitivus. Pari namque modo sancimus, omnes in parochiis ejus degentes, sive ordinationem et promotionem cujuslibet ecclesiastici gradus a pontifice ipsius] percipientes, eidem ipsi matrici Ecclesiæ episcopoque illius debere canonice placere obsequi, et jure obedire. Si quidem decreto beati Clementis papæ super hoc ita cautum videtur (*epistola* 3. ad Rufinum (Toran.) : *Si vobis episcopi non obedirent, omnes presbyteri, diaconi, subdiaconi ac reliqui clerici cuncti, omnesque principes tam majoris ordinis quam inferioris, atque reliqui populi, tribus et linguæ non obtemperaverint, a limitibus sanctæ Ecclesiæ Dei alieni erunt, dicente Domino : Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x, 16 Inter hæc quoque omnia, quæ ad supradictam Treverensem Ecclesiam intra et extra civitatem pertinere videntur, id est Ecclesias cum universis rebus sibi attinentibus, seu monasteria tam monachorum quam virginum, quæ ex præceptis, sive scriptis regum, seu imperatorum, sive eorumdem fundatorum auctoritate ad se pertinent et pertinere debent, et quidquid omnino illa ipsa Ecclesia ubique, et quoquo merito possidet et coepiscopo nostro, suisque successoribus ad perpetuam sanctæ Treverensis Ecclesiæ dominationem atque ditionem, per hujus nostræ apostolicæ sedis præceptionis seriem, hac præsenti I indictione, et usque in finem sæculi valituram. Contra quam si quis agere præsumpserit, et quod juste et canonice a nobis decretum est in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Omnipotentis, et prædicti beatissimi apostolorum principis omniumque sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum et anathematizandum, cum omnibus impiis æternis suppliciis deputandum. Qui vero hoc privilegium nostrum observare fideliter statuerit, benedictionis gratiam et misericordiæ plenitudinem in cœlestibus castris inter electorum numerum efficaciter a Domino Deo consequi mereatur.

Scriptum per manum Stephani notarii, scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Januario indictione I.

Data VI Kal. Februarii per manum Widonis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domni Benedicti sanctissimi summique pontificis, et universalis VI papæ primo, imperii autem domni Ottonis majoris XII, minoris autem VI.

III.

Benedictus . . . . . [VI] *papa Petro reverentissimo abbati monasterii Sancti Benedicti et Sanctæ Scholasticæ, confirmat omnia bona, inter quæ domum et ecclesiam Sancti Viti Romæ in regione* VII, *et monasterium Sancti Erasmi, et monasterium Sanctorum Cosmæ et Damiani, cum casis et curte majori et ecclesia infra se, quæ est in honore sancti Benedicti et sanctæ Scholasticæ, quod fuit de Joanne presbitero duce castelli Albanensis, posita Romæ regione tertia, in loco qui dicitur Massa Juliana.*

(Anno 973.)

[MURATORI, *Antiq. Ital.* V, 774.]

. . . Scriptum per manum Benedicti scriniarii sanctæ summæ et apostolicæ sedis, mense Novembrio, indictione II. Bene Valete. Data VI Kalendas Decembris per manum Joannis Deo amabilis primicerii summæ apostolicæ sedis, anno, Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi præsulis sexti papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli primo, imperante domno Ottone pissimo perpetuo Augusto a Deo coronato pacifico imperatore.

IV.

Benedicti VI privilegium pro monasterio Vizeliacensi.

(Anno 973.)

[D'Achery, *Spicil.* II, 504.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Eldrado religioso abbati sancti Vizeliacensis cœnobii omnique congregationi ejusdem monasterii in perpetuum.

Quoties illa tribui a nobis optantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos debet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Atque ideo quia postulasti a nobis quatenus privilegium sedis apostolicæ monasterio Vizeliaco, cui præesse dignosceris, quod constat olim a Gerardo nobilissimo et Christianissimo viro, necnon et Berta uxore ejus, in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et venerabilis beatissimæ semper virginis Mariæ genitricis ejusdem Domini nostri Jesu Christi constructum, in regno scilicet Burgundiæ, in pago Avalensi, quodque a prædictis fundatoribus beato Petro apostolorum principi pia devotione et testamenti pagina collatum est, facere deberemus, inclinati precibus tuis libenter fieri decrevimus. Unde et constituimus et apostolica auctoritate censemus, atque per hoc nostrum apostolicum privilegium confirmamus, ut nullus rex aut pontifex, vel abbas aut comes, vel qualiscunque magna vel parva persona, avaritiæ cupiditate correptus aut diabolica suggestione deceptus, audeat vel præsumat contra tuum honorem, o venerabilis Eldrado abba, qualicunque modo insurgere, in tua vita aut de tuo honore tibi molestias inferre, vel de omnibus rebus monasterii quæ tibi tuisque prædecessoribus a nobis nostrisque antecessoribus per paginam privilegii concessa atque firmata sunt, aliquas invasiones vel rapinas sive violentias inferre, si non vult, auctoritate Dei et sancti Petri et nostra apostolica excommunicatione, a corpore et sanguine Domini Jesu Christi et ab ingressu ecclesiæ disjunctum esse. Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de regibus, nullum de episcopis vel sacerdotibus, vel de quibuscunque fidelibus, per se, suppositamve personam, de ordinatione ejusdem abbatis, vel clericorum, aut presbyterorum, vel de largitione chrismatis, aut consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie exenii loco quidquam accipere, neque eumdem abbatem pro ordinatione sua aliquid dare præsumere, ne hac occasione, ea quæ a fidelibus pro loco offeruntur, consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in eodem cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quoquomodo populari conventu perturbari valeat, neque paratas aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium et religiosorum virorum atque beneficentiam, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum, non modo ibidem fieri [non] denegamus, verum etiam suademus; sed et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. De cætero notum fieri volumus quia devenerunt ad nos deprecatoriæ litteræ Gerardi episcopi Augustodunensis Ecclesiæ, pro decimis quatuor ecclesiarum, sancti videlicet Petri, et sancti Christophori, sanctique Germani, nec non sancti Leodegarii, quas ipse prædictus abbas ab eodem episcopo impetraverit, sicuti antecessores ejus ab episcopis ipsius sedis per succedentia tempora ordinatis fecisse noscuntur, ut sub confirmatione nostri privilegii corroboraremus, quod et fecimus excommunicantes, ut nullus Augustodunensis Ecclesiæ episcopus aliquam calumniam abbati ejusdem loci sive monachis de ipsis inferat ecclesiis, sive de decimis, tam ipse quam aliqua emissa persona valeat minuere aut in alium transferre parochiam. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum, aut secularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque se coram divino judicio cognoscat, et nisi ea quæ a se male acta sunt deleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manum Stephani Nicolaui episcopi [*leg.* Stephani notarii regionarii] et scrinarii S. R. E. in mense Novembri, indict. II. Datum IV Kal. Decembr. per manum Joannis episcopi [bibliothecarii est sedis apostolicæ, anno I pontificatus domni Benedicti sanctissimi VI papæ, imperante domno Ottone a Deo coronato magno imperatore, anno VI, indict. II.

V.

Benedictus VI papa monasterii S. Petri Redensis privilegia confirmat.

(Anno 974.)

[Dom Bouquet, *Recueil*, IX, 242.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Hildesindo religioso abbati venerabilis monasterii S. Petri apostoli, fundati in comitatu Petralatense, in monte quem dicunt Rodas subtus castrum Verdaria, et per te in eodem venerabili monasterio successoribus abbatibus in perpetuum.

Quoniam concedenda sunt quæ rationalibus desideriis pertinere noscuntur, nostri apostolatus auctoritas, ad roborandam piam fidelium devotionem, in præstandis privilegiis debet minime denegari. Igitur excellentiæ tuæ laudabilis ammonendo postulavit a nobis quatenus apostolica auctoritate per hoc privilegium concederemus et confirmaremus tibi

tuisque successoribus in perpetuum supra dictum A monasterium, cum omnibus suis adjacentiis et pertinentiis, cum finibus terminisque suis. Et ideo tuis piis desideriis faventes, nostra apostolica auctoritate decernimus ad ipsum præfatum S. Petri apostoli monasterium cum omnibus suis amodo et usque in finem sæculi sub patrocinio et defensione sanctæ Romanæ et apostolicæ matris Ecclesiæ perpetim permanendum, et sub tuitione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius juri et ditioni submittatur, nisi sub tua tuorumque successorum in perpetuum.

Confirmamus namque tibi tuisque successoribus prædictum monasterium cum suis terminis et adjacentiis, et cum omnibus quæ inferius continen- B tur, id est, ab ipsa meda quæ est infra portum Fraxani et ipso raso usque in locum quem dicunt Tres fratres, a parte videlicet orientis usque in medium mare; atque inde vadit ad ipsum locum quem vocant Molinum de Balascho, indeque pervenit ad ipsam Tamarit, et inde pergit usque ad ipsam Petrafitam, et serram usque in ipso Fitorio de monte Pininello et vadit ascendendo usque in firmitatem ipsius montis, atque descendendo pergit per ipsam viam usque in locum quem vocant Sorberelo, et descendendo pervenit in ipsam Clusam et ad ipsum casalem de Friulano. Inde vero ascendit per jam dictam viam ad ipsum casalem de Salvatore, et ad ipsum collum Trederici de Vinea Vitula, et pervenit usque in summitatem montis, C qui ibidem est. Inde vero vadit per ipsam serram usque in collum de Hermeneardo, et pervenit ad fontem sive ad collum de Filmera, et inde ad collum S. Genesii; sicque ascendendo et descendendo vadit per summitatem de ipsa serra quam vocant Calmi, et pervenit subtus ipsum castrum quem vocant Pinna Nigra usque in ipsas vineas quæ sunt de Palatro. Et vadit subter ipsam silvam quæ est ad meridiem subtus castrum Virdariæ usque subtus ipsam rocham quam dicunt Fitorio, et ascendit ad vallem de Fulcimania, atque pervenit subtus fontes de Bevotis in vallem de Frinone. Inde vero vadit per ipsas rochas usque in montem de Infesta, et descendit a parte Occidentis per ipsam viam publicam usque in rocham Ventosam, et in ipsum usque D locum qui vocatur de valde Budiga; et ascendit ad ipsam crucem, sicque descendit usque in viam de jamdicta cruce per ipsam vallem usque in reigo de Budiga. Inde descendit in collum de Terrario, et pervenit in summitatem montis quem dicunt Rocha Morena. Deinde a parte circii descendendo et ascendendo pervenit in summitatem de Wardia Maurisca, et pergit per summam serram usque in parada de Durando, et pervenit per summam serram usque in rederix de sancto Genesio. Et ascendit per summam serram in ipsum pugium qui est super ipsum Rovescarium, et descendit per ipsam serram ad jam dictam medam quæ est intus in mare. Item infra hos terminos confirmamus tibi tuisque successoribus ecclesiam sanctæ Crucis cum decimis et primitiis, et S. Joannis cum decimis et primitiis et oblationibus, atque alodibus ad ipsas Ecclesias pertinentibus, et ecclesiam S. Baudilii in valle Tabellaria, et ecclesiam S. Stephani quæ est in valle Subiradellos, et ecclesiam S. Fructuosi, et ecclesiam S. Vincentii quæ est in valle Lanciani cum decimis et primitiis suis, et ecclesiam S. Genesii, et ecclesiam S. Petri cum ipso castro Miralias, et ipsum castrum Virdariæ cum ipso castellare et cum ipso Fitorio et cum Pinna Nigra, cum omnibus rochis, terris et sylvis, quæ infra hos terminos sunt, excepto ipsam silvam de sancto Romano, sicut resonat in charta quam fecerunt Gausfredus comes et episcopus Suniarius ad jam dictum cœnobium.

Item confirmamus ad ipsum cœnobium in perpetuum stagnum de Castilione cum ipso gradu de mare et cum ipsis insulis, sicut resonat in præcepto Ludovici regis, sive in charta quam fecerunt Gauzfredus comes et Suniarius episcopus ad monasterium jam dictum, et quantum habet ipsum monasterium in villa Castellione et in villa Palatioli quem vocant Furtianum superiorem et Furtianellum minorem, et villarem Ildesindi cum ipsis stagnis et piscatoriis, et omnia quæ habet in termino de ipso Faro et villæ Saccari et villæ novæ et villare Stagniolo cum ipsis stagnis et suis villarunculis, et quantum habet in villa Petralta, et in villa Oleastri, et in villa S. Clementis, et in villare Dodolfini, et in comitatu Impuritano, et quantum habet in villa Militiano, quem vocant Sanctum Petrum, et in villa Armentaria cum ipsa ecclesia S. Martini, et in villa Mucroni, et in villa Columbi, et in villa Chaniano cum ecclesia S. Martini. et in villa Suntrana, et in villa Dalmalia, et in villa Torricella, et in villa Rinbeuri mortui. Et in comitatu Bisuldunensi, quantum habet in villa Lertio vel in molendinos, vel in Tapiolas quas vocant Figarias. Et in comitatu Gerundensi, ipsum mansum qui est infra muros ejusdem civitatis, et villam Palatioli cum Ecclesia S. Genesii, et ecclesiam sanctæ Mariæ in Blandas, et ecclesiam sancti Juliani, et Ecclesiam sancti Gaugini, et villam Felgari cum ecclesia sancti Cypriani, et Ecclesiam ssnctæ Justæ, cum decimis et primitiis et oblationibus ad easdem Ecclesias pertinentibus, et ipsum pinum qui fuit de Borello, et alaudia Soccoronio. Et in comitatu Barchinonensi, et in Vallensi, in monte Signio, et in valle Jordaria, quantum ibidem habet. Et in villa Larona, et in Agello, et in Terminio de Olerdula in Penades alaudem qui fuit de Guilischo. Et in comitatu Ausona, quantum habet in villa Berga, cum ipsa ecclesia Sanctæ Ceciliæ cum suo alaude, et alaudem quem habet in terminio de castro Cardona, et in Correzano ecclesiam Sanctæ Mariæ et Sancti Petri cum suo alaude. Et in comitatu Paliarensi, juxta civitatem Liminianam, ecclesiam S. Andreæ et omnia quæ habet in eodem comitatu. Et in comitatu Cer-

danie in villa Atrela ecclesiam S. Petri et Sanctæ Columbæ cum decimis et primitiis, et alodibus oblationibusque ad eam pertinentibus, et quantum habet in villa Exi, villam Villanova in Confluenti cum terminibus suis. Et in comitatu Fenioletensi ecclesiam S. Andreæ in valle Pesilianu, et quantum ibidem habet. Et juxta muros Narbonæ mansum unum. Et in comitatu Rossilionensi ecclesiam S. Salvatoris cum villare Miliani, et villam Lupiani, et ecclesiam sanctæ Columbæ cum decimis et primitiis, et villam Comparetam cum suis molendinis, et villam Palliestris cum Ecclesia S. Martini, cum decimis et primitiis atque alodibus, et villam Terrilias cum ecclesia S. Petri, cum primitiis et oblationibus. Et in comitatu Valle Asperi alodem de Campellos et de valle Crosa, et villam de rivo Negaros cum ecclesia S. Michaelis cum decimis et primitiis.

Decimas et primitias et oblationes de jam dictis ecclesiis, et monasterium supradictum, et loca et alodia cum omnibus finibus, limitibus, terminis et adjacentiis, quantum hodie ipsum monasterium infra hos comitatus superius scriptos habet, et annuente Deo acquisiturus erit, juris sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ, a præsenti secunda indictione ipsum monasterium villas, et alodes, et ecclesias, cum omnibus eorum pertinentiis, ut supra legitur, in perpetuum per hujus privilegii seriem stabilimus tibi tuisque successoribus, detinendum, et cum Dei timore regendum et dispensandum, ita ut nullus unquam regum, nullus episcoporum, nullusque hominum in quolibet ordine et ministerio constitutus, audeat moleste causis ejusdem monasterii incumbere, et hæc omnia, ut supra jussimus in perpetuum persistant, statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictione ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum præsumat aliquam vim aut invasionem in rebus ipsius monasterii facere. Post obitum vero abbatis nemo ibi abbatem constituat nisi quem consensus et communis voluntas fratrum ex ipsa congregatione elegerit secundum Deum et S. Benedicti regulam, nullumque præmium sive donum pro consecratione illius aliquis accipere contendat. Et si eum gratis episcopus ordinare noluerit, ad cujus diœcesim ipse pertinet locus, vel a nostra Romana matre Ecclesia vel a quocunque voluerit episcopo per nostram auctoritatem libere ordinetur. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc, quæ a nobis ad honorificentiam Domini nostri Jesu Christi pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt, transgredi, sciat se anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo, et omnibus impiis æterni incendii atrocissimo supplicio deputatum. At vero qui pio intuitu custos et observator eorum exstiterit, omnimodæ benedictionis gratiam, omniumque peccatorum suorum absolutionem, et cœlestis vitæ beatitudinem cum sanctis et electis a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manum Stephani notarii regionarii et scriniarii nostræ apostolicæ matris Ecclesiæ in mense Aprilis et indictione secunda. Bene valete.

VI (1).

Benedictus papa VI monasterii S. Ceciliæ Montisserrati privilegia confirmat

(Anno 972.)

[Dom Bouquet, *Recueil*, IX, 241.]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, Cæsario abbati venerabilis cœnobii Sanctæ Ceciliæ Montisserrati, et cunctæ tuæ congregationi successoribusque tuis perpetuam in Domino salutem.

Quoniam concedenda sunt quæ rationabilibus desideriis pertinere noscuntur, nostra apostolica auctoritas, ut roborandam piam fidelium devotionem, in præstandis privilegiis debet minime abnegari. Igitur excellentia tua et laudabilis mansuetudo postulavit a nobis quatenus apostolica auctoritate per hoc privilegium concederemus et confirmaremus tibi tuisque successoribus in perpetuum supradictum monasterium, cum omnibus adjacentiis et pertinentiis, cum finibus terminisque suis. Et ideo tuis piis desideriis faventes, nostra apostolica auctoritate decernimus ad ipsum præfatum Sanctæ Ceciliæ monasterium, cum suis terminis et adjacentiis, et cum omnibus quæ interius continentur. Ita sane ut nullus rex, archiepiscopus, episcopus, comes, vel vicecomes seu aliqua magna parvaque persona sub jure et dominio suo prædictum monasterium mittere audeat, et non habeat potestatem vel licentiam inalienare eumdem locum, vel sub alterius monasterii dominatione submittere; sed semper liberum et solidum retineas tuæ ac Romanæ ecclesiæ potestati: et nullus mortalium, qui ibi sunt modo vel erunt, invadere vel usurpare præsumat, aut fratres ibidem servientes inquietare; ita ut nullus unquam regum, nullus episcoporum, nullusque hominum in quolibet ordine et ministerio constitutus audeat moleste causis ejusdem monasterii incumbere, nec homines illorum per ullam causam distringere. Et ipsum monasterium, villas et alodes, decimas et primitias, quas dudum habuit et in antea acquisierit, et ecclesias cum omnibus eorum pertinentiis, ut superius legitur, in perpetuum per hujusmodi privilegii seriem stabilimus tibi tuisque successoribus detinendum, ac Dei cum tremore regendum, et dispensandum. Et hæc omnia, ut supra jussimus, tota in perpetuum persistant. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictione, ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum præsumat aliquam vim aut invasionem in rebus ipsius monasterii facere. Post obitum vero abbatis nemo ibi abbatem constituat, nisi quem consensus et voluntas communis fratrum ex ipsa congregatione elegerit secundum Dei timorem et S.

(1) Dubium.

Benedicti regulam, si ibi dignus inventus fuerit; nullumque præmium sive donum pro consecratione illius aliquis accipere contendat. Et si eum gratis episcopus ordinare noluerit, ad cujus diœcesim ipse pertinet locus, vel a nostra matre Ecclesia Romana vel a quocunque episcopo per nostram auctoritatem libere ordinetur. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii fuerit, gratiæ omnipotentis Dei et apostolorum Petri et Pauli particeps nostra benedictione fruatur. Qui vero, quod non optamus, contemptor et transgressor hujus nostri priviiegii fuerit, iram omnipotentis Dei incurrat et a corpore et sanA guine Christi extraneus fiat, et a nostra apostolica auctoritate, quo usque digne satisfecerit, excommunicatus maneat, a sanctæ Ecclesiæ collegio sequestratus, sociatus illis qui dixerunt Domino Deo : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* Job. XXI, 14 ; et anathematis vinculo innodatus, cum diabolo et omnibus impiis æterni incendii baratro deputetur.

Scriptum per manum Petri diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ et concellarii sacri palatii in mense Decembrio die XVI, indictione XV.

INDEX

IN

FLODOARDI HISTORIAM ECCLESIÆ REMENSIS.

D

E

F

G

H

I

J

L

M

N

O

P

R

ORDO RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FLODOARDUS CANONICUS REMENSIS.

FINIS TOMI CENTESIMI TRIGESIMI QUINTI.

Moulins. — Ex typis C. Desrosiers.